BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
K
35

114 7.68.



Inter libros
Josephi Mariae Paruscandolo
Antecessoris Regii
A. L. X.

Digitized by Google

Digitized by Google

LUCÆ HOLSTENII

VATICANÆ BASILICÆ CANONICI

ET

BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI

CODEX REGULARUM

MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas

SS. Patres Monachis, Canonicis & Virginibus Sanctimonialibus ſervandas præſcripſerunt.

Collectus olim à S. BENEDICTO Anianenſi Abbate:

Nunc autem

Auctus, amplificatus & in ſex Tomos diviſus.

TOMUS QUARTUS

REGULAS AC STATUTA

Recentiorum Ordinum & Congregationum,

quibus S. Eccleſia, Chriſti Sponſa, exornatur,

ADDITAMENTIS V.

(quorum Elenchus folio ſequenti exhibetur)

comprehenſa

exhibens;

Obſervationibus critico - hiſtoricis

A

P. R. P. MARIANO BROCKIE

S. T. D. Priore ac Seniore Monaſterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ

illuſtratus:

Eoque pie defuncto

Ab alio ejusdem Cœnobii, Nationis & Inſtituti Aſceta

Indice neceſſario

inſtructus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM

Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH Bibliopolarum.

ANNO MDCCLIX.

ELENCHUS

ADDITAMENTORUM TOMI IV.

Additamentum.		*Sæculum.*	*Pagina.*
XXXIII.	Conſtitutiones Ordinis *Prædicatorum.*	XIII.	1.
	Fratrum.		*ibid.*
	Sororum.		128.
	Fratrum & Sororum tertii *Ordinis Prædicatorum.*		140.
	Liber de Inſtructione Officialium, *Ordinis Fratrum Prædicatorum, à Rev.*^mo *P. F.* HUMBERTO *Magiſtro Generali editus.*		150.
XXXIV.	Conſtitutiones Ordinis Fratrum *Eremitarum S. Auguſtini.*	XIII.	219.
XXXV.	Conſtitutiones Ordinis Monachorum Benedictinorum *Vallis Umbroſæ.*	XI.	358.
XXXVI.	Conſtitutiones Monachorum *Sylveſtrinorum* Ordinis S. Benedicti.	XIII.	412.
XXXVII.	Conſtitutiones Monachorum *Cæleſtinorum* Ordinis S. Benedicti.	XIII.	476.

ADDIT. XXXIII.

SOLI
DEO
GLORIA

ADDITAMENTUM XXXIII.

CONSTITUTIONES FRATRUM PRÆDICATORUM.

OBSERVATIO CRITICA.

SAcer hic Ordo ab Inſtitutore denominationem ſumens, plerumque illius Inquilini nuncupari ſolent DOMINICANI, *cùm tamen Prædicationi Verbi divini maxime intendunt, ideo frequenter* Prædicatores *nominantur, licèt apud Gallos à primaria ſua Eccleſia S. Jacobo Apoſtolo ſacra,* JACOBINI, *& apud Scotos & Anglos, à ſuperiori habitu nigro,* FRATRES NIGRI *olim dicti fuerint. At quocumque nomine Religioſi illi Viri vocitentur, ab ipſo* S. DOMINICO *ortum ſuum trahunt omnes illi* FRATRES, *qui ineunte Sæculo XIII. in unum congregati fœdam* ALBIGENSIUM *hæreſim debellare cœperunt, ac deinceps, miro ſanctitatis & doctrinæ odore, Eccleſiam Catholicam undique condecorare ſtuduerunt.*

Natus eſt autem S. Dominicus *apud Hiſpanos, in villa, quæ* Calervoga *non* Charaloga *vel* Carologa *nominatur; prout exactiores* Scriptores Ordinis *tom.* 1. *pag.* 3. *notabant, ex nobiliſſima Guzmanorum familia oriundus; cujus Parentes* Felix Guzman & Joanna d' Aza *diu prole orbati, precibus ad Deum fuſis, per interceſſionem* S. Dominici Abbatis Silenſis Ord. S. Benedicti, *infantem puerulum impetrare meruerunt, anno MCLXX., eumque* Dominicum *nominabant; & cum Mater gravida ſibi ſomnianti viſa ſit geſtare in utero catulum ore præferentem facem, qua in lucem editus, orbem terrarum incenderet, quod ſomnium pii Parentes de futura Pueri ſanctitate & doctrina interpretati, natum Infantem Chriſtianis moribus imbuere curabant, & exacta pueritia eum piiſſimo Avunculo ſuo,* Glumielis Iſanenſis Eccleſiæ Archipresbytero, *erudiendum tradiderunt, apud quem ab anno MCLXXVI. ad MCLXXXIV. ſtetiſſe ferunt accuratiores ejus vitæ Scriptores.*

Piiſſimus igitur Avunculus raram Nepotis indolem ad omnimoda virtutis ſtudia aptiſſimam perſpiciens eum Palentiam *non* Valentiam, *celeberrimum tunc ſcientiarum Emporium tranſmiſit; ut liberalibus Artibus & Sacris litteris operam daret, cum Parentes illum ab incunabulis DEO & Eccleſiæ conſecraverint. Dum autem apud* Palentiam *optimus Adoleſcens* Dominicus, *egregiis doctrinæ & eximiæ pietatis laudibus floreret, accidit, quod* piiſſimus Oximenſis Eccleſiæ Epiſco-

pus Didacus *Canonicos Eccleſiæ Cathedralis reformare contenderet, eoſque ad Regularis Diſciplinæ obſervantiam perducere conaretur, quod etiam feliciter effecit, cœnobium Canonicorum Regularium ibidem inſtituens. Ad quam honorabilem Societatem vocavit* S. Dominicum *in eadem civitate natum, quem virtutibus & Doctrina præclarum Cœnobii Subpriorem conſtituit, munuſque Præconis Evangelici eidem impoſuit, quod & ſtrenue peregit, plurimos errantes ad viam ſalutis perducens.*

Cum enim illis temporibus Albigenſium *hæreſis venenum ſuum ubique ſpargeret, ad eandem debellandam miſſus, hæreticos illos verbo & exemplo acriter aggreſſus eſt, variiſque in locis cum iiſdem publicos inſtituit congreſſus. Inter quos celeberrimus erat ille apud* FANUM JOVIS *celebratus, quando libellus à* S. DOMINICO *ſcriptus & fidem Catholicam exponens ter in ignem conjectus, exiit illæſus. Quo miraculo plurimi hæretici excitati, ad Eccleſiæ gremium redierunt, adeoque non tam armis celeberrimi comitis* Montisfortis Simonis, *quàm precibus & exhortationibus* S. Dominicii *hæreſis Albigenſium eſt debellata.*

Interea nondum S. Dominicus *de inſtituendo novo ſuo Ordine Monaſtico cogitaverat, etiamſi, aſcitis quibuſdam Sociis, prædicationis munus ſtrenue proſequutus ſit. Poſt mortem enim* S. Didaci Epiſcopi Oximenſis, *de futuri S. Ordinis ponendo fundamento primum cogitavit, Monaſteria erigens, quo ſecurius ipſe Sociique Prædicatores laboribus Evangelicis feſſi DEO privatim vacarent. Et quidem huic laudabili operi operam ſpontanee obtulerunt vicini nobiles, atque Comes Montisfortis Caſtellum de* Caſſanell *cum omnibus ſuis pertinentiis conceſſit, quemadmodum &* Fulco Epiſcopus Toloſanus *ſextam partem decimarum totius Diœceſis eidem contulit, atque* Petrus Celani *& quidam nobilis Toloſanus nomine* Thomas, *novum erectum Monaſterium ingreſſi, omnia bona ſua mobilia & immobilia ad tam pium opus promovendum conferre voluerunt. Adeoque inſtituto novo Monaſterio & ibidem relictis ſexdecim Sociis,* S. Dominicus *Occitaniam reliquit,* Fulconem Antiſtitem *ad Concilium Lateranenſe properantem ſecutus, ut novi Ordinis confirmationem ab* Innocentio III. Papa *impetraret, quem ad debellandos hæreticos, & ad prædicandum Verbum DEI inſtituere meditabatur. Summus vero Pontifex per viſionem divinam novum* S. Franciſci *Ordinem jam anno MCCIX. confirmare coactus, hunc novum* Prædicatorum Ordinem *auctoritate Apoſtolica roborare renuit, non obſtante* Fulconis Epiſcopi, *aliorumque Præſulum inſtantiſſima interceſſione, ne nimiis Religioſorum Virorum Ordinibus Eccleſia opprimeretur. Poſtea autem ſuperna viſione præmonitus ſummus Pontifex,* S. Dominicum *in Occitaniam ad Socios ſuos remiſit, ut cum eiſdem conſilium iniret de eligenda vitæ religioſæ norma jam ab Eccleſia approbata, non tamen novam Regulam conderet, licet poteſtatem conceſſerit, ut novas Conſtitutiones Regulæ eligendæ ſuperaddere valuerit.*
Anno igitur MCCXV. reverſus ad Socios in Occitania S. Dominicus, *eoſdem in* Pruillenſem Parthenonem *jam dudum ab ipſo erectam convocavit, atque effuſis ad Deum precibus,* Regulam vulgarem S. Auguſtini *ſibi ſuiſque obſervandam elegit, Conſtitutiones* Præmonſtratenſium Canonicorum *obſervandas præcipiens. Quibus unanimiter ſancitis,* Romam *iterum tendit, promiſſam Ordinis approbationem accepturus. Sed, dum in itinere eſſet, audiens* Innocentium III. *mortuum, &* Honorium III. *ejus jam declaratum ſucceſſorem, novum Pontificem acceſſit, à quo & Ordinis confirmationem ſuſcepit. Bullam Pontificis referunt annales Ordinis, quæ tamen videtur conceſſa* Monaſterio Toloſano *in honorem* S. Romani *erecto, quod, cùm primum fuerit Cœnobium, ſic ejus confirmatio in totum Ordinem recte redundare dicitur.*

Et quidem in hac Bulla, ſummus Pontifex, terras, poſſeſſiones, aliaque bona, eidem Monaſterio, adeoque & toti Ordini conceſſa confirmat, atque ſub protectione Sedis Apoſtolicæ immediata ſuſcipere voluit, ut nimirum Ordo Canonicus juxta Regulam S. Auguſtini ibidem inſtitutus perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur. *Unde optime inferri poteſt,* S. Dominicum, *ſub exordio inſtituti Ordinis, admiſiſſe poſſeſſiones & terras, ex quarum redditibus Socii ſuſtentarentur, ne per pagos ad mendicandum vagarent, præſertim, cum noviter inſtitutus Ordo dicatur* Canonicus, *ſub Regula S. Auguſtini DEO militans. Nulla enim Religioſorum Virorum Mendicantium Congregatio, ſub directione* Auguſtinianæ Regulæ *tunc temporis reperiebatur, atque* Præmonſtratenſes, *quorum Conſtitutiones amplexi ſunt primi illi Dominicani, poſſeſſiones & fundos pro ſua ſuſtentatione neceſſarios admittebant. Nec ſane decebat, Verbi divini Præcones in-*

inter populum hæreſi infectum degentes, oſtiatim panem mendicare, ne prædicatio Verbi divini vileſceret, atque ipſi Prædicatores neceſſariis vitæ deſtituti, officium ſuum ſacrum quodammodo negligere cogerentur.

Adeoque primarii hujus Sacri Ordinis Inquilini ad mendicandam ſuam ſuſtentationem à Sanctiſſimo ſuo Inſtitutore non obligabantur; neque ſummus Pontifex Honorius III. *in ſua bulla ſacrum Ordinem confirmante, aliquam mendicandi memoriam facit, ſed opimas poſſeſſiones primævo Monaſterio factas liberaliter confirmavit. Immo idem ſummus Pontifex* S. Dominico *& Sodalibus in ipſa civitate,* Eccleſiam S. Sixti, *cum omnibus ſuis opimis pertinentiis, conceſſit, quæ etiamſi brevi poſt tempore, ad Sanctimoniales ejuſdem Inſtituti tranſiverit, attamen, & aliam æque divitem, nimirum ad* S. Sabinam *eiſdem contulit, ipſumque Palatium pontificium ad inhabitandum conceſſit. Nec dubitare licet, quin & alia primæva hujus Ordinis Cœnobia amplis & honeſtis poſſeſſionibus fuerint dotata, præſertim ad modum* Canonicorum Regularium *inſtituta, atque eorum incolæ appellarentur* CANONICI PRÆDICATORES. *Hujus denominationis eximium exemplum præbet Chronographus Melroſenſis, qui, ad annum MCCXXXIII.* Clementis Scoti *electionem in Epiſcopum Dunblanenſem apud Scotos deſcribens, ſic notavit:* Clemens Canonicus de Ordine Prædicatorum electus eſt ad Epiſcopatum de Dunblain, & conſecratus eſt ab Epiſcopo ſancti Andreæ in die Translationis ſancti Cuthberti apud Wedale. *Erat autem hic* Clemens Scotus, *unus ex primariis S. Dominici Sodalibus, qui cum aliis Sociis anno MCCXXX. ab* ALEXANDRO II. *Scotorum Rege nonageſimo, in Scotiam vocatus, opima Monaſteria ſuſcipere meruit, præſertim* EDINBURGENSE *&* BERVICENSE, *utrumque amplis redditibus dotatum, & inter Divos relatus, ab Hagiographis Scotis Demſtero & Camerio, ad diem XIX. Martii ejuſdem ſacra memoria recolitur.*

Non ergo ab exordio initi Ordinis, ſuſceptionem bonorum immobilium ſuis Sodalibus prohibuit S. Dominicus, *neque primævi ejus Socii, etiam mortuo ſanctiſſimo ſuo Magiſtro, ſeſe obligaverunt ex puris fidelium eleëmoſynis vivere, ſed fundos & annuos redditus liberaliter oblatos lubenter ſuſceperunt, præſertim ad ſuſtentandam Monaſteriorum fabricam neceſſarios. Quod autem mendicitatem in ſuum Ordinem introduxerit, certum eſt, cum in Capitulo Generali* Boloniæ *celebrato, anno MCCXX. reperimus eundem poſſeſſionibus, terris, decimis, redditibus, huc uſque Novo Ordini conceſſis renunciantem, ac paupertatem Evangelicam Sodalibus ſuis præcipientem. Exiſtimat quidem* Waddingus *celebris Fratrum Minorum Annaliſta, Sanctiſſimum Ordinis Prædicatorum Inſtitutorem, hanc omnium bonorum immobilium renunciationem, ſimulque Mendicitatem à* S. Franciſco Aſſiſienſi *percepiſſe, poſt nimirum colloquium* Peruſii *habitum, ubi uterque Sanctus convenerat.*

Vult etiam idem Annaliſta S. Dominicum *non tantum cum S. Franciſco colloquium commiſcuiſſe, verum etiam anno MCCXIX. ad* Conventum Aſſiſianum *celebrandum in profeſto Pentecoſtes ibidem convolaſſe, ubi, ad quinque mille fratres convenerant, eoſque ſuis piis exhortationibus mirifice confortaſſe, multaque ex tam ſancto conſortio proficua Sacro novo ſuo Ordini hauſiſſe, præſertim redituum & poſſeſſionum renunciationem, ſic enim Annaliſta ille in ſuis annalibus F. F. Minorum. tom. 1. pag. 292. num. 11. ad dictum annum loquitur:* Aderat huic Franciſci edicto B. Dominicus, eique hoc nimium viſum eſt, cùm vereretur, ſi non tantæ multitudini alimenta paterentur; ſed non multo poſt ecce ex omnibus finitimis urbibus & pagis concurſus hominum ac jumentorum, omnem omnis generis commeatum, ſuppellectilem, & vaſa deferentium, quæ res ita Dominicum permovit, ut ab tempore conſtituerit redditus omnes à ſuo quoque Ordine, qui tum naſcebatur, removere, divino fretus præſidio, cujus tam inſigne indicium oculis ſuis viderat, quod & fecit anno ſequenti in Synodo generali Boloniæ collecta, & ad ultimum vitæ terminum, ſub ſuæ Maledictionis interminatione in eos, qui poſſeſſiones in Ordinem introducerent; cum tamen Honorius III. primo ſui Pontificatus anno eundem Ordinem ita confirmaverit, ut Caſtella, prædia multa, & alia quæcunque tunc Prædicatores poſſidebant, retinerent.

Interim hoc Waddingi *aſſertum negant Dominicani Ordinis recentiores Scriptores, affirmantes, ſanctiſſimos illos* Mendicantium Fratrum Patriarchas, *nunquam ſimul conveniſſe, niſi ſemel* Romæ *& quidem, ſub primis Prædicatorum*

illorum incunabulis, in quo colloquio nihil actum de modo vivendi aſſerunt, neque admittere volunt ſanctum Dominicum *Synodo Franciſcanæ* Aſſiſii *anno MCCXIX. celebratæ in profeſto Pentecoſtes interfuiſſe, cùm eundem circa illius anni Pentecoſten apud Hiſpanos degiſſe, longe ab Aſſiſio diſſitum aſſerant Viri doctiſſimi* Jacobus Quetif, *&* Jacobus Echard, *qui integram diſſertotionem de ſancti Dominici itinere Hiſpanico ediderunt, in ſuis prolegomenis ad Hiſtoriam* de Scriptoribus *ſui Ordinis tom. 1. pag. 77. Nolo quidem me talibus tricis immiſcere, licet doctiſſimi Bollandi Socii* tom. 2. Maji pag. 828. col. 1. *ſentiant iter Sancti Dominici Hiſpanicum non niſi poſt Synodum Aſſiſienſem peractum fuiſſe, & certum ſit ſanctiſſimum illum* Prædicatorum *Inſtitutorem, ſequenti anno primum Mendicitatem Sodalibus ſuis impoſuiſſe, prout ſupra monſtravimus.*

Et quidem parum intereſt, an S. Dominicus, *exemplo* S. Franciſci, *an verò ex puro Evangelicæ paupertatis amore, Mendicitatem ad ſuum novum Ordinem traduxerit, cùm certum ſit illum ab exordio dotata Monaſteria ſuſcepiſſe, nec Sodalibus ſuis ſtricte paupertatem præcepiſſe, quod eorum Conventus aliquas terras & poſſeſſiones à fidelibus oblatas poſſidere non potuerint. In confeſſo enim eſt, antiquo Prædicatorum Cœnobia ſatis amplis prædiis & fundis fuiſſe dotata, atque reperimus ſanctum* Dominicum, *anno MCCXXI. gratanter accepiſſe à* Fulcone Epiſcopo Toloſano *Eccleſiam* Fani-Jovis *Deiparæ Sacram, cum omnibus ſuis decimis & pertinentiis ſatis amplis, in uſum ſuorum* Prædicatorum; *prout Inſtrumentum publicum deſuper confectum teſtatur, quod ſuprà nominati Auctores* de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom. 1. pag. 85. *adducunt. Atque clariſſimus Mabillonius in ſuo Muſæo Italico tom. 1. pag. 74. profert aliud Inſtrumentum, per quod apparet eundem Sanctum accepiſſe ſummam mille nonoginta librarum, à quodam Magiſtro Centhio circa prædictum annum MCCXXI. ſic enim ſonat:* Magiſter Centhius Gregorii Ranpazoli in præſentia Stephani Cardinalis SS. Apoſtolorum reverendo & per omnia referto Fratri Dominico Priori Venerabilis Monaſterii S. Sixti recipienti pro ipſo Monaſterio & pro Monaſterio Sanctæ Mariæ in Tempulo & eorum ſervientibus in perpetuum concedet mille nonoginta libras prov. ſen., quas Dominæ Eugeneæ olim Abbatiſſæ dicti Monaſterii S. Mariæ in Tempulo mutuaverat & de quibus ipſe pignus fecerat, ſcilicet in hortis ipſius Monaſterii de circulo maximo, Actum anno MCCXXI. Pont. D. Honorii Papæ anno V. Indic. IX.

Veritati ergò conſonum eſſe videtur Sanctum Dominicum *in inſtituendo ſuo Ordine mendicitatem ſuis Sodalibus haud præcepiſſe, nec poſſeſſiones oblatas reſpuiſſe, quamvis poſtea ut dictum eſt, cum reperiamus mendicitatem maximè recommendaſſe. Et quidem prudenter hoc ſancivit, videns Sodales mirifice multiplicatos & ubique Monaſteria erecta, quibus dotandis non ſemper facultates ſupererant, neque tantæ Religioſorum hominum multitudini ſuſtentandæ neceſſarii proventus ſufficerent. Nam vivente adhuc* S. Dominico, *Sacer hic Prædicatorum Ordo adeo propagabatur, quod, in extremas orbis partes exiverit ſonus eorum & ſupra ſexaginta Cœnobia conſtrui cœperint prout annales Ordinis referunt.*

Alia quoque non minor difficultas oritur cira primorum Fratrum illorum Prædicatorum *habitum, cum auctores adeo circa illum diſcrepare videantur, quod nihil certum de illo determinari poſſit. Nonnulli enim exiſtimant, S. Dominicum ab exordio Sodalibus ſuis præſcripſiſſe tunicam nigram, ad talos uſque dimiſſam, & deſuper Rochetum cum manicis ad pugnum ſtrictioribus, brevi quidem vixque ad genua deſcendens, quale nunc Epiſcopi & Abbates aliquando in choro gerunt, neque capitis operimentum aliquod ordinaſſe. Sic enim S. Dominicum ejuſque primos Socios depingit in ſua Ordinum Religioſorum hiſtoria Gallice conſcripta, tom. 3. pag. 198. Dom.* Hyppolitus Heliot, *Vir in antiquitatibus Monaſticis optime verſatus, ſed horrendas & inconcinnas veterum Monachorum imagines nimis audacter exhibens. Aliqui etiam autumant illos primos Prædicatores eorumque Inſtitutorem, tunica talari alba & ſaltem capa deſuper nigra cum caputio ejuſdem coloris veſtitos inceſſiſſe, licet, ſacra peragentes & in ipſa Eccleſia, ſuperpelliceis, nunquam Rocheto uterentur, quod tamen indumenti genus toto Sæculo XIII. incognitum fuiſſe, exiſtimant accuratiores Antiquitatis ſcrutatores. Denique non deſunt Auctores, qui aſſerunt* S. Dominicum *immutaſſe habitum novi Ordinis, poſtquam ille ab* Honorio III. *approbatus fuerat, ob cœleſtem viſionem* Beato Reginaldo *factam, qua dicitur Deiparam Virginem tradidiſſe formam Scapularis & hodierni habitus, quo*

ipſi

ipſi Sacri Ordinis Sodales modo utuntur, dum tamen alii talem immutationem negant.

Utut ſit, inter tot diſcrepantes ſententias audiamus ſæpe laudatos Jacobum Quetifum & Jacobum Echardum, *qui, in ſua Hiſtoria* de Scriptoribus Ordinis Præd. tom. 1. pag. 74. *integram diſſertationem circa verum Ordinis ſui habitum condiderunt, atque diverſas Sriptorum ſententias ſic conciliare contendunt:* omnia componere haud eſſe difficile dicendo, habitum eundem ordinarium domeſticum & civilem more Eccleſiæ Oximenſis, ab B. Dominico ab ipſis initiis geſtatum, hæc ſcilicet complectentem, tunicam albam talarem laneam, cingulum coreaceum, capucium album Scapulare habens aſſutum, capam deſuper nigram cum capucio ejuſdem coloris itidem aſſuto, & Sodales ejus primores ſic veſtitos ab initio inceſſiſſe: cùm verò chorum ingrederentur, vel Altari miniſtraturi ſe pararent, non ſolùm capa ſed & caputio albo, proindeque & Scapulari ei adjuncto depoſitis, ſuperpellicia more Canonicorum induiſſe, quæ rurſus è choro vel ex Altari recedentes exuerent, reſumpto tum capucio albo, & ſæpius etiam capa præſertim ubi coram Sæcularibus comparere tenebantur &c. *Adeoque, eodem modo S. Dominicus ejuſque primarii Sodales incedere ſolebant, quo moderni Dominicani incedunt, eademque indumenta habuerunt, quæ vel ab* Oximenſis Eccleſiæ *Canonicis, vel ab ipſis* Præmonſtratenſibus *mutuati ſunt, ſaltem ab his Scapulare cum capucio aſſumpſerunt. Nec opus eſt ad miraculum recurrere, ut hoc religioſo indumento tegerentur primi illi Prædicatores; à plurimis enim Sæculis familiare fuit omnibus Religioſis Viris, ſi Canonicos Regulares excipias, quòd Scapulari æque ac capucio uterentur.*

Hoc igitur modo inſtitutus Sacer Prædicatorum Ordo, non ſolum hæreſi, ſed corruptis Sæculi moribus bellum indicere cœpit; mirificè per Europam propagatus, quod tandem in quadraginta quinque Provincias diviſus fuerit, inter quas decimum octavum locum occupavit Provincia Scotica, *quindecim eximia Monaſteria complectens. Nec quidem ſola Europa zeloſiſſimis illis prædicatoribus ſufficiebat, ſed in omnes alias orbis plagas ſeſe ad prædicandum Evangelium extendebant, apud Indos Occidentales & Orientales, varia cœnobia obtinentes & jamdudum in ipſa Æthiopia fixam ſedem ponentes, ſi fides* Ludovico de Urreta *adhibenda ſit, qui integrum volumen de Miſſione Æthiopica hiſpanice anno* 1611. *ſcripſit, duoſque horum Prædicatorum inſignes Conventus ibidem erectos nominat, nimirum* Plurimanos & Alleluia *In primo hoc Monaſterio aſſerit adeſſe* 9000. *Viros Religioſos & ſupra* 3000. *Fratres laicos reliquis Patribus inſervientes, quod Cœnobium ad quatuor leucos ſive octo mille paſſus extenſum octoginta Dormitoria diſtincta continet, & tamen unum ſolummodo Refectorium & Culinam, ſicuti & unam Eccleſiam primariam comprehendit, ad quam omnes ſingulis Dominicis & feſtivis diebus convenire debent; licet in quolibet Dormitorio conſtitutum ſit oratorium, in quo privatis diebus conveniunt Religioſi ibi habitantes, ad peragendum divinum officium; ita ut quodlibet Dormitorium conſtituat integrum ampliſſimum conventum. Et quamvis in altero Monaſterio* Alleluia *appellato, ſtatuat ſolummodo* 7000. *Patres & Fratres habitare, attamen tota utriuſque Monaſterii hiſtoria magis ſapere videtur* Utopiam *quam* Æthiopiam *jam à primis Sæculis Chriſtiana religione & ſtatu Monaſtico celebrem. Quamvis enim* Franciſcus Alvarez *Eleëmoſynarius legationis ab Emanuele Portugalliæ Rege ad Æthiopiæ Imperatorem miſſæ anno MDXX. in ſuis relationibus referat vaſtum illud Imperium Monachis eſſe repletum, nullam tamen ſuprà nominatorum Monaſteriorum memoriam facit; neque* Ludolphus *in ſua Hiſtoria Æthiopiæ de talibus Cœnobiis loquitur etiamſi nominet plura alia Monaſteria, præſertim* Debra Libanos *poſtea ad* Bagendam *translatum, ubi Monachi in modum Antiquorum Ægyptiorum vivunt, nec de Dominicanis aut Europæis Monachis ſunt ſoliciti.*

Verùm, ut à fabuloſa hac Urretæ *relatione calamum avellamus, quæ nullatenus gloriæ Sacri Ordinis derogare debet, attamen agnoſcere oportet Piiſſimos hos Prædicatores Evangelium apud utriuſque Indiæ populos mirifice propagaſſe, atque ſupra duodecim diſtinctas provincias in* America & Aſia *poſſidere. Atque etiamſi in ſeptentrionalibus Europæ partibus hæreſi infectis, plurima eximia Monaſteria ſint deſtructa, attamen in Catholicis Regionibus eorum Cœnobia adeo ſunt multiplicata, ut in ſola* civitate Neapolitana *numerentur XXVIII. nimirum octodecim Virorum, & decem Sanctimonialium. Reperimus etiam hunc Sacrum Ordinem præter illas quadraginta quinque provincias ab uno Reverendiſſimo Generali gubernatas, adhuc continere duodecim Congregationes ſtrictioris obſervantiæ à diſtinctis Vicariis*

Generalibus dependentes, quæ quidem per Gallias, Hiſpanias & Italiam diſperſæ, arctiſſimam vitæ Monaſticæ diſciplinam obſervant.

Nec ſane mirari debemus Sacrum Ordinem adeo multiplicatum, ſi primorum Inquilinorum pietatem & doctrinam contemplemur, qui apud Hæreticos & Infideles Evangelium prædicantes, Martyrii palmam meruerunt, vel intaminatis ſuis moribus & Chriſtianis laboribus inter primarios Chriſti Confeſſores numerati ſunt, jamdudum Sanctorum faſtis inſcripti. Si dein eorum doctrinam conſideremus, reperiemus plurimos omnimoda ſcientiarum eruditione, & Theologia Doctrina præclariſſimos. Nullus enim ignorat S. Thomam Aquinatem, *qui, ob cæleſtem ſuam eruditionem, meruit nomen* Doctoris Angelici, *& etiamnum hodie* Princeps Scholæ Thomiſticæ *nuncupatur. Dein contemplemur* S. Albertum Magnum, S. Antoninum, S. Vincentium Ferrerium, Vincentium Bellovacenſem, Ludovicum de Granada, *multoſque alios pietate & eruditione celebres, tunc Sacrum hunc* Prædicatorum Ordinem, *maxime in Eccleſia floruiſſe, & etiamnum florere, agnoſcamus, neceſſe eſt. Ex illo namque prodierunt Viri ſummis dignitatibus Eccleſiaſticis cumulati; ut enim taceam octingenta Epiſcopos, centum & quinquaginta Archiepiſcopos, ex hoc Sacro Ordine creati ſunt ſexaginta Cardinales & quatuor ſummi Pontifices, nimirum:* Innocentius V., Benedictus XI., S. Pius V., Benedictus XIII.

Ad horum etiam Patrum Prædicatorum *honorem, quam maxime conducit honorabile officium* Magistri Palatii Pontificii, *quod ab ipſis exercetur à tempore* Honorii III. Papæ, *qui* S. Dominico *ejuſque Sodalibus ad inhabitandum conceſſit partem Sacri Palatii, donec Cœnobium* S. Sabinæ *uſui eorum adaptaretur. Dum igitur Sanctiſſimus Ordinis Inſtitutor in palatio Sacro degeret, perſpiciens Summi Pontificis aliorumque Cardinalium Aulicos, magis luſui quam devotioni deditos, ab ipſo* Honorio III. *conſtitutus eſt eorundem Inſtructor, ut debitis temporibus eoſdem Chriſtianis exhortationibus, & piis admonitionibus inſtrueret, & ad melioris vitæ tramitem perduceret. Tale igitur exordium habuit nobile hoc officium* Magiſtri Palatii, *quod exercet ſemper unus ex hoc Sacro Ordine deſumptus, cujus quidem privilegia & alii Summi Pontifices maxime auxerunt, quod inter domeſticos Papæ Prælatos numerari mereatur, cum titulo* Reverendissimi Magistri Sacri Palatii. *Nam ſine hujus licentia nullus conciones publicas in capella Pontificia tenere poteſt, neque in Sacræ Theologiæ Doctorem promoveri, quorum conciones & theſes examinare, corrigere, ac ſi quid corrigendum reperiat, etiam præſente Pontifice, publice refellere poteſt.*

Nullus quoque libros vel chartas quaſcunque, ab ipſius licentia imprimere vel vendere audet, ita ut ſit Iudex Ordinarius omnium Typographorum, Bibliopolarum, & Sculptorum, per civitatem ejuſque territorium hinc inde diſperſorum, quorum officinas frequenter viſitare, & quidquid ab ipſo non approbatum repererit, abripere & fiſco damnare valet. Cùm verò hoc officium Cenſoris librorum *nimis ſit tædioſum, ſic in laboris ſubſidium vocare ſolet Ordinis ſui Socios, qui ſedulo & ſolerter invigilare debent, ne fallacia aliquando irrepat, dum ipſe* Reverendiſſimus Magiſter Sacri Palatii *aliis gravioribus negotiis ſit occupatus. In primariis enim Sacris Congregationibus* de Sacro Officio, de Sacris Ritibus, & de Indice, *ad audiendas & dandas ſententias ſedere tenetur, quemadmodum ſimul cum Vicario Apoſtolico ad examinandos Civitatis Parochos vocatur, tanquam Prælatus domeſticus ſummi Pontificis Eſt etiam aliud celebre Officium huic Sacro Ordini peculiare, nimirum* Officium Inquiſitoris, *de cujus ortu variant inter ſe Scriptores, qui tamen plerumque illud Summo Pontifici* Innocentio III. *attribuunt, cùm, ante Sæculum XIII. ad quemlibet Epiſcopum pertineret, inquirere circa mores & doctrinam ſuorum ſubditorum, illoſque in rebus fidei errantes ad gremium Eccleſiæ, piis exhortationibus & etiam inflictis pœnis reducere. Poſtquam autem, labente Sæculo XII. Waldenſes & Albigenſes hæretici venenum ſuum per Gallias & vicinas Provincias ſpargere aſtute cœperant, nec Epiſcopi ſatis officio ſuo facerent, ad inquirendos & refutandos hos hæreticos Summus Pontifex* Innocentius III. *conſtituiſſe dicitur* Sanctum Dominicum *horum hæreticorum malleum &* Inquiſitorem; *quamvis alii Auctores inferre conentur primum* Inquiſitionis Tribunal *ſolummodo anno MCCXXXII. inſtitutum fuiſſe apud* Toloſam à Gregorio IX. *Papa, & his Prædicatoribus conceſſum.*

Ut-

Utut ſit, hoc unum certum eſt, hoc Inquiſitiones Tribunal *primo* Toloſæ *inſtitutum, Sacro Ordini Dominicano fuiſſe primitùs conceſſum, magnamque ubique auctoritatem ejus Sodalibus conciliaſſe, præſertim poſtquam* Inquiſitionis Tribunal *ad alias Provincias tranſivit, quamvis, ſucceſſu temporis, & hoc* Inquiſitoris Officium, *vel ad alias manus pervenerit, vel ejuſdem auctoritas plerumque ſuppreſſa ſit. Nam, apud Gallos, Belgas, Germanos & Polonos, vix ejuſdem nomen reperitur, umbra tamen illius auctoritatis* Toloſæ & Coloniæ Agrippinæ *adhuc ſupereſt, ubi* Prædicatorum *Superiores titulum Inquiſitoris retinent,* Avenione *autem Officium exercent, ad hoc ſpecialiter inſtituti à Congregatione Cardinalium de Sacro Officio cum Civitas Avenionenſis in Gallia quidem ſita, ſed ad ſummum Pontificem pertineat. Et quamvis Prædicatorum Ordinis Patres per Italiam in aliquibus locis adhuc* Inquiſitionis Tribunal *teneant, attamen modo omnem ſuam auctoritatem à* Congregatione Cardinalium de Sacro Officio *obtinere debent, qui ſunt* Generales Inquiſitores, *à quibus dependent, & alii* inferiores *tanquam eorum delegati. Hoc autem Sacri Ordinis bonori maximè conducit, quod Eminentiſſima illa Cardinalium Congregatio, in Conventu* de Minerva, *apud Reverendiſſimum Ordinis Generalem & Sacri Palatii Magiſtrum convenire debeat, ſingulis feriis quartis, ubi controverſiæ fidei tractantur, atque Libri contra fidem & mores ſcripti probibentur.*

Nolo hic integram Sacri hujus Ordinis hiſtoriam contexere, ſufficit enim ejuſdem ortum & progreſſum quodammodo exhibere, cùm Viri Doctiſſimi in ſuis annalibus celeberrimi Ordinis Acta, variaſque introductas Reformationes jam dudum propalaverint, prout Auctor Hiſtoriæ Ordinum Religioſorum tom. 4. fuſius declarat. Solummodo animadvertendum eſt, non ſolum Viros in ſuum Ordinem aſſociaſſe S. Dominicum, *ſed etiam Sanctimoniales fœminas congregaſſe, quas in* Parthenone Pruellensi *conſtituiſſe dicitur, priuſquam Sacer Ordo ab Eccleſia confirmatus erat, aut aliquod Virorum Cœnobium inſtitutum. Ille enim* Albigenſibus hæreticis *convertendis maxime intentus, dum quaſdam nobiles Virgines piiſſimis ſuis exhortationibus in gremium Eccleſiæ reduxerat, eaſdem ſponte & libere ſuam Virginitatem ſponſo Chriſto conſecrare anhelantes, ſub diſciplina & Regula religioſa in prædicto Monaſterio recluſit, quatenus nulla vagandi occaſio ipſis præberetur, præſertim apud Conſanguineos forſan adhuc hæreſi infectos. Et quamvis ſanctiſſimus Ordinis Inſtitutor paucas Virginum Parthenones inſtituerit, utpote anno MCCXXII. ad cælites tranſlatus, attamen ſucceſſu temporis adeo extendebantur, quod etiamnum hodie in Catholicis Provinciis plura poſſideant Monaſteria. Nam in ſola Italia numerantur centum triginta, quemadmodum apud Hiſpanos quinquaginta & in Portugallia quindecim, præter nonnulla apud Indos Occidentales hinc inde diſperſa, ex quibus prodiit Sanctiſſima Virgo* Roſa Limana, *Americani Orbis flos, omnium virtutum odore redolens. Apud Gallos etiam ſacræ illæ Virgines obtinuerunt quadraginta quinque Parthenones, atque in Germaniæ Imperio hæreſi jam dudum obruto adhuc ſuperſunt quadraginta, præter multa alia per Bohemiam, Hungariam, Poloniam, vicinaſque Provincias, ubi multa utriuſque ſexus adhuc florent Cœnobia.*

Verùm, Sacer hic Ordo, non ſolum in Clauſtris, ſed etiam apud ſæculares homines in privatis domibus, diſciplinam ſuam Monaſticam propagare voluit, unde viri & fœminæ per Gallias & Italiam ad Deum converſi dum arctiorem Mandatorum Divinorum cuſtodiam obſervare deſiderarent, nec ſtatum Religioſum ingredi voluerint, Tertium quendam Ordinem *à S. Dominico inſtitutum ingreſſi ſunt, qui Ordo primitus appellabatur:* Ordo Militiæ Christi, *ſive* Ordo de Poenitentia S. Dominici, *de cujus quidem Origine apud Auctores diſceptatur, prout ex ejuſdem Hiſtoria nuper à quodam Anonymo Pariſienſi edita omnino patet. Conſentaneum tamen veritati videtur, hunc* Tertium Ordinem à S. Dominico *talem accepiſſe Originem: Poſtquam ſanctiſſimus Prædicatorum Patriarcha* Albigenſes hæreticos *ad gremium Eccleſiæ perduxerat, conſiderans Monaſteria & Eccleſias plerumque per Occitaniam & Lombardiam dirutas, bonáque Eccleſiaſtica ad manus ſæculares perveniſſe, piiſſimis ſuis exhortationibus quoſdam viros nobiles, pios quidem & ſingulari virtute præditos in unam quaſi communitatem congregavit, illiſque reſtitutionem & conſervationem bonorum Eccleſiaſticorum inſtantiſſime commendavit, quos proin* Milites de Militia Christi *nominavit. Dicitur enim, illos Milites obſtrictos fuiſſe publico voto, ad talem reſtitutionem obtinendam, etiam cum periculo vitæ & ſuorum bonorum. Et ne illorum uxores tali voto obſiſterent, etiam & illæ obſtringebantur ad idem præſtandum, neque mortuis Maritis, ad ſe-*

cun-

cunctas nuptias tranſire potuerunt. Mortuo autem S. Dominico, atque diſſipatis ubique hæreticis, Fratres & Sorores Militiæ Christi, *memores cæleſtium admonitionum à Sanctiſſimo Inſtitutore acceptarum, in unam Fraternitatem coaluerunt, ſeſe deinceps nominantes:* Fratres et Sorores Tertii Ordinis de Poenitentia S. Dominici. *Atque diſtinctum habitum ab aliis Laicis induentes ipſis peculiares conſtitutiones circa modum vivendi præſcriptæ ſunt, quas, cum brevi hiſtoria ipſius novi Ordinis, ſuo loco exhibebimus. Interea non deſunt Auctores, qui S. Dominico, ejuſque Sodalibus attribuere conantur, quoſdam Ordines Militares, qui tamen nuperrimis ſolum temporibus in Eccleſia ſurrexerunt, quamvis forſan ad imitationem Ordinis* Militiæ Chriſti *fuerint erecti. Tales ſunt* Milites Sacri Rosarii, *quorum exordium nullum reperiri poteſt ante Sæculi XVII. medium, quando Sereniſſima Galliæ Regina* Anna Auſtriaca *Mater Magni Regis* Ludovici XIV. *quoſdam Nobiles utriuſque ſexûs in unam confraternitatem* Sacri Rosarii *convocaſſe dicitur, iisdemque pro Ordinis Inſigni, præſcripſiſſe Imaginem Deiparæ Virginis à torque aurea pendentem, præcipiens, ut hujus fraternitatis Sodales certis temporibus* Rosarium *recitarent, aliaque pia opera exercerent, prout fuſius Franciſcus Arnoldus de Inſtitutione hujus Ordinis, ſeu potius fraternitatis declarat.*

Pari modo loquendum eſt de alio ſuppoſititio Ordine Militari, qui appellatur: Ordo Militum de Cruce JESU Chriſti, S. Dominici, & S. Petri Martyris, *quem apud Mediolanenſes & alibi floruiſſe nonnulli excogitabant, cùm tamen de tali Ordine Militari nihil certum reperire potuerit Hyppolitus Eliot ſuprà laudatus in ſua hiſtoria Ordinum Religioſorum, qui tamen exiſtimat hujus fictitii Ordinis Originem ſumpſiſſe, ex eo, quòd quidam Nobiles per Italiam & Hiſpaniam, ab Inquiſitoribus fidei Catholicæ, in ſubſidium vocati, ſæpiùs Inſignia iſtius nobilis Officii portare ſoleant. Agnoſcit tamen hic Auctor umbram talis Ordinis Militaris etiamnum ſubſiſtere, in quem finem adducit Epiſtolam* Joannis Ferrandi *Inquiſitoris Avenionenſis, ad Nobilem Dominum* Joannem Fleury de Fontaine, *qua hic creatur Eques Torquatus* Ordinis Militaris Crucis JESU Chriſtri ac S. Dominici atque S. Petri Martyris. *Denique, labente Sæculo XVI. Fratres Prædicatores introducere conati ſunt alium Ordinem Equeſtrem, qui nominatur* Ordo Sanctæ Mariæ de Victoria Matris DEI, *in memoriam inſignis illius Victoriæ navalis per Chriſtianos contra Turcarum claſſem obtentæ, per Interceſſionem Glorioſiſſimæ Deiparæ Virginis ſeptimo die Octobris qui fuit Dominica anni MDLXXI. apud* Naupactum & Echinadas Inſulas. *Poſtquam enim Sanctiſſimus Romanus Pontifex* Pius V. *de cæleſti Deiparæ Virginis auxilio admonitus, præſcienſque victoriam Chriſtianis fuiſſe conceſſam eodem tempore, quo Romæ Sodales Sacri Roſarii proceſſionaliter incedentes, pro ſalute Chriſtianorum Deum per interceſſionem Deiparæ Virginis ferventer orarent, inſtituerit ſolennem* commemorationem Mariæ de Victoria *quotannis fieri Dominica prima Octobris, atque ſequentes Pontifices maximi* Feſtum Sacri Roſarii *celebrari eodem die præceperunt; ſed nullibi talem Ordinem Equeſtrem inſtitutum reperimus, quamvis ad eundem introducendum Fratres Prædicatores ſummopere laboraverint, tum apud Imperatorem, tum apud alios Reges Catholicos.*

Cùm igitur nihil certum de talibus Ordinibus Militaribus decernere poſſimus, ſic hoc ſolum inſinuare debemus, Fratres Prædicatores zelo conſervandæ fidei Catholicæ ferventes, ad imitationem Sanctiſſimi ſui Patriarchæ, tales Ordines mente concepiſſe, illiſque certas Conſtitutiones præſcripſiſſe, etiamſi nunquam eoſdem ad perfectionem perducere valuerint, ſi excipias quoſdam Nobiles Hiſpanos, qui ab Inquiſitoribus in ſubſidium vocati, quandam umbram Militaris Ordinis *imitari ſolent. Nec ſane Ordo* Militiæ Christi *à S. Dominico inſtitutus, longo tempore integer manſit, cùm, ſuppreſſis Albigenſibus hæreticis & ipſo ſanctiſſimo Inſtitutore defuncto, nomen* tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici *induerit, cujus tandem Sodales, potius exſtiterunt Viduæ quædam fæminæ, quam quidam Milites, aut Equites.*

Adeoque, Sanctus Dominicus *Sacrum Prædicatorum Ordinem inſtituens, ſolùm tres diſtinctos ſtatus ordinavit, nimirum, pro Viris ſolis vitam communem & regularem ducentibus, ſed præcipuè ad prædicandum Evangelium ordinatis; deinde pro Sanctimonialibus fæminis, quas clauſtris incluſas, arctiſſimam vitæ monaſticæ normam ſequi docuit; & denique pro Laicis utriuſque ſexûs nullo voto religioſo aſtrictis, ſed ad orandum & defendenda Eccleſiæ Catholicæ jura conſtitutis, qui ultimus ſtatus, nunc* Tertium Ordinem de Pœnitentia S. Dominici *conſtituit, cùm antea* Ordo Militiæ Chriſti *nuncuparetur, uti ſupra dictum eſt.*

Et

Et quidem his tribus diſtinctis ſtatibus aſcriptæ ſunt totidem diſtinctæ Conſtitutiones, ſecundùm quas, cujuslibet ſtatus Sodales vitam ſuam inſtituere debent, licet illas nullatenus à S. Dominico conditas exiſtimemus. Notum quippe eſt, illum, nullam novam Regulam Monaſticam ſuis Sodalibus præſcripſiſſe, ſed vulgarem S. Auguſtini Regulam, *atque Conſtitutiones* Præmonſtratenſium *ab exordio excoluiſſe, adeoque has Conſtitutiones impræſentiarum adducendas, non ab ipſo conditas, ſed ex primis Generalibus Capitulis deſumptas & collectas judicamus; etiamſi negari nequeat, nonnulla pia & ſalubria ſtatuta ab ipſo S. Dominico fuiſſe ordinata. Nec ſane huic ſententiæ contrarii ſunt Annales Ordinis, agnoſcentes,* S. Raymundum de Penafort *in tertium Magiſtrum Generalem anno MCCXXXVIII. electum, primum fuiſſe, qui conſtitutiones in Ordinem redegit, ſic enim de illo loquitur Chronicon Magiſtrorum Generalium pag.* 17. hic etiam Conſtitutiones Ordinis in duas partes diviſit, ſicut ſunt nunc, cum antea ſatis eſſent confuſæ, *utpote in Capitulis Generalibus ſancitæ, ſed nondum in unum corpus redactæ. Pari quoque modo de Sanctimonialium Conſtitutionibus diſcurrendum eſt, quamvis pro iiſdem* Parthenonem Pruillenſem *condiderit S. Dominicus ante inſtitutum Sacrum Ordinem, quibus tamen ſicuti & Viris ſolum* Regulam Auguſtinianam *præſcripſiſſe videtur. Denique perſpicuum eſt, Regulam illam* Fratribus & Sororibus tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici *præſcriptam, neque ab ipſo ſanctiſſimo Prædicatorum Patriarcha, aut ejus primis Sodalibus prodiiſſe, cum non niſi poſt ejus mortem talis Ordo incæperit, neque* Fratres & Sorores Militiæ Chriſti, *ex quibus & illi exorti ſunt, aliqua Regula ligati fuerint, ſed ſolum aſtricti ad protegenda Eccleſiaſtica jura, & certis temporibus ad devote recitandum Sacrum Roſarium.*

Verùm hæc omnia clarius patebunt ex ipſis Conſtitutionibus mox adducendis, quas anno MDCXC. juſſu Rev.mi Patris Antonini Cloche *ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis Romæ ſub titulo:* Regula S. Auguſtini & Conſtitutiones Fratrum Ordinis Prædicatorum, *impreſſas exhibemus. Et quamvis hic liber Conſtitutionum ampliſſimus ſit, & præter ipſas Conſtitutiones tribus Statibus ſacri Ordinis adaptatas alios tractatus ad Fratrum Prædicatorum regimen pertinentes contineat; attamen & illos ad quorundam inſtantiam hic inſerere voluimus, ſolummodo* Chronicon Magiſtrorum Generalium *omittentes. Quòd ſi quis curioſius velit ſtatum horum primorum Fratrum Prædicatorum inquirere, adeat Cl. Edmundum Martene, qui* tomo IV. Anecdotorum *adducit Acta Capitulorum generalium ab anno MCCXL. uſque ad annum MCCCXIII. ubi plurima ad has præſentes Conſtitutiones dilucidandas conducentia reperiuntur.*

PROLOGUS IN LIBRUM

CONSTITUTIONUM

Fratrum Ordinis Prædicatorum.

CUpientes nonnulla loca Conſtitutionum noſtri Ordinis Prædicatorum declarare, à titulo exordium ſumendum eſſe cenſemus: declarantes, quod hoc Nomen Prædicatorum, fuit Ordini noſtro impoſitum à Papa Innocentio III. per literas, quas direxit Beato Patri Dominico, & Sociis ejus: & ab Honorio III. fuit hoc nomen approbatum, & à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beatiſs. Patris Dominici confirmatum; ac demum ab aliis Pontificibus commendatum: qui miris laudibus, & præclariſſimis privilegiis prædictum Ordinem exornarunt. Unde Dominus Alexander IV. in laudem, & commendationem præfati Ordinis ſic dixit: Cœleſtis ille Agricola ſummus auctor fidei, præcipuuſque protector, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quaſi lignum fertile in Eccleſiæ Paradiſo inſeruit, ut delectaret amœnitate, ubertate ſatiaret, & fructuum ſuavitate mulceret. Hoc itaque ſpecioſum, fœcundum, ac dulce lignum, imbre ſuperno irrigatum, pulchra plurima, ac dulcia poma profert: quorum odore, ac ſapore confortantur, & convaleſcunt debiles, variiſque detenti languoribus liberantur. In hoc utique vitæ ligno mortales homines carnis infirmatibus prægravati, pabulum ſalutis inveniunt, & internam recipiunt ſoſpitatem. Hujus inquam ligni percepta fragrantia, undique ad libamen ipſius concurrunt innumeri Profeſſores fidei: qui aſſiduè illo perfruentes, & ejus ſalutaribus fructibus conveſcentes, de ipſorum prægustata dulcedine, miniſtrant & ipſi aliis, ſuavia libamenta ſalutis. Hæc eſt illa generoſa plantatio, quæ ramos ſuos undique expandens, flores plurimos honoris, & honeſtatis, fructuſque uberrimos doctrinæ profert, & virtutis; & odorem ſanctæ, ac laudabilis converſationis longè, latèque diffundit. Hic eſt Ordo Sacer Prædicatorum, honeſtate floridus, præclarus ſcientia, virtute fœcundus, à Sede Apoſtolica meritò approbatus: qui inter alia plantaria Dominica, puritate converſationis, ſapientiæ dono, & virtutis merito dignoſcitur ſpecialiter inſignitus. Hujus ſacri, clari, conſpicui, & approbati Ordinis Fratres, Sacrarum Scripturarum ſtudio inſtanter incumbunt, animarum profectibus, Divinis officiis, & orationibus inceſſanter intendunt, atque Evangelicæ prædicationi ardenter inſiſtentes, lumen Divinæ doctrinæ ubique per orbem diffundunt. Hi ſunt viri doctrina clariſſimi, qui contemplationi cœleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant. Hi ſunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes; quorum labia gratia cœleſtis edocuit ad propinandam ſalubrem doctrinam aliis, & commodum, ac profectum animarum Chriſti fidelibus exponendum. Unde ubique per mundum ora ipſorum intonant veluti tubæ, ac in omnem terram exit ſonus prædicationis eorum, & uſque ad fines Orbis ſua ſalutifera verba ſonant. Hi ſunt viri præclari, conſpicua religione fulgentes, qui tamquam lucentia ſydera in Eccleſiæ firmamento, ſuis ſplendidiſſimis documentis, viam cæleſtis vitæ mortalibus inſinuant. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſua ſacra converſatione ſuaviter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à ſomno negligentiæ celeriter ſurgere: & excuſſa prorſus inertia, ad opera lucis, & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo, & hominibus, Fratres videlicet Prædicatores, morum honeſtate conſpicui, ſcientiæ titulis inſigniti; quos æterni Patris benignitas inter plurimas perſonas divinis obſequiis deputatas, pro ſui nominis attollenda gloria, & Fidelium procuranda ſalute, ſpecialiter elegit: qui ſuum ſemper effectum ad amorem cæleſtium dirigentes, virtutem Divini nominis ubique publicant, & pro Chriſtianæ Religionis ampliando cultu, vigili attentione laborant. Hi ſunt, qui vitam, & merita Beatiſſimi Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriantur in ſola Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti; & mundi pompas, ac ſolaria ſpernentes, ad ſolam cæleſtem patriam, & ad Paradiſi delitias recta intentione ſuſpirant. Hi ſunt, qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes, elegerunt ſub arctiſſima paupertate Deo deſervire: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Hi poſtremò ſunt, qui cùm omnia terrena propter amorem bonorum cæleſtium reliquerint, ſobriè, juſtè, piè, & caſtè viventes, ac exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, perfectionem Evangelicam amplexando. Unde clariſſimè conſtat, eos in ſtatu perfectio-

nis

nis exiſtere, & per ſuæ Religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius Evangelicæ perfectionis contioet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.

Quanti autem Ordinem noſtrum fecerit, quidvè de ſucceſſoribus S. Patris Dominici præſagiverit Honorius, ex bulla confirmationis Ordinis certiſſimum eſt, quæ ita baber ad Verbum: Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Fratri Domioico Priori Sancti Romani de Toloſa, & Fratribus tois regularem vitam profeſſis, & profeſſuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina: confirmamus Ordinem tuum cum omnibus caſtris, & poſſeſſiooibus habitis, & habendis; & ipſum Ordinem, ejuſque poſſeſſiones, & jura, ſub noſtra gubernatiooe, & protectione ſuſcipimus. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam XI. Kaleodas Januarii, Pontificatus noſtri Anno primo.

TEXTUS I.

QUoniam (*a*) ex præcepto Regulæ jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino; Juſtum eſt, ut qui ſub una Regula (*b*) & unios profeſſionis voto vivimus, (*c*) uniformes in obſervantiis canonicæ Religioois inveniamur; quatenus uoitatem, quæ interios eſt ſervanda in cordibus foveat, & repræſentet uniformitas exterius ſervara in moribus.

(a) *Quoniam ex præcepto Regula jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino.*] Declaramus, quòd unites cordium in his, quæ Dei ſunt, ſecundùm Regulam noſtram eſt in præcepto, ſicut & commuoitas rerum, ſed ratione diverſa. Nam ad unitatem cordis ſervandam ex divinæ legis generali præcepto, de quo in Regula admonemur: ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ præcepto adſtringimur. Et ideo circa unitatem cordium, & communitatem rerum magna diligentia adhibenda eſt.

(b) *Et unius profeſſionis voto vivimus.*] Declaramus, quòd ideo ſub unios profeſſionis voto vivere dicimur, quia ſub unius Generalis Capituli, & ſub unius Generalis Magiſtri obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim unitas Eccleſiæ ex unitate capitis dependet, ita & unitas Ordinis noſtri ex unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magiſtri, cui ſecundùm [illegible] Regulam, & ſecundùm eaſdem Conſtitutiones ex Voto noſtræ profeſſionis tenemur obedire, abſque dubio dependere dignoſcitur. Quamobrem in Capitulis Generalibus Romæ celebratis an. 1589. 1601. & Venetiis 1592. & Pariſtis 1611. prohibitum fuit ſtrictiſſimè, ne dimiſſionem Ordinis quocumque modo Fratres procurent.

(c) *Uniformes in obſervantiis canonica Religionis inveniamur.*] Declaramus, quòd ſicut ex voto noſtræ profeſſionis tenemur caſtè, & ſine proprio, & ſub unius Generalis Prælati obedientia vivere, ita & exterioribus obſervantiis, cæremoniis, jejuniis, abſtinentiis, & in aliis ſtatutis, quæ ad ornatum, & decorem canonicæ Religionis, ſeu regularis vitæ obſervantiam pertinent, uniformes eſſe debemus. Ideo particulares conſuetudines præter Regulam, Conſtitutiones, & Ordinationes Capitulorum Genetalium fugiendæ ſunt, & amputandæ: ut uniformitas exterius ſervata in moribus, foveat, & repræſenret illam unitatem, quam interius ſervare debemus in cordibus. Quare in Capitulo Generali Valliſoleti 1605. fuit ordinatum, quòd ſi quis in fundatione alicujus Conventus, novas cæremonias, quæ non ſont in Conſtitutionibus noſtris voluerit introducere, talis Conventus nulla ratione acceptetur. In Capitulo etiam Bononienſi 1564. admonentur Prælati, ut diligenter attendant, ne contra Conſtitutiones, abuſus, aut conſuetudines prævalere incipiant: ſuper quo Provincialium, & Viſitatorum conſcientias oneramus, ut ſi quos Priores, aut Præſidentes invenerint, qui abuſus inducant, aut conſuetudines noſtris legibus contrarias in communi tolerent, in pœnam ab officiis abſolvant.

II.

QUod profectò eò competentios, & perfectius poterit obſervari; ſi ea quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata; ſi omnibus qualiter ſit vivendom ſcriptura teſte innoteſcat: ſi mutare, vel addere, vel miouere nulli, quidquam propria voluntate liceat; (d) ne ſi minima neglexerimus, paulatim defluamus.

(d) *Ne ſi minima neglexerimus, paulatim defluamus.*] Declaramus, quòd illa, quæ ponuntur in noſtris Conſtitutionibus, & non habent præceptum annexum, ſed ſunt purè ſtatuta ad ornatum, & decorem Regularis vitæ pertinentia, videntur eſſe minimè reſpectu illorum, quæ pertinent ad ſubſtantiam Religionis, vel quæ habent præceptum annexum. Tamen illorum transgreſſio ex negligentia, non eſt ſine veniali culpa: quæ diſponit ad mortalem, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Et ideo bene dicit Conſtitutio in textu: Ne ſi minima neglexerimus, paulatim defluamus: Nam ut eſt in Eccleſiaſt. 18. cap. *Qui minima negligit, paulatim decidet.* Et S. Bernardus dicit. *Neglectus ſemper culpabilis eſt.* Et S. Hieronymus: *Mens Chriſto dedita*, inquit, *ſic caveat minora*,

noſter Prædicatorum, qui ex ſua prima inſtitutione eſt principaliter, eſſentialiter, & nominatim, ad docendum, & prædicandum, ad communicandum aliis contemplata, & ad procurandam animarum ſalutem inſtitutus. Cùm itaque finis Ordinis noſtri ſit prædicatio, & ſalus animarum, ideo ſtatuta Ordinis non debent ita rigide ſervari, quod impediant illud, propter quod Ordo principaliter eſt inſtitutus: quia quod propter aliquid inſtitutum eſt, non debet contra illud militare: Et quæ ſunt ad aliquem finem ordinata, debent eſſe proportionata, & commenſorata eidem fini, & regulari ſecundùm congruentiam ad illum finem. Ea propter bene dicit Conſtitutio, quòd Prælatus poterit in ſuo Conventu cum Fratribus diſpenſare, in iis præcipuè, quæ ſtudium, vel prædicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire.

(i) *Animarum ſalutem.*] Declaramus, quòd tria ſunt præcipuè, quæ ſalutem impediunt animarum, licèt non ſint contra Ordinem. Primum eſt, quæſtus immoderatus. Mundus enim eſt cautus, & fugit quæſtores importunos, & immoderatos. Secundum eſt, officia odioſa, ut ſunt Inquiſitiones ad Tribunal Sancti Officii non pertinentes, viſitationes, correctiones violentæ, executiones teſtamentorum, vel arbitrorum ſententiæ, & aliæ cauſæ arduæ, & odioſæ, ex quibus frequenter perturbatur hominum devotio ad Ordinem, & Fratres. Tertium eſt nimia auſteritas in conſiliis, & opinionibus: terrentur enim homines ex hoc intantùm, ut ſalutem propriam negligant. Quapropter parcendum eſt ab importunitate notabilis quæſtus: fugienda ſunt omnino officia odioſa, licet alicujus ſint utilitatis: & relaxanda eſt (quantum fieri poteſt) rigiditas & auſteritas in conſiliis, ac homines benignè tractandi ſunt. Et ideo in Capitulo Pariſiis 1234. ſic fuit ordinatum: Strictiſſimè prohibemus, ne Fratres ſuſcipiant commiſſiones cauſarum, arbitria, ſive judicia, nec pignora, ſive obſides, neque per juriſdictionem Epiſcopalem aliquos coerceant, & qui contra fecerint graviter puniantur. Et Bononiæ 1252. fuit prohibitum, ne Fratres eſſent diſpenſatores alienarum pecuniarum, nec Teſtamentorum executores. Et Burdegalæ 1287. fuit diſtrictè prohibitum, ne aliquis Frater de cætero intromittat ſe de matrimoniis conciliandis, ſeu etiam de magnis, & arduis negotiis ſecularium pertractandis, & abſtineat a cauſis odioſis ſuſcipiendis. In Capitulo quoque Generali Romæ 1601. fuit diſtrictè omnibus noſtri Ordinis Fratribus inhibitum, ut neque poſſint ſecularium negotia litigioſa apud quæcumque Tribunalia procurare, neque ſe negotiis ſecularibus, mercimoniis, aut aliis hujuſmodi, quæ vitio proprietatis vicinia ſunt, immergere. Ne igitur ſalus animarum impediatur, debemus ab his omnibus odioſis negotiis abſtinere, & laborare, ut noſtra converſatio ſit bona, & ſancta, & ſummam diligentiam adhibere, ut fama Ordinis, & Fratrum integra ſervetur: ac ſtudendum eſt, ut in his, quæ non ſunt reprehenſibilia amicabiles nos hominibus reddamus, ac humaniter, & benignè cum eis converſemur.

(k) *Priores etiam utantur diſpenſationibus, ut alii Fratres.*] Declaramus, quòd Fratres noſtri inferiores, & ſubditi non poſſunt propria auctoritate ſeipſos in his, quæ ad Conſtitutiones pertinent diſpenſare, ſed debent à Prælatis, ſub quorum juriſdictione, & foro ſunt, diſpenſationem accipere. Superiores verò, & Prælati per iſtam Conſtitutionem, quando judicaverint expedire, ſunt diſpenſati, & poſſunt ſicut & cæteri, diſpenſatione uti.

I V.

(*l*) UT igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus & declaramus, ut Regula noſtra, & Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam: (*m*) niſi propter præceptum, (*n*) vel contemptum. Pœnis tamen abſolutionis ab officio, privationis vocis activæ vel paſſivæ, gravioris culpæ, & aliis majoribus (quantumcumque tàm in Conſtitutionibus, quàm extra, ipſo facto ſint incurrendæ) niſi ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nullus ſit ſubjectus, (*o*) niſi ſuperveniat declaratio Prælati in particulari reſpectu, hujus, quantumcumque etiam notorium facti, vel juris, aut utriuſque interveniat. Præceptum autem in Regula nullum (niſi quod de natura ſua eſt, ratione trium votorum, vel Divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis) contineri volumus, & declaramus. Et idem in Conſtitutionibus: niſi ubi ponitur ſententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum (præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ) & hoc idem in Ordinationibus, & Prælatorum verbis, & litteris intelligi volumus: Pœnam Excommunicationis, & Excommunicationem latæ ſententiæ, per nulla verba tàm in Conſtitutionibus, quàm extra in noſtro Ordine intelligimus, niſi ubi explicitè, & verbaliter pœna Excommunicationis, & Excommunicatio latæ ſententiæ, exprimitur.

V.

POrro Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale peccatum, in ira exteriori, maximè contra ſubditos turbatos: & ſi fecerint, irrita ſint & inania: facta tamen valeat, quoad quaſcumque pœnas temporales. Præcepta quoque in ſcriptis facta cenſeantur ſine ira facta. Nec faciant præcepta quieto animo niſi in ſcriptis, extra neceſſitatis articulum, quod fit à Viſitatoribus in viſitationibus: facta tamen valeant. Nec damnent aliquem ad pœnam gravioris culpæ, nec

carceris, niſi in judicio confeſſum, vel conjunctum, & in ſcriptis. Et ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

V I.

STatuimus etiam, quòd tàm in Conſtitutionibus, quàm extra, quidquid non ſecundum ſe mortale, mandatur ſub quacumque pœna niſi Excommunicationis, ad ſolam pœnam obliget; non obſtante, quòd in Capitulo de graviori culpa dicitur: ut qui membrum Diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri, &c.

(l) *Ut unitati, & paci totius Ordinis Provideamus, volumus, & declaramus, quod Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam.*] Declaramus, quòd cum in ſtatutis maxime ſit attendenda intentio, & voluntas ſtatuentis, & quæ intentio, ac voluntas eorum, qui noſtras Conſtitutiones ediderunt fuerit, ut nos non obligarent ad culpam: ſicut patet ex Capitulo ſecundo Generaliſſimo Pariſiis celebrato 1236. in quo iſta Conſtitutio propter pacem, & quietem conſcientiæ Fratrum fuit confirmata. Idcircò transgreſſores noſtrarum Conſtitutionum, quando ſunt purè Conſtitutiones, & non habent præceptum annexum, & id quod eſt in eis non eſt aliàs lege Divina, vel humana prohibitum, vel mandatum; non obligantur ad aliquam culpam, ſed tantùm ad pœnam in Conſtitutionibus taxatam; vel per Prælatos imponendam, vel taxandam: quam ſi facere recuſaverint, non evadent culpam. Nam, ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 4. ad 1. In Religione Ordinis Fratrum Prædicatorum, transgreſſio, vel omiſſio (ſcilicet Regulæ, ſive Conſtitutionum) ex ſuo genere non obligat ad culpam, nec mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam, quia per hunc modum, ad talia obſervanda obligantur; qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare, ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu. Et quamvis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa: ei tamen, qui voluntariè ſe obligavit ad aliquam pœnam, poteſt talis pœna ſine culpa infligi. Tales autem ſunt Fratres Ordinis noſtri, qui voluntariè in ſua profeſſione huic legi ſe obligaverunt.

(m) *Niſi propter præceptum.*] Declaramus, quòd Priores in ſuis Conventibus poſſunt ex rationabili cauſa in his, quæ ad Regulam, vel Conſtitutiones explicitè, vel implicitè pertinent, præcepta facere; quæ tranſgreſſores obligabunt non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad mortalem culpam: quia ex voto noſtræ profeſſionis tenemur Regulam, & Conſtitutiones non contemnere; & præceptis Prælati noſtri in his, quæ ſunt ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones obedire. Non debent tamen Prælati eſſe faciles, nec præcipitanter, & indiſcretè præcepta, & excommunicationes fulminare, ſed cum maturo conſilio, & ex diligenti deliberatione præhabita, & ex cauſa urgenti, & neceſſaria hujuſmodi præcepta diſcretè facere, ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1269. Oxoniæ 1280. Ferrariæ 1290. Cæterùm, de excommunicatione ferenda illud in mente habeant, quod decernitur à Concil. Triden. ſeſſ. 25. cap. 3. his verbis: Quamvis excommunicationis gladius, nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen, magnâque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temerè, aut levibus de cauſis incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem. Unde & in primo Capitulo Generali poſt Concilium Tridentinum Bononiæ celebrato anno 1564. de ſententia excommunicationis ſic habetur: Et quoniam in hujuſmodi ſententiis ferendis S. Synodus moderamen eſſe voluit, deinceps attendant Reverendi Provinciales, & Diſſinitores, ut niſi pro gravioribus cauſis, quæ præſentaneum exigunt remedium, non imponantur. Priores etiam Conventuales, quàm rariſſimè, & matura deliberatione cenſuris uti debent: & qui in hoc faciles inventi fuerint, à ſuis Superioribus corrigantur. Præcepta etiam ad peccatum mortale obligantia, aut nulla, aut quàm pauciſſima fiant: maximè circa eas ordinationes, quæ longo tempore ſunt duratura. In aliis quoque omnibus, quæ ad relevandas ſubditorum conſcientias neceſſaria videbuntur, Prælati ſe benignos, & faciles exhibeant, memores illud, qui magis miſericordiam dilexit, quàm ſacrificium.

(n) *Vel propter contemptum*] Declaramus, quòd ſicut tranſgreſſio præcepti in Regula, vel Conſtitutione poſiti, ſive à Prælato facti obligat ad culpam; ità & tranſgreſſio Conſtitutionis quantumcumque minimæ ex contemptu facta obligat ad culpam mortalem: quia, ut dicit S. Bernardus: *Neglectus ſemper culpabilis eſt, contemptus verò damnabilis.* Dicitur autem aliquis peccare ex contemptu, juxtà doctrinam S. Thomæ. 2. 2. q. 186. art 9. ad 3. quando voluntas ejus renuit ſubiici ordinationi legis, vel Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam. Quando autem è converſo propter aliquam particularem cauſam (puta concupiſcentiam, vel iram) inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa: etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteret, ſicut dicit Sanctus Auguſtinus in lib. de natura, & gratia cap. 29. *Quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ; frequentia tamen peccati diſpoſitivè inducit ad contemptum*: ſecundùm illud Proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

(o) *Niſi ſuperveniat declaratio Prælati.*] Denunciamus, juxtà declarationem factam Januæ 1513. quod pœnæ exigant declarationem Superioris in particulari, niſi ipſemet reus ſeipſum declaret. Quod facere debet, humiliter cognoſcens errorem ſuum, ſi factum eſt publicum, vel notorium. Si enim ipſe ſe declaraverit, alia non eſt opus declaratione. Et 1518. additum fuit declarando, quòd nullus Præſidens poteſt ſeipſum declarare abſolutum ab officio ſuo, propter quamcumque tranſgreſſionem commiſſam.

VII.

V I I.

ET ut multitudo Conſtitutionum vitetur, (*p*) prohibemus, ne de cætero aliquid ſtatuatur, niſi per duo Capitula Generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo immediatè ſequenti poterit confirmari, vel deleri : ſive per Priores Provinciales, ſive per alios Diffinitores, ubicumque illud tertium Capitulum celebretur.

(p) *Prohibemus ne de cætero aliquid ſtatuatur.*] Declaramus, quòd nec Prior Provincialis, nec Magiſter Ordinis, nec aliquod Capitulum, poteſt facere Conſtitutionem: ſed oportet, quòd ad Conſtitutionem faciendam concurrant tria Capitula Generalia & continua; vel unum Capitulum Generaliſſimum, quod tribus Generalibus Capitulis continuis æquipollet. Poſſunt tamen Capitula Generalia, & Magiſter Ordinis facere ordinationes, & admonitiones, quæ perpetuo durabunt, quouſque non fuerint revocatæ, & poterunt ſecundùm ipſas Prælati corrigere Fratres, & etiam in ipſis ex cauſa rationabili diſpenſare, ut communiter tenetur. Et idem dicimus de gratiis factis per Capitula Generalia, & Magiſtrum Ordinis.

V I I I.

INchoationes autem, quæ fiunt in Capitulis Generalibus, non mandentur executioni uſquequò approbatæ fuerint per alia duo Capitula, & factæ ſint Conſtitutiones : niſi fortè eadem inchoatio fiat per modum ordinationis. (*q*) Interpretationes Regulæ, vel Conſtitutionum, factæ à Generali Capitulo, (*r*) non habeant vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua in modum aliarum Conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuatè fuerint approbatæ.

I X.

ORdinationes tàm Capitulorum Generalium, quàm Magiſtri Ordinis, quoad vim præcepti, & cenſurarum Eccleſiaſticarum, cum ipſis expirare volumus. Vita verò Capituli, uſque ad ſequens Capitulum intelligitur. Quoad reliqua verò quomodolibet per Generale Capitulum, vel Magiſtrum Ordinis facta durare volumus, donec fuerint revocata per ſimilem poteſtatem, excepto ſi quem Magiſter Ordinis Vicarium totius Ordinis inſtituiſſet; hunc enim volumus cum ipſo expirare. Ab inferioribus autem Capitulis, & Prælatis quomodolibet ordinata, cum ipſis tanquam ab homine ordinata, expirare volumus : exceptis Supprioribus, Confeſſoribus tàm Fratrum, quàm Monialium, Vicariis Monialium, & Magiſtris perſonarum utriuſque ſexus tertii habitus, & Officialibus Conventuum abſque juriſdictione : hos enim volumus durare cum ea quam habeant auctoritate, donec revocentur ab habente poteſtatem deſtituendi eoſdem.

X.

POrrò Prælati omnes à multitudine præceptorum, & ordinationum abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum injiciant; nec propter defectum unius, vel paucorum, quem, vel quos non audent corrigere, communitatem involvant. Nulla quoque poteſtate in Ordine noſtro in communi, vel particulari aliquid ordinetur, vel prohibeatur cum hac pœna, quod non poſſit abſolvi à peccatis ſuis. (*ſ*) Priores tamen poſſunt aliquos determinatos caſus peccati mortalis ſibi reſervare, ut viderint expedire animabus.

(q) *Interpretationes Regulæ, vel Conſtitutionum.*] Declaramus, quòd ſi in aliquo paſſu Regulæ, vel Conſtitutionum occurrerit aliquod dubium, ſtabitur interpreationi, & declarationi Generalis Capituli, vel Magiſtri Ordinis; dummodò illa declaratio non contineat manifeſtum errorem, quia in dubiis ſequenda eſt majorum ſententia, & obedientia excuſat in dubiis. Et Julius III. Pont. Max. Generali Magiſtro conceſſit, ut ambiguitates in Conſtitutionibus; aut circa privilegia, gratias, exemptioneſque à Sede Apoſtolica Ordini conceſſas, poſſit auctoritate Apoſtolica declarare. Et ideò interpretatio, vel declaratio facta per Capitulum Generale, vel per Magiſtrum Ordinis, licèt non habeat vim Conſtitutionis, à ſubditis tamen tenenda, & obſervanda eſt. Et propterеà in pluribus Capitulis Generalibus, à principio Ordinis uſque ad hæc tempora celebratis, ſæpiſſimè fuit ordinatum, ut admonitiones, ordinationes, ac declarationes Capitulorum Generalium, à ſingulis Conventibus in aliquo libro debeant ſcribi, atque ter, vel quater in anno congregatis Fratribus legi : neque deleri debent, niſi fuerint revocatæ, ſicut habetur in Capitulo Colonienſi 1245. In Capitulo etiam Biſuntino 1353. ſic dicitur : Imponimus diſtrictè omnibus

nibus, & ſingulis Prioribus Provincialibus, ut declarationes hujus anni, & omnes alias præteritis temporibus factas, quas habere poterunt, diligenter in uno volumine ſcribant, & cum aliis ſcriptis Provinciæ cuſtodiant, & Conventibus ſuis communicent, ac eas ſæpius legi faciant. Omnia autem acta Generalis Capituli, illicò in toto Ordine publicentur per Provinciales, vel per Viſitatores, non exſpectato Provinciali Capitulo, ut Romæ 1542. 1546. & noviſſimè 1589. in hunc modum ordinatum, & Pariſiis 1611. confirmatum fuit.

Item conformiter ad ea, quæ in pluribus Capitulis Generalibus ſancita fuere declaramus, non eſſe in poteſtate alicujus Provinciæ, prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, non acceptare acta, ſeu ſtatuta Capitulorum Generalium, ſed omnes, & ſingulas Provincias decretis, & ordinatis in eiſdem Capitulis, ita ſubjectas eſſe, ut unaquæque earum teneatur ipſa acta in unoquoque Conventu publicare, acceptare, & inviolabiliter obſervare, utpotè pro communi bono univerſitatis Provinciarum, Conventuum, & Fratrum facta. Et quatenùs opus eſſet auctoritate Apoſtolica revocamus, & annullamus quamcumque conſuetudinem, aut privilegium quomodolibet prætenſum, aut in contrarium exiſtens.

Mandamus inſuper, ut ſingulis diebus non ſolemnibus cujuslibet hebdomadæ per totum annum lectioni menſæ inferatur lectio de ſacris Conſtitutionibus, & quater in anno Acta Capitulorum Generalium coram toto Conventu publicentur, & cum aliis ſcripturis exemplaria eorum ad eum modum conſerventur; ut unum exemplar ſit penes Priorem, alterum in depoſito communi, tertium penès Magiſtrum Novitiorum. Romæ 1532. 1580. 1589. 1601. 1608. & Barcinonæ 1574.

(r) *Non habeant vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua in modum aliarum Conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuate fuerint approbatæ.*] Declaramus, non ſufficere ad conſtitutionem faciendam, ut ſint tria Capitula Generalia continuata quomodolibet idem ordinantia, & confirmantia: ſed oportere, ut primum Capitulum id ordinet per viam inchoationis, & alia duo immediate ſubſequentia, eandem inchoationem confirment, ut apertiſſimè textus Conſtitutionis inſinuat.

(s) *Priores tamen poſſunt aliquos determinatos caſus peccati mortalis ſibi reſervare*] Denunciamus fel. rec. Clementem VIII. Apoſtolicam Conſtitutionem circa reſervationem caſuum edidiſſe in hunc modum: Sanctiſſimus Dominus Clemens VIII. qui jàm pridem accuratè perpendit, quòd reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à quibuſdam gravioribus delictis, niſi moderate fiat, nonnullos infirmiores in æternæ damnationis periculum, & deſperationem inducere poſſet: ideò decrevit, ut nemo Superior Regularis peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis his, quæ ſequuntur: aut aliquibus illorum, prout in Domino expedire judicaverit.

Venefica, Incantationes, & Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento; quandò eò pervenerit, ut extra ſepta Conventus fiat egreſſio.

Nocturna, & furtiva è Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contrà votum paupertatis, quæ ſit mortale peccatum.

Juramentum falſum in judicio regulari, ſive legitimo.

Procuratio, auxilium, ſive conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Conventus.

Furtum de rebus Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiotes.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & aſſenſu. Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum commiſerint; aut ipſimet ſubditi ſponte id petierint. Superiores in ſingulis domibus duos, vel tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori deſignent: iique ſint docti, prudentes, & charitate præditi; qui à non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit: in quo caſu debere committi, ipſe imprimis Confeſſarius judicaverit. Tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſteà ad Superioritatis gradum aſſumpti fuerint; caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernatiooem utantur. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves, quibuſdam peccatis etiam non reſervatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab illis cohibere poſſint. Et ità mandat ſervari ab omnibus, non obſtantibus &c.

Librum autem iſtum diligenter conſcripſimus, in quo duas Diſtinctiones adnotavimus.

Explicit Prologus cum ſuis Declarationibus.

PRIMA DISTINCTIO

Continet viginti Capitula.

I. *De Officio Eccleſiæ.*
II. *De Inclinationibus.*
III. *De Suffragiis mortuorum.*
IV. *De Jejuniis.*
V. *De Cibo.*
VI. *De Collatione.*
VII. *De Infirmis.*
VIII. *De Minutione.*
IX. *De Lectis.*
X. *De Veſtitu.*
XI. *De Raſura.*
XII. *De Silentio.*
XIII. *De Recipiendis.*
XIV. *De Novitiis, & eorum inſtructione.*
XV. *De Profeſſione.*
XVI. *De leui Culpa*
XVII. *De gravi Culpa.*
XVIII. *De graviori Culpa.*
XIX. *De graviſſima Culpa.*
XX. *De Apoſtatis.*

SECUNDA DISTINCTIO

Continet nouendecem Capitula.

I. *De Domibus concedendis, & conſtruendis.*
II. *De Electione Prioris Conventualis, & inſtitutione Supprioris.*
III. *De Electione Prioris Provincialis.*
IV. *De Electione Magiſtri Ordinis.*
V. *De Electione Diffinitorum Capituli Provincialis, & Generalis.*
VI. *De Capitulo Provinciali.*
VII. *De Capitulo quotidiano.*
VIII. *De Capitulo Generali*
IX. *De ſolemni celebratione Capituli.*
X. *De Capitulo Generaliſſimo.*
XI. *De Viſitatoribus.*
XII. *De Prædicatoribus.*
XIII. *De Itinerantibus.*
XIV. *De Studentibus*
XV. *De Converſis.*
XVI. *De Conſtitutionibus Capituli Perpiniani.*
XVII. *De Capitulo Biennali, vel Triennali.*
XVIII. *De Conſtitutionibus Bonifacii Papæ IX.*
XIX. *De Conſtitutione Alexandri VI. de Electione Magiſtri Ordinis.*

CONSTITUTIONES FRATRUM ORDINIS PRÆDICATORUM.

PRIMA DISTINCTIO.

CAPUT I.

De Officio Eccleſiæ.

CONSTITUTIO I.

(*a*) AUdito primo ſigno, ſurgant Fratres, (*b*) & ſtando dicant Officium de B. Virgine, (*c*) pro tempore; (*d*) Matutinas autem & Miſſam, & omnes alias Horas Canonicas ſimul audiant Fratres noſtri, (*e*) niſi cum aliquibus Prælatus aliter diſpenſare voluerit.

(a) *Audito primo ſigno)* Declaramus, quòd ad Horas Canonicas non debemus regulariter habere niſi duo ſigna. Primum debet eſſe breve, quo audito, Fratres debent ſe præparare, & occupationes, in quibus tunc verſantur dimittere, nec novas aſſumere. Secundum autem ſignum debet eſſe ità prolixum, ut ante ejus terminationem, poſſint Fratres de omni remotiori loco Domus, ſecundùm exiſtimationem pulſantis, ad Eccleſiam convenire. Inter primum autem, & ſecundum ſignum debet eſſe tantum ſpatium, ut Fratres ſe poſſint præparare.

(b) *Et ſtando dicant Officium de Beata Virgine.)* Declaramus, quòd in Matutinis, audito primo ſigno, debent in Dormitorio Fratres ſtando dicere Officium de B. Virgine, quando pro tempore eſt dicendum: uno incipiente, & dicente unum verſum, & aliis reſpondentibus, & dicentibus alium verſum: & poſt ſecundum ſignum debent Officium de Tempore in Choro devotè, & diſtinctè cantare. Veruntamen, ut majori qua poteſt pietate, & devotione erga B. Virginem, ſpecialem Ordinis Advocatam, Officium illius in Dormitorio recitetur, in Dormitoriis Conventuum, locorumque noſtrorum, debet eſſe erectum Altare cum imagine ejuſdem Beatiſs. Virginis, ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574.

1574. & Valentiæ 1596. In aliis verò Horis debent poſt ſecundum ſignum in Choru antè Officium de Tempore, ſtando Officium Beatæ Virginis præmittete: niſi in Completorio, ubi poſt Officium de Tempore, Officium Beatæ Virginis dicitur, ſicut fuit ordinatum Metis 1421.

(c) *Pro tempore.*) Declaramus, quòd Officium B. Virginis certis diebus in Dormitorio, & in Choro intermittitur, & ad ipſum dicendum Fratres non obligantur: videlicet in Feſtis Duplicibus, & ſupra: & in Octavis Solemnibus, & quando de Beata Virgine fit Officium, ſive in Octava ipſius, ſive extrà Octavam: & certis aliis diebus in Ordinario adnotatis. Et propter hoc dicit Conſtitutio, quòd Fratres audito primo ſigno dicant Officium de Beata Virgine, pro tempore, & non ſemper: propter illos dies, in quibus intermittitur; quamvis & illis diebus ex devotione in privato, ſemper dici debeat, eò præſertim, quòd beatæ memoriæ Pius V. illud devotè recitantibus quando non tenentur, conceſſit centum dies indulgentiarum litteris Apoſtolicis.

(d) *Matutinas autem, & Miſſam, & omnes Horas Canonicas ſimul audiant Fratres.*) Declaramus, quòd omnes Fratres Clerici ſimul in Eccleſia Miſſam Conventualem debent audire, & Horas Canonicas dicere; quia Eccleſiæ noſtræ ſunt Conventuales: niſi Prælatus cum aliquibus propter honeſtas, & legitimas occupationes voluerit diſpenſare, ut privatas Miſſas audiant, & in privato Officium dicant.

Declaramus autem, quòd Fratres Sacerdotes, ſi à celebratione Sacroſancti Sacrificii Miſſæ ſint legitimè impediti, debent illi aliàs cum magna devotione intereſſe: & quæ à Sacerdote in Miſſa dicuntur, quantùm fieri poterit, attentè audire, ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. & Romæ 1589., quia valdè irreligioſum eſt, quòd Frater quotidiè, maximè quando eſt in domo, non audiat Miſſam. Nec ſuper hoc debet Prælatus de facili diſpenſare, ſed potiùs per pœnitentias debet Fratres ad audiendam quotidiè Miſſam compellere. Si qui autem ſint, qui vel ſenio confecti, vel aliqua infirmitate, vel quocumque alio impedimento detenti celebrare non poſſint; teneantur ſaltem in qualibet Generali Communione ſacram Euchariſtiam ſumere, confeſſione ſacramentali præmiſſa. Communionem verò Generalem haberi volumus tempore Adventus, & Quadrageſimæ ſingulis diebus Dominicis: reliquis verò temporibus ad minus de quindena in quindenam, & aliis quibusdam ſolemnitatibus, arbitrio Prælati determinandis, ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. & Romæ 1589. Horæ autem Canonicæ, quando in privato dicuntur, taliter recitari debent, ut ille qui dicit, niſi ſit ſurdus, vocem propriam poſſit audire.

Debet etiam quilibet diſtinctè, tractim, & cum debitis punctis, & attentione tàm in Choro, quàm extra Chorum, Divinum Officium perſolvere. Non requiritur tamen actualis attentio per totum Officium, nec ſufficit ſola habitualis: ſed requiritur virtualis attentio, quæ ex primo propoſito per totum Officium continuatur; quando ſcilicet quis ponit ſe ad dicendum Officium cum intentione attendendi ad illud, vel ſaltem ſolvendi ſuum debitum, quo obligatur ad Officium recitandum: etiamſi frequenter intra ipſum Officium ex quadam infirmitate & negligentia diſtrahatur: dùm tamen contraria intentio (ſcilicet nullo modo volendi attendere) non interveniat. Sed ſi quis dicendo Officium, per magnam ejus partem occupet ſe in aliquo exercitio manuali diſtractivo, talis non continuaret virtualem attentionem, nec præcepto Eccleſiæ ſatisfaceret.

Fratres autem Converſi, quia vocati ſunt ad officia corporalia, & ut in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo, ad prædicta non tenentur: ſed ſufficit eis audire Miſſam privatam ſine nota, & loco Officii, ſua Pater noſter, & Ave Maria dicere. Nec debent propter particulares devotiones opera corporalia dimittere, ſed in ipſis ſe debent continuè exercere. Ad Completorium tamen, & ad Salutationem B. Virginis, niſi eos magna excuſet neceſſitas ſemper cum aliis debent venire. Item declaramus, quod ſicut Clerici ſeculares, qui non ſunt in ſacris, ſi ſint Beneficiati, tenentur & obligantur dicere Officium; ità & quilibet Religioſus Clericus, qui ex Eleëmoſynis vivit, & ab Ordine proviſionem victus, & veſtitus habet, tenetur de neceſſitate ſalutis Officium dicere. Nec in hoc poteſt cum eo Prælatus diſpenſare, niſi fortè ſit Novitius, qui non eſt adhuc Religioni obligatus, nec fortè ſcit Officium recitare. Debet tamen aliquas orationes pro ſatisfactione loco Officii dicere. Et debent Fratres libentiùs in Eccleſia Officium dicere, quàm extrà, propter devotionem loci, propter præſentiam Diviniſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, propter Reliquias Sanctorum, propter Angelos aſſiſtentes, propter ſocietatem Fratrum, & denique propter majorem diligentiam, quæ in Officio dicendo ſolet ibi apponi quàm extrà. Ideo non ſunt quærendæ occaſiones, vel licentiæ de facili recedendi a Choro: ſed omnes ſimul ad Officium dicendum, debent in Eccleſia, & Choro convenire. Quapropter in Cap. Placentino 1310. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, ut nullus Frater, etiam prætextu Prælationis, vel lecturæ præteritæ, ſeu alterius officii cujoſcumque, à communibus Fratrum obſequiis, & officiis, ſeu à Choro aliquatenus ſit exemptus. Gratias autem quibuscumque ſuper hoc hactenus per Priores Provinciales, vel inferiores eis conceſſas, ordinatione præſenti penitùs revocamus. Et in Capitulo Avenionen. 1561. ſtatutum fuit: Nullus Frater noſtri Ordinis, ratione paternitatis, aut alterius gradus exemptionem prætendere poſſit à ſequela Chori, aut aliis gravaminibus Ordinis, Magiſtris in Theologia Provinciarum, Lectoribus actu legentibus, & Prædicatoribus actu prædicantibus, dumtaxat exceptis. Circa quos tamen legitimè conſuetudines Provinciarum obſerventur. Prædicatores autem actu prædicantes illi intelliguntur, qui in aliquo Conventu deſignati ſunt ad conciones habendas per totum annum, eaſque continuò diebus Dominicis, & feſtivis habent; ſicut fuit declaratum in Cap. Avenion. 1561. Lugduni 1536. Venetiis 1542. Valentiæ 1596. & confirmatum in Cap. Generali Pariſien. 1611. Quod ſi in aliqua Provincia mos eſt, ut nec etiam Prædicatores actu prædicantes ſint exempti a Choro; obſervetur circa eos hujuſmodi conſuetudo, ut in eodem Capitulo ordinatum eſt. Additum eſt etiam iſtud Venetiis 1592. Reliqui verò tam Lectores, quam Prædicatores nullis prorſus gaudeant privilegiis, & exemptionibus, ſed ad ſequelam Chori die, noctuque, & ad cætera communia Fratrum officia, ac gravamina, nec non ad Hebdomadariam reſpectivè teneantur: nec eis exemptionibus gaudere illos permittant Prælati, ſub pœna abſolutio-

nis

nis a ſuis officiis, & privatione vocis activæ, & paſſivæ.

(e) *Niſi cum aliquibus Prælatus aliter diſpenſare voluerit.*) Declaramus, quòd Prælati ſicut poſſunt Fratres ex cauſa rationabili diſpenſare à Choro, ita poſſunt eos diſpenſare quoad proprietatem officii, quæ inducta eſt ab Ordine: non tamen poſſunt eos diſpenſare quoad ſubſtantiam Officii, quin illud dicant Fratres quoquo modo, tempore, quando deberet fieri de feria, poſſunt ex aliqua honeſta, & devota cauſa diſpenſare, quod fieret de aliquo Sancto Officium trium lectionum, vel novem, vel ſicut fit de feſto Duplici, & ſupra. In quo caſu Fratres, qui non dixerunt Officium Beatæ Virginis in Choro, tenentur illud dicere in privato. Item declaramus, quòd Fratres tenentur ex præcepto ſemel in Hebdomada totum Officium Defunctorum dicere, cum dici debet infra Hebdomadam in Choro, omni antiqua conſuetudine rationabiliter prætermiſſa. Nam in Capitulo Salmanticen. 1551. auctoritate Apoſtolica ſtatutum fuit tam de Officio Defunctorum, quam de Litaniis hoc modo: Abſolvimus tam Chorum, quam Miniſtros Altaris ab obligatione recitandi Vigilias trium Lectionum pro mortuis, prout hactenùs obſervatum eſt. Et in recompenſationem, pro debito juſtitiæ, & charitatis, ordinamus, & ita ſervari volumus, ut nullis Feſtis aut Octavis etiam Solemnibus obſtantibus (præter Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes) totum Officium pro ipſis Defunctis cum novem lectionibus qualibet Hebdomada ſemel ab omnibus, & ſingulis Fratribus tam in Choro, quam extra exiſtentibus perſolvatur. Et manè ſequenti, pro ipſis una Miſſa de Requiem cantetur, ſi non ſit dies multùm ſolemnis: aliàs cantetur Miſſa ordinaria, cum Oratione: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris &c.* & cum aliqua proceſſione per clauſtrum, vel per Eccleſiam, cum Reſponſorio, vel Reſponſoriis &c. & hoc inviolabiliter in omnibus Conventibus Ordinis noſtri obſervetur: ſuper quo tam Prælatorum, quam Cantorum conſcientias oneramus. Qui etiam curent, ut tali die, & hora, prædicta fiant, quibus omnes poſſint melius intereſſe. Ad quæ omnes, & ſinguli teneantur, etiam Magiſtri, & actuales Lectores, ſuis diſpenſationibus non obſtantibus.

Item declaramus Litanias debere dici in Choro quando fit de feria, prout hactenus factum eſt; ſed in eis non repetatur à Choro nomen alicujus Sancti, ſed ſolùm reſpondeatur: *Ora pro nobis.* Neque dicantur poſt Matutinas, ſed in ſerò præcedenti poſt Completorium, ubi melius omnes Fratres conveniunt. Qui autem non convenerint, vel extra Conventum fuerint, ad eas minimè teneantur. Item quòd in ipſis Litaniis nomina Sanctorum, qui non habentur in Ordinario à nemine apponantur, & appoſita deleantur.

Pro ſingulari autem Ordinis noſtri erga Beatam Virginem, ejuſdem Ordinis Patronam devotione, & ut pro innumeris ab ejuſdem Virgineis manibus acceptis beneficiis aliquales gratias rependamus, & Ordo noſter (cujus ſingulari favore, ac beneficio procreatus eſt) ipſius patrocinio protegatur: volumus, & ordinamus, ut in omnibus noſtri Ordinis Conventibus, locis, domibus, ac Monaſteriis, etiam Monialium, ejuſdem Deiparæ Virginis Litaniæ ſingulis diebus Sabbati, prout in multis noſtri Ordinis Conventibus, pie fieri jam conſueverat, poſt Salve Regina decantentur. Item ut Octavæ ſolemnes feſti Sanctiſſimi Roſarii menſe Octobri celebrentur, ità tamen, ut Feſtum Angelorum non prætermittatur.

Ut autem cultus ergà Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum magis eluceſcat, confirmamus illam jam in multis Capitulis Generalibus ſancitam Ordinationem: ut videlicet in diebus Cœnæ Domini, & Paraſceves antè ſepulchrum, ubi Sacratiſſimum Chriſti Corpus aſſervatur, à noſtris Fratribus cum devotione, & religioſa gravitate, vigiliæ fiant: quod & fieri, ac diligentiſſimè obſervari volumus, quoties Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum proponitur. Præcipimus etiam omnibus Conventuum noſtrorum, & Provinciarum Præſidentibus, ut ſingulis ſeptimanis Sacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti formæ, ſeu particulæ, etiam illæ, quæ ſecularibus porrigi ſolent, qua par eſt reverentia, inſpectione, ac munditia, prout tantum Sacramentum decet renoventur. Et quoties Sacerdos ad thurificandum Altaria cappa, ſeu pluviali indutus procedit, ſtolam deferat. Bonon[illegible] 1615.

II.

HOræ omnes tàm diei, quàm noctis in Eccleſia (*f*) breviter, & ſuccinctè taliter dicantur; ne Fratres devotionem amittant, & ſtudium eorum minimè impediatur. Quod ita dicimus eſſe faciendum, ut in medio verſus metrum cum pauſa ſervetur: non protrahendo vocem in pauſa, vel in fine verſus; ſed ſicut dictum eſt, breviter & ſuccinctè terminetur. (*g*) Hoc autem magis, & minus pro tempore obſervetur.

(f) *Breviter, & ſuccinctè*) Declaramus, quòd Divinum Officium debet cantari devotè cum quadam dulcedine, & ſuavitate vocis, non cum rigiditate, nec cum aſperitate, nec nimis altè, ſed voce mediocri. Breviter, hoc eſt, diſtinctè, expeditè, & non nimis moroſè. Debet etiam dici ſuccinctè, hoc eſt ſine caudis, & protractione vocis in pauſis, vel in fine verſuum; & hoc ne Fratres devotionem amittant, ſi feſtinanter, confuſè, & ſine pauſis: & non tractim, & diſtinctè dicatur, & ne etiam ſtudium eorum impediatur, ſi nimis moroſè, & cum caudis, & protractione vocis in medio, vel in fine verſuum decantetur. Et quando verſus eſt longus, debet fieri duplex cauſa inter principium, & finem verſus; una brevis, ſeu minor, & alia major in medio verſus: & hujuſmodi pauſæ fiunt propter reſumptionem anhelitus, & propter decentiam, & decorem pſalmodiæ. In fine autem verſuum non debet fieri pauſa inter verſum, & verſum, quamvis non debeat incipi ſequens verſus, antè terminationem verſus præcedentis. Pulchritudo enim Officii conſiſtit in pauſis, & deturpatio ejus conſiſtit in feſtinatione, & confuſione, quæ cauſatur per remotionem pauſæ. Prolixitas autem Officii cauſatur ex protractione vocis in medio, vel in fine verſus. Et ideò ut Officium tractim, & diſtinctè, & devotè dicatur; pauſæ ſunt faciendæ, & caudæ amputandæ.

(g) *Hoc autem magis, & minus pro tempore obſervetur.*) Declaramus, quòd pro varietate dierum eſt major, vel minor ſolemnitas in Officio Divino obſervanda. In diebus enim feſtivis eſt Divinum Officium cum majoribus pauſis celebrandum, quia tunc Fratres ſunt minus in ſtudio, & lectionibus occupati; & etiam ſeculares in præfatis diebus ſolent magis ad Divinum Officium convenire; & etiam illis diebus magis tenemur Deo vacare, quia ad hoc tales feſtivitates ſunt inſtitutæ. Ideò illis diebus devotè, alacriter, & ſolemniter Divinum Officium decantandum eſt: aliis vero diebus poterit minùs ſolemniter, & cum minori pauſâ, tractim tamen & diſtinctè, ac devotè celebrari.

III.

TEmpore quo bis reficiontur Fratres, (*h*) legatur antè Completorium in Eccleſia lectio: Fratres ſobrii eſtote, &c. (*i*) & facta confeſſione, & dicto Completorio, det qui præeſt benedictionem; (*k*) & Hebdomadarius aquam aſpergat benedictam, (*l*) poſtea dicatur Pater noſter, & Credo in Deum; quod etiam fieri debet ante Primam, & Matutinas.

(h) *Legatur in Eccleſia Lectio: Fratres ſobrii eſtote, &c.*) Declaramus, quòd quando in Eccleſia antè Completorium legitur lectio: *Fratres ſobrii eſtote &c.* debet præmitti: *Jube Domne benedicere*: & Hebdomadarius ſubjungere benedictionem; ad quam omnes Fratres inclinare debent uſque ad genua, ſicut ad benedictionem, quæ datur antè Lectionem in Refectorio, in prandio, & in cœna. Sicut declaratum fuit Salmanticæ 1551.

(i) *Et facta confeſſione, & dicto Completorio, det qui præeſt benedictionem*) Declaramus, quòd quando plures Prælati ſunt in Choro, ille qui præeſt aliis loco, debet dicere *Confiteor*, & dare benedictionem: & in fine Horæ *Fidelium* dicere, cum gravitate, & tali voce, ut poſſit ab omnibus audiri. In domibus autem, ſeu Vicariatibus locorum, ſi Prior Conventualis fuerit præſens, præcedere debet Vicarium, & dicere *Fidelium*, etiam ipſo Vicario præſente: ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1574. In abſentia autem Prælatorum, & Supprioris, Hebdomadarius omnia illa prædicta facere debet. Qui etſi non præſit aliis loco, præeſt tamen eis pro tunc officio, & auctoritate. Item declaramus, quòd in fine cujuslibet Horæ, quando poſt ipſam non eſt immediatè alia Hora, neque Miſſa dicenda; debet dici *Fidelium*, & ſtatim poſt *Pater noſter*, flexis genibus, debent Fratres dicere: *Salve Regina &c. Pie Pater Dominice, &c.* cum verſibus, & orationibus notatis. Quando verò Miſſa Conventualis dicitur poſt aliquam Horam, & alia Hora non ſequitur; debet immediatè poſt Miſſam dici *Fidelium*, & *Salve Regina*. Si verò Miſſa fuerit de Mortuis, dicto *Requieſcant in pace*, & reſponſo, *Amen*, debet dici *Pater noſter*, & *Salve*, ut ſupra: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1252. & apud Lemovicum 1384.

(k) *Et Hebdomadarius aquam aſpergat benedictam.*) Declaramus, quòd in feſtis Duplicibus, & ſupra, & quando fit de B. Virgine, & infrà Octavas Solemnes, & quando in Choro non recitatur Officium quotidianum B. Virginis; ſtatim poſt Completorium de Tempore, hora populo opportuna, debet cantari Antiphona. *Salve Regina*. Cujus in Eccleſia proceſſionaliter decantandæ inſtitutio cum ipſo Ordine à Sancto Patre noſtro Dominico ortum habuit: ſicut fuit denunciatum Barcinonæ 1574. In aliis verò diebus, quando in Choro recitatur Officium quotidianum Beatiſſimæ Virginis, prædicta Antiphona poſt Completorium ejuſdem Virginis Beatiſſimæ decantari debet. Ad quam ſanè proceſſionem omnes Fratres, etiam quocumque modo à Choro exempti debent convenire; tùm propter devotionem erga ſacroſanctam Deiparam ſpecialem Ordinis noſtri Advocatam, tùm propter Indulgentiam ducentorum dierum, omnibus non ſolum Religioſis, ſed etiam ſecularibus, qui adſunt in Eccleſia dùm prædicta Antiphona cantatur, à Paulo Quinto conceſſam: ut fuit denunciatum Romæ 1608. Quando autem Fratres proceſſionaliter procedendo fuerint in Eccleſia laicorum, debet Hebdomadarius aqua benedicta Fratres omnes aſpergere, incipiendo à Choro dextro; niſi major Prælatus, qui loco omnes alios Fratres præcederet, eſſet in Choro ſiniſtro: quia tunc ille primò eſſet aſpergendus, & poſteà Chorus dexter. Et idem faciendum eſt in thurificatione, ut ſcilicet poſt eum, qui facit officium, & Acolythos, & Cantores, Prælatus, qui ſuperiorem locum inter alios Fratres tenet, ſi fuerit in ſiniſtro Choro prius thurificetur, & deindè Chorus dexter. Si autem Prælatus, qui eſt in ſiniſtro Choro haberet aliquem Fratrem Magiſtrum ſupra ſe, tunc aſpergendus, & thurificandus eſſet prius Chorus dexter. Sed ſi Magiſter Ordinis (qui in ſua ſemper ſede manere debet) fuerit in Choro, thurificato eo qui fecit officium exiſtente in Choro ſiniſtro debet thurificari ipſe Magiſter Ordinis, deindè Acolythi, ac poſtremò alii per ordinem.

(l) *Poſtea dicatur Pater noſter, & Credo in Deum.*) Declaramus in Capitulo Bononienſi 1564. & in quampluribus aliis Capitulis ordinatum fuiſſe, ut poſt *Pater noſter, & Credo in Deum*, recitata in fine Completorii, Fratres in Choro perſiſtant ad orationem mentalem ſaltem per quartam partem horæ. Quæ ſanè Oratio poſt Completorium ſingulis diebus, & poſt Matutinas hyberno, poſt Nonam verò æſtivo tempore habenda eſt. Curent igitur diligenter Prælati, ut tàm ſalubris inſtitutio, ubi jam eſt inducta ſervetur: ubi verò intermiſſa eſt, omninò reſtituatur. Quod ſi in ea re fuerint negligentes, à ſuis Provincialibus, vel à Viſitatoribus corripiantur; ſicut fuit ordinatum Romæ 1571. Barcinonæ 1574.

IV.

TOtum Officium, tàm diurnum, quàm nocturnum, ſecundùm correctionem, & ordinationem Venerabilis P. F. Humberti Magiſtri Ordinis noſtri confirmamus, & volumus uniformiter ab omnibus obſervari: (*m*) ità quòd nulli liceat aliquid de cætero innovare. (*n*) Fratres noſtri non habeant in domibus noſtris, niſi unam campanam ad omnes Horas. Solus Hebdomadarius tàm in Choro, quàm in proceſſione cappa ſerica utatur.

(m) *Al-*

(m) *Aliquid de cætero innovare.* (Declaramus, quòd Magiſter Ordinis non poteſt aliquid innovare circa Divinum Officium ad durandum perpetuò per modum Conſtitutionis, vel conſuetudinis generalis: ſicut non poteſt tollere conſuetudines communiter approbatas, & obſervatas in Ordine, neque novas inducere. Poteſt tamen ex devotione, vel ex alia cauſa rationabili in aliquo Conventu, vel aliqua Provincia diſpenſare, quod ad horam aliquid immutetur circa proprietatem Officii, inductam ab Ordine: puta, quod fiat de aliquo Sancto feſtum Simplex, vel Duplex (obtento tamen prius Sacræ Rituum Congregationis conſenſu): ſervato quoque ordine ſecundùm correctionem Magiſtri Humberti inducto: videlicet ſi ſit Confeſſor, dicantur Pſalmi, Hymni, Verſiculi, & Reſponſoria de Confeſſore; ſi verò fuerit Martyr dicantur Pſalmi, Hymni, Verſiculi, & Reſponſorii de uno Martyre, & ſic de reliquis. Salmanticæ etiam 1551. Apoſtolica auctoritate fuit ordinatum Officium commune unius Sanctæ nec Virginis, nec Martyris, ſicut in noſtro Breviario habetur, & Bononiæ inſtitutum 1615. quod ſequitur: Unanimi omnium noſtrum voto, pro omnibus noſtris Provinciis ſtatuimus, ut feſtum de Angelo Cuſtode ſub Toto Duplici (Officio B. Virginis Mariæ non prætermiſſo,) ſingulis annis celebretur. Item S. Caroli Borromæi feſtum 4. Novembris volumus à Fratribus noſtris, & Sororibus ſub Toto Duplici celebrari. Circumciſionis quoque Dominicæ feſtivitas ſub Toto Duplici in poſterum celebretur, ibidem Bononiæ 1615. & SS. Virginis ad Nives die 5. Auguſti, & S. Franciſci 4. Octobris, utrumque ſub toto Duplici; ſicut & Feſtum Cathedræ S. Petri ſub Duplici. Valliſoleti 1605. In omnibus autem Conventibus, ubi viget ſtudium Artium ſimul, & Theologiæ; ſingulis quartis Feriis fiat Officium de S. Thoma Aquinate; eodem modo, quo in tertiis Feriis fit Officium de S. Dominico; excepto ſi in Feria quarta occurrat Feſtum 3. lectionum, quod ad quindecim dies differri non poſſit, quia tunc de eo fiet Officium, cum memoria de S. Thoma Aquinate. Pariſiis 1611. Neque etiam in Officio quotidiano B. Virginis memoria S. P. Dominici unquam intermittatur, etiam ſi de eo in Choro agatur; ibidem Pariſiis.

Modò verò hæc Feſta ſuperiùs recenſita celebrari debent ſecundùm illam ſolemnitatem, quam habent in Kalendario a Sacra Rituum Congregatione, & Summo Pontifice recenter approbato.

(n) *Fratres noſtri non habeant in domibus noſtris niſi unam campanam.*) Declaramus, quòd in principio Ordinis in domibus noſtris non habebamus, niſi unam campanam, ut notatur in *cap. Nimis primo*; *Extra* de exceſſ. Prælat. & in *cap. Patentib.* de Privilege ſecundum Hoſtien. & Panormitanum. Sed huic Conſtitutioni derogatum eſt, per contrariam conſuetudinem quaſi generalem non quidem temerè inductam, ſed ad excitandam Chriſtiani populi devotionem; quæ cùm jam præſcripſerit, vim ſine dubio legis obtinuit. Servatur tamen hæc Conſtitutio quoad hoc, quòd in diebus non ſolemnibus, unam tantùm campanam pulſamus ad omnes Horas. In feſtis autem Duplicibus, & ſupra, ad excitandam populi devotionem pulſamus campanas in Matutinis, & ad Miſſam Conventualem.

Item declaramus, quòd Innocentius XI. Pontifex Maximus, per Breve, quod incipit: *Exponi nobis nuper fecit* &c. Datum Romæ die 12. Februarii Anno 1685 conceſſit; ut Fratres noſtri in ſuis Conventibus, ſive Eccleſiis ubicumque locorum exiſtentibus, plures, & quotquot Magiſter Generalis pro tempore exiſtens, ſive Prior Provincialis cujuslibet Provinciæ reſpective determinaverit, Campanas habere, illasque ad excitandam populi devotionem, liberè, & licitè pulſare valeant.

Ordinamus etiam, & ubique ab omnibus prorſus obſervari volumus, ut Sacerdotes in noſtro Ordine poſt Miſſam legant Evangelium: *In principio erat Verbum* &c. & etiam ubique in ſacro Miſſæ ſacrificio, etiam non ſolemni, vel majori accendatur cereus in conſecratione, & elevatione Sanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, & aliquot ictibus campanulæ admoneatur populus, quo devotiùs tantum Sacramentum adorare poſſit; ſicut fuit ordinatum Romæ 1589. Ne autem dum nimiùm ſecularium devotioni indulgemus, inordinatus à nobis cultus Deo Optimo Maximo reddatur, cùm præſertim paupertatis, & inſtituti noſtri memores eſſe debeamus, utpotè divina Officia ex præſcripto noſtrarum Conſtitutionum, cantu Chorali breviter, & ſuccinctè pro qualitate tamen, & varietate ſolemnitatum taliter perſolvantur, ne Fratres devotionem amittant, aut eorum ſtudium impediatur: diſtrictè præcipimus conſcientiam Prælatorum aggravantes, ut muſicæ in Eccleſiis noſtris, quàm moderatiſſimæ fiant, neque liceat eiſdem Muſicis, ſeriem noſtri Officii contra præſcriptum Ordinarii noſtri imminuere, aut immutare. Cùmque domum Dei deceat ſanctitudo, ac indè nedum profana, ſed etiam religioſa ſpectacula, ſive repræſentationes arcendæ ſint; præſertim cum pio illi loco, qui Domus orationis eſt, minimè congruant: idcircò ab Eccleſiis, & Cæmeteriis noſtris ſub pœna gravioris culpæ, tàm Prælatis, quàm ſubditis eliminanda præcipimus, quacumque in contrarium conſuetudine, quæ potiùs abuſus eſt, non obſtante. Bononiæ 1615.

Cæterum, ut in Divinis obſervandis, recitandiſque uniformitas, juxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum ubique ab omnibus ſervetur, plurima à Capitulis Generalibus circa Eccleſiarum venerationem, Altarium ornatum, & ſacrificii Miſſæ celebrationem ordinata fuerunt, præter ea, quæ in Ordinario, & Miſſali præſcripta ſunt.

1. Imprimis in Eccleſiis Fratres, nec inter ſe, nec cum ſecularibus confabulantes deambulent, maximè in proſpectu Sanctiſſimi Sacramenti, & præſertim coram ſecularibus. Romæ 1571. Barcin. 1574. Romæ 1580.

2. Eccleſiæ ad eum modum mundentur, & ornentur; ut in eis nihil ſit, quod domum Domini dedeceat: vel advenientium oculos offendat.

3. Altaris conſecrati menſa decenter ſtrata, ornata, munda ſit: tribuſque mappis lineis, & mundis cooperta; quæ etiam habeat coopertorium coriaceum, vel ex craſſiori, & colorata tela, ut à pulvere, & aliis immundiciis mappæ præſerventur.

4. Altaria portatilia ex perpolito lapide, integra, longitudinis unius palmi cum dimidio, latitudinis verò unius palmi ad minus, non computato ornamento ligneo, in medio menſæ Altaris

taris aptè inſerta ſint: ut non nihil emineant è ſuperficie menſæ; quo Sacerdotis tactu poſſint dignoſci.

5. Corporalia latitudinis duorum palmorum, longitudinis verò duorum, & dimidii ad minus è tela candida, linea, pura, & ſimplici; nihil elaborati, aut ſerico intexti habeant. Hæc vero, & purificatoria, & ſtrophiola ſæpiùs laventur.

6. Burſæ Corporalium ex una parte crucem, vel imaginem aliquam ſacram, ex altera verò verba conſecrationis in ſcheda deſcripta (ubi tabellæ non ſunt in Altari eadem continentes) intrinſecus ſerico, aut tela tenui fulciantur.

7. Ampullæ nonniſi è vitro, non depicto, ſed perlucido, opercula ſtannea, vel argentea, vel alia habeant.

8. Confeſſionalia à lateribus Eccleſiæ extrà Chorum, locis decentibus cum feneſtellis crate aliqua diſtinctis aptè collocentur.

9. In Sacriſtia quatuor Tabellæ appendantur: in quarum prima, Proceſſus anniverſarius Bullæ Cænæ Domini; in ſecunda Caſus tàm Epiſcopo, quàm Summo Pontifici reſervati; in tertia Anniverſaria, ad quæ Conventus obligatur; & in quarta Miſſarum quotidianarum numerus repræſentetur.

10. Divinæ Laudes ſtantis horis diurnis, nocturniſque debita cum attentione, reverentia, ac devotione à Fratribus omnibus: Matutinæ verò Preces nonniſi noctu perſolvantur. Venetiis 1592. Romæ 1589.

11. Sacerdos celebraturus antequàm induat ſacras veſtes confiteatur, ſedente Confeſſore, & illo genuflexo, & capite diſcooperto.

12. In introitu Miſſæ uſque ad inceptionem *Gloria in excelſis*, ubi deponuntur manus, & poſtea uſque ad ejus terminationem incluſivè: deindè in *Graduali*, *Offertorio* proſecutione *Credo*, in principio *Canonis* uſque ad *Communicantes*, præmiſſis benedictionibus &c. manus conjungantur. Ad *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, *Offertorium* aperiendæ primùm, deindè claudendæ ſunt: in reliquis attendatur forma ab Ordinario præſcripta. Romæ 1569.

13. Miſſa nec celeriter, nec moroſè, voce mediocri, devota, quæ à ſecularibus audiatur: *Secreta* verò, & *Canon*, & præſertim verba conſecrationis, ſubmiſſè dicantur. Valentiæ 1596. Romæ 1569.

14. *Kyrie* Sacerdos cum ſerviente alternatim dicat. Valentiæ 1596.

15. In Miſſa tàm privata, quàm communi, neque inter *Kyrie*, neque inter *Gloria in excelſis* quidquam quod in Miſſali deſcriptum non eſt, interponatur: in reliquis etiam, nihil quod in Ordinario notatum non eſt, miſceatur. Salmanticæ 1551.

16: Quando pulſantur Organa in Miſſa, *Gloria in excelſis* à Choro & Organis alternatis: *Credo* autem ſine Organis, totum à Choro dextro, & ſiniſtro, vel à Cantoribus, & Choro, alternatis videlicet verſibus decantetur. Salmanticæ 1551. Ad *Gratias agimus tibi*, Fratres uſque ad genua inclinent. Romæ 1589.

17. Prophetiam in Miſſa majori Acolytus, Epiſtolam Subdiaconus ſacris indutus, nec ullo modo alius non ordinatus dicat. Bononiæ 1564.

18. Epiſtolam Sacerdos manibus ſuper Altare, vel ſuper librum cancellatis recitet. Valentiæ 1596.

19. Ad verba in Symbolo: *Et Homo factus eſt*, omnes genua flectant. Conſtit. infrà Cap. II. Text. 4.

20. In conſecratione, & elevatione SS. Sacramenti cereus accendatur, & aliquot ictibus campanulæ populus admoneatur. Romæ 1580. confirm. 16. & 1589. ord. 4.

21. Poſt conſecrationem Hoſtiæ, & Calicis quoties Sanctiſſimum Sacramentum manibus tractandum fuerit, Sacerdos antè acceptionem, & poſt depoſitionem illius genua flectat. Pariſiis 1611. ord. 3. & Romæ 1612.

22. Poſt ſumptionem Sacramenti à Sacerdote dicto, *Quod ore ſumpſimus*: neque *O Sacrum*, neque *Nunc dimittis* dicatur. Salmanticæ 1551. Sua ablutio à Sacerdote ſumatur. Neapoli 1600.

23. In Miſſa Defunctorum Benedictio non detur. Romæ 1608. & Pariſiis 1611. confirm. 3.

24 Poſt Miſſam Sacerdos Evangelium *In principio* dicat, exceptis Dominicis, & ferialibus diebus, ſi in eis Miſſa, vel votiva, vel de Sancto celebratur: tunc enim Evangelium diei recitabitur. Romæ 1589. ord. 3.

25. Corporale, nonniſi poſt Evangelium *In principio*, & non antè complicet Sacerdos. Salmant 1551.

26. Ut omnia iſta ſerventur, Provinciales invigilent. Romæ 1569.

Declaramus inſuper ordinatum fuiſſe in Capitulo Mediolanenſi 1622. ord. 1. ut PP. Sacerdotes ad Altaria, ubi Corpus Chriſti aſſervatur Sacrum facientes, dicturi *Dominus vobiſcum*, pauliſper ad ſiniſtrum cornu declinent, ne Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento terga obvertant. Similiter in confeſſione, quæ fit in inchoatione Miſſæ, ubi dicitur *Confiteor Deo*, addatur *Omnipotenti*. B. Mariæ, addatur *ſemper Virgini*. Romæ 1629. ord. 4. Beato Dominico, addatur *Patri noſtro*, ibidem 1644. ord. 2. & in Miſſa pariter Beati Dominici in Feriis Tertiis, poſt ultimum Alleluja, debent dici poſtremi Verſus Sequentiæ ejuſdem: apud Nurimbergiam 1405 Reliqua, quæ vel ad integritatem, vel ad ſolemnitatem Miſſæ Sacificii pertinent, in Rubricis Miſſalis, vel Ceremoniario Ordinis videnda ſunt.

CAPUT II.

De Inclinationibus.

(*a*) FInitis Matutinis de B. Virgine, quando Fratres in Chorum venerint, inclinent antè Altare profundè: & cum ad ſedes ſuas venerint, facto ſigno à Prælato (*b*) flexis genibus, & proſtrati ſuper formas, (*c*) vel inclinati profundè pro tempore, dicant Pater noſter, & Credo in Deum. Iterum facto ſigno à Prælato ſurgant. Horâ itaque devotè inceptâ, verſi ad Altare muniant ſe ſigno crucis, & ad Gloria Patri inclinet Chorus cootra Chorum profundè; vel proſternaot ſe pro tempore uſque ad Sicut erat. Hoc etiam faciendum eſt, quoties Pater noſter, & Credo in Deum dicuntur: niſi in Miſſa, & antè Lectiooes, & in gratiarum actione, in quibus inclinamus ſolùm ad utrumque Pater noſter, & ad orationem Retribuere. Idem etiam faciendum eſt ad primam Collectam in Miſſa, & ad Poſtcommunionem, & ſimiliter ad Orationem pro Eccleſia, & in ſingulis Horis ad Collectam, & ad Gloria Patri, quoties in inchoatione Horæ dicitur.

(a) *Fini-*

(a) *Finitis Matutinis &c.*) Declaramus, quòd quando primùm Fratres Chorum intraverint, vel præſentaverint ſe ante Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam tranſeundo; non ſolum profunda inclinatione, ſed etiam genuflexione reverenter illud adorare debent: tum propter majeſtatem Dei, tum propter præſentiam Sacroſancti Corporis Chriſti, nun etiam propter ſanctitatem Altaris. Romæ 1569. ord. 1. Et Barcinonæ 1574. confirm. 4. idem fuit confirmatum iſtis verbis: Item confirmamus, & omninò obſervari volumus, quod jam ab univerſo Ordine eſt receptum, & in multis Capitulis decretum, & approbatum fuit de adoratione Diviniſſimi, & Auguſtiſſimi Altaris Sacramenti, non ſolùm profunda inclinatione, ſed etiam genuflexione.

(b) *Flexis genibus, & proſtrati ſuper formas.*) Declaramus iſtam genuflexionem, & proſtrationem ſuper formas eſſe, quando flexis genibus cum cubitis, & corpore procumbimus, & proſternimur ſuper formas, vel ſuper genua quando non habemus formas: quæ facienda eſt quotieſcumque fit de feria extra Tempus Paſchale ad *Pater noſter*, quando recitatur ante inchoationem cujuslibet Horæ; & ad primum *Gloria Patri* poſt inchoationem Horæ, & ad primam Collectam, & ad præces, quæ dicuntur ante ipſam. Et quotieſcumquè extra Miſſam *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, & *Confiteor* recitantur, ſive conjunctim, ſive disjunctim, ſive in principio, ſive in medio, ſive in fine Officii: præterquam ad *Pater noſter*, cùm recitatur ante lectiones; & inter *Pretioſa*, & gratiarum actiones, ubi ſolùm inclinamus profundè. Item eodem modo genuflexi proſtrationem facimus ad *Pater noſter*, cùm dicitur poſt *Fidelium*: in Gratiis quando extra Tempus Paſchale fit de Feria, ſi ad Horam Immediatè præcedentem proſtrationes ſint factæ. Et eodem modo fit proſtratio ab eo, qui legit lectionem in Matutinis: poſt finitam lectionem, inter pulpitum, & gradus presbyterii; niſi in die Animarum, ubi Inclinat ſolùm profundè. Eadem proſtratio extra Tempus Paſchale fit, in omnibus diebus Ferialibus in Miſſa de Feria, pro Defunctis ad primam Collectam, quæ ſequitur poſt *Dominus vobiſcum*, & ad Orationem pro Eccleſia, & ad Poſtcommunionem: ſimiliter per totam Quadrageſimam in feſto cujuslibet Sancti, in Miſſa de Feria, proſtrationes eodem modo fiunt. Item Feria Quinta in Cœna Domini, & Feria Sexta in Paraſceve, & Sabbato Sancto finitis Matutinis poſt *Kyrie*, & *Verſiculos*, & *Mortem autem Crucis*, proſtrationem faciant Fratres ſuper formas, quouſque recitaverint *Pater noſter*, & *Miſerere*, & Orationem *Reſpice*. Item in Paraſceve, & Sabbato Sancto, eodem modo Fratres proſtrationes faciant, ſicut in aliis diebus ferialibus, & etiam ad *Miſerere*, quod recitatur poſt Antiphonam cujuslibet Horæ. Item quotieſcumque recitatur Officium Mortuorum extra Tempus Paſchale, & fit de Feria, Fratres in Choro jaceant proſtrati: ad *Pater noſter*, cùm recitatur poſt Antiphonam ad Magnificat, & ad totum Pſalmum *Lauda anima mea* &c. in Veſperis Defunctorum; & ad primam Orationem, & ad *Pater noſter* poſt *Requieſcant in pace*. Et idem fieri debet in Laudibus poſt Antiphonā ad *Benedictus*, & ad Pſalmum *De profundis*. Item eodem modo fit proſtratio, quotieſcumque dicuntur Litaniæ in Choro: à principio Pſalmi *Deus in adjutorium*, uſque ad ultimam Orationem.

Similiter quando fit diſciplina, à *Confiteor* uſque ad finem Orationis Similiter in die Cinerum, & in die Cœnæ Domini ante Miſſam Fratres in Choro proſtrationem ſuper formas faciant, dum recitantur Pſalmi Pœnitentiales. Similiter quotieſcumque Prælatus facit generalem abſolutionem, Fratres proſtrationem faciant dicendo, *Confiteor*. Similiter quando Diaconus antè Communionem, vel poſt defert pixidem, in qua eſt Corpus Chriſti; & quotieſcumque aliàs Fratribus exiſtentibus in Choro, hoc Sacramentum defertur. Similiter dùm fit Communio, Fratres in Choro exiſtentes, proſtrationes ſuper formas faciant. Item in Paraſceve in Miſſa antè adorationem Crucis, quando Prælatus deregens Crucem, & elevans incipit Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*: in ipſius incboatione omnes Fratres genua flectendo proſternant ſe ſuper formas. Et idem faciant, dum poſt adorationem elevans ipſam incipit Antiphonam *Super omnia*: quouſque Cantor proſecutionem Antiphonæ incipiat; ſimiliter quando ille, qui legit Paſſionem pronunciaverit *emiſit ſpiritum*, Fratres proſtrationem faciant ſuper formas, Deo devotè gratias agendo: quouſque Sacerdos ſignum fecerit. Item Ferialibus diebus omni tempore in Miſſa jacemus proſtrati ſuper formas, poſtquam cantatum eſt *Sanctus*, uſque ad *Agnus Dei* excluſivè. In feſtis verò trium, & novem Lectioonum, poſt elevationem Calicis, uſque ad *Pater noſter* excluſivè.

(c) *Vel inclinati profundè.*) Declaramus tres eſſe differentias inclinationum. Prima dicitur profunda. Secunda uſque ad genua. Tertia dicitur inclinatio capitis. Prima eſt quando corpus & caput tantùm inclinantur, quantùm cubitus poteſt genibus inhærere: & hæc facienda eſt ante Altare, quando Fratres intrant Chorum vel exeunt, ut dictum eſt: & quando dicitur *Pater noſter* ante Lectiones, & infra gratiarum actiones, & ad Orationem *Retribuere*, tam in Choro, quàm in Capitulo; & quotieſcumque recitatur *Pater noſter*, & *Credo* in principio, vel in medio, vel etiam in fine Horarum: & poſt gratiarum actiones, & in Veſperis, & in Matutinis Defunctorum, & ab eo, qui legit, poſt finitam Lectionem in Matutinis inter Pulpitum, & gradus Presbyterii; & in feſtis trium Lectionum, & ſupra, & ad primam Collectam, poſt *Dominus vobiſcum*, ſive in Horis, ſive in Miſſa, & ad Orationem pro Eccleſia, & ad primum *Gloria Patri* in inchoatione Horæ, Tempore videlicet Paſchali, & præfatis feſtis. Item facienda eſt profundè, quoties proſtrationes intermittuntur: videlicet in omni Sabbato, & in Vigilia cujuslibet feſti novem Lectionum in Nona, præterquam in Quadrageſima; nam tunc etiam in Nona, prædictis diebus proſtrationes ſunt faciendæ. Item intermittuntur in Veſperis Sabbati, & Vigiliæ feſti novem Lectiunum, & deinceps uſque ad Completorium Dominicæ, vel Feſti, ubi per totum annum ad Horas, & Orationes in Miſſa, nullæ fiunt proſtrationes. Similiter in feſto trium Lectionum à primis Veſperis uſque ad Nonam ſequentis diei incluſivè, proſtrationes non fiunt, nec etiam poſt Gratiarum actiones, quando dictum Feſtum in die Jejunii evenerit: ſimiliter quando in Veſperis cantatur Antiphona O, per ſeptem dies ante Vigiliam Nativitatis Domini; intermittuntur proſtrationes. Item in quarta Feria Dominicæ in Ramis Palmarum in Veſperis, & in Completorio proſtrationes dimittuntur: & etiam in Cœna Domini ad Matutinas, & Horas, & ad Orationes in Miſſa proſtrationes non fiunt. Item à Feria ſecunda poſt Octavam Paſchæ, uſqoe ad ſex-

tam

tam Feriam poſt Octavam Corporis Chriſti, intermittuntur proſtrationes ad Orationes in Miſſa, ad Matutinas, & ad alias Horas. Item in die Animarum ad Matutinas, & ad Horas, & ad Orationes in Miſſa, proſtrationes non fiant. Item quotieſcumque aliquod Feſtum in jejuniis Quatuor Temporum venerit, intermittuntur proſtrationes: & in Miſſa de Feria, præterquam in Quadrageſima. Item quando in Profeſtis diebus celebratur *Miſſa Dominicalis*, quæ in Dominica non fuit celebrata, vel *Miſſa de Cruce*, vel *de Spiritu Sancto*, vel *de Beatiſſima Virgine*, vel de aliquo Sancto, intermittuntur proſtrationes ad Orationes. In prædictis autem diebus, in quibus proſtrationes intermittuntur, debent Fratres in Choro vice proſtrationis inclinationem profundam facere.

II.

AD omnia autem alia Gloria Patri, & ad extremos verſus Hymnorum, & ad penultimum verſum Cantici Benedicite, (*d*) inclinamus uſque ad genua. Similiter quando cantatur Gloria in excelſis, ad Suſcipe deprecationem noſtram: & quotieſcumque nomen JEſu in Præfatione, in Collecta, in Antiph. Salve Regina, & in Gloria in excelſis nominatur. (*e*) Quando verò nomen JEſu aliàs in Choro nominatur, eidem Fratres reverentiam faciant capite devotiùs inclinato. Item inclinamus uſque ad genua in benedictione lectionis, & in Capitulo ad Orationem S. Maria, & in omni Oratione, quando nomen Beatæ Virginis in Antiph. Salve, & in Præfatione nominatur. Idem fiat in qualibet Miſſa Conventuali, dum dicitur in Præfatione, Gratias agamus Domino DEO noſtro: & similiter ad verſum, O Crux ave, Fratres reverenter in Choro inclinent, ſicut fieri debet, quando nomen JEſu, aut B. M. Virginis Matris ejus in Collecta nominatur.

(d) *Inclinamus uſque ad genua.*) Declaramus hanc eſſe ſecundam inclinationem, quæ dicitur uſque ad genua, quando videlicet caput taliter inclinatur, quòd ſit per directum ad genua oppoſitum. Et hæc facienda eſt ad omnia, ad quæ Conſtitutio præſcribit: & ad benedictionem, quæ datur poſt Completorium. Et ad *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quando dicitur, *Gloria in excelſis*: & ad inchoationem Hymni, *Ave maris ſtella*. Barcinonæ 1574. Declaramus tamen rurſus ordinatum fuiſſe in Capitulis Uliſſiponen. 1618. inchoat. 1. Mediolanenſi 1622. confirm. 1. & Romano 1629. ordin. 3. ut locò inclinationis profundæ in pronunciatione Hymni *Ave maris ſtella*, maneant Fratres genuflexi, uſquequo abſolvatur prima ſtropha.

(e) *Quando verò nomen JEſu aliàs in Choro nominatur, eidem Fratres reverentiam faciant, capite devotiùs inclinato.*) Declaramus hanc eſſe tertiam inclinationem, quæ dicitur inclinatio capitis, quando ſimul caput cum corpore aliqualiter inclinatur: & hæc facienda eſt, quando etiam nomen JEſu extrà Chorum nominatur. Romæ 1558. Item quotieſcumque dicitur, *Sit nomen Domini benedictum*, Salamanticæ 1551. Item declaramus, quòd etiam devotiùs inclinamus capite diſcooperto ad verba in Symbolo, *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur*, ut Romæ 1580. inchoatum, & iterum ibidem 1583. confirmatum, & tandem in Conſtitutionem redactum fuit Romæ 1589. Item caput inclinamus, quotieſcumque vel aliquid veſtimenti, vel quodcumque aliud Fratri tribuitur: & quando Prælatus aliquam commemorationem injunxerit, vel aliquid facere, vel dicere impoſuerit. Similiter quando Cantor, vel alius Frater Pſalmum, & Antiphonam inchoaverit, debet caput reverenter inclinare. Similiter quando quis tranſit juxtà Prælatum, vel Superiores ſuos, reverenter caput inclinet. De inclinatione porrò ad *O Crux ave*, in ſequenti declaratione dicetur.

III.

HOrâ itaque prædicto more inceptâ, poſtquam ad Gloria Patri poſt Venite inclinaverint, ſtet Chorus contrà Chorum. Deindè ad primum Pſalmum ſedeat unus Chorus, & ad ſecundum ſimiliter ſtet, & alius ſedeat, & ſic alternent uſque ad Laudate Dominum de cœlis: & ſic faciant ad omnes Horas. Finita autem lectione in Matutinis, niſi fiat Officium pro Mortuis, ille qui legit inter Pulpitum, quod eſt in medio Chori, & gradus, inclinationem faciat; vel proſternat ſe pro tempore. In inclinationibus conformemur moribus eorum, ad quos declinamus.

IV.

(*g*) POrrò ad Salve ſancta parens, & ad Salve poſt Completorium, & ad Veni Sancte Spiritus, & ad Veni Creator Spiritus, in die Pentecoſtes, & per totam hebdomadam, & ad Credo in Miſſa ad, Ex Maria Virgine, & Homo factus eſt, flectimus genua: In Ferialibus quoque diebus jacemus proſtrati, à Sanctus uſque ad Agnus: In feſto verò trium, & novem lectionum jacemus proſtrati ab elevatione calicis, uſque ad Pater noſter. In proſtrationibus idem ſervamus, in feſto trium lectionum, vel novem. Quando Prælatus injunxerit aliquam communem Orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere, vel dicere injunxerit. Si autem aliquam obedientiam, vel officium, vel miniſterium aliquod cuivis injunxerit, (*i*) humiliter proſternens ſe ſuſcipiat, quod injunctum ei fuerit. Quando etiam Fratribus quidpiam veſtimenti tribuitur, inclinantes Benedictus Deus dicant.

(g) *Porrò ad Salve Sancta parens.*) Declaramus hanc eſſe genuflexionem rectam, quando videlicet curvantur genua, toto corpore exiſten-

te

te erecto. Et hæc eſt facienda, cùm in Choro cantetur in introitu Miſſæ, *Salve ſancta parens*: Et toties pariter, quoties eam faciendam eſſe ſtatuit Conſtitutio. Præterea fieri debet ad *Salve Regina* poſt Horas. Et cùm in proceſſione, quæ fit Dominica in Ramis Palmarum, dicuntur illa verba *Ave Rex &c.*, & denique in die Paraſceve, quando inchoatur *Sanctus Deus &c.* Iterum declaramus noviter Conſtitutionem eſſe factam, quod genua flectant Fratres ad illa verba Evangelii Epiphaniæ: *Et procidentes adoraverunt eum*; & in Cantico: *Te Deum*; ad verſiculum, *Te ergo quæſumus*; & in Hymno Corporis Chriſti ad verſum *Tantum ergo Sacramentum*, ut Romæ 1580. inchoatum, inchoat. 1. & iterum ibid. 1583. confirm. 1. confirmatum, & noviſſimè etiam Romæ 1589. confirm. 2. in Conſtitutionem redactum fuit.

Declaramus inſuper in Capitulis Romano 1644. ordin. 16. & Valentino 1647. ordinatum fuiſſe, quatenùs ad demonſtrandam exteriorem humiliationem, internæ animi ſubmiſſioni reſpondentem; ad illa verba Invitatorii, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, Fratres in Choro genua flectant: cantantes verò, vel recitantes poſt expletum verſum reverenter inclinent. Idem dicendum eſt de illis Evangelii verbis, *Et verbum caro factum eſt*; juxta ordinationem Capituli Valentini 1596. Tum & ad illum Hymn. de SS. Trinitate: *Adſumus & nos cernui, te adorantes famuli*, ubi Eccleſiæ ſecularium ità facere ſolent: & hoc fuit ordinatum Romæ 1644. ordin. 16. Similiter in decantando *Salve Regina* poſt Completorium, ad illa verba: *Eja ergo advocata noſtra*, uſque ad illa *poſt hoc exilium oſtende* genuflexi manere debemus. Valentiæ 1647. Hoc idem obſervari ſolet in Miſſis de Feria tempore Quadrag. ad illa verba Tractus, *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter &c.* Romæ 1650. & 1656. Pariter ad *Veni Sancte Spiritus*, in Miſſa de Spiritu Sancto.

Pariſiis quoque noviſſimè 1611. ordin. 3. ordinatum fuit, ut in Sacrificio Miſſæ deinceps facta conſecratione, tùm antè, & poſt elevationem tàm Hoſtiæ quàm Calicis; tùm etiam quotieſcumque tantum Sacramentum manu tractandum venit, Sacerdos antè ejus acceptionem, & poſt ejus depoſitionem ſingulis vicibus (emiſſa profunda venia) genua flectat.

Porrò ut memoria Paſſionis Dominicæ tanto magis in veneratione habeatur, quamquam antiqua Conſtitutio aliter diſponebat, nimirum, ut tantùm inclinaremus: nunc autem in Hymno Paſſionis ad verſum illum, *O Crux ave ſpes unica*, flectimus genua, quod eſt in Capitulo his verbis decretum Venetiis 1592. Confirmamus id, quod in Capitulo Generali Romæ 1583. inchoat. 2 inchoatum, & in Capitulo Romæ 1589. pariter confirmatum fuit: nempè, quod in Hymno Paſſionis cum pervenerint Fratres ad verſiculum illum, *O Crux ave, &c.* omnes devotè genua flectant; & hoc jam habet vim Conſtitutionis. Item genua flectimus ad Antiphonam: *Sub tuum Præſidium*, quotieſcumque in Choro dicitur. Bononiæ 1615. ordin. 3.

(i) *Humiliter proſternens ſe.*) Declaramus præter inclinationes, & proſtrationes, ac genuflexiones prædictas, aliam eſſe proſtrationem, quæ dicitur venia: & eſt extenſio totius corporis ſuper terram; non ſuper ventrem, ſed ſuper latus, tibiam unam ſuper aliam tibiam tenendo: & hæc facinda eſt ab omnibus Fratribus in Vigiliæ Annunciationis, quando ab eo, qui legit in Martyrologio pronunciatur, *Annunciatio Dominica*: & in Vigilia Nativitatis Domini, quando dicitur, *Jeſus Chriſtus Filius Dei in Bethlehem Judæ naſcitur*, quouſque Prior fecerit ſignum. Similiter hæc proſtratio cum toto corpore ſuper unum latus in longum facienda eſt ab omnibus Fratribus in Capitulo, quando Prælatus dicit: *Qui ſe reos ſentiunt, faciant veniam ſuam.* Item quando Fratres dicunt ſuam culpam in Capitulo, vel ubicumque reprehenſi fuerint à ſuo Prælato, debent per modum veniæ humiliter toto corpore ſe in latus proſternere. Similiter quando exituri domo, ſunt plus quàm una nocte moraturi: & pariter quando revertuntur, debent ſe prædicto modo proſternere, & benedictionem à Prælato ſuſcipere. Similiter, quando Frater quovis modo fratrem ſuum ſcandalizaverit, vel offenderit, debet ante pedes ejus prædicto modo proſtratus jacere, quouſque placatus eum erexerit. Similiter ſurgentibus Fratribus de menſa, proſtratio prædicto modo facienda eſt ab his, qui ſerviendo, vel comedendo, vel legendo, vel aliud faciendo, in aliquo offenderint: quouſque Prælatus ſignum fecerit. Similiter ſi quis in Choro malè legendo, vel cantando offenderit, debet poſt Officium prædicto modo humiliter ſe proſternere; quouſque Prælatus ſignum fecerit. Cæterum à Prælato, & Sacerdote, ac Miniſtris in die Cinerum, & in Cœna Domini, quando recitantur ſeptem Pſalmi Pœnitentiales in Choro, non venia, ſed proſtratio ſuper gradus Altaris facienda eſt: quemadmodum in Ordinario ſtatuitur. Porro declaramus, quod proſtrationes, & genuflexiones, ad quas Conſtitutio in Officio recitando obligat, intelliguntur eſſe faciendæ in Choro, & non extra Chorum à Fratribus, quando in privato recitant Officium. Ubicumque Conventus eſt congregatus in Capitulo, vel in Refectorio, in Gratiis, & hujuſmodi; debent Fratres loco proſtrationum, inclinationes uſque ad genua facere, ſicut fuit declaratum Carcaſonæ 1378. & in multis aliis Capitulis.

CAPUT III.

De Suffragiis Mortuorum.

I.

A Feſto Sancti Dionyſii, uſque ad Adventum Domini pro Anniverſario Fratrum, Sororum, & Familiarium receptorum per literas ad beneficia Ordinis, Clericus Pſalterium, Sacerdos tres Miſſas, Laici quingenta Pater noſter dicant.

(*a*) Idem faciat quilibet Frater pro defuncto Fratre ſui Conventus: & idem fiat per totum Ordinem pro Magiſtro Ordinis, & à Comprovincialibus pro Priore Provinciali defuncto. Idem etiam fiat per totum Ordinem (*b*) pro Diffinitore Capituli Generalis, vel Socio ejus, & pro Electoribus Magiſtri Ord. & Socio Prioris Povincialis euntis ad Capitulum Generale; ſi aliquem eorum in via, vel in ipſo Capitulo mori

contigerit. Idem etiam fiat pro Procuratore Ordinis, ſi in Curia Romana in Procurationis officio decedat. Idem etiam fiat pro Viſitatore, à Domibus quas viſitare debet, ſi in viſitatione moriatur. (*c*) Quilibet Sacerdos celebret triginta Miſſas in anno pro Fratribus, & Sororibus noſtris defunctis: & quilibet Clericus triginta vicibus ſeptem Pſalmos, (*d*) & quilibet Converſus triginta vicibus centum Pater noſter dicat: (*e*) & quilibet Conventus viginti Miſſas, in communi. Anniverſarium Patrum & Matrum, tertia die poſt Purificationem B. Mariæ Virginis: Anniverſarium verò Benefactorum, & Familiarium, ſequenti die poſt Octavam B. Auguſtini: (*f*) Anniverſarium verò Fratrum, & Sororum, ſequenti die poſt Feſtum Sancti Dionyſii eſt faciendum: Anniverſarium demum omnium ſepultorum in Cœmeteriis noſtris, ubique fiat duodecima Julii. (*g*) Fratres verò noſtri numerum Miſſarum non admittant.

(a) *Idem faciat quilibet Frater pro defuncto Fratre ſui Conventus.*) Declaramus Romæ 1601. fuiſſe ordinatum; ut quotieſcumque in aliquo Conventu aliquem Fratrem mori contigerit, Prælatus illius Conventus infra ſpatium ſex dierum teneatur omnes ſuæ Provinciæ Præſidentes de morte Fratris certiores facere: quod fuit confirmatum Valliſoleti 1605. & tandem Romæ 1613. conf. 4. & inſuper ordinatum, ut pro illius anima quilibet Sacerdos ejusdem Provinciæ celebret unam Miſſam; Clerici verò non Sacerdotes recitent ſeptem Pſalmos, & Converſi Roſarium Beatiſſimæ Virginis. Item Romæ 1580. ord 5. ordinatum fuit, quod quando aliquem Fratrem, dum eſt Prior in aliquo Conventu, cujus non eſt filius, mori contigerit; etiam ipſemet Conventus, in quo erat Prior, ad ſuffragia pro ejus anima teneatur: non obſtante, quod omnia ejus bona ad eum Conventum, cujus erat filius, ſolummodò ſpectent.

(b) *Pro Diffinitore Capituli Generalis.*) Declaramus, quòd iſta ſuffragia debeant fieri pro Diffinitore Capituli Generalis, etiamſi cum in via, ſcilicet eundo, vel redeundo mori contigerit. Romæ 1532. declar. 5.

(c) *Quilibet Sacerdos celebret triginta Miſſas in anno.*) Declaramus, quòd prædictæ triginta Miſſæ debent eſſe de Requiem, ſi commodè dici poſſunt. Ubi autem propter multitudinem feſtivitatum, & alias obligationes hoc commodè fieri non poſſit: ſufficit ut quomodocumque dicantur: & quod Fratres numerum prædictarum non omittant. Romæ 1501. declar. 5.

(d) *Et quilibet Converſus, triginta vicibus centum Pater noſter.*) Declaramus, quod Fratres Converſi quoties dicunt *Pater noſter* in Horis, toties *Ave Maria* dicere tenentur. Treveris 1266. Quot autem *Pater noſter* & *Ave Maria* ſingulis diebus pro Divino Officio recitare teneantur, decernitur infra diſtinct. 2. cap. 15. Text. 1. & 2.

(e) *Et quilibet Conventus viginti Miſſas in communi.*) Declaramus, quòd iſtæ 20. Miſſæ intelliguntur præter Miſſas mortuorum generales, quæ dicuntur qualibet Hebdomada, quando totum Officium Mortuorum dicitur. Ideo debent ſpecialiter celebrari, & debent eſſe de Requiem, ſi commodè fieri poteſt: aliàs ſufficit, quòd quomodocumque celebrentur. Nannetis 1453.

(f) *Anniverſarium vero Fratrum, & Sororum.*) Declaramus, quod circa hoc Anniverſarium faciendum, debeat obſervari Rubrica illa, quæ in Breviariis, & Diurnis noviter impreſſis ad diem 10. Novembr. adſcripta eſt.

(g) *Fratres verò noſtri, numerum Miſſarum non admittant.*) Declaramus, quòd in primis Conſtitutionibus editis per Magiſtrum Iordanem, prædicta clauſula poſita erat in Capitulo de Domibus concedendis, ubi ſic dicebatur: Poſſeſſiones, ſive redditus, nullo modo recipiant Fratres noſtri, nec Eccleſias, quibus animarum cura annexa eſt; & numerum Miſſarum non admittant. Sanctus autem Raymundus reportavit hanc clauſulam in hoc Capitulum, tanquam in proprium locum. Ex quibus patet, quòd per illam clauſulam intendebat Conſtitutio prohibere certum numerum Miſſarum in perpetuum, ne poſteri ex hoc nimis gravarentur: vel ne redditus perpetuos propter hujuſmodi Miſſas recipere cogerentur. Unde in Capitulo Pariſienſ. 1256. ſic dicitur: Prohibemus ne Fratres ſe obligent ullo modo ad Anniverſaria perpetua. Non autem intendit prohibere, quin poſſimus numerum Miſſarum, quæ à laicis quotidiè petuntur pro peccatis, ſive pro vivis, ſive pro mortuis accipere: Dummodo hoc diſcrete, & ſine ſuperſtitione fiat: quemadmodum Concil. Trid. præſcribit his verbis: *Quarumdem verò Miſſarum, & candelarum, certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quam à vera Religione inventus eſt, omnino ab Eccleſia removeant.*

Item declaramus, quòd non eſt rationabile, ut aliquis Prior cum Conventu, propter aliquam eleemoſynam quam de præſenti recipit, obliget poſteros ad dicendum certum numerum Miſſarum in perpetuum; niſi fortè eleemoſyna eſſet ita pinguis, & redditus illius annuatim ita in perpetuum durarent, quòd meritò numerus prædictarum Miſſarum in perpetuum ſibi aſſignari deberet. Quare prohibemus, ne de cætero Præſidentes, hujuſmodi Miſſas perpetuas acceptent, niſi eleemoſyna ſit perpetua. Quod ad præteritas fundationes attinet, revocandu eſt in memoriam diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini, quæ ſic habet ſeſſ. 25. de Reform. cap. 4. *Sancta Synodus, cupiens ad pios uſus relicta quo plenius, & utilius poteſt impleri: facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpectâ poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint; ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, ea legata ad pios uſus reliquerunt.* Præter eam Sacri Concilii determinationem, Bononiæ 1564. ordinatum iſtud fuit: Quæ circa Miſſarum numerum à Sancta Synodo decreta ſunt exequi cupientes, illius auctoritate noſtro Generali Capitulo commiſſa in hac

hac parte fugientes: mandamus omnibus Prioribus, & aliis Præſidentibus noſtrorum Conventuum in virtute ſanctæ obedientiæ, ut intra menſem à notitia præſentium, major Prælatus cum tribus Patribus, qui à conſiliis eſſe ſolent in Conventu, omnes Miſſas, quæ Defunctorum Teſtamentis relictæ, & à Conventu fuerint ſuſceptæ, ut perpetuò, vel ſingulis, aut aliquibus diebus determinatè dicerentur, in numerum redigant. Et ex alia parte perpendant ſimiliter ſummam ſtipendii, ſive eleemoſynæ, quæ pro qualibet Miſſa inſtituta fuit: deinde ratione habita ſtipendii, ac ſuſtentationis, juxta quod pro more cujuſque patriæ pro una Miſſa, communi exiſtimatione cenſebitur, ex illis omnibus certum aliquem Miſſarum numerum in poſterum dicendarum ſtatuant, quem inviolabiliter prædicti Conventus Fratres poſſint implere: ſuper quo eorum conſcientias oneramus, ut quantùm fieri poteſt æqua ſit æſtimatio: cùm ad eximendos Fratrum noſtrorum ſcrupulos, hoc remedium ſit maximè neceſſarium. Et nihilominus in quotidianis Capitulis, & aliis ſuffragiis, quæ extra ea fieri ſolent, Defunctis, qui talia ſacrificia petierunt, coram Divina miſericordia ſubveniant. At quo minus deinceps hujuſmodi ſuffragiorum, & Miſſarum gravamina noſtris Conventibus imponatur, nulla in poſterum perpetua obligatio, ad certas Miſſas, vel ſuffragia admittatur: niſi cui fuerit talis ſuſtentationis annexum ſubſidium, quod prudentum judicio ſufficiens æſtimetur. Circa quod diligenter obſervari debent complura Decreta à Sacra Congregatione hoc in paſſu emanata. Ut verò majori conſideratione hæc omnia fiant, nolumus hujuſmodi contractus ratos haberi, niſi Prælati, & majoris partis Fratrum conſenſus acceſſerit: & Prælati oppoſitum facientes à ſuis Officiis abſolvantur. Quod ſi alicubi ea eſt conſuetudo, ut Provincialis ad hoc licentia requiratur, nolumus eam ullo pacto intermitti. Præſidentibus quoque noſtrorum Conventuum, & aliis, qui hujuſmodi eleemoſynis recipiendis deputati fuerint, diſtrictè præcipimus: quatenus Miſſarum per ſingulos dies advenientium, eum numerum dumtaxat admittant, quem commodè poſſint implere: ne ultra modum gravari, occurrentibus aliis neceſſitatibus providere nequeant: & ne hac occaſione Sacerdotes aut non admodum diſpoſiti, aut ex conſuetudine potiùs, quam ex devotionis affectu, ad tremendum Altare interdum accedant. Cæterum, ut etiam memoriæ Defunctorum conſulatur, mandamus omnibus PP. Provincialibus, Prioribus, ac Præſidentibus noſtrorum Conventuum, & locorum, ut diligenter invigilent, quatenus Sacriſtæ in omnibus Conventibus Patrum, & Fratrum Ordinis noſtri, imò & ſecularium ſepultorum, ſive in Eccleſia, ſive in Clauſtris, nomina, loca, & tempora in certo libro ad hoc præparato deſcribant. Bononiæ 1615. ord. 14.

CAPUT IV.

De Jejuniis.

I.

A Paſchate uſque ad Feſtum Sanctæ Crucis reficiantur bis Fratres: exceptis diebus Rogationum, & ſextis Feriis, & Vigilia Pentecoſtes, & jejuniis Quatuor Temporum, & Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, B. Dominici Patris noſtri: Laurentii, Aſſumptionis S. Mariæ, Bartholomæi, ac Nativitatis B. Virginis. (*a*) A Feſto autem S. Crucis uſque ad Paſcha, continuum tenebimus jejunium, & Nona dicta comedemus, exceptis Dominicis diebus. In toto autem Adventu, & Quadrageſima, & Jejuniis Quatuor Temporum, in Vigilia Aſcenſionis, & Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, (*b*) & B. Dominici Patris noſtri, Laurentii, Aſſumptionis S. Mariæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, & Omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & omnibus ſextis Feriis, Quadrageſimali utimur cibo: niſi in prædictis ſextis Feriis, tantùm cum aliquo propter labores diſpenſetur; vel in locis in quibus in eiſdem ſextis Feriis aliter comederetur, vel etiam (*c*) niſi feſtum præcipuum fuerit.

(a) *A Feſto S. Crucis uſque ad Paſcha continuum tenebimus jejunium.*) Declaramus, quòd Priores, & eorum vices gerentes in eorum abſentia, in jejunio S. Crucis non debent quotidie, nec cum omnibus Fratribus generaliter, & ordinariè diſpenſare. Poſſunt tamen aliquando, ut ſemel, vel bis in ſeptimana, non cum toto Conventu, ſed cum aliquibus ex cauſa rationabili diſpenſare. Maris 1251. & Florentiæ 1321. ordin. 6.

(b) *Et in Vigilia Beati Dominici Patris noſtri.*) Hæc Conſtitutio ſic fuit declarata in Capitulo Generali Pariſienſi 1286. ordin. 7. Declaramus, quòd Conſtitutio de jejunio in Vigilia Beati Dominici intelligenda eſt, ſicut de jejuniis Ordinis, in quibus Prælati ex cauſa rationabili poſſunt cum Fratribus diſpenſare. Et ob hoc Priores, & eorum Vicarii non debent exhibere ſe difficiles ad diſpenſandum in tali Vigilia cum Fratribus debilibus, vel aliàs indigentibus: quando in Sabbato talis Vigilia fuerit jejunanda. Ex quo paret, quod jejunium ſextæ Feriæ eſt magis ſtrictum, quàm jejunium Vigiliæ B. Patris Dominici.

(c) *Niſi præcipuum feſtum fuerit.*) Hæc Conſtitutio ſic fuit declarata in Capitulo Generali apud Savilianum 1439. Præcipuum feſtum intelligimus illa feſta, quæ ſecundum jura ſunt colenda: & quæ ſecundùm noſtrum Ordinem Duplicia, & ſupra appellantur. In his enim feſtivitatibus, poterit Prælatus, ſi venerint in ſexta Feria, diſpenſare cum Fratribus, & toto Conventu, ut ovis, & lacticiniis veſcatur, dummodo tamen jejunent. Quod tamen in illis Provinciis intelligi volumus, ubi ſeculares Feriis ſextis promiſcuè lacticinia & ova comedunt: & non in illis, ubi ex eorum eſu ſcandalizarentur. In Adventu autem, non poterit etiam in hujuſmodi feſtivitatibus cum toto Conventu, aut cum Fratribus diſpenſare, ut ovis, aut lacticiniis utantur: niſi ratione infirmitatis cum aliquo Fratre, ſicut & in Quadrageſima.

II.

(*d*) ITinerantes tamen bis refici poſſunt: niſi in Adventu, & niſi in Vigiliis Nativitatis, & Purificationis B. Virginis, & jejuniis principalibus ab Eccleſia inſtitutis; & ſextis Feriis intus, & extra. Quando autem feſtum habens Vigiliam (in qua ſecundùm Ordinem eſt jejunandum) venerit in ſecunda Feria, ejus Vigilia in præcedenti Sabbato jejunetur, contraria conſuetudine nòn obſtante. Feria ſecunda & tertia poſt Quinquageſimam tàm intus, quàm extra, Quadrageſimali utitur cibo, & jejunamus. In Paraſceve verò per totam diem in pane & aqua abſtinemus.

(d) *Itinerantes bis refici poſſunt, niſi in Adventu & ſextis Feriis, intus & extra.*) Declaramus, quòd cùm jejunium Adventus in Ordine noſtro ſit ſtrictiſſimum, ſicut & jejunium Quadrageſimæ: nullus Præſidens poteſt in Adventu cum Conventu diſpenſare, nec etiam cum aliquo particulari Fratre; niſi propter infirmitatem aut debilitatem, ſicut poſſet & in Quadrageſima. Itinerantes autem non ſolum in Adventu, & ſextis Feriis debent jejunare, ſed etiam tenentur jejunia, quæ communiter ſervantur in patria, & ipſi obſervare; ſicut fuit ordinatum Budæ 1254. In jejunio autem ſextæ Feriæ non poteſt Prælatus cum toto Conventu diſpenſare. Mediolani 1340. Florentiæ 1321. & Valentiæ 1364. Et ideò Præſidentes, qui ſunt faciles ad diſpenſandum regulariter in jejunio S. Crucis, vel in ſexta Feria, & duobus diebus immediatè ante Cineres diſpenſant cum toto Conventu; cùm abutantur poteſtate ſibi tradita, debent graviter puniri; & à ſuis officiis abſolvi. Fratres verò, qui ſunt ſani, & poſſent jejunare, etſi non quotidiè, ſaltem aliquoties in Hebdomada, & propter guloſitatem ſolùm, nec ſextis Feriis volent à cœna abſtinere, quin potius nulla petita, vel obtenta licentia, hujuſmodi Conſtitutiones de jejunio tranſgrediuntur, & in hujuſmodi tranſgreſſionibus perſeverare intendunt, ad damnabilem contemptum quàm facillimè diſponuntur.

CAPUT V.

De Cibo.

I.

(*a*) HOra competenti ante prandium, à Sacriſta paucis ictibus campana pulſetur, ut Fratres ad Refectionem venire non tardent. Poſtmodum pulſetur Cymbalum, ſi cibus ſit paratus; alioquin non pulſetur, donec paratus ſit. Ablutis verò manibus Prior nolam Refectorii pulſet, & tunc Fratres ingrediantur. Quibus ingreſſis, dicat Benedicite qui dicit Verſiculos; & Conventus proſequatur benedictionem. (*b*) Servitores autem incipiant ab inferioribus, uſque ad menſam Prioris aſcendentes.

(a) *Hora competenti, &c.* & infra: *Ablutis verò manibus.*) Declaramus, quòd pulſato cymbalo pro refectione, debent Fratres cum ſilentio, & matura feſtinatione venire ad locum, ubi debent manus abluere. Quibus ablutis debent ire ad ſedendum ſecundùm ordinem ſuum, ſuper ſcamna extra Refectorium præparata: & quando Prior nolam Refectorii pulſare inceperit; debent bini & bini, incipiendo à junioribus, ingredi Refectorium. Et cùm fuerit in medio, debent inclinare reverenter ad Crucem, vel imaginem, quæ ſupra ſedem Prioris collocata eſt; & poſtea ire ad ſua loca ordinatè: & facta benedictione, ire ad ſedendum in menſa, & cum ſilentio, & lectione ſumere cibum.

(b) *Servitores autem incipiant ab inferioribus.*) Declaramus, quòd in deferendis ſcutellis, vel pictantiis, ſervitores ſemper ab inferioribus debent incipere, & uſque ad menſam Prioris aſcendere: niſi fortè in menſa Prioris eſſent aliqui viri illuſtres, ſicuti Epiſcopi, Comites, vel majores his; quia tunc ab illis perſonis honorabilibus eſſet incipiendum. Quando autem ſervitores deferentes ſcutellas, aſcendendo venerint ad menſam Prioris, ſi ſuper aſſerem aliquas ſcutellas habuerint, debent illas porrigere his qui ſunt in menſa Prioris, & non reverti. In auferendis autem ſcutellis, vel menſæ reliquiis, debent à menſa Prioris incipere: & ſic ad inferiores deſcendere.

II.

NUllus Fratrum præſentium à prima menſa remaneat: (præter ſervitores & cuſtodes) niſi de licentia. Quotquot autem remanſerint, comedant in ſecunda menſa: ita quod tertiam facere non oporteat. Nulla fiat ſervitoribus, vel miniſtris pictantia, quæ non ſit Conventui: niſi ſint infirmi, vel minuti. Frater non mittat Fratri pictantiam, excepto Priore, ſed ſibi datum dare poſſit, à dextris, vel à ſiniſtris. (*c*) Priores comedant in Refectorio, & cibariis Conventus ſint contenti. Similiter infirmarii, & ſervitores hoſpitum, & alii Fratres: niſi Prior cum aliquibus diſpenſaverit ob aliquam cauſam, ut extra Conventum aliquando comedant.

(c) *Priores comedant in Refectorio.*) Declaramus, quòd nullus Frater debet in cella, vel in camera tenere menſam, ſed omnes Fratres tam Priores, quam alii, debent venire ad communem menſam in Refectorio: niſi fortè Prior aliquando cum aliquo diſpenſaverit, ut extra Conventum in Hoſpitio, aut Infirmaria poſſit comedere. Unde in Capitulo Lugdunenſi 1318. ſic fuit ordinatum. Cum ex eo quod Priores, & eorum locum tenentes, ac cæteri Fratres à ſequela communitatis ſe retrahunt, Religio plurimum relaxetur, & multi Conventus in diverſis Provinciis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus diſſipentur, & deſtituantur; injungimus, & mandamus Prioribus univerſis, ut à Choro, & Refectorio

nul-

nullatenus ſe abſentent, niſi ex cauſa rationabili, & urgenti: & hoc idem faciant à ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari. Quod ſi ſecus factum fuerit, per Provincialem, vel ejus Vicarium, in pœnam à ſuis officiis abſolvantur. Et hoc idem fuit ordinatum Cadurci 1319. & Coloniæ 1428. Vbi additur, ut quotidie teneatur Refectorium, & quod in ſecunda, & quarta Feria minimè cum aliquo Fratre diſpenſetur, niſi propter infirmitatem in loco infirmorum. Et Romæ 1553. & Pariſiis 1611. ſtatutum fuit, ut omnes etiam Magiſtri caveant, ne in cubiculis, ſeu cameris comedant, ſed in communi Refectorio; irritantes quamlibet licentiam ſuper hoc indultam, ac conceſſam. Quodque ſi qui Conventus exiſtant, ubi nulla fere ſervetur Communitas, ac præcipuè in comedendo in Refectorio communi: hos privamus omni facultate, & auctoritate recipiendi ad habitum Ordinis.

III.

(*d*) PUlmenta noſtra ſint ubique ſine carnibus in conventibus noſtris: præterquam in infirmariis. Fratribus autem noſtris, ne ſint hoſpitibus onerosi, pulmenta cocta cum carnibus comedere liceat extra clauſtrum. Fratres noſtri tam Priores, quàm alii, in locis ubi Conventum habuerimus; niſi cum Epiſcopo, vel in domibus Religioſorum, & hoc raro, extra Clauſtrum comedere non præſumant. (*e*) Singulis diebus duo cocta pulmenta, ſi fieri poteſt, habeant. Poterit autem Prior ſuperaddere, prout opus eſſe judicaverit, & facultas permiſerit. Si quis juxtà ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de communi, requirat à ſervitore. (*f*) Si quis de ſervitoribus, vel comedentibus, ſerviendo, vel comedendo in aliquo offenderit; ſurgentibus Fratribus veniam petat, & facto ſigno à Prælato redeat ad locum ſuum.

(d) *Pulmenta noſtra ſint ubique ſine carnibus in Conventibus noſtris.* Declaramus, quòd Præſidentes Conventuum non poſſunt diſpenſare cum Fratribus, ut in Refectorio carnes comedant: nec extra Refectorium cum toto Conventu regulariter, nec cum aliquo Fratre in Adventu. Quod ſi fecerint, ſunt graviſſimè puniendi, & in pœnam à ſuis officiis abſolvendi, ut fuit ordinatum Paviæ 1423. Coloniæ 1428. & Venetiis 1487.

(e) *Singulis diebus duo cocta pulmenta, ſi fieri poteſt habeant.*) Declaramus, quòd Præſidentes Conventuum, debent eleemoſynas ex Miſſis, Officiis, Collectis, Redditibus, & Proventibus Conventus taliter diſponere; ut ſingulis diebus Fratres pictantiam habeant cum uno ferculo: & tempore jejunii, ultra pictantiam habeant duo fercula, ut jejunare poſſint: ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit.

(f) *Si quis de ſervitoribus, vel commedentibus ſerviendo, vel comedendo in aliquo offenderit; ſurgentibus Fratribus veniam petat.*) Declaramus, quòd finito prandio, & facto ſigno à Prælato cum nola, lectio terminari debeat, dicendo: *Tu autem Domine &c.* & Prælatus ſtando debet pulſare nolam, quouſque Fratres à menſa ſurrexerint. Terminata autem pulſatione nolæ, illi qui ſerviendo, vel comedendo, vel legendo, in aliquo offenderint, debent ſuas venias facere modo ſupradicto in hac diſtinctione c. 2. Textu 4. Et facto ſigno à Prælato ſurgere debent, & pergere ad propria loca.

CAPUT VI.

De Collatione.

I.

TEmpore jejunii, hora competenti Sacriſta ad collationem ſignum faciat, poſtea Refectorarius cymbalum pulſet: deindè Fratribus (*a*) venientibus in Refectorium, legat Lector, præmiſſo Jube Domne benedicere; & ſequatur benedictio Noctem quietam, & finem perfectum, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Infra verò lectionem bibere poterunt, facto ſigno à Prælato, & dicto Benedicite à Lectore: (*b*) dataque benedictione ab Hebdomadario: Largitor omnium bonorum benedicat potum ſervorum ſuorum. Finita lectione (*c*) dicat qui præeſt, adjutorium noſtrum in nomine Domini; & tunc cum ſilentio intrent Fratres Eccleſiam. (*d*) Quicumque bibere voluerit extra horam, licentiam petat à Prælato, (*e*) & unum ſocium accipiat.

(a) *Venientibus in Refectorium legat Lector.*) Declaramus, quòd contra iſtam Conſtitutionem invaluerat uſus in multis locis propter concurſum ſecularium ad Eccleſias noſtras, ut Completorium more aliarum Eccleſiarum inciperetur in Choro per *Jube Domne* &c. Qui uſus cum non poſſet ſine magna ſecularium admiratione revocari, & adjudicaretur rationabile, ut eſſemus conformes aliis Eccleſiis; idcircò in Capitulo Salmanticenſi 1551. ita ſtatuitur: Denunciamus ordinaſſe nos auctoritate Apoſtolica, ut Completorium etiam diebus jejuniorum ſemper in Choro per *Jube Domne benedicere* incipiatur. Et quando dicitur: *Noctem quietam* &c. omnes Fratres, ſicut in aliis benedictionibus inclinent. Et quamvis hæc ordinatio Conſtitutioni contraria videatur, tamen piorum, ſanctiſſimorumque Patrum judicium fuit, antiquitatem Conſtitutionum noſtrarum tanti eſſe faciendam, ut textum illum à majoribus noſtris editum, potiùs declarandum, quàm delendum eſſe decreverint.

(b) *Dataque benedictione ab Hebdomadario.*) Declaramus, quòd in Refectorio benedictio danda eſt ab Hebdomadario: qui dum dat benedictionem non debet ſedere, ſed ſe elevare, & ſtando benedictionem dare. Florentiæ 1257.

(c) *Dicat, qui praeſt, Adjutorium.*) Declaramus, quòd abſente Prælato, atque ejus Suppriore & Vicario, Hebdomadarius in Refectorio debet dicere *Adjutorium*: quia etſi non præſideat omnibus aliis loco, præſidet tamen auctoritate, & Officio. Quando autem Prælatus dicit *Adjutorium*, vel *Fidelium*, præſente Conventu, debet illud dicere cum magna gra-

gravitate, & ità ſonore, quòd clare ab omnibus audiatur. Et quando ſunt plures Prælati ſimul in Choro, vel Refectorio; ille, qui præeſt aliis loco, debet *Fidelium*, & *Adjutorium* dicere, & benedictionem in Completorio dare.

(d) *Quicumque bibere voluerit extra horam.*) Declaramus, quod quamvis irreligioſum videatur tempore jejunii poſt Completorium bibere: & propter hoc aliàs in Capitulo Ferrarienſi 1290. fuerit ordinatum, quòd Frater, qui poſt Completorium bibebat, tenebatur iterato dicere Completorium: tamen quia Conſtitutio innuit, quod de licentia Prælati Fratres poſſint extra horam bibere; poterit Prælatus tempore jejunii, (quando dies breves ſunt) collationem uſque ad poſt Completorium, finita oratione differre.

(e) *Socium accipiat.*) Declaramus, quòd cauſâ honeſtatis & Religionis, nullus Frater debet bibere ſine licentia, & præſentia Socii. Prælati autem faciant Conſtitutionem de Jejuniis à Fratribus diligenter obſervari, ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Peſtum 1273.

Caput VII.

De Infirmis.

I.

(*a*) Circa infirmos caveat ne ſit negligens Prælatus, ſic enim procurandi ſunt infirmi, ut citiùs releventur: ſicut dicit noſter Pater Auguſtinus. (*b*) Poterunt autem quidam veſci carnibus, prout eorum gravior exigit infirmitas, ſecundùm quòd Prælato viſum fuerit. (*c*) In locis verò ubi Conventum habemus, extra domum noſtram carnes non comedant. (*d*) Si quis autem talem habuerit infirmitatem, quæ nec multum eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum: talis nec ſuper culcitram jaceat; nec jejunia conſuetudinaria frangat; nec cibos Refectorii mutet.

(a) *Circa infirmos caveat ne ſit negligens Prælatus.*) Declaramus, quòd in ſingulis Conventibus debent eſſe aliquæ cameræ deputatæ pro infirmis, benè fulcitæ lectis, & linteaminibus, & aliis neceſſariis pro Infirmaria: & debet inſtitui unus Infirmarius principalis, diſcretus, qui provideat infirmis de cibariis, lectis,. medicinis, & omnibus aliis neceſſariis ad eorum relevationem: ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1286. Salmanticæ 1551. & in multis aliis Capitulis. Ut autem hæc facere poſſit, debet ei deputari aliqua pars pecuniæ, quæ ad Conventum ex eleemoſynis venit: ſicut ordinavit Joan. XXII. Prælati autem, qui in hoc inventi fuerint negligentes, in pœnam à ſuis officiis abſolvantur.

(b) *Poterunt autem quidam veſci carnibus. prout eorum gravior exigit infirmitas, ſecundùm quod Prælato viſum fuerit.*) Declaramus, quòd in Conſtitutione de carnibus non comedendis, non debet Prælatus diſpenſare, niſi cum infirmis, vel evidenter indigentibus: quamviſe tiam extra caſum infirmitatis, poſſit cum aliquibus ex rationabili cauſa diſpenſare: ut cum notabiliter antiquis, & cum Lectoribus, & debilibus. Non debet hoc tamen regulariter, & quotidiè facere; ſed aliquibus diebus, & cum diſcretione: ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1321. & Narbonæ 1394.

(c) *In locis verò ubi habemus Conventum, extra domum noſtram carnes non comedant.*) Declaramus, quòd licet in domibus Religioſorum, vel Epiſcoporum, de licentia Prælati poſſint Fratres quandoque, & rarò comedere: non tamen aliàs extra Conventum, etiamſi ſint infirmi, licitum eſt carnibus veſci. Et qui in hoc deliquerint, graviter puniendi ſunt: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1240. & Narbonæ 1394.

(d) *Si quis autem talem habuerit infirmitatem, qua nec eum multem debilitet, nec comedendi turbet appetitum.*) Declaramus, quòd illi Fratres, qui ſunt ſani, ſed tantùm propter guloſitatem, & ſenſualitatem volunt continuè veſci carnibus: & cum poſſent aliquibus diebus abſtinere, tamen nulla petita, & obtenta licentia, carnes quotidie comedunt, & in hoc perſeverare intendunt; ad culpabilem, & damnabilem comtemptum quam maximè diſponuntur.

II.

(*e*) IN domibus noſtris non ſint niſi duo loca, in quibus comedant debiles, vel infirmi: unus carnium, & alius aliorum ciborum; niſi ſit evidens neceſſitas, vel urgens infirmitas. Similiter nec alii Fratres comedant, niſi in communi Refectorio, vel Hoſpitum domo: nec Priores Provinciales, nec Magiſtri in Theologia, etiam actu legentes comedant in cameris, ſed in communi Refectorio, vel Hoſpitio, vel in domo infirmorum, aut domo debilium. Si autem Priores infirmari contigerit: in Infirmaria cum aliis procurentur. (*f*) Fratres verò leproſi infra ſepta ſui Conventus ſeorſum ab aliis procurentur: Conventus autem ſuus ille dicitur, cujus eſt filius. Quòd ſi arctitudo loci illius, vel alia cauſa legitima non permiſerit; ad alium Conventum noſtri Ordinis per Priorem Provincialem transferantur.

(e) *In domibus noſtris non ſint niſi duo loca.*) Declaramus, quòd Fratres ſani, tam Priores, quam alii, debent in Refectorio comedere, vel in domo hoſpitum de cibariis Ordinis, debiles verò, & infirmi debent in Infirmaria comedere; & poterunt de licentia Prælati carnibus veſci. Alibi autem comedere non licebit, niſi propter evidentem neceſſitatem, vel urgentem infirmitatem: ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1269. & Mediolani 1278. & apud Cæſarauguſtam 1391.

(f) *Fratres verò leproſi &c.*) Declaramus, quòd ſi contingat Fratrem quempiam laborare quocumque morbo contagioſo; debere in loco ſeparato, & ſeorſum ab aliis infirmis ita curari, prout ſtatuit Conſtitutio de leproſis: qua enim de cauſa ſeorſum leproſi curari debent; ea etiam illi, qui quocumque contagioſo morbo la-

laborant, curandi ſunt: ne videlicet contagione ſui morbi alios infirmos inficiant.

Caput VIII.

De Minutione.

I.

(*a*) Minutio quater in anno fieri poſſit. Prima in menſe Septembri. Secunda poſt Natale. Tertia poſt Paſcha. Quarta poſt feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ. Præter has minutiones, nullus audeat ſibi minuere: niſi diſcretio Prioris propter aliquam cauſam judicaverit aliter eſſe alicui faciendum. Minuti extra Refectorium cum ſilentio comedant, ubi commodè poterit obſervari: & ſecundùm quòd facultas domus permiſerit, commodius procurentur. (*b*) Cauſâ verò minutionis carnes non comedant.

(a) *Minutio quater in anno fieri poſſit.*) Declaramus, quòd Fratres non teneantur uti minutione, niſi de conſilio Medici. Qui autem ſine conſilio Medici voluerit minutionem facere, teneatur illis quatuor temporibus eam facere. Quòd autem Religioſi licitè poſſint minutione uti, textus eſt, *de ſtatu Monachorum*, cap. *cum ad Monaſterium*, §. *Porro.*

(b) *Cauſâ verò minutionis carnes non comedant.*) Declaramus, quòd minuti cum propter extractionem ſanguinis in quo vita conſiſtit, debilitari ſoleant; debent extra Refectorium commodè, & frugaliter procurari: quantùm facultas ipſius Domus permiſerit. Quod ſi Priori videbitur, & non aliter, poterunt veſci carnibus, juxta quod eorum complexio, vel debilitas poſtulaverit.

Caput IX.

De Lectis.

I.

(*a*) Super culcitras non dormiant Fratres noſtri, niſi fortè ſtramen, vel aliquid tale, ſuper quo dormiant, habere non poſſint. Super ſtramina, & ſaccones laneos dormire licebit. Extra domum verò dormire poterunt, ſicut fuerit eis ſtratum; ne hoſpites moleſtentur. Qui autem culcitram petierit, jejunet una die in pane, & aqua. (*b*) Cum tunica & caligis cincti dormiant. (*c*) Nullus (Magiſtro Ordinis excepto,) qui in communi tolerari poſſit, habeat ſpecialem locum ad jacendum, niſi propter rerum cuſtodiam; Lectoribus tamen ſecùndum diſcretionem Prioris provideatur.

(a) *Super culcitras non dormiant Fratres noſtri.*) Declaramus, quod licèt Fratres ſani non debeant dormire ſuper culcitras, infirmi tamen de licentia ſuorum Superiorum poſſunt ſuper culcitras dormire. Unde in infirmariis noſtris ſolemus habere culcitras pro infirmis, & hæc conſuetudo ſatis rationabilis eſſe videtur.

(b) *Cum tunica, & caligis cincti dormiant.*) Declaramus, quòd cum Conſtitutio iſta non dicat, quòd debeamus dormire cum ſcapulari, quod eſt habitus Ordinis noſtri; & quòd ſemper debeamus illud deferre, quando procedimus in publicum, cum ſit proteſtativum noſtræ profeſſionis: non peccat Frater noſtri Ordinis ſi ſine ſcapulari dormiat. Ideo poſſunt licite Fratres noſtri ſine illo dormire. Debent tamen cum tunicella, cingulo, & caligis dormire, quia tunicella videtur pertinere ad habitum noſtrum de nocte, qui ſemper debet oſſibus noſtris adhærere. Narbonæ 1394. Et ideo illi, qui nulla ſubſiſtente cauſa, ſed ex ſola ſenſualitate ſine tunicella, & caligis dormiunt, maximè quando hoc habent in conſuetudine: ita hanc tranſgrediuntur Conſtitutionem, ut ad damnabilem contemptum qui non eſt ſine culpa, diſponantur.

(c) *Nullus, Magiſtro Ordinis excepto &c.*) Declaramus, quòd omnes Fratres noſtri (Magiſtro Ordinis, & infirmis, atque hoſpitibus duntaxat exceptis) debent in communi Dormitorio dormire: quod quidem taliter debet eſſe diſpoſitum, ut ſerò claudi poſſit: & claves debent apud Priorem, vel aliam perſonam ſecuram remanere. Qui autem extra Dormitorium ſine licentia dormire præſumpſerit, debet à ſuo Prælato graviter puniri. Narbonæ 1394. & in multis aliis Capitulis.

Caput X.

De Veſtitu.

I.

(*a*) Veſtes laneas non attonſas ubi ſervari poterit, deferant Fratres noſtri. Ubi verò ſervari non poterit, utantur vilibus: & potiùs utilitas in cappis ſervetur. (*b*) Lineis non utantur ad carnem, nec etiam infirmi. Linteamina in infirmariis noſtris concedimus, quod haberi poſſint; & ſimiliter in cameris hoſpitum. Nullus habeat plures tunicas, quam tres cum pelliceo in hyeme: & quatuor ſine pelliceo, quod ſemper tunica coopertum deferatur. Pelliceis ſilveſtribus, aut etiam coopertoriis quarumcumque pellium Fratres noſtri non utantur, niſi in infirmaria. Nec tamen utantur ibidem coopertoriis pellium ſilveſtrium. (*c*) Tunicæ circa cavillam pedum incluſivè, & non plus deſcendant: Scapularia circa cooperturam genuum: Cappa verò ſit brevior tuniça, & etiam pelliceum. Caligas, & ſoccos habebimus, ut neceſſe fuerit, & ut facultas permiſerit. (*d*) Ocreas non habebimus, nec Chirotecas. Botæ extra ſepta Monaſterii non portentur.

(a)

(a) *Veſtes laneas &c.* & infra: *Veſtibus utantur vilibus.*) Declaramus, quòd Fratres noſtri cùm ſint Mendicantes, non debent uti pretioſis, ſed vilibus veſtibus: nec debent habere corrigias, nec cultellos curioſos deferre. Bononiæ 1285. Unde illi qui habent tunicas & cappas magni pretii, & ultrà numerum à Conſtitutione præſcriptum, & in hujuſmodi tranſgreſſione Conſtitutionis perſeverant, ac perſeverare intendunt; debent graviter puniri, & talibus veſtibus privari. Coloniæ 1428. & Venetiis 1437. Item declaramus, quòd Præſidentes Conventuum debent ſtudium & diligentiam adhibere, ut ex eleemoſynis, & redditibus ad Conventum pertinentibus, provideatur Fratribus indigentibus de veſtibus. Et ſi alicui Fratri à parentibus, vel ab amicis dentur pecuniæ pro veſtibus, tales pecuniæ dentur Procuratori Conventus, qui pannum emat pro illo Fratre: ut ſicut paſcimur ex uno cellario, ita induamur ex uno veſtiario. Toloſæ 1258. & 1304. & Januæ 1305. & Placentiæ 1310.

(b) *Lineis non utantur ad carnes, nec etiam infirmi.*) Declaramus, quòd qui nulla ſubſiſtente cauſa, lineis utuntur ad carnem, & in hujuſmodi transgreſſione intendunt perſeverare; ad damnabilem contemptum diſponuntur. Idem intelligimus de canapo, & bombice.

(c) *Tunica circa cavillam pedum Scaphlaria circa coopertúram genuum &c.*) Declaramus, quòd habitus Ordinis noſtri eſt tunica alba, & præſertim ſcapulare album quoad Clericos: & nigrum quoad Converſos, & cappa nigri coloris. Atque hunc habitum, & præſertim ſcapulare, debemus patenter deferre, quando procedimus in publicum; cum ſit proteſtativum noſtræ profeſſionis. Narbonæ 1294. Et in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 19.* prohibetur, ne cuiquam Regulari concedatur licentia occultè ferendi habitum ſuæ Religionis. Et quia brevitas veſtium levitatem quandam ſignificare videtur, longitudo verò honeſtatem, & gravitatem deſignant: non debent tunicæ noſtræ eſſe notabiliter breves, ſed debent uſque ad cavillam pedum incluſivè deſcendere, & ante, ac retrò conſutæ eſſe. Infra verò tunicam, non debemus caligas, vel alias veſtes alterius coloris, quàm albi habere. Cappa verò debet ſaltem quatuor digitis brevior, quam tunica eſſe. Scapulare verò propter honeſtatem non debet eſſe notabiliter breve, nec etiam nimis ſtrictum, nec nimis latum, ſed ſufficit ut cooperiat commiſſuram manicarum & tunicæ; & debet capitium cappæ, cum ipſa cappa eſſe conſutum. Et quando in publicum procedimus, vel in Choro ſumus, debemus ſemper habere caput coopertum caputio. Et quando procedimus extra Conventum, debemus cappam deferre propter Ordinis honeſtatem. Januæ 1305.

Item in Capitulo Salmanticen. 1551. ordinatum fuit pro uniformitate noſtri Ordinis, ut cappæ in Conventu à Paſchate Reſurrectionis uſque ad Feſtum Omnium Sanctorum, nonniſi in commonione, & à ſervitoribus Miſſarum portentur. In hyeme verò, in Provinciis ubi conſuetum eſt, portari poſſint, præterquàm in menſa.

Item Venetiis 1592. ordinatum fuit, ut nemo Confeſſariorum audeat ſub pœna ſuſpenſionis ab audientia confeſſionum, mulierum confeſſiones niſi ad feneſtrellam cratis ferreæ, vel ligneæ, aut alterius materiæ, & cum cappa ſemper audire: quod intelligendum eſt quando patenter in Eccleſia confeſſiones audiunt.

Item declaramus, quòd quotieſcumque Fratres, ſive ad Officium Miſſæ; ſive ad alia Officia utuntur ſuperpelliceis, debent deferre ſcapulare ſub ipſis: ita tamen ut caputium ſcapularis ſit extra ſcapulas ordinatum. Similiter Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi cum induunt ſacras veſtes, portent ſcapularia cum caputio ſub ipſis, nec ullo modo ea deponant. Et hoc idem in Miſſis privatis obſervetur. Pariſiis 1286. Neapoli 1311.

(d) *Ocreas non habebimus, nec Chirotecas.*) Declaramus, quòd Fratres itinerantes poſſint ocreas, & chirotecas portare, prout neceſſitas poſtulaverit: intra Clauſtra vero, & per Civitatem nullo modo deferantur.

Item declaramus Venetiis 1592. confirmatum fuiſſe ordinationem aliàs factam, quod nullus Frater, aut Soror Ordinis noſtri cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat uti debet coclearibus, & inſtrumentis aureis vel argenteis, aut etiam ex lapidibus pretioſis: ſive in menſa, ſive in cingulis, ſive in cappis, cultris, vel eorum vaginis, ſive in quocumque alio genere rerum utenſilium. Qui autem tranſgreſſores reperti fuerint, iiſdem inſtrumentis omnino priventur, & illa Communitati applicentur, & graviter præterea tranſgreſſores puniantur.

Caput XI.

De Raſura.

I.

(a) RAſura ſit ſuperius non modica, ut Religioſum decet: ſic ut inter ipſam, & aures non ſint pluſquam tres digiti. Tonſura quoque fiat deſuper aures. Raſura verò fiat à Paſchate uſque ad Feſtum Omnium Sanctorum de quindena in quindenam, deinde autem ſemel in tribus ſeptimanis: ità tamen quod propter feſta ſolemnia poſſit per dies aliquot præveniri, vel retardari.

(a) *Raſura ſit ſuperius non modica*) Declaramus, quòd Prælati & Præſidentes Conventuum, debent diligentem curam & ſollicitudinem adhibere, ut Fratres omnes ſint uniformes in capillorum raſura: & ut decentèm, ac religioſam habeant coronam. Nec ullo modo patiantur, quod Fratres, aut barbam nutriant, aut more ſecularium capillos longos deferant. Debet autem tonſura capillorum ſolùm uſque ad ſummitatem aurium deſcendere, & inter ipſam, & raſuram capitis deſuper, non debent eſſe pluſquam tres digiti. Poterit autem in regionibus calidis raſura fieri etiam in hyeme, de quindena in quindenam, ſecundùm quòd Prælatus judicaverit expedire.

CAP.

Caput XII.

De Silentio.

I.

(a) Silentium Fratres noſtri teneant in Clauſtro, Dormitorio, in Cellis, in Refectorio, & in Oratorio Fratrum: niſi fortè ſilenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta. Alibi tamen loqui poterunt de licentia ſpeciali. (b) Omnes Fratres ubique intus & extra, ſilentium teneant, in menſa tam Priores, quàm alii: excepto uno, qui major fuerit inter eos, vel alio, cui pro ſe loqui commiſerit: & tunc ipſe taceat, exceptis Magiſtris in Theologia. Prior tamen Conventualis poteſt licentiare unum de ſecum comedentibus ad loquendum. Si verò plures Priores Conventoales ſimul comedere contigerit, (c) Prior antiquioris Conventus loquatur, & uni loquendi licentiam dare poteſt.

(a) *Silentium Fratres noſtri teneant.*) Declaramus, quòd in locis ſupra nominatis, continuum debent tenere ſilentium, nec in prædictis locis debet Prælatus diſpenſare cum Fratribus, ut ſilentium frangant. Et quidem cum Fratres tranſeunt per Clauſtrum, debent Pſalmum *De Profundis*, & alias Orationes pro Defunctis dicere. In cellis vero Dormitorii poſſunt ſcribere, legere, orare, & dormire. In Refectorio verò, dum ſunt in menſa, debent continuam lectionem habere. In Oratorio autem debent orare, & nihil aliud quam id, ad quod factum eſt, agere. In aliis autem locis prædictis poterunt Fratres loqui de licentia ſpeciali. A ſigno autem quod fit cum parva Campana poſt Completorium uſque ad Primam: & ſimiliter à ſigno quod fit in æſtate poſt prandium uſque poſt Nonam dictam, nulli loqui licebit: ſed omnes ſilentium ſervabunt. Toloſæ 1258.

(b) *Omnes Fratres noſtri ubique intus & extra &c.*) Declaramus, quòd omnes Fratres ſimul comedentes, ſive in terra, ſive in mari, ſilentium ſervare tenentur: excepto uno, qui major fuerit inter eos, & exceptis Magiſtris in Theologia, qui extra Refectorium loqui poterunt, ſicut fuit declaratatum in Monte Peſulano 1271.

(c) *Prior antiquioris Conventus.*) Declaramus, quòd quando plures Priores ſimul extra Refectorium, vel extra Conventum, vel extra Domum comedere contigerit: ſolus ille Prior, qui ſuperiorem locum tenet, loqui poterit & uni licentiam loquendi dare. Prior, autem antiquioris Conventus, qui comedit cum aliis Prioribus, ſi nullus eorum ſit Magiſter in Theologia, debet ſuperiorem locum tenere.

II.

Nullos autem aliorum ibidem loquatur, niſi de neceſſariis menſæ, & hoc per unicam orationem breviter & ſubmiſſè; niſi de licentia Epiſcoporum, ſeu Electorum, aut etiam majorum his: ſeu etiam Regum, vel etiam Magiſtri Ordinis, aut Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, (d) cùm contigerit nos cum eis comedere. Prior autem Provincialis, abſente Magiſtro Ordinis, Fratribus ſecum comedentibus in ſua dumtaxat Provincia, poteſt dare (e) licentiam loquendi: in alia autem Provincia tantùm uni. Si quis ſilentium fregerit ex propoſito, vel licentiam loquendi dederit; in uno prandio aquam bibat, & in Capitulo coram omnibus unam diſciplinam recipiat exceptis infirmis decumbentibus. (f) Et in hoc non diſpenſetur, niſi per Magiſtrum Ordinis, & Priorem Provincialem, & hoc raró, & ex rationabili cauſa. Infirmi verò non decumbentes, à prandio uſque ad Veſperas ſilentium teneant: ſimiliter (g) poſt ſignum, quod fit poſt Completorium. A minutis verò, poſt primam diem ſuæ minutionis idem obſervetur. (h) Fratres in Capitulo de ſilentio ſe accuſent, ſicut de aliis culpis; & Priorum arbitrio puniantur. (i) Si quis tamen inter duo Capitula ſepties ſilentium fregerit, in uno prandio ſedeat in terra.

(d) *Cùm contigerit nos cum eis comedere.*) Declaramus, quòd Magiſter Ordinis cum omnibus Fratribus ſecum comedentibus extra Refectorium, videlicet in Hoſpitio, vel in Infirmaria, vel in ſua camera: poteſt dare licentiam loquendi in menſa. Quando verò ipſe comedit cum Fratribus in Refectorio, talem licentiam dare non poteſt, quia ibi continuum habemus ſilentium: & idem dicimus de Priore Provinciali; quòd in abſentia Magiſtri Ordinis, in ſua dumtaxat Provincia, Fratribus ſecum comedentibus poteſt loquendi licentiam dare; non autem in Refectorio, quando ipſe cum Fratribus comedit.

(e) *Licentiam loquendi.*) Declaramus, quòd licet Vicarii particulares Magiſtri Ordinis, vel Priores Provinciales, non habeant auctoritatem concedendi Fratribus facultatem ad loquendum in menſa; nec talem auctoritatem poſſit eis Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis conferre: ſicut fuit declaratum Lucæ 1288. tamen quilibet Vicarius Ordinis, qui mortuo vel amoto Magiſtro vices ejus obtinet: & quilibet Vicarius Generalis Provinciæ per quemcumque modum legitimè fuerint inſtituti, hanc loquendi licentiam extra Refectorium ſecum comedentibus dare poſſunt.

(f) *Et in hoc non diſpenſetur, niſi per Magiſtrum &c.*). Declaramus, quòd Vicarii Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium, quamvis non poſſint licentiam loquendi in menſa Fratribus dare; poſſunt tamen Fratres ſibi commiſſos à pœna, quæ eis debetur pro fractione ſilentii abſolvere: vel talem pœnam commutare, ſi eis à Magiſtro Ordinis, vel Priore Provinciali fuerit conceſſum: ſicut fuit declaratum Bononiæ 1302. Poſſunt enim Magi-

ſter Ordinis, & Priores Provinciales facultatem diſpenſandi, ſeu relaxandi, vel commutandi pœnitentiam pro fractione ſilentii in menſa taxatam, aliis concedere; auctoritatem autem dandi licentiam loquendi in menſa, non poſſunt aliis delegare.

(g) *Poſt ſignum, quod fit poſt Completorium.*) Declaramus, quòd cùm Ordo noſter refugiat tanquam irreligioſum loqui poſt Completorium, debent Fratres poſt ſignum, quod fit poſt Completorium, tenere ſilentium uſque poſt Primam: quod etiam fuit in Capitulo Pariſiis 1611. ſtrictiſſimè commendatum. Quando autem Fratres cœnant poſt Completorium, ſicut in Dominicis diebus in hyeme, non eſt opus, quòd tale ſignum poſt Completorium pulſetur: ſed poterit differri uſque poſt ſecundam menſam completam; & poſtea tenebuntur Fratres prædictum ſilentium ſervare.

(h) *Fratres in Capitulo de ſilentio ſe accuſent.*) Declaramus, quòd non ſolum Fratres in Capitulo de ſilentio ſe debent accuſare, ſed etiam de aliis culpis, & tranſgreſſionibus quarumcumque Conſtitutionum & Inſtitutionum Ordinis: ſicut habetur in Capitulis de levi & gravi culpa, ac de Capitulo quotidiano, & debent arbitrio Prælati puniri.

(i) *Si quis tamen inter duo Capitula &c.*) Declaramus, quòd ſedentes in terra pro fractione ſilentii, non tenentur abſtinere in pane & aqua: ſed ſolum in terra ſedere, & comedere, quod alii comedunt. Et debent in prandio, & non in cœna hanc pœnitentiam facere: ſicut Magiſter Ordinis & Diffinitores coram toto Capitulo declaraverunt, quando iſta Conſtitutio fuit confirmata, & hoc declaratum fuit Toloſæ 1258. admonit. 15.

Caput XIII.

De Recipiendis.

I.

(*a*) IN quolibet Conventu tres idonei Fratres eligantur de communi conſilio Capituli, qui recipiendos in moribus & ſcientia (*b*) diligenter examinent, & examinationem Priori, & Capitulo referant, eorum judicio an recipi debeant, relinquentes. Qui dum adducti fuerint in Capitulum, proſternant ſe in medio. Interrogati vero à Prælato, quid quærant; reſpondeant: Miſericordiam Dei, & veſtram. Quibus ad juſſum Prælati erectis, exponat eis auſteritates Ordinis, voluntatem eorum requirens. Qui ſi reſpondeant, ſe velle cuncta ſervare, dicat poſt cætera: Dominus qui incepit, ipſe perficiat, & Conventus reſpondeat. Amen. Tunc depoſitis ſecularibus veſtibus, & religioſis induti; in noſtram ſocietatem in Capitulo recipiantur.

(a) *In quolibet Conventu tres idonei Fratres eligantur de communi conſilio Capituli &c.*) Declaramus, quod iſti tres Fratres eligendi, debent eſſe prudentes & diſcreti, ac de conſilio Patrum. In quolibet enim Conventu noſtri Ordinis debent eſſe deputati aliqui Patres à conſiliis, viri prudentia præditi, ſine quibus non liceat Prioribus graviora Conventus negotia tractare: nec poſſunt Priores ad libitum hos Patres inſtituere, vel deſtituere, ut fuit ordinatum Romæ 1569. Vocandi autem ſunt ad conſilium, inprimis Magiſtri in ſuis Provinciis acceptati, & qui fuerunt in aliqua Provincia Provinciales. Item Inquiſitores. Venetiis 1592. & Valliſoleti 1605. Et qui fuerunt Priores: in ipſis tamen Conventibus, in quibus habetur conſilium. Romæ 1553. & 1558. & Valliſoleti 1605. Item qui actualiter ſunt Suppriores; deindè Baccalaurei, ſeu Præſentati, Lectores primi, & Prædicatores Generales. Venetiis 1592. Et qui per decennium integra Quadrageſima munus prædicationis gratioſe exercuerunt, in illis dumtaxat Conventibus, in quibus fuerunt aſſignati. Barcinonæ 1574. & Romæ 1589. Magiſtri etiam Novitiorum, ut ibidem, necnon Pariſiis 1611. confirmatum fuit. Vicarii nationum, vel qui per Magiſtrum Ordinis, vel per Priorem Provincialem, Patres à conſiliis inſtituti fuerunt. Cæſaraugoſtæ 1391. & Papiæ 1423. Cæterùm hic numerus Patrum à conſiliis, in nullo Conventu (excepto Pariſienſi, ob multitudinem graduatorum) duodenarium numerum excedat: & ad quem nullus minor quadraginta annis, his exceptis, qui Patres de jure ſunt, admittatur. Romæ 1553. & 1558. In Capitulo enim Romæ 1589. Prioribus ſub pœna abſolutionis ab officiis, ipſo facto incurrenda mandatum fuit, ne aliquem ultra prædictum numerum ad conſilium vocent, aut admittant. Et ſi ſecus fecerint, totum ſit irritum & inane: & quæ in ipſis conſiliis decreta ab hujuſmodi Patribus fuerint, nullius ſunt roboris, vel momenti.

Quod verò ad locum eorundem Patrum attinet in præſcripto duodenario numero, poſt Priorem, Magiſtri in Provinciis acceptati primo loco computari debent: deindè qui fuerint illius, vel alterius Provinciæ Provinciales etiam non Magiſtri, Inquiſitores, poſtea Supprior: deinde Baccalaurei, deinde Lector primus: & ad extremum ſucceſſive cæteri, prout juris ratio poſtulaverit. Neapoli 1600. Cæteri vero locum ſuæ profeſſionis, etiam inter alios Fratres retineant, ſive ſint Patres, de jure, ſive ex gratia. Salmanticæ 1551. Quæ autem in conſiliis tractabuntur, poſtquam voce publica conſultiva (ſi voluerint aliquid dicere) fuerint diſcuſſa; ſubſequenter per vota ſecreta approbentur. Neapoli 1600. & in libro ad hæc deputato, vel per aliquem ex Patribus, vel per alium Sacerdotem ex aſſignatis in Conventu ad officium Secretarii per vota ſecreta electum, deſcribantur. Qui Secretarius conſilii, ſi non erit ex numero Patrum à conſiliis, non habebit vocem deciſivam, ſed tantummodo conſultivam: & nihilominus ad ſecretum, ſicut & alii tenebitur, ut in eodem Capitulo Neapoli 1600. dicitur. Qui autem ex Patribus ſecreta conſilii in præjudicium juſtitiæ, vel correctionis, vel etiam perſonæ cujuſcumque quomodocumque revelaverit, privatus ſit Paternitate à conſiliis; neque unquam inter Patres à conſiliis cooptari poſſit, niſi à Magiſtro Ordinis, vel Generali Capitulo cum eo diſpenſetur. Barcinonæ 1574. & Romæ 1580.

Po-

Potiſſimè autem hæc in Patrum conſilio pertractanda ſunt: Inſtitutio Supprioris, quando fit à Priore, cap. de elect. Prioris. Ædificia notabilia in Conventibus. Romæ 1589. Abſolutio Supprioris inſtituti, ſive à Priore, ſive à Provinciali. Valentiæ 1596. Inſtitutio & abſolutio Magiſtri Novitiorum quando extra Capitulum Provinciale de hoc diſceptatur. Electio Novitiorum ab Ordine ante profeſſionem. Venetiis 1592. Extractio librorum à communi Bibliotheca. Neapoli 1600. Romæ 1601. & Valliſoleti 1605. Alienatio, ſive commutatio bonorum immobilium, etiam habita licentia Provincialis. Valliſoleti 1605. Electio Depoſitariorum Conventus, ibidem, & Romæ 1608. Licentia itinerandi extra fines ſui Conventus. Romæ 1589. Conceſſio litterarum teſtimonialium de doctrina & moribus, Fratribus mittendis ex Conventu, in quo vixerint, ad Collegia, ſeu ſtudia generalia. Romæ 1589. Deſtinatio Prædicatoris ad inſtituendam ſocietatem ſanctiſſimi Roſarii. Venetiis 1592. Examen, & approbatio Fratrum ad audiendas confeſſiones ſive Fratrum, ſive ſecularium: & inſuper ea omnia, quæ à toto Capitulo Fratrum definienda ſunt, prius in Conſilio Patrum proponenda, tractanda, & per vota ſecreta concludenda erunt. Quæ omnia, ut tantò ampliùs obſerventur, in memoriam revocamus Leonis X. Pontificis Maximi Conſtitutionem Salmant. 1551. à Patribus acceptatam, cujus ea eſt particula: *Nihilominus mandamus vobis, ut illa, quæ per ſuffragia abſque canonica electione circa determinatas perſonas per vos concludenda ſunt collatione prius facta, & auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur dicere; cum ad vota pervenitur, per fabas, vel aliud ſimile, vota nonniſi ſecrete dentur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.*

(b) *Diligenter examinent.*) Declaramus, quòd recenter in Capitulo Bononienſi. 1615. fuit ordinatum, ut recipiendorum ad habitum clericalem, tum ad probationis annum, tùm ad profeſſionem, à deſignatis juxtà Conſtitutiones noſtras Examinatoribus coràm Patrum conſilio examen fiat: neque ſimiliter coràm Patribus prævio examine Fratres Converſi ad profeſſionem recipiantur; & non admittantur, niſi fuerint in fide Chriſtiana, & Officio pro eorum debita ſufficientia inſtructi. In quo Præſidentium, & Examinatorum, ac reliquorum Patrum conſcientias aggravamus.

Debent autem prædicti Examinatores, urbanè, lenitèr, & inprimis de impedimentis in Conſtitutionibus expreſſis inquirere: & omnium, quæ invenerint, fideliter Conventui relationem facere. Summopere autem cavendum eſt, ne recipiantur ignari, aut inepti ad litteras, vel qui habent quædam vitia quaſi inſeparabilia, & naturalia, ſicut eſt innata iracundia, ebrietas, debilitas naturæ ex vitioſa conſuetudine, & diſpoſitio ad furorem, & hujuſmodi, de quorum correctione vix ſpes poteſt haberi.

Item debent inquirere, quo ſpiritu, qua mente & voluntate, id regularis vitæ genus elegerint; quem ſibi finem propoſuerint: num zelo perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari poſſint, vel levitate, vel humano affectu, aut inordinato animi motu ducantur. Clemens VIII. in Conſtitut. Apoſtolica.

Præterea declaramus, quòd fel. recor. Sixtus Papa V. edidit Conſtitutionem de non recipiendis ad Ordinem criminoſis, ære ingenti alieno oppreſſis, ratiociniis obligatis, homicidis, & reliquis facinoroſis: & ſi fuerint tales recepti, receptionem & profeſſionem eorum annullavit. Gregorius etiam XIV. declaravit, aliquam informationem recipi debere ante habitus ſuſceptionem, dummodò ante profeſſionem plena, atque eo modo, quo Sixtus V. diſponebat informatio caperetur: ſimulque declaravit ſufficere, ut Superiores Conventuum, cum tribus aut quatuor de Capitulo per vota ſecreta captas informationes approbent. Tandem fel. recor. Clemens VIII. caſus in quibus profeſſio à Sixto V. nulla declarabatur, reduxit ad terminos juris: ſalvas tamen omnino voluit eſſe pœnas contra Superiores, non ſervantes in reliquis formam prædictarum Conſtitutionum, de criminoſis & aliis ſupra nominatis non recipiendis ad Ordinem, decretas. Item declaramus in Capitulo Romæ 1589. ordinatum fuiſſe, & authoritate Apoſtolica confirmatum; ut nullus ad habitum Clericalem in Ordine noſtro recipiatur, niſi qui calleat linguam latinam, & ſciat diſtinctè & clarè legere, benèque intelligat ac declaret ea quæ legit. Porrò per callere linguam latinam intelligitur, quòd ſit in Grammaticalibus ſufficienter inſtructus: prout Venetiis 1592. eadem Apoſtolica authoritate fuit declaratum. Clemens etiam VIII. ità ſtatuit: *Tantam vero litterarum ſufficientiam calleat recipiendus in Clericum, ut illius addiſcendæ ſpem indubitatam præſeferat; quod minores & ſuo tempore majores Ordines, juxta Decreta Concilii Tridentini ſuſcipere valeat.* Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens, ad habitum regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit; in Converſorum tantum numerum, quibus litterarum ſufficientia neceſſaria non eſt, referatur.

II.

VErumtamen antequam ſtabilitatem & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & ſucceſſoribus ſuis faciant, (c) tempus probationis eis aſſignetur: (d) ut ipſi auſteritates Ordinis, & Fatres mores eorum experiantur. Nullus recipiatur, niſi ſit requiſitus an ſit conjugatus, (e) an ſervus, (f) an ratiociniis obligatus, (g) an alterius profeſſionis, vel occultam habeat infirmitatem.

(c) *Tempus probationis eis aſſignetur.*) Declaramus, quòd tempus probationis eſt unus annus completus, qui non poteſt incipere ante annum quintumdecimum completum. Et ita nullus Clericus poteſt profiteri, niſi completo ſextodecimo anno: juxta Conſtitutionem Concilii Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. Si quis autem infra annum probationis, vel infra ætatem à jure taxatam aliquem ad profeſſionem receperit, aut tali receptioni una cum effectu conſenſerit: ſuſpenſus eſt à receptione cujuſcumque Novitii: donec à Magiſtro Ordinis, vel Diffinitoribus Capituli Generalis, vel Provincialis fuerit reſtitutus. Et præter hæc peccat mortaliter faciens contra præceptum Eccleſiæ, debet puniri pœna gravioris culpæ, ut habetur in cap. *Non ſolum*, & cap. *Conſtitutionum* de Regularib. lib. 6. & in Capitulo Carcaſſonæ 1312. ordin. 7.

(d) *Ut & ipſi auſteritates Ordinis &c.*) Declaramus, quòd cùm auſteritas Ordinis præcipue in continuatione conſiſtat, debet annus probationis integer eſſe, & continua. Et ideo ſi quis ſtetiſſet in Religione noſtra per ſex menſes, & poſtmodum egrederetur; & tranſacto aliquo tempore reverteretur ad Ordinem: non poſſet poſt ſex menſes recipi ad profeſſionem, ſed oporteret, ut annum integrum continuaret: quia non poſſet verè dici, quòd eſſet expertus auſteritates Religionis, quæ pro maxima ſui parte in continuatione conſiſtunt. Nam aliquis poſſet faciliter jejunare, & à carnibus abſtinere, & caſtitatem ſervare per unum, vel duos menſes, qui non poſſet prædicta continuare. Et ideo ad veram probationem auſteritatum requiritur continuatio unius anni integri: quæ juxta deciſionem Romanæ Rotæ interrumpitur etiam per ſpatium unius noctis, vel unius diei; ac proindè talis non poteſt recipi ad profeſſionem Religionis. Nec obſtat textus Conſtitutionis de Novitiis cap. 14. qui aliàs obſervabatur ante Concilium Tridentinum.

(e) *An ſervus.*) Declaramus, quòd ſervus non debet recipi in Religionem, niſi de licentia ſui Domini, vel niſi omnino factus ſit liber: & ſi receptus, fecerit profeſſionem, & Monaſterium fuerit in culpa; puta, quia ſciebat ipſum eſſe ſervum, vel fuit negligens ad hoc inveſtigandum: facta profeſſio tenet, tenebitur tamen Conventus ſatisfacere Domino ſuo.

(f) *An ratiociniis obligatus.*) Declaramus, quòd ſi quis eſt obligatus ad ratiocinia Reipublicæ, non poteſt recipi in Religione, niſi prius de ratiociniis ſe expediat; imò nec qui ad ratiocinia privatorum hominum obligatus eſt; quia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. argumentum, ille qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licitè prætermittere, facultate exiſtente. Et ideò ſi aliquis ſit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat: non poteſt hoc licitè prætermittere, ut Religionem ingrediatur. Præ oculis quoque habenda eſt Conſtitutio Clementis VIII. de receptione Novitiorum, quæ ſic habet: *Quod attinet ad recipiendorum Novitiorum formam, ultrà diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de naturalibus uniuſcujuſque corporis valetudine, moribus, & anteacta vita: & præcipue eorum, qui annum ſextum decimum exceſſerint; an criminoſi, aut ære alieno gravati, vel reddendæ rationi obnoxii ſint: juxta formam Conſtit. Sixti V.* &c. *illud etiam Superiores perquirant, ut nullus admittatur, qui ex honeſtis parentibus natus non ſit* &c. Et infra: *Et ne eorum parentes, ope & ſubſidio ipſorum indigentes deſerant.*

De criminoſis porrò illud habetur in Capit. Romano 1583. Facinoroſi & homicidæ non recipiantur ad habitum, niſi maximam ſuorum errorum pœnitentiam oſtenderint: aut ferventiſſimo ſpiritu ducti, ad Religionem venerint. Idque non ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali.

(g) *An alterius profeſſionis.*) Statuimus, ut nullus in alia Religione Profeſſus, vel ab ea ejectus, ad habitum Religionis noſtræ à quoquam recipiatur. Quod ſi receptus fuerit, præterquam quòd recipientes graviter puniantur, receptio, ſicut & profeſſio, (ſi tamen poſtmodum fuerit ſubſecuta) pro nulla habeatur, & talis ſtatim ad ſeculum remittatur. Valentiæ 1596. Romæ 1601. Valliſoleti 1605.

III.

(*h*) NUllus recipiatur in Fratrem Clericum ad probationem, vel profeſſionem, niſi à Priore Provinciali, vel ab eo, cui ſuper hoc dederit licentiam ſpecialem; vel à Priore Conventuali cum aſſenſu totius, vel majoris partis Capituli. Converſum autem non recipiat Prior Provincialis, nec aliquis de ejus licentia, niſi de conſenſu Prioris, & duarum partium Fratrum, qui ſunt de Conventu, (*i*) quo pro fuerit induendus. Nec Conventus aliquis recipiat Converſum, ſine licentia Prioris Provincialis.

(h) *Nullus recipiatur.*) Declaramus, quòd Supprior, vel Vicarius Prioris in ejus abſentia non poſſunt recipere Fratrem ad Ordinem, niſi ex commiſſione ſpeciali, & expreſſè ſibi facta per Priorem Provincialem, vel Magiſtrum Ordinis. Apud Verdunum 1356. & Inſulis 1393. Itaque in Capitulo Valliſoleti 1605. interdictum eſt omnibus Prioribus, in poſterum ne ſuis Supprioribus, vel Vicariis licentiam committant recipiendi quemquam ad habitum, vel profeſſionem, ſine licentia Provincialis: & qui contra fecerint, in pœnam ab officiis abſolvantur. Mortuo tamen, vel amoto Priore, cùm Supprior vices Prioris in omnibus plenarie gerat ex noſtris Conſtitutionibus, poterit Fratres ad Ordinem, vel ad profeſſionem recipere.

(i) *Pro quo fuerit induendus.*) Declaramus, quòd Novitii ad illos Conventus perpetuo pertinent, pro quibus fuerunt recepti. Lugduni 1348. Nec debent in alienis Conventibus ad profeſſionem recipi, niſi de voluntate illorum Conventuum, pro quibus ſunt recepti ad Ordinem. Maſſiliæ 1300. Declarantes etiam, quòd Priores Provinciales non poſſunt determinare aliquem Fratrem pertinere ad alium Conventum, quàm ad illum, pro quo eſt profeſſus, niſi per ſimplicem aſſignationem in Ordine noſtro conſuetam. Victoriæ 1331.

IV.

(*k*) NUllus Converſus recipiatur infra decem & octo annos, (*l*) nec receptus fiat Clericus, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Nullus Religioſus profeſſus (*m*) cujuſcumque Ordinis Mendicantium, recipiatur ad Ordinem noſtrum, ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis. (*n*) Nec quicumque illegitimè natus, niſi de Prioris Provincialis licentia ſpeciali. Si autem talis illegitimè natus ad Ordinem receptus fuerit, & diſpenſatum fuerit cum eodem, quòd poſſit fieri Prior; non propter hoc Diffinitor fiat Capituli Generalis, aut Provincialis, nec Prædicator Generalis: nec Elector Magiſtri Ordinis, abſque Magiſtri Ordinis licentia ſpeciali.

(k)

(k) *Nullus Converſus recipiatur infra decem & octo annos.*) Declaramus, quòd Fratres Converſi vocantur ad opera corporalia in Conventibus exercenda, ut in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo. Et quamvis juxta Conſtitutionem, decimo octavo ætatis ſuæ anno recipi poſſint; tamen Clemens VIII. decrevit non eſſe recipiendos ante annum vigeſimum, & niſi doctrinæ Chriſtianæ capita præcipua ſciant. Tempore verò probationis elapſo, qui religioſæ perfectionis capaces ſunt, & ad laborem corporalem apti; dummodò ætatis ſuæ annum vigeſimum primum excesſerint professionem emittant. Bononiæ quoque 1615. iſtud pro recipiendis Converſis ordinatum fuit. Ubi eſt conſuetudo recipiendorum Tertiariorum, ſtatuimus, ut nullus ad habitum Converſorum recipiatur, niſi prius per annos duos in habitu Tertiarii Conventui inſervierit: ut ſic ſpiritus, atque vires, quibus præcipue in Fratribus Converſis Ordo noſter opus habet, probentur. Ubi verò conſuetudo non eſt recipiendi Tertiarios, ordinamus, ut recepti ad habitum Converſorum, primò duobus annis integris habitum Converſorum deferant: quo biennio eorum vires, & obſequia videantur, & probentur, an idonei ſint ad labores. Deinde verò poſt biennium, annus tertius in eodem habitu pro probatione illis aſſignetur; ita quod ſi benè, ut par eſt, ſe geſſerint, ad profeſſionem poſt tertium annum recipiantur.

(l) *Nec receptus fiat Clericus, niſi de licentia Magiſtri Ordinis.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales non poſſunt dare licentiam, quod aliquis Converſos transferatur ad ſtatum Clericorum, ſed ſolus Magiſter Ordinis. Nullus etiam Converſum habitu albo in Ordine noſtro, excepto Magiſtro Ordinis, induere poteſt Quod ſi ſecus fecerit, totum ſit irritum & inane: & Prælatus contraveniens, in pœnam ab officio abſolvatur, necnon voce paſſiva privetur. Bononiæ 1564. Barcinonæ 1574. & Romæ 1580. atque idem de Tertiariis obſervetur. Quicumque autem Converſus, Oblatus, vel Tertiarius inventus fuerit ſine Magiſtri Ordinis licentia Clericalem habitum aſſumpſiſſe; ipſo omninò exuatur. Converſus per ſex menſes etiam ſcapulari nigro privetur, & in Conventu pro carcere uno anno detineatur, & ad priſtinum ſtatum redire cogatur. Romæ 1580 & Bononiæ 1615. Si quis autem Converſus ſe ipſum tali habitu induere auſus fuerit, & quod pejus eſt Ordines ſacros fraudulenter ſuſceperit: ultrà Conſtitutiones Apoſtolicas de malè promotis, juxta leges noſtras ſevere puniatur, & ipſo etiam habitu Converſorum exuatur, atque ſolo habitu Tertiarii indutus, toto tempore ſuæ vitæ ab executione dictorum Ordinum ſit ſuſpenſus, perpetuòque inhabilis. Neque ab aliquo ad ſuum habitum reſtituatur, niſi à Capitulo Generali. Neapoli 1600. Romæ etiam 1608. ordinatum fuit, ut Converſi, qui habitum Clericalem, vel jam ſuſceperunt, vel in poſterum cum licentia Magiſtri Ordinis ſuſceperint; nullo pacto ſine licentia Magiſtri Ordinis, ſacris Ordinibus initientur. Quod ſi Magiſter Ordinis cum aliquo diſpenſaverit, non poterit habere vocem in quacumque electione canonica: nec ad eligendum eos, qui ſunt mittendi ad Capitulum Generale, vel Provinciale, ante ſex annos completos, à die receptionis habitus Clericorum computandos: & niſi etiam fuerit Sacerdos, ut infra diſtinct. 2. cap. 2. de electione Prioris clarius explicatur. Et quoad vocem, & quoad locum ubique eſſe debet poſt Fratres Clericos, qui eum in ſtatu Clericorum præceſſerunt. Biſuntii 1303. & Burgis 1369.

Præterea denunciamus Clementem VIII ſtatuiſſe, ut qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum, etiam durante probationis anno tranſire non poſſint Et cum profeſſionem emiſerint, quemadmodum & Clerici in libro deſignato, profeſſionem ſuam ſubſcribant. Qui autem literarum ignari ſunt, ſignum Crucis in eodem libro profeſſioni ſuæ aliena manu deſcriptæ apponant, & teſtes aſſiſtentes ſubſcribant.

(m) *Cujuſcumque Ordinis Mendicantium.*) Declaramus, quòd per Religioſos Mendicantes, intelligit Conſtitutio non ſolum illos Religioſos, qui poſſeſſiones non habent, nec in communi, nec in particulari: ſed etiam illos, qui de jure, vel ex indulto Apoſtolico ſunt Mendicantes. Valentiæ 1337.

Ad Ordinem noſtrum.) Declaramus, quòd quamvis de jure antiquò communiter poterant Fratres quorumcumque Ordinum, ſive Mendicantium, ſive non Mendicantium ad Ordinem noſtrum propter ſui præſtantiam cum licentia Magiſtri Ordinis tranſire: tamen poſtea propter Conſtitutionem Bonifacii IX. Papæ nullus ex alio Ordine Mendicantium poteſt ad Ordinem noſtrum, neque ex noſtro ad alium, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ tranſire. Martinus quoque V. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit, ne ullus Religioſus quorumcumque Ordinum Mendicantium, cujuſcumque ſtatus, conditionis &c. virtute quarumcumque facultatum conceſſarum etiam auctoritate Apoſtolica &c admitti, vel recipi poſſit per quoſcumque Superiores Monaſticos in Monachum cujuſcumque Ordinis Monaſtici, (Carthuſienſi duntaxat excepto,) ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: quam incurrunt ipſo facto receptores, & recepti, à qua abſolvi non poſſunt extra articulum mortis, niſi à Romano Pontifice.

(n) *Nec quicumque illegitimè natus.*) Declaramus, quòd nullatenus illegitimè natus poteſt recipi ad Ordinem ſine licentia Provincialis, vel Magiſtri Ordinis, & ſi fuerit receptus, non poterit eſſe Supprior, nec Vicarius Prioris in aliquo Conventu, etiam Priore illius Conventus mortuo, vel amoto: niſi cum eo fuerit diſpenſatum. Apud Podium 1344. declaratum fuit, quod illegitimè natus non poteſt fieri Prior, nec Supprior, nec Viſitator ſine diſpenſatione. Et ſi diſpenſatum fuerit, quod poſſit eſſe Prior: non poterit tamen propter hoc eſſe Vicarius Provincialis, aut Provinciæ: nec Diffinitor Capituli Generalis, niſi in diſpenſatione de prædictis facta fuerit expreſſa mentio.

Item denunciamus Sixtum V. olim prohibuiſſe, ne illegitimi quicumque ad Religionem recipiantur. Clemens tamen VIII. ejuſdem Sixti Conſtitutionem ad terminos juris reduxit: poſſeque illegitimos recipi indulſit: cum hac tamen clauſula: ut hi, ad quos ſpectat hujuſmodi receptio, præter alia, quæ inquirere debent, diligenter vitam, & mores examinent, & illos recipiant: ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ut merita ſuppleant natalium defectum, & illorum receptio Ordini profutura eſſe videatur. Dummodò tamen in eadem Religione filius, in qua pater profeſſus fuerit, vivente patre non admittatur. Voluit etiam idem Summus Pontifex licere Generali, aut Provinciali, ad quos ſpectat dicta diſpenſatio, juxta privilegia illis conceſſa diſ-

penſare poſſe cum illegitimis, ſuffragantibus meritis ad gradus, honores, & dignitates obtinendas.

V.

PRohibemus autem ne aliquis de cætero (*o*) aliquam mulierem tondeat, vel induat, vel ad profeſſionem recipiat. Pueri intra quartumdecimum annum, aut non recipiantur, aut ſi in aliquibus Conventibus oporteat eos communiter recipere, recipiantur de conſenſu Capituli Conventus, a Priore, & non aliàs. Nec retineri poſſint in aliquo Conventu, (*p*) ubi non eſt Novitiorum ſimilium congregatio cum proprio dormitorio & Magiſtro: ita quòd alibi non recipiantur, niſi ſtatim mittantur ad hujuſmodi Conventus, in quibus profitebuntur: pro Conventibus tamen, in quibus receperunt habitum, & à quibus Conventibus de veſtimentis provideri eis debet.

(o) *Aliquam mulierem tondeat, vel induat.*) Declaramus Salmanticæ 1551. ita ordinatum fuiſſe. Strictiſſimè inhibemus Prælatis, & Conventuum Præſidentibus, ne de cætero aliquam mulierem ad habitum Tertii Ordinis recipiant, quæ ſit minoris ætatis quam annorum quadraginta, & quæ non habeat unde de victu, & veſtitu ſibi ſufficienter valeat providere: quod intelligimus de his, quæ in propriis domibus habitant, & non de his, quæ ſunt in Monaſteriis collegiatis.

(p) *Ubi non eſt Novitiorum ſimilium congregatio.*) Declaramus, quòd hujuſmodi Congregatio debet eſſe ad minus in numero ſenario. Salmanticæ. 1551 & Romæ 1553. & 1558. & Avenione 1561. addita ſunt hæc verba: Quæ ordinatio cùm jam habeat tria, & quatuor Capitula, & admodùm neceſſaria ſit, præcipimus, ut inviolabiliter obſervetur ab omnibus Prælatis. Declaramus etiam, quòd Romæ 1587. Sixtus V. dato vivæ Vocis oraculo fel. record. Cardinali Alexandrino Ordinis noſtri (ex quo fuit aſſumptus) Protectori, decrevit, & perpetuis temporibus obſervandum in univerſo noſtro Prædicatorum Ordine præcepit, ut de cætero Novitii, qui in minoribus Conventibus habitum Religionis aſſumpſerint, ad Conventus majores & religioſos transmittantur, ubi in Dormitorio communi eorum, cum debita clauſura, & ſaltem in numero ſenario educari poſſint ſub diſcreto & religioſo Magiſtro. Quod ſi quis Prælatus in poſterum profeſſionem alicujus Novitii recipere præſumpſerit, qui juxta tenorem hujus Decreti non fuerit inſtructus, ac educatus, vel intra menſem ſcienter Novitium non tranſmiſerit ad Conventum (ut dictum eſt) in quo religioſe, ut ſupra inſtruatur: ipſo facto ſit excommunicatus & gradu atque officio Ordinis indiſpenſabiliter privatus. Ut autem hæc ordinatio debitè obſervetur, eadem Apoſtolica auctoritate in virtute Spiritus Sancti, & ſub ſanctæ obedientiæ formali præcepto Provincialibus, ſeu Vicariis præcepit: ut in ſuis Provinciis, vel Congregationibus intra ſpatium duorum menſium à notitia præſentium, Conventus aliquos religioſos deſignent, ad quos tranſmittantur, qui in minoribus non aptis ad eorum inſtructionem ſunt veſtiti: ubi annum probationis peragant, & ſuo tempore profeſſionem faciant: pro illis tamen Conventibus, pro quibus habitum Ordinis ſuſceperunt; & ſic profeſſi ab illa religioſa, & conſimili ſocietate, & à cura Magiſtri Novitiorum ad minus poſt biennium integrum ab emiſſa profeſſione non amoveantur. Non tamen prohibuit idem Sixtus V. quominus longiori tempore ſub cura Magiſtri Novitiorum remaneant: quemadmodum poſtea Romæ 1608. & Pariſiis 1611. ordinatum fuit iſtis verbis: Ordinamus, ut Novitii in poſterum poſt emiſſam profeſſionem maneant in domo Novitiorum, & ſub cura ſui Magiſtri uſque ad Sacerdotium: nec ante id tempus, vel extra domum Novitiorum, vel à cura ſui Magiſtri ſubduci poſſint. Cæterum Venetiis 1552. eadem Apoſtolica authoritate declaratum fuit, prædictum ſenarium numerum, ut in pluribus requiri: Provinciis autem deſolatis, ſufficere dumtaxat quaternarium. Item declaramus in Capitulo Salmanticenſi 1551. acceptatam fuiſſe Conſtitutionem Leonis X. in qua ſtatutum eſt, ut in juvenum ſuſceptione ad habitum & profeſſionem, ſuffragia per vota ſecreta, ſeu per fabas in Capitulo ab omnibus ferantur: quod idem in Capitulo Valentiæ 1596. ordinatum fuit. Neque etiam in cellis, aut locis privatis, ſed in Capitulo ad habitum & profeſſionem Novitii recipiantur; non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. Romæ 1601. & Valliſoleti 1605. Item, ætas illorum & tempus, in quo vel habitum recipiunt, vel poſtea votum profeſſionis emittunt, adnotetur. Romæ 1589. & infra *Cap. de Profeſſione.*

Caput XIV.

De Novitiis, & eorum inſtructione.

I.

(*a*) PRior Novitiis Magiſtrum diligentem in inſtructione eorum præponat; qui eos de Ordine doceat, excitet in Eccleſia, & ubicumque negligenter ſe habuerint, verbo vel ſigno quantum poterit eos ſtudeat emendare. Neceſſaria prout poteſt debet eis procurare. De apertis negligentiis cum ante eum petierint veniam, pœnitentiam dare: vel eos in ſuo Capitulo proclamare. Humilitatem cordis, & corpóris doceat eos habere, juxta illud: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

(a) *Prior Novitiis Magiſtrum diligentem præponat.*) Declaramus, fel. recor. Clementem VIII. ſtatuiſſe, Novitiorum ſimplicium Magiſtrum non debere vacare officiis, & oneribus, quæ Novitiorum curam poſſint impedire.

Item ſtatuit Magiſtrum debere eſſe Sacerdotem, qui expleverit trigeſimum quintum ætatis ſuæ annum; & decimum ſuæ profeſſionis: doctrinæ & anteactæ vitæ exemplo præſtantem: orationi præterea & mortificationis operibus addictum: prudentia, & charitate præditum, affabilem, gravem, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentem: ab omni cordis, & animi perturbatione, præſertim indignatione, quam

lon-

longiſſimè alienum : & talem denique qui in omnibus bonorum operum exemplum ſe præbeat, & potiùs amari appetat, quam timeri Pro communibus autem, & propriis uniuſcujuſque neceſſitatibus, quæ accidera poſſunt, unus ex Novitiis ætate, & moribus provectior deputetur : qui, Magiſtro permittente, omnia prout opus fuerit agat; cui etiam portæ Novitiatus cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum poterit committi. Porrò authoritate Apoſtolica à Sixto V. in Capitulo Romæ 1589. ſub pœna abſolutionis ab officio ipſo facto incurrenda fuit inhibitum, ne Prior Provincialis ſeu Conventualis poſſit ad nutum inſtituere Magiſtrum Novitiorum, vel jam inſtitutum ab officio amovere : niſi ex conſenſu Diffinitorum, ſi de hoc tractatur in Provinciali Capitulo; vel ex conſenſu majoris partis Patrum à conſiliis illius Conventus, in quo Magiſter Novitiorum eſt inſtituendus vel amovendus, quando de tali re tractatur extra Capitulum. Ne autem Patres à tam neceſſaria cura juvenum refugiant, Romæ 1608. ord. 13. fuit ordinatum : ut recuſantes officium Magiſtri Novitiorum ſibi à Provincialibus vel à Capitulo Provinciali, vel Prioribus de conſilio Patrum impoſitum; non poſſint eligi per unum annum in Priores. Magiſtris in Theologia, Patribus Provinciæ, & Lectoribus actu legentibus dumtaxat exceptis.

Ut autem iſtud officium tanto libentiùs ſuſcipiant, in eodem Capitulo ordinatum, & Pariſiis 1611. confirmatum fuit : ut Magiſtri Novitiorum ſimplicium ſint Patres à conſiliis, & ab onere hebdomadariæ exempti.

I I.

(*b*) FRequenter, pore & diſcretè, (*c*) doceat eos confiteri, (*d*) ſine proprio vivere, propriam voluntatem deſerere, pro ſui voluntate, Prælati (*e*) obedientiam in omnibus voluntariam obſervare : quomodo ubicumque & in omnibus ſe habere debeant, ipſos debet inſtruere; & quod locum ubi poſiti fuerint, ubique teneant. Quomodo ſibi danti aliquid vel auferenti, malè, vel benè dicenti inclinare debeant : quomodo ſe ad cameras contineant, ut oculos ſublimes non habeant; quomodo & quid orent, & quàm ſilenter, ut aliis rugitum non faciant. Quomodo in Capitulo venia, vel ubicumque reprehenſi fuerint à Prælato, ſit facienda : & quod ſi quis Fratrem ſuum aliquo modo ſcandalizaverit; tamdiu ante pedes ejus proſtratus jaceat, quouſque pla catus erigat eum.

I I I.

INſtruendi ſunt etiam Novitii, ut cum nemine contendere præſumant, & in omnibus Magiſtro ſuo obediant. In Proceſſione ſocium ſibi collateralem attendant, nec loquantur locis & temporibus interdictis : neminem penitùs judicent; ſed ſi aliqua ab ullo fieri videant, licèt mala videantur, bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta : ſæpè enim humanom fallitur judicium : & quod non loquantur de abſente, niſi quæ bona ſunt. Diſciplinas frequenter ſuſcipiant : cum duabus manibus bibant, & ſedendo : diligenter libros, & veſtes, & res alias Monaſterii cuſtodiant. Et quod ſi quid petitum fuerit ab uno Priore, non petatur ab alio, niſi causâ expoſitâ : ſed nec ſi à majore petierint, vadant ad minorem.

(b) *Frequenter, purè, & diſcretè doceat eos confiteri.*) Declaramus, quòd Magiſter Novitiorum debet eſſe vir prudens, diſcretus, zelator Religionis, & cæremoniarum valdè peritus : qui Novitios de his inſtruat, quæ profeſſi facere tenentur; præter ea, quæ hic in Conſtitutione expreſſe habentur, & doceat eos ſervare illa, quæ ſunt ſubſtantialia Religionis : ut paupertatem, caſtitatem, & obedientiam : & quod habitum Religionis, dum in publico apparent, ubique deferant Similiter debet eos docere de jejuniis certis temporibus ſervandis, de abſtinentia ab eſu carnium : de lineis non portandis ad carnem, de culcitris non tenendis; de dormiendo cum tunicella, cingulo, & caligis, de ſilentio certis locis & temporibus ſervando. Qualiter in Oratorio ſe debent habere maturè : & præſertim juxtà Altare reverenter, juxta Reliquias timorate, in menſa & in Capitulo compoſite. In comeſtione religioſe : & quod ſuper eſcam ſe non effundant, munde comedant, ne abominationem aliis faciant, & quod non ſint verboſi, ſed linguam reſtringant; oculos ſublimes non habeant, neque circumvolvant. In dormitorio quiete ſe habeant, & nec otioſè diſcurrant : & ubicumque fuerint, non otioſa, ſed utilia dicant. Debet etiam eos docere de cæremoniis, maximè circa miniſterium Altaris : videlicet de inclinationibus & proſtrationibus faciendis, & de aliis ad Religionem pertinentibus : ut ſimul mores diſcant & ſcientiam. Et quia ex ſancta ac probata Novitiorum educatione, magni fructus in Religione proveniunt, & regularis diſciplina mirificè propagatur : multa in Capitulis Generalibus circa eorum eruditionem ordinata ſunt, videlicet :inſtruendi ſunt in cantu, & in Divino Officio, & quod niſi prius ſciant Divinum Officium recitare, ad profeſſionem non recipiantur. Carcaſſonæ 1312. Item ut in loco ab aliis ſeparato educentur. Venetiis 1592. Et præter Magiſtrum, & Pædagogum, nemo nec etiam ipſi Lectores habeant clavem domus Novitiorum, quocumque uſu, vel potius corruptela in contrarium non obſtante. Romæ 1608. Et Lectores Novitiorum, nullo pacto eorum negotiis, aut gubernationibus ſe immiſceant, aut ipſos contra ſuos Magiſtros defendant, aut pœnitentias illis impoſitas impedire conentur : neque ullo prætextu, nec alia quacumque cauſa, vel occaſione etiam repetendi lectiones, aut dubia explicandi, domos Novitiorum ingrediantur : nec cum eis extra ſcholam, etiam de rebus ad ſtudium pertinentibus, ſine licentia Magiſtri Novitiorum loquantur. Qui autem contra fecerint, & officio Lectoratus, & voce activa paſſivaque priventur. Vallisſoleti 1605. In anno autem probationis, Novitii in ſtudiis Artium (præterquam linguarum) non occupentur, ſed tantùm in ſpirituali profectu, in humilitate ſpiritus & mortificatione carnis : & in ſumma in his, quæ ad ſummam perfectionis (præſertim ex lectione vitarum Sanctorum noſtri Ordinis, & opuſculis ſpiritualibus,

que-

quales ſunt Divi Bernardi, S. Vincentii Ferrerii, Magiſtri Humberti ſuper Regulam, & Ludovici Granaten.) pertinere cognoverint, inſtruantur. Poſt emiſſam autem profeſſionem, ad litterarum ſtudia poterunt admitti Romæ 1608 & Pariſiis 1611. Item Romæ 1601. ordinatum, & Valliſoleti 1695, confirmatum, atque utrobique præceptum fuit: ut Prælati omnem adhibeant curam, ſub pœna abſolutionis ab officio, ne ulla de cauſa Novitios, aut Profeſſos, per domum Novitiorum, vel per Monaſterium vagari permittant, præterquam in evidenti urgentique neceſſitate.

Item Novitii uſque ad Sacerdotium indiſpenſabiliter ſint ſub cura Magiſtri Novitiorum: ſub pœna abſolutionis ab officiis, Prælatis quibuſcumque in contrarium agentibus, vel permittentibus. Barcinonæ 1574. Quod Romæ 1608. declaratum fuit, id eſſe obſervandum in univerſo Ordine noſtro, nulla excepta Provincia: ita tamen, ut Novitii qui annum probationis nondum expleverunt, in Novitiorum domo, ſeu loco à ſocietate & conſuetudine Profeſſorum ſeparato, detineantur. Ad Eccleſiam, Oratorium, Chorum, & Refectorium, & alia publica loca, cùm opus fuerit, tum puri Novitii, tum Profeſſi ſimul incedant, & conveniant. Porrò Novitiis ad remotiores Conventus mittendis, aliquis Pater bonæ atque integræ famæ, comes itineris adjungatur. Barcinonæ 1574. Nullus autem purus Novitius ante Profeſſionem à Provinciali, vel Priore Conventuali, vel Magiſtro Novitiorum ſine conſilio Patrum, cauſâ mature diſcuſſâ, habitu Ordinis exuatur. Romæ 1589. & Venetiis 1592.

(e) *Doceat eos confiteri.*) Declaramus, quòd Fratres noſtri non poſſunt ſua peccata, ulli Sacerdoti etiam Fratri Ordinis noſtri, abſque ſuorum Prælatorum licentia confiteri: ut ſupra in Prologo, præſertim ex Apoſtolica Conſtitutione Clementis VIII. dictum eſt. Quilibet tamen Prior in ſuo Conventu, cum habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poteſt quemcumque Fratrem Ordinis noſtri, etiam hoſpitem ad ſuum Conventum venientem, à quocumque peccato, & ab omni ſententia juris, & judicis generaliter, & non in particulari prolata abſolvere: niſi fortè talis eſſet exceſſus, ut meritò Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda. Poteſt etiam Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Fratribus ad ſuum Conventum venientibus miniſtrare; ſicut dictum eſt in Prologo; atque declaratum Perpiniani 1327. Toloſæ 1328. & Valencenis 1337. Poteſt autem prædicta omnia Prior facere per privilegium, quod dicitur *Mare magnum.* Nec poteſt quoad hoc Priorum authoritas à Priore Provinciali diminui, atque arctari: quia quod à Superiore conceditur, rèvocari ab inferiore non poteſt. Præterea Prior Fratri ſuo ſubdito concedere poteſt, ut confiteatur Priori, vel Fratri alterius Conventus (aliàs legitimè ad Confeſſiones audiendas expoſito) ſed non Sacerdoti alterius Religionis. Toloſæ 1328. Cùm vero Magiſter Ordinis curam animarum omnium Fratrum noſtri Ordinis plenè, & liberè habeat, ipſoſque Fratres authoritate propria ligare, & abſolvere poteſt, ut patet per Privilegia; omnes Fratres Ordinis ab omnibus exceſſibus, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis poteſt abſolvere: niſi eſſent hæretici relapſi, vel ſchiſmatici, aut litteras Apoſtolicas falſificantes, vel ad infideles prohibita attuliſſent. Poteſt etiam ex legitima cauſa Fratribus licentiam dare, ut confiteantur Sacerdoti ſeculari, vel Regulari (aliàs legitimè expoſito) alterius Ordinis, quando copiam Confeſſoris Ordinis noſtri habere non poſſunt. Ex privilegio autem Innocentii VI. quod in compendio Privilegiorum noſtrorum continetur, poteſt Frater in itinere poſitus, aut quomodolibet ex Prælati obedientia extra Conventum miſſus, ſua peccata ſeculari Sacerdoti, vel etiam Confeſſori alterius Ordinis confiteri. Quod idem uſus ipſe confirmat, & conceſſum inſuper eſt à Leone X. *Ut in Compendio Privilegiorum Mendicantium* impreſſo Neapoli 1595. declaratur. Quæ ſanè conceſſio facta eſt ſpecialiter Fratribus Ordinis noſtri: hac tamen conditione, ut talis confeſſio ſine fraude fiat, & Prælato ſignificetur.

Item declaramus Salmanticæ 1551. ſic haberi: Denunciamus omnibus Fratribus, renunciaſſe non privilegiis omnibus, præſertim Ordinis Minimorum, quoad illud, quod ſpectat ad Fratrum confeſſiones audiendas. Romæ quoque 1601. Conſtitutio Clementis VIII. in materia de Confeſſionibus acceptata fuit, cujus eſt diſpoſitio illis verbis concepta: Conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſolvendi à caſibus reſervatis, cum Fratribus, & Sororibus Ordinis prædicti (ſcilicet Carmelitarum) ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cujuſvis Inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Provinciæ Hiſpaniæ, quam extra eam ubilibet, locum minimè habere, neque cenſeri: ſed noſtræ intentionis exiſtere; quod iidem Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo declaramus Declaramus præterea, quòd & Novitii, & alii Fratres debent frequenter confiteri: ac præcipuè non Sacerdotes, ſaltem ſemel in Hebdomada, etiam ſi ſacramentalis Communio de quindena in quindenam debeat ab eis fieri, ut ſupra dictum eſt. Sacerdotes verò tenentur confiteri, quando celebrare debent, & qui in hoc fuerint negligentes à Superioribus acriter puniantur. Bononiæ 1252. & 1416. Cæterum propter reverentiam pœnitentiæ Sacramenti, Fratres dum ſua confitentur peccata, debent ante Confeſſorem genua flectere. Avenione 1561. & Romæ 1569. ubi ordinatum fuit, ut Sacerdotes celebraturi antequam ſacras veſtes induant, confiteantur.

(d) *Sine proprio vivere.*) Declaramus, quòd tam Novitii, quam alii Fratres debent ſine proprio vivere, ſicut mandatur in Regula, ubi dicitur: *Nec dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia* Proprium autem dicitur quidquid celatur Prælato ſuo, vel tenetur contra ejus voluntatem: & ideo Religioſus aliquod recipiens mobile, vel immobile, ſine conſenſu ſui Superioris, aut illud quod ex licentia Prælati recepit, ſi non eſt paratus totum ponere in manibus ejus ad placitum, & requiſitionem ipſius Prælati; aut aliquid abſcondit ne videatur, aut accipiatur à Prælato, proprietarius eſt, & peccat mortaliter, niſi tanta ſit parvitas materiæ, ut merito à mortali valeat excuſari. Et propterea in diverſis Capitulis fuit ſub præceptis, cenſuris, & pœnis prohibitum omnibus & ſingulis Fratribus, ne aliqua bona temporalia, niſi ad uſum tantum, & de licentia ſuorum Prælatorum teneant: nec ea vendere, donare, pignorare, commutare, vel quovis modo alienare; aut pecunias, vel alia bona apud

mer-

mercatores, aut campſores, ſeu apud quamcumque perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam tenere, ſeu mutare, ſine licentia Superiorum: aut quod gravius eſt, negotiationes, ſeu mercaturas, aut artem Alchimiæ exercere præſumant. Fuit etiam demandatum, ut Fratres ſemel quotannis teneantur omnia bona ipſis ad uſum conceſſa, ad pedes ſui Prælati re ipſa exponere, vel ſaltem omnia integraliter & fideliter, nihil occultando in ſcripta redigere, & ſuis Præſidentibus, quaſi ſeipſos omnium rerum proprietatem abdicantes, præſentare. Papiæ 1423. & in omnibus aliis ſequentibus uſque ad Capitulum Romæ celebratum 1508. incluſive: & iterum Romæ 1518. Et tandem propter Concilium Tridentinum in Capitulo Bononien. 1564. in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, omnibus Conventuum Præſidentibus fuit præceptum: ut infra unum menſem privatas omnium (nullo excepto) cellas viſitarent; & ſi quid ſtatui paupertatis minus conveniens inveniſſent, auferrent atque communi utilitati applicarent: omnes verò Fratres quotannis ſua omnia Prælatis fideliter exponerent.

Item declaramus, quòd Religioſus de rebus ſibi conceſſis per Prælatum, ita habet uſum, quod non habeat uſumfructum: ac ideo Religioſus, cum non debeat eſſe proprietarius, nec alicujus rei habeat dominium: nihil donare, neque etiam eleemoſynam facere poteſt ex rebus ad uſum ei conceſſis, vel per induſtriam à ſe acquiſitis, vel quacumque ratione ei datis: quia omnia prædicta ſunt Monaſterii quantum ad dominium. Et ideò Prælati tenentur laborare quantum eis poſſibile eſt, ut Fratres in ſuo Conventu in communi vivant, & proprietarii non ſint: & ſubditi non debent in hoc ſuis Prælatis reſiſtere. Si verò reſiſtentiam faciant, quia de ſuis rebus ſecundum libitum propriæ voluntatis volunt diſponere, videntur eſſe in malo ſtatu.

(e) *Obedientiam in omnibus voluntariam &c.*) Declaramus, transgreſſionem obedientiæ peccatum eſſe mortale: ut habetur 1. Reg. c. 15. ubi dicitur: *Quaſi ſcelus idololatriæ eſt nolle obedire.* Sed non omnis transgreſſio ordinationis in Regula, vel in Conſtitutione poſitæ, vel à Prælato factæ eſt proprie inobedientia. Nec eſt aliqua Religio, in qua quis voveat ſe ſervaturum omnia poſita & ordinata in Regula, vel in Conſtitutionibus, ſed aliqua ex ipſis, plus vel minus ſecundum formam profeſſionis, in qua fit votum ſolemne. Quatuor autem modis agit quis contra votum obedientiæ, ac proindè peccat mortaliter tranſgrediendo ordinationes Regulæ, vel Prælatorum. Primo per contemptum: quia quantumcumque illud, quod eſt ordinatum à Regula, vel à Conſtitutione: vel à Prælato, de ſe ſit parvum; ſi per contemptum transgrediatur, committit peccatum mortale, ſicut in Prologo dictum eſt. Secundo agit quis contra votum obedientiæ, ac proindè mortaliter peccat, quando facit contra præceptum ſui Prælati: factum ſub præſcripta in Prologo verborum forma, de his, quæ ad Regulam pertinent, vel ad Conſtitutiones; dummodo intendat Prælatus præceptum facere, & ſubditum obligare. Ut cum dicit: Præcipio tibi in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ: vel, Præcipio ſub pœna excommunicationis. Tertio modo agit quis contra votum obedientiæ, ac præcepta contenta in Regula, vel in Conſtitutionibus, ubi eſt aliquid ſub præcepto mandatum in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis. Quarto modo Religioſus agit contra votum obedientiæ, quando transgreditur eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis, ex quibus Religio integratur: ſicut eſt paupertas voluntaria, obſervantia caſtitatis, forma & color habitus, quem quilibet Religioſus tenetur patenter deferre quando procedit in publicum. Et ideò Religioſus proprietarius, aut incontinenter vivens, aut habitum ſuæ Religionis cum procedit in publicum non deferens, vel abſque legitima cauſa occultans, agit contra votum obedientiæ, & mortaliter peccat. Transgreſſiones verò aliarum ordinationum, vel admonitionum, quæ ponuntur in Regula, vel in Conſtitutionibus, vel quæ à Prælato ſiunt: ſive ſtatuta illa, & ordinationes ponantur affirmativè, ſive ſimpliciter, & negativè; non obligant de ſe ad peccatum, cum ſint tantummodò puræ Conſtitutiones, nec alias Divina, vel humana lege prohibita; ad pœnàm ſolùm, & non ad culpam obligant tranſgreſſores. Niſi fortè ſit cum eis præceptum conjunctum, vel fiat tranſgreſſio ex contemptu, ſicut ſupra dictum eſt: nam ex his duobus capitibus, transgreſſio erit peccatum mortale, & ſi ex negligentia, fiet veniale.

IV.

ITem confeſſiones Novitiorum ante profeſſionem recipiantur, & diligenter de modo confeſſionis, & de aliis inſtruantur. Item Novitii ante profeſſionem, de debitis ſe expediant, & (*f*) omnia ad pedes Prioris ponant, ut ſe ex toto abſoluant. Similiter omnes Fratres ſingulis annis ſemel (*g*) omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant, pariter & exhibeant, (*h*) eorum diſpoſitioni relinquendo.

(f) *Omnia ad pedes Prioris ponant, ut ſe ex toto abſolvant.*) Declaramus, quòd nullus Religioſus profeſſus debet in particulari aliquid proprium poſſidere, ſed omnia in communi ponere, ut in Regula dicitur. Quamobrem Urbanus Pontifex Can. 12. qu. 1. cap. *Scimus*, ſic dicit: *Quicumque veſtrum vitam communem ſuſceptam habet, & vovit ſe nihil proprium habere: videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed fideliter cuſtodiat; ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat.* Et extrav. *de ſtatu Monach.* cap. *Cum ad Monaſterium*, dicitur: *Prohibemus diſtricte in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione Divini judicii: ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat.* Et cap. *Monachi* eodem Titulo, dicitur: *Præcipimus univerſis Religioſis, ne peculium, ſeu proprium habeant.* Et dicitur proprium, quaſi à communicato ſeparatum: & importat dominium rei juſtis modis acquiſitum. Quare Prælatus cum Religioſo diſpenſare non poteſt, ut proprium habeat: ſcilicet: ut habeat aliquid ſimpliciter in ſuo dominio, ac de eo facere poſſit propria authoritate, quidquid velit ſine ſcitu, & voluntate Superioris, quod ſi Prælatus permittat, vel quod pejus eſt, conſentiat ut Frater aliquid proprium habeat, & quæ habuerit, ad placitum diſtrahat, diſſipet, atque etiam in Monaſterii detrimentum perdat: non excuſatur à gravi peccato, cum ovem ſuam morti exponat. Si verò Religioſus, ea quæ ſunt ipſi ad uſum conceſſa,

ſine voluntate, & conſenſu ſui Prioris, quaſi dominus rerum donat, vel vendit, mortaliter peccat, niſi fortè in ratihabitatione ſui Prælati ſpem poneret. Quapropter ne Fratres diſſipent res ſibi ad uſum conceſſas, Mediolani 1270. ſic decernitur: Volumus, & diſtrictè injungimus, ut quilibet Prior Conventualis, ſingulis annis, & ſpecialiter initio ſui regiminis, à quolibet Fratre diligenter inquirat, quid habeat, quid debeat, quid etiam ſibi debeatur: atque hæc omnino redigantur in ſcripta. Deindè cum de rebus Fratris ſcrutinium fecerint, ſi quid auctum, vel diminutum fuerit, inquirant, & faciant; ut Fratres, qui pecuniam ad aliquos uſus habent, illam expendant, & longo tempore non reſervent. Quam ſi Fratres infra tempus eis aſſignatum non expenderint, Prælati ab ipſis eam auferant, & dent Conventui. Et Pariſiis 1276. ſtatuitur: Ordinamus, & diſtricte injungimus, ut nullus Frater pecuniam recipiat ſine ſui Prælati ſpeciali licentia: & ſi caſu aliquo contingente ſine licentia pecuniam receperit, teneatur ſtatim ſuo Prælato eam repræſentare. Quod ſi facere neglexerit, ex vi præſentis Ordinationis, ipſa pecunia ſit privatus, & ad Conventum de quo fuerit devolvatur: nec talis pecunia poſſit ei reſtitui à Priore, vel à quocumque Vicario. Volentes, quòd Conſtitutionem de rebus Fratrum ſuis Prioribus quotannis exponendis, & de ratione reddenda pecuniarum, atque aliarum rerum, quæ diſpenſantur per Fratres, teneantur Priores, & Vicarii obſervare diligenter, atque ut obſerventur à Fratribus pariter efficere: & qui facere neglexerint, gravius puniantur. Et in Capitulo Romano 1601. ſic habetur: Confirmamus, quòd in duobus præcedentibus Capitulis Romæ & Valentiæ, aliiſque ſæpius ſanctè ſtatutum fuit: ut qui pecunias undecumque habuerint, teneantur eas ſub pœnis proprietariis debitis, infra terminum viginti quatuor horarum ſuo Prælato præſentare, atque ex ejus licentia in communi depoſito ponere. Quod quidem in modica pecuniarum quantitate, ad breve tempus, & ad certum uſum, attenta tamen perſonarum, & occaſionum qualitate, permitti poterit, Prælatique gravius puniantur, ſi permiſerint pecunias à Fratribus aliter expendi, quàm eorum religioſa neceſſitas, vel commoditas poſtulaverit. Si quis autem Frater (quod Deus avertat) in proprietatis crimine mortuus eſſe repertus fuerit, talis beneficio Eccleſiaſticæ ſepulturæ omnino privetur, atque in ſterquilinio ſepeliatur: juxta quod in quendam Monachum ſe feciſſe narrat Beatus Gregorius Magnus in lib. Dialogorum, & ut habetur *de ſtatu Monach.* cap. *Monachi* &c. & cap. *Cum ad Monaſterium.*

Item ordinamus, & diſtrictè injungimus, ne Fratres pecuniam teneant, nec habeant in depoſito, niſi ad certos uſus ex ſuorum Prælatorum licentia deputatam: quam in alios uſus eis non liceat commutare, eamque infra breve tempus, ipſis à ſuis Prioribus, vel eorum Vicariis aſſignandum, in prædictos uſus expendere teneantur. Alioquin ex vi præſentis ordinationis, ipſa pecunia in omnibus commemoratis caſibus ſint privati, & ad eorum Conventum ſine recuperandi ſpe, devolvatur. Volentes ut Priores, & eorum Vicarii exequi prædicta ſtudeant diligenter, & ſi negligentes fuerint acrius puniantur. Priores etiam, & quicumque Vicarii ad eandem ordinationem ſervandam de pecuniis eis datis ſimiliter obligentur. Quæ ordinatio, ut à Prioribus, & Vicariis diligentiſſimè obſervetur, Priores Provinciales diligenter curent. Mediolani 1278. Et Carcaſſonæ 1312. etiam iſtud additur. Cùm in quocumque Ordine proprietatis vitium execrabile ſit, ac ſummo ſtudio evitandum; ordinamus, ut quicumque Fratres pecuniam aliquam, vel quæcumque jocalia in auro, & argento, ſeu lapidibus pretioſis, vel quaſcumque res alias habentes extra cuſtodiam Ordinis apud quamcumque perſonam depoſita, teneantur infra unum menſem à notitia præſentis ordinationis, illa ad Ordinem reducere, quod ſi hoc facere neglexerint, ex nunc eos privamus prædictus rebus omnibus, atque Conventibus, ad quos dicti Fratres pertinent applicamus. Sub eadem etiam pœna prohibemus, ne aliquis in futurum quæcumque talia, niſi in communi Fratrum depoſito, atque ex ſuorum Prælatorum ſpeciali, & expreſſa licentia teneat. Fratres etiam, requirentibus Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus, juxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, omnium receptarum, atque expenſarum rerum, ac diſpenſationum, & executionis teſtamentorum, rationem reddere teneantur. Quaſcumque autem gratias, ſeu exceptiones, quibuſcumque à quocumque quoad hoc datas, præſenti ordinatione penitus revocamus. Lugduni 1318. cum hac additione: Et nihilominus volumus, quòd Fratres qui de hoc convicti fuerint, tanquam proprietarii puniantur: in quam pœnam ſimiliter volumus incurrere omnes, qui hujuſmodi depoſita apud ſeculares habuerint in futurum. Idem ſtatutum eſt Toloſæ 1372. Narbonæ 1394. Papiæ 1423. & Bononiæ 1262. ubi additum eſt pro diuturniore pecuniarum in depoſito conſervatione: Ordinamus, ut nulli Fratri licentia concedatur de conſervanda pro ſe pecunia, niſi pro libris, ſeu ſcriptis: neque ſic recepta, & depoſitata poſſit in alios uſus expendi. Item in Capitulo apud Montem Peſulanum 1265. ſtatutum eſt: volumus, & ordinamus, ut Fratres, qui ex Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis licentia pecuniam receperint, teneantur ſuis Prioribus quantum, & à quibus perſonis receperint, quantocyus exponere. Item in Capitulo apud Peſtum 1273. habetur: Volumus, & mandamus, ut nullus Frater habeat veſtes Eccleſiaſticas, vel ornamenta, ſeu paramenta aliqua: nec cruces aureas, vel argenteas, vel cum lapidibus pretioſis: nec annulos, vel lapides pretioſos præter Magiſterii Inſignia. Qui autem habuerint, teneantur infra tres menſes de prædictis ſe expedire: quod ſi non fecerint, eos prædictis rebus privamus, & ſuis Conventibus eas applicamus. Item in Capitulo apud Toloſam 1258. volumus, & ordinamus, ut Fratres non emant ſibi pannum pro veſtibus, ſed per manus veſtiarii omnibus ematur: ſive dentur veſtes de communi proviſione, ſive etiam de Prælati licentia dentur alicui pecuniæ, pro veſtibus ſpecialiter.

(g) *Omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant.*) Declaramus, quòd Fratres, qui habent adminiſtrationem bonorum Conventuum, ut Procuratores, Librarii, Veſtiarii, & Sacriſtæ, debent prædicta cum utilitate, & non cum detrimento Conventus adminiſtrare, & res ſibi commiſſas, ſolerter, & diligenter ſervare, & neceſſaria unicuique ſecundùm quod facultas permiſerit diſcretè diſtribuere, & miniſtrare, & fideliter ad bonum commune omnia ſibi commiſſa tractare. Nec debent pro hujuſmodi Officiis mercedem quærere, cùm omnia ſua opera, etiam voluntates ſint in poteſtate Prælatorum: nec poſſint prædicta vendere, donare, aut quovis modo diſtrahere. Et ſi quis Religio-

ſus

ſtis habeat ad ſuperfluitatem aliquas res, ex conſenſu & licentia ſui Prælati, & ſit ſemper paratus totum quod habet reſignare in manibus ejus, quamvis talis non poſſit dici proprietarius, eſt tamen peccatum: tum in diſpenſante, tum etiam in diſpenſato. In diſpenſante quidem peccatum eſt infidelitatis, quia abutitur poteſtate ſibi tradita, quæ cùm ſit ei data in ædificationem, ipſe ea utitur in deſtructionem. In recipiente autem, hujuſmodi diſpenſatio, peccatum eſt ſuperfluitatis: quia illa retinet ad redundantiam, & contra ſtatum paupertatis, & ſine rationabili cauſa. Item Bononiæ ſtatutum fuit 1252. Cùm ſecundùm Conſtitutiones Fratres non debeant eſſe diſpenſatores alienarum pecuniarum, nec executores teſtamentorum: caveant ne hoc faciant ſine licentia ſuorum Superiorum, nec ullo modo hujuſmodi executiones ſupra ſe recipiant, & de prædictis rationem ſuis Prælatis reddant. Item Budæ 1254. ordinatum fuit: ut quicumque Frater, ſive Prior, ſive alius pecuniam in aliquo caſu diſpenſaverit, ſive illa pecunia ſit Ordinis, ſive extraneorum, teneatur reddere rationem. In Capitulo etiam Pariſienſi 1279. decretum eſt, ut nullus Frater pecuniam mutuò det vel accipiat, ſine ſui Prioris licentia ſpeciali. Priores autem ſeu eorum Vicarii non ſint faciles ad hujuſmodi licentias concedendas, niſi illas petentes prius ſignificent, & declarent eis, quomodo habere poterunt unde ſolvant. Ordinatum etiam Valentiæ 1596. & Romæ 1601. ac poſtea Valliſoleti 1605. confirmatum fuit, quod ſi aliqui Fratres reperti fuerint, qui alicui extra Ordinem ſummam pecuniarum per notabile tempus debeant, vel de quibus debitores conquerantur: activa paſſivaque voce per Superiores privari debebunt, & nihilominus carceri mancipari judicio Prælatorum, habita ratione debitorum. In Capitulo etiam apud Inſulas 1293. ſtatutum fuit, ut ille qui debitum contraxiſſet, teneretur in pane & aqua ſingulis diebus quouſque ſatisfaceret creditori jejunare. Item Cæſaraugust. 1391. iſtud fuit ordinatum. Volumus, & ordinamus, quòd Priores, vel Vicarii, ſeu ſocii Priorum ad Capitulum Generale, ſeu Provinciale, quamvis tamquam Procuratores negotia ſuorum Conventuum, gerere videantur; non poſſint, nec liceat eis ex rebus Conventus facere donationes, vel alienationes: ſive in Ordine, ſive extra Ordinem, ſive conſenſu majoris partis Conventus. In Capitulo etiam apud Inſulas 1293. fuit decretum: nè aliquis procurare præſumat, ut alius Frater poſt mortem ſibi in libris, vel aliis rebus ſuccedat: nec hujuſmodi gratiæ à Prælatis Ordinis ullo modo Fratribus concedantur.

(h) *Eorum diſpoſitioni relinquendo.*) Declaramus, quòd ſicut in Concil. Trident. decretum eſt, nemini Regularium tam virorum, quam mulierum licet bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere: etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum, ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertinent. Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt conveniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit: atque etiam juxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur. Quapropter in Capitulo Romano 1589. admonentur Fratres Ordinis noſtri, qualiter Gener. Capitulum celebratum Bononiæ 1564. innixum Decretis Sacri Concilii Tridentini, incorporavit atque applicavit, ſive potius incorporata declaravit bona immobilia omnia, & quoſcumque annuos redditus, vel proventus quorumcumque Fratrum, & undequaque illis advenientes illis Conventibus Ordinis noſtri, quibus debentur ſecundum jura, ac noſtras Conſtitutiones. Quod ſi in hoc negotio dubium acciderit, cuinam Conventui debeant applicari, Magiſter Generalis, vel Superior Prælatus illius Provinciæ, aut Congregationis, quid in hac re faciendum ſit de maturo conſilio diſcretorum decernat, quàm citius. Et inſuper idem Gen. Cap. Romanum præcipit, hujuſmodi bona, atque annuos redditus debere à Conventuum Procuratoribus, ſeu Syndicis, & non à Fratribus particularibus exigi: Prælati autem pro cujuſcumque indigentia ac neceſſitate in ipſorum Fratrum Religioſos uſus in toto, vel in parte eoſdem redditus poterunt convertere. Similiter in eodem Capitulo Romano fuit ſtrictiſſimè præceptum, ut qui apud ſe habent, vel apud quoſcumque quomodolibet retinent, vel quempiam habere, aut retinere ſciunt livellaria inſtrumenta, ſeu contractus, aut pecuniarum (ut fertur) inveſtituras, ſive nomine proprio, aut in propria perſona, ſive nomine alicujus Conventus quovis modo factas: infra ſpatium viginti quatuor horarum revelare teneantur, ſive reſpective conſignare, & effectualiter tradere Priori, vel Præſidenti Conventus. Ipſi verò Priores, vel Præſidentes, teneantur hujuſmodi ſcripturas eis traditas in Archivio Conventus fideliter collocare. Quamobrem in Capitulo Bononienſi 1564. omnes generales licentiæ ſuſcipiendi, aut expediendi pecunias, ſive quæcumque alia abſque proprii Prioris requiſito conſenſu: vel retinendi, aut conſervandi pecunias extra commune depoſitum, etiamſi à Reverendiſſimo Generali Magiſtro ſint obtentæ; abrogatæ decernuntur, atque declarantur, neque in poſterum hujuſmodi generales licentiæ abſque rationabili cauſa alicui concedantur. Qui vero à ſuis Conventibus abſunt, quamprimum ad eos reverſi fuerint, propriis Prælatis, dati atque accepti rationem reddere teneantur. Quod in Capitulo Romano 1508. aliàs declaratum fuit: videlicet Fratres omnes Ordinis noſtri, ac Moniales, niſi habeant animum in veritate paratum ad ponendum omnia, quæ habent ad pedes ſui Prælati, & ſimiliter omnes qui mutuant, aut quovis modo dominium, vel uſum pecuniarum, aut rerum pro ſua voluntate tamquam domini illarum rerum transferunt, abſque debita licentia, eſſe in ſtatu damnationis æternæ: & nihilominus contrafacientes privandos fore per Prælatos rebus ipſis, vel pecuniis, Conventibus propriis, juxta Conſtitutiones applicandis. Et in eodem Capitulo ordinatum fuit, ut in Conventibus vitæ regularis, ubi in communi neceſſaria, & ſanis, & infirmis exhibentur, nullus præter Inquiſitores, etiamſi Prior Conventualis ſit, teneat pecunias: niſi in communi depoſito, atque de ſui Superioris licentia. Noviſſimè etiam in Capitulo Venetiis 1592. ordinatum fuit, quatenus Frater debeat fideliter ſub pœna proprietariis debita, Superioribus ſuis ſemper præſentare quamcumque pecuniarum ſummam ad eorum me-

manus undecumque venientem: ſive prætextu Prædicationum, Lectionum, Confeſſionum, ſive Miſſarum, ſive quolibet alio, etiam propriæ perſonæ intuitu, à conſanguineis, vel quibuslibet aliis, quod etiam de qualibet alia re faciendam eſſe, mandat *S. Pater Auguſtinus* in Regula, *ne quis furti judicio condemnetur.* Eorumdem porrò Superiorum officium erit, ne diſſipatores potius, quam diſpenſatores fideles inveniantur, ita de præfatis bonis pro unjuſcujuſque ſibi ſubditi neceſſitate miniſtrare, ut alius non egeat, dum alius abundat.

V.

(*i*) Quicumque verò Frater pecuniam, vel alia quæcumque receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel diſpenſaverit, vel diſpenſari fecerit: (*k*) reddat ſingulis annis, ſuis majoribus rationem; ſemel, vel pluries, ſi fuerit requiſitus. Videlicet Magiſter Ordinis Diffinitoribus Capituli Generalis: Prior Provincialis Diffinitoribus Capituli Provincialis, Prior Conventualis Priori Provinciali, vel Viſitatori; cæteri Fratres Priori Conventuali.

(i) *Quicumque vero Frater pecuniam, vel alia quæcumque receperit, vel habuerit.*) Declaramus, quòd habere aliquid proprium in particulari, repugnat Religioni, ſicut ſuperiùs dictum eſt: habere autem aliquid in communi, non minuit perfectionem Religionis, ſicut probatur 1. 2. qu. 1. cap. *Illi autem*, ubi Proſper ſic dicit: Satis oſtenditur, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe bona communia poſſideri. In Religione vero illa, quæ eſt ordinata ad tradendum aliis, contemplata per doctrinam & prædicationem, congruit quàm maximè illa paupertas, quæ habet aliquid in communi: moderatè tamen ut poſſit ſufficere ad victum, & veſtitum congruo tempore procurandum, ſicut docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 188. art. 7. Et hoc neque perfectioni Religionis, neque perfectioni paupertatis derogat. Undè in Capitulo apud Toloſam 1304. ſic dicitur: Diſtrictè injungimus Prioribus, & eorum Vicariis, ut cuilibet Fratri indigenti juxta ejus neceſſitatem provideant: quòd ſi non fecerint, per Provinciales in pœnam à ſui officiis abſolvantur; & Viſitatores anni illius, quos invenerint in hoc delinquentes, ſtudeant Provinciali Capitulo denunciare. Et idem ponitur in Capit. Januenſi 1305. ac mandatur præterea Prioribus, eorumque Vicariis, ut provideant infirmis de ſervitoribus, & de medicinis, & de aliis neceſſariis, ſecundùm ſuarum infirmitatum exigentiam: & qui inventi fuerint in hoc negligentes, abſolvantur in pœnam à ſuis officiis, & pro illo anno ſint ineligibiles.

(k) *Reddat ſingulis annis rationem.*) Declaramus, quòd Inquiſitores hæreticæ pravitatis ſunt ſuis Præſidentibus ſubjecti ſimpliciter: & Priori ſuo Conventuali, nec non Prioribus Provincialibus, ſingulis annis omnium receptorum, expenſarumque omnium perſonalium, veras & certas ſub præcepto tenentur reddere rationes. Narbonæ 1354. & apud Montem Peſſulanum 1294. & Florentiæ 1321. At vero de pertinentibus ad officium Inquiſitionis, ſervetur Conſtitutio Pauli III. in iis omnibus, quæ ſancita ſunt. Prior autem Provincialis tenetur reddere rationem ſuis Diffinitoribus rerum omnium, quæ pertinent nedùm ad officium, ſed etiam ad perſonam. Florentiæ 1321. Additum fuit Romæ 1608. ut Provinciales Diffinitoribus Capituli Provincialis reddant rationem omnium datorum, & acceptorum, ſeu expenſarum, & receptorum in officio: & ea, quæ ſupererunt, ut in communi Provinciæ depoſito reponantur. Et in hunc uſum, & ad alias pecunias in unaquaque Provincia aliquod commune depoſitum ad neceſſarios ſumptus, & expenſas illius Provinciæ conſtituatur.

VI.

Nullus Fratrum, etiam Prior, recipiat depoſitum cujuſcumque, niſi in communi depoſito Conventus. Contrarium autem faciens, incurrat pœnam gravioris culpæ. (*l*) Item Novitii intra tempus probationis, Pſalmodiæ, & Officio Divino ſtudeant diligenter. Item infra annum ad longinquas partes, niſi ob cauſam neceſſariam Novitii non mittantur, nec in aliquo officio occupentur: nec veſtes eorum ante profeſſionem alienentur, nec ipſi ante profeſſionem ordinentur.

VII.

Item Novitii non interſint Capitulo, nec in Dormitorio cum aliis Fratribus jaceant, ubi hoc commodè poterit obſervari: ſed Magiſter eorum extra Capitulum culpas eorum audiat, & ipſos diligenter quantum poteſt In moribus inſtruat, & charitativè corripiat.

(l) *Novitii intra tempus probationis.*) Declaramus, quòd intra hoc tempus probationis libera eſt Religio in expellendo Novitio ex Ordine noſtro: & ipſe quoque liber eſt in deſerendo eundem Ordinem. Completo autem anno probationis, ſi nulla ei facta ſit proteſtatio, nec ipſe egredi ex Religione, nec Religio eum expellere po[illegible]. Denunciamus, quod poſt fel. record. Si[illegible] de domibus Novitiorum, deque eorum ſepar[illegible] educatione, in Capitulo Romano 1589. acceptatam Conſtitutionem: Clemens VIII. hæc obſervanda circa loci qualitatem ſtatuit. Locus hujuſmodi, propria clauſura ab ea parte Conventus, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit: habeatque tot cellas, quot erunt numero Novitii; vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis, ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint: in quo etiam ſit certus locus pro Magiſtro, & ejus Socio. In eo etiam præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes faciendas, ac lectiones, inſtructiones Magiſtri audiendas: & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi ſe recipiant. Oratorium inſuper ſive Capella, ſi commodè fieri poterit, adſit, ad Novitios in ſpiritualibus cæremoniis, & Eccleſiaſticis functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus illis aſſignetur: ſin minus hortum cæteris Fratribus

bus communem ingrediantur. Quibus in eum commeantibus, nullus alius illuc ingrediatur. Ad hujuſmodi Novitiorum domum, nemini Regularium etiam Conventus Officiali, ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat: niſi Magiſtro, & Socio, ac etiam Conventus Superiori; quando ſibi neceſſarium putaverit: quo caſu aliquem ex ſenioribus Socium aſſumat. Hujus loci clauſuræ clavis, apud Magiſtrum ſemper aſſervetur: illique ſoli liceat alicui ingreſſum permittere. Et ſi quis quempiam Novitiorum alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter loquatur. *Et infra*: Curam diligentem adhibeant Magiſtri Novitiorum, ut ipſi in Regulari diſciplina exerceantur: agnoſcant Divinæ vocationis qua digni facti ſunt præſtantiam, quæ vera ſit votorum ſolemnium, & ſuarum Conſtitutionum obſervantia. Addiſcant modum in oratione tum vocali, tum mentali perſiſtendi, illicitas paſſiones per ſenſum cuſtodiam, & mortificationem compeſcendi: auſteritates, jejunia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum, præcipuè confeſſionis frequententiam, exercitium humilitatis circa opera vilia, modeſtiam in omnibus actionibus, & diuturnum ſilentium.

Declaramus inſuper reſiduum hujus Capitis infra ponendum, ſub Reverendiſſimo Magiſtro Thoma Cajetan. Ianuæ 1513. fuiſſe inchoatum: Neap. 1515. probatum; & tandem Romæ 1518. ſub Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis Garſia fuiſſe confirmatum, atque in Conſtitutionem redactum.

VIII.

MAndamus univerſis Fratribus, quatenus Novitios volentes redire ad ſeculum, liberè permittant ire: (*m*) redditis ſibi omnibus, quæ ſecum detulerant. Nec ſint eis moleſti propter hoc: exemplo illius, qui diſcipulis aliquibus recedentibus, aliis remanentibus dixit: Nunquid & vos vultis abire.

Item nullus recipiatur ad profeſſionem ut Clericus; niſi ſciat plenè & expeditè dicere & legere Divinum Officium, Nocturnum pariter & Diurnum ſolus: (*n*) & ſciat, vel ſit habilis in proxima diſpoſitione, ut ſciat Grammaticam. Et per duos menſes ante finem probationis. Examinatores teneantur eum examinare de his & referre Priori & Capitulo: & ſi inventus fuerit multum deficiens in prædictis; vocetur in Capitulum Novitius, & ibidem ei aſſignetur certum tempus prolixius probationis. Vel declaretur ei, quòd nunquam veniet probationis terminus, niſi poſtquam iterum in Capitulum vocato, & pro ſufficienti approbato, octo adhuc dies ad minus relinquantur.

(m) *Redditis ſibi omnibus.*) Declaramus, & denunciamus, in Concilio Trident. ſeſſ. 25. tit. *de Regularibus* cap. 16. decretum eſſe, quòd abeuntibus ante profeſſionem Novitiis, non ſolùm omnia, quæ ſua erant, reſtituantur; verùm etiam quod nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque piæ cauſæ valeat: niſi cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non aliàs effectum intelligatur ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſint irrita, & nullius effectus. Et propterea in Capitulo Bononienſi 1564. ſtatutum fuit, ut in recipiendorum, ſive Novitiorum donationibus, ſive renunciationibus omnia iſta ſollicitè ſerventur; & ad quoſcumque hujus generis contractus faciendos, Ordinarii primùm licentia requiratur, & ſolùm intra duos menſes ante profeſſionem fiant. Et ante profeſſionem nullum jus acquiſitum intelligatur, prætextu cujuſvis donationis, aut renunciationis: cum præcepto ſub pœna anathematis ne quidpiam etiam ſponté oblatum à Parentibus, vel Curatoribus Novitiorum, præter eorum victum, & veſtitum Fratres noſtri recipiant. Quod ſi ætatis provectæ Novitii ad Monaſterium aliqua detulerint, præcipimus noſtrorum Conventuum Prælatis, ut ea omnia in communi depoſito ſervanda reponant: & in libro ad hoc deputato conſcribi faciant; addita ſubſcriptione ipſius Novitii, & aliorum duorum Fratrum. Neque etiam de ejus licentia ante profeſſionem expendi poſſint, aut alienari.

(n) *Et ſciat, vel ſit habilis in proxima diſpoſitione, ut ſciat Grammaticam.*) Declaramus, poſt hanc editam Conſtitutionem, Apoſtolica authoritate mandatum fuiſſe: Clericum ad habitum, ac profeſſionem recipiendum, debere eſſe in Grammatica ſufficienter eruditum, ut ſuperius in capit. *de Recipiendis* relatum eſt.

IX.

ULtrà hoc autem, ne puerili recepti ad habitum inveniant ſe potius natos ſub jugo Religionis, quàm illud elegiſſe, eviten turque inconvenientia multa: ſtatuimus, ut ei, cui ante quintumdecimum annum Religionis habitus datus eſt, nunquam elebatur annus probationis: (quantocumque decurrente temporis ſpatio) niſi vocatus (*o*) poſt annum decimumſextum expletum, à Prælato in Capitulo coram Conventu, terminus ad minus trium menſium acceperit ad deliberandum an profiteri velit: ita quòd annus probationis, cum taxato illo termino terminetur; ac per hoc ex tunc incurratur profeſſio tacita.

X.

ET ut hoc inviolabiliter obſervetur, præſenti ſtatuto, cuilibet ante decimumquintum annum (pro tempore) recepto ad habitum aſſignamus annum probationis modo dicto. Mandamus autem ſub pœna abſolutionis ab officio, & gravioris culpæ Prælato: ut

quando vocatus fuerit Novitius ad terminum profeſſionis ſuſcipiendum, expreſſe proteſtetur eidem, quod profeſſio ſua eundem obligabit ad tria vota: paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones Fratrum Ordinis Prædicatorum; & non ſecundùm quod hodie hic, vel ibi ſervatur. Et quòd ſtatim elapſo termino ſibi taxato, (niſi contradictum ab ipſo, vel à Religione fuerit) incurret profeſſionem, etiam ſi aliter non profiteatur.

X I.

NOvitios quoque recedentes ſine licentia cum habitu à Conventu, niſi infra octo dies ad eundem redierint, pro refutatis ab Ordine habemus: & ſi ad alium Conventum declinaverint, & fuerint in illo accceptati pro Novitiis; volumus annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipſo alio Conventu fuerint acceptati. Quod ſi nullibi acceptati pro Novitiis fuerint, poſt exitum ſine licentia, pro refutatis, & non Novitiis tales haberi volumus; quanto tempore ſic permanſerint.

(o) *Poſt annum decimumſextum.*) Declaramus in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. tit. *de Regul.* cap. 15. ſic haberi: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, profeſſio non fiat ante decimumſextum annum expletum: nec qui minori tempore, quàm per annum continuum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla: nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Quamobrem Bononiæ 1564. Fratribus denunciatum fuit, profeſſionem ante annum decimumſextum expletum, deinceps fieri non poſſe, & ſi ſecus fiat, irritam eſſe. Et Conventuum Præſidentibus mandatum fuit, quàntum fieri poteſt, ne ad habitum recipiant pueros, ante decimumquintum annum inchoatum. Et cuicumque Novitio, cùm recipitur ad habitum, explicetur coram omnibus, profeſſionem nonniſi prædicto tempore eſſe faciendam. Quod ſi pueri ante decimumquartum annum expletum fuerint aliquando recepti, adhuc noſtra Conſtitutio obſervetur: ut ultrà decimumſextum annum tres alii menſes ſuperaddantur, quibus de aſſumendo ſtatu Religionis, commodius poſſint deliberare. Denunciamus autem ſanctæ mem. Pium Papam V. declaraſſe, profeſſionem alicujus ad profitendum inepti, ad ſextum tantummodo menſem poſſe differri: ſi tamen ſpes aliqua haberi poſſit, quod talis infra illud tempus ſex menſium, habilem ſe reddat ad profitendum. Quo tempore elapſo, ſi eum inhabilem Prælati repeterint, ex Monaſterio eijciant: juxta Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 16.

Denunciemus etiam in Capitulo Romæ 1558. pro recipiendis ad profeſſionem ordinatum fuiſſe: quod inſtante profeſſione cujuſcumque Novitii, aliquot ante diebus Prior coram tribus (ad minus) proteſtetur eidem, quod liber eſt, & liberè dicat: an timore, coactione, aut violentia parentum, aut conſanguineorum, ingreſſus eſt Ordinem: & ſi voluntariè in eo perſeverat, & vult profiteri Et de his omnibus, & ejus confeſſione fiat annotatio vel in libro conſiliorum, vel alio ad hæc ordinato: cui annotationi tam Novitius, quam dicti Patres ſubſcribant. Et hoc ad tollenda ſubterfugia: ne aliqui cupientes ſe ab Ordinis diſciplina ſubducere, prætextu, quod vi, vel metu ſecerunt profeſſionem, ſe non teneri ad Religionem præſumant. Propter eandem cauſam ſub pœna abſolutionis ab officiis omnibus Prælatis præcipimus: ut interrogatoria de impedimentis in cap. ſuperiori expreſſis circa recipiendos ad habitum, & profeſſionem, eodem modo faciant: & in eodem libro, reſponſiones recipiendorum ad profeſſionem ſcribant: quæ à teſtibus ſubſcribatur, cum proteſtatione juridica de nullitate profeſſionis, quotieſcumque aliquid in poſterum compertum fuerit in contrarium.

CAPUT XV.

De Profeſſione.

I.

(*a*) MOdus faciendi profeſſionem talis eſt. (*b*) Ego Frater N. facio profeſſionem: (*c*) & promitto obedientiam Deo, (*d*) & Beatæ Mariæ, (*e*) & B. Dominico: (*f*) & tibi N. Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſoribus tuis: (*g*) ſecundùm Regulam B. Auguſtini, (*h*) & Inſtitutiones (*i*) Fratrum Prædicatorum; (*k*) quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus uſque ad mortem. Cùm autem fit alii Priori cuicumque, ſic facienda eſt. Ego N. facio profeſſionem: & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & tibi noſtro Priori talis loci, vice N. Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſorum ejus: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones Fratrum Prædicatorum; quòd ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus uſque ad mortem.

(a) *Modus faciendi profeſſionem.*) Declaramus, quòd profeſſio eſt votum ſolemne, quod facit aliquem eſſe Religioſum, & ponit eum in ſtatu perfectionis: ad quem adipiſcendum, requiritur quædam obligatio abſolute facta ad modum homagii: ſicut & in cæteris, quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quædam ſolemnitas adhibetur. Et dicitur proprie aliquis eſſe in ſtatu perfectionis, non ex hoc, quòd habet actum dilectionis perfectæ, ſed ex hoc, quod obliget ſe perpetuo cum aliqua ſolemnitate ad ea, quæ ſunt perfectionis: & iſto modo ſunt in ſtatu perfectionis Epiſcopi, & Religioſi, quia ad ea, quæ pertinent ad perfectionem, ſunt obligati perpetuo, & cùm ſolemnitate conſecrationis, & profeſſionis. Aſſumunt autem homines ſtatum perfectionis, non quaſi profitentes ſe eſſe perfectos: ſed quaſi profitentes ſe ad perfectionem tendere. Unde Religioſi

non

non committunt mendacium, vel ſimulationem, ſi ſtatum perfectionis per profeſſionem aſſumentes, non ſint perfecti: mentirentur autem ſi ab intentione perfectionis animum revocarent. Quamdiu enim manet intentio tendendi ad perfectionem, etiam verè dici poteſt eſſe in ſtatu perfectionis, quamvis non ſit perfectus. Talis autem profeſſio, quæ facit aliquem eſſe Religioſum, ſubditur ordinationi Eccleſiæ, propter ſolemnitatem, quam habet annexam. Et quamvis per jura antiquiora, ad profeſſionem faciendam tempus pubertatis ſtatutum fuerit 2. 2. qu. 1. cap. 1. tamen poſt Sacrum Concilium Tridentinum fieri non poteſt, niſi anno decimoſexto expleto. Nec oportet, quod addatur una dies; quia hoc nuſquam legitur. Quare probationis annus debet incipere à decimoquinto expleto. Si quis autem aliquem receperit infra annum probationis ad profeſſionem, præterquam quòd profeſſio eſt nulla, ut ſupra dictum eſt, ipſe recipiens peccat mortaliter, & ſuſpenſus eſt à receptione cujuſcumque alterius, & puniri debet pœna gravioris culpæ. Quamobrem apud Carcaſſonam 1312. ſtatutum fuit: quod ſi forè aliqui de cætero aliquem infra ætatem à Conſtitutionibus, & à jure taxatam receperint, aut tali receptioni conſenſerint cum effectu; ſint ipſo facto voce privati in receptione Novitiorum, quouſque per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem ſuum Provincialem, vel Diffinitores Capituli Provincialis fuerint reſtituti. Ille autem, qui ſic receptus eſt, neque illi, neque alteri Religioni per talem profeſſionem manet obligatus; ut Tridentinum Concilium loco ſuperiùs citato diſpoſuit.

(b) *Ego frater N. facio profeſſionem.*) Declaramus, quòd quando quis profitetur, nomen profitentis, & ejus cui profitetur, & dies menſis, & annus debent in aliquo libro ſpeciali conſcribi. Pariſiis 1246. Et Clemens VIII. authoritate Apoſtolica ita conſtituit: ut Superior cujuſcumque Conventus, in quo novitiatus fuerint inſtitutus, librum habeat, in quo uniuſcujuſque Novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus manu propria, ac duo teſtes qui præſentes fuerint ſubſcribant. Converſus vero litterarum ignarus, propria manu ſignum Crucis apponat. Et hic liber cum aliis Monaſterii ſcripturis aſſervetur. Idem etiam in Novitiorum profeſſione ſervandum eſſe cenſuit, Sacra Regularium Congregatio: addendo præterea, debere profitentem ſua manu in eo libro ætatem ſuam ſcribere, & ſponte ſe eſſe profeſſum. Quod ſane antea in Capitulo Romano 1558. ordinatum fuit.

Item declaramus, quòd Novitii recepti in aliquo Conventu, non debent pro alienis Conventibus ad profeſſionem recipi: niſi de voluntate illorum Conventuum pro quibus ad Ordinem ſunt recepti. Maſſiliæ 1300. Item Argentinæ 1358. fuit declaratum, quòd Novitii ad illos Conventus pertinent, pro quibus ſunt recepti. Si tamen ad aliquem alium Conventum mitterentur, poſſunt de licentia Superioris pro illo Conventu profiteri accedente conſenſu Prioris, & majoris partis Vocalium utriuſque Conventus. Nec Priores Provinciales poſſunt aliquem Fratrem profeſſum determinare, pertinere ad alium Conventum, quàm ad illum pro quo eſt ad profeſſionem receptus, niſi per ſimplicem aſſignationem in noſtro Ordine conſuetam.

Item declaramus, quòd duplex eſt profeſſio; videlicet expreſſa, quæ fit verbis ad modum homagii cum quadam ſolemnitate, de qua ſuperiùs dictum eſt; alia vero eſt profeſſio tacita, quæ fit in Ordine noſtro, quando quis poſt annum quintumdecimum completum, portaverit habitum Novitiorum per unum annum integrum, & continuum. Et hoc idem evenit in quacumque Religione, ubi non eſt diſtinctus habitus Novitiorum ab habitu Profeſſorum, diſtinctione patenti: videlicet in ſciſſura, vel colore; quamvis eſſet diſtinctus diſtinctione occulta, & talis profeſſio tacita obligat profitentem illi Religioni in ſpecie & determinate, cujus habitum per annum continuum nulla facta proteſtatione portavit: ſicuti habetur in Clement. *Eos de Regular.*

(c) *Et promitto obedientiam Deo.*) Declaramus, quòd inter tria vota principalius & eſſentialius Religionis eſt obedientia: tum quia per eam majus bonum Deo offertur, quam per alia, (offertur enim per obedientiam Deo propria voluntas, & bona animæ: quæ præferuntur bonis corporalibus, & exterioribus quæ per alia vota Deo offeruntur) tum ſecundo, quia votum obedientiæ continet in ſe alia vota & non e converſo (qui enim promittit obedientiam, promittit caſte, & ſine proprio vivere) tum tertio, quia votum obedientiæ propriè ſe extendit ad actus proprios propinquos fini Religionis, qui eſt perfectio charitatis & dilectionis Dei. Quanto autem aliquid eſt propinquius fini, tanto melius eſt, & propterea in profeſſione noſtra exprimimus ſolum votum obedientiæ, ſub quo continetur obſervatio caſtitatis, & voluntariæ paupertatis, & præceptorum, quæ in Regula, & Conſtitutionibus continentur vel quæ à Prælato fiont: & promiſſio deferendi habitum patenter, dum in publicum proceditur.

Item declaramus, quòd profeſſio expreſſa per quam aliquis perfectè, & propriè Religioſus efficitur, in diverſis Religionibus diverſis modis exprimitur: & ſecundum hoc arctius, vel levius profitentes obligantur. Nam in alia Religione, promittit profitens in ſua profeſſione ſe ſervare Regulam, ut in Ordine Minorum. In alia veroReligione cautius profitetur, quia promittit profitens vivere ſecundùm Regulam: quod intelligitur juxta S. Thom. 2. 2. qu. 86. ar. 9. ad 4. & quodlibet 1. qu. 9. ar. 4. quod intendat profitens ad hoc, quod mores ſuos informet ſecundùm quoddam exemplar; & hoc tollitur per contemptum. In alia autem Religione adhuc cautius quis profitetur: quia promittit profitens obedire ſecundùm Regulam, ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi id quòd eſt contra præceptum Regulæ. In aliis autem quæ non habent præceptum annexum, tranſgreſſio, vel omiſſio obligat ſolùm ad veniale. In Religione tamen Fratrum Prædicatorum, talis tranſgreſſio, vel omiſſio, ex ſuo genere non obligat ad aliquam culpam, ſed ad pœnam: quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur ex ſua profeſſione. Qui tamen poſſent peccare venialiter, ſi ex negligentia vel libidine: vel etiam mortaliter, ſi ex contemptu illa tranſgrederentur.

Item declaramus, quòd profeſſio expreſſa cum mala intentione, vel cum expreſſione alicujus illiciti facta, aliquando tenet, & aliquando non. Si enim profitendo quis intendit eſſe Religioſus, & ſe obligare ad vota Religionis: ſed cum hoc intendit caſtitatem, paupertatem & obedientiam non ſervare: immò intendit oppoſitum, vel ideò profitetur, & intendit eſſe Religioſus, ut poſſit

fieri

fieri Epiſcopus, vel ut aliquod malum poſſit agere ; talis profeſſio tenet, quia ex quo intendit eſſe Religioſus, & ſe obligare ad vota, licet intendat non ſolvere quod promittit, tamen conſentit promittendo. Solùm autem obligatio ad vota, non autem impletio votorum, eſt de eſſentia Religionis. Si verò non ſolum non intendit caſtè, & ſine proprio, & ſub obedientia vivere, ſed nec etiam intendit ſe ad prædicta obligare : tunc non eſſet profeſſus ; quia hæc intentio repugnat eſſentiæ Religionis. Similiter ſi profitendo exprimat aliquid Religioni repugnans, puta ſi dicat : non pretendo ſervare caſtitatem promiſſam, quantumcumque illam promittam, non tenet profeſſio : hæc enim expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. Sicut enim in matrimonio carnali, Eccleſia judicat ſecundùm actus exteriores, & non ſecundùm actus interiores, qui ſibi non poſſunt innoteſcere : & ob hoc quantumcumque non intendet quis contrahere matrimonium, ſi tamen exprimat verba contractus matrimonii quæ indicant conſenſum, judicabit Eccleſia illud eſſe matrimonium, & coget cum illa habitare ; ita & in profeſſione, quantumcumque quis non intendat ſe obligare ad vota Religionis, ex quo tamen ſponte profitetur, & non proteſtatur aliquod in contrarium, Eccleſia coget illum ſervare profeſſionem, quia præſumitur ſolemniter voviſſe. Unde ſicut excommunicat eum, qui eſt tacite profeſſus, ad hoc ut remaneat in Clauſtro, ita & nunc excommunicabit, ut ſervet, quod per profeſſionem promiſit. Si vero in ipſa profeſſione exprimeret aliquid contrarium, ut puta, quod non intendit ſe obligare ad caſtitatem, & ad alia vota, vel quod non intendit ſervare caſtitatem quam promittit : tunc profeſſio non teneret, & Eccleſia talem profeſſionem non valere judicaret. Si vero in ipſa profeſſione exprimatur conditio contra particularem auſteritatem, ut quod liceat ei comedere carnes, vel uti lineis ; ſi ſcit hæc contineri in Regula vel in Conſtitutionibus quas profitetur, tenetur illa ſervare.

(d) *Et Beatæ Mariæ.*) Declaramus, quòd Ordo Prædicatorum inter alios profitetur Beatæ Virgini Mariæ : quia multoties, ac multipliciter compertum eſt, quod ipſa ſpecialiter Ordinem noſtrum protegit & defendit. Ipſa enim impetravit à filio ſuo irato contra mundum, ut Ordinem noſtrum inſtitueret, qui homines à peccatis & ab erroribus ſuis revocaret, & ad Dei cognitionem, & dilectionem reduceret. Ipſa etiam Beatum Reginaldum corporaliter viſitans, ad ingreſſum Ordinis monuit, & induxit : & habitum, quem nunc deferimus indudum oſtendit dicens : *En iſte habitus Ordinis tui :* ipſumque habitum B. Reginaldus à B. Dominico Patre noſtro primus tam feliciter, quam perſeveranter accepit, & ex nunc tam Beatus Pater Dominicus, quam cæteri Fratres, illo habitu à Beatiſſima Virgine cœlitus oſtenſo, videlicet tunica, & ſcapulari albo & cappa nigra uſi ſunt. Eſt etiam Regina cœli Beatiſſima Virgo ſingularis noſtri Ordinis advocata, & piiſſima parens, & patrona : ſemper pro nobis apud Deum exoratrix, quæ ipſum pluries à diverſis tribulationibus, & anguſtiis protexit & liberavit ; ſicut patet in libro de Vitis Fratrum.

(e) *Et Beato Dominico.*) Declaramus, quòd ideò profitemur Beato Dominico Patri noſtro, quia ipſe fuit primus Magiſter, Inſtitutor, ac Fundator Ordinis Prædicatorum : quem Beatiſſima Virgo tamquam fidelem, & ducem ſtrenuum ad impugnandos errores, & vitia extirpanda, filio ſuo præſentavit : quem Apoſtoli Petrus, & Paulus ad Prædicationis officium à Domino Deo eſſe prædeſtinatum, ſignis evidentiſſimis oſtenderunt. Cum enim ipſe in Eccleſia Sancti Petri Romæ attentius oraret, apparuerunt ei prædicti Apoſtoli, & Paulus dedit ei librum, Petrus vero baculum, addentes : *Vade & prædica, quia à Domino ad iſtud officium electus es.* Quem etiam glorioſi Confeſſores Auguſtinus, & Benedictus, regularibus diſciplinis inſtruxerunt, & ad prædicationis officium magis idoneum reddiderunt. Sicut enim fuit Canonicus profeſſione, ita fuit & Monachus converſatione : in jejuniis, abſtinentiis, in veſtitu, in diſciplina ſilentii, atque in cæteris obſervantiis contentis in Regula Beati Benedicti ; quas ferè omnes, & alias etiam ſpeciales obſervavit, & Filiis ſuis cum Regula Beati Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus obſervandas tradidit. Fuit etiam Apoſtolicus officio prædicatonis : quem Innocentius III. Divina revelatione edoctus, quod ipſe, & fratres ſui illuminare debebant, ac defendere Eccleſiam, in ſancto propoſito de Ordine ad prædicationis officium inſtituendo, confirmavit, eique locum ſancti Xiiti in Urbe tradidit, ac piam ejus intentionem de zelo ſalutis animarum laudavit, commendavit, & approbavit. Quem etiam Honorius III. Innocentii ſucceſſor benignè ſuſcepit, & Ordinem ſuum liberaliter confirmavit : & facultatem libertatemque prædicandi, & confeſſiones audiendi, dato Apoſtolico Diplomate, ſibi & Fratribus ſuis authoritate Apoſtolica conceſſit ; ac ſingulos labores, quos in diſcurrendo ad prædicandum ſubirent, eis in remiſſionem omnium ſuorum peccatorum injunxit. Quem etiam venerabilis Abbas Joachim. Florenſis Ordinis inſtitutor (qui B. Dominicum multo tempore præceſſit) in habitu, quem non primo Canonicus tulit, ſed quem à Beatiſſima Virgine Fratrem Reginaldum inungente recepit, Fratribus ſuis oſtendit, & in Florenſi Monaſterio ſui Ordinis in Calabria in tali habitu depinxit, dicens eis : *Cito ſurrecturus eſt in Eccleſia Dei Ordo novus docentium, & prædicantium cum tali habitu, cui præerit unus major, & cum eo, ac ſub eo erunt duodecim Ordinem prædictum regentes. Quia ſicut Patriarcha Jacob cum duodecim filiis ingreſſus eſt Ægyptum, ſic & ipſe cum illis duodecim ingredietur, & illuminabit univerſum mundum. Cum igitur Fratres prædicti Ordinis ad vos venerint, cum omni honore ac reverentia illos recipite.* Quod ut filii obedientes fecerunt : nam quando primo Fratres Ordinis noſtri ad illos venerunt, cognoſcentes ex habitu eos eſſe, quos Pater eorum prædixerat ; exierunt eis obviam cum crucibus, & camiciis ſpiritualibus, & omnibus locis ſuis, ſicut Fratres proprios benigniſſimè receperunt, atque humaniſſimè pertractaverunt.

At vero Pater iſte Sanctus Dominicus fuit Jacob prædicando, & Iſraël contemplando : ut nec Lia actionis, neque Rachel contemplationis in hac vita ſibi defuerint. Multiplicavit autem Dominus meritis Beati Dominici Patris noſtri Ordinem noſtrum, & dedit ei viros excelſos in verbo gloriæ, quorum alii fuerunt Doctores illuſtres, qui profunda fluviorum, & abdita diverſarum ſcientiarum ſcrutantes, obſcura produxerunt in lucem, & diverſos libros, & commentarios ad corroborationem fidei, & ædificationem Eccleſiæ, & ad Sacræ Scripturæ explanationem, diverſis locis, & temporibus ediderunt. Alii verò fuerunt inſignes Summi Pontifices, Cardinales, & Epiſcopi. Alii fortes

tes ſumma conſtantia uſque ad ſanguinem pro fide decertantes, & pro ea ſtrenuè martyrium ſuſtinentes. Alii Prædicatores celebres, qui ad juſtitiam erudientes multos, illuxerunt in firmamento Eccleſiæ, & diverſas mundi partes verbis atque exemplis illuſtraverunt. Diſpergente namque Beato Dominico Patre Noſtro fratres ſuos tanquam quoſdam radios, immò tamquam quædam luminaria: ubique terrarum cœperunt homines ſubmittere corda, & corpora ſuaviſſimo jugo Chriſti, Indueruntque habitum Ordinis noſtri Prælati, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Abbates, Priores Monachi, *Canonici regulares, diverſorumque facultatum Doctores; & alii viri illuſtres ac Principes, vita & ſcientia eminentes: qui veluti filii Iſrael germinantes creverunt, & multiplicati ſunt ac roborati nimis, & intra breve temporis ſpatium per totum mundum diffuſi Provincias omnes citra, & ultra mare Fratribus Ordinis impleverunt, ac Urbes, Civitates, Oppida, Eccleſiis, Collegiis, & Conventibus ornaverunt. Hunc etiam Sanctiſſimum virum Gregorius IX. Sanctorum catalogo adſcripſit, qui teſtimonium de ejus ſanctitate perhibens, coram Cardinalium Collegio dixiſſe fertur: *Tantum de hujus viri ſanctitate dubito, quantum de ſanctitate Apoſtolorum Petri, & Pauli.* Ideo in litteris Canonizationis illius ſic dicit: *Ætate creſcente crevit & gratia in hoc Sanctiſſimo Viro Dominico; quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad Dei eloquia dedit animum: & per Evangelium Chriſti multos generans, in converſatione tam ſtrenua multitudinis, Evangelicæ dignitatis officium, & Prædicatoris nomen, & opus in terra meruit habere majorum, Paſtor & Dux in populo Dei factus, novum Prædicatorum Ordinem inſtituit, meritis & exemplis ornavit, nec confirmare deſiit miraculis evidentibus, & approbatis.* Hæc ille.

(f) *Et tibi N. Magiſtro Ordinis.*) Declaramus, quòd ut habetur in Capitulo apud Caſtras 1352. quod in ipſa profeſſionis forma, quæ noſtris Conſtitutionibus eſt inſerta, ſi tempore quo quis profitetur, Ordo Magiſtrum habuerit, tunc nomen proprium Magiſtri exprimatur in ipſa forma profeſſionis. Si verò illo tempore Ordo Magiſtrum non habuerit, talis profitens obedientiam Præſidenti promittat vice Magiſtri Ordinis: abſque expreſſione nominis cujuſcumque, videlicet dicendo: Et tibi N. Priori talis Conventus, vice Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum. Item declaramus, quod ideò ſoli Magiſtro Ordinis, vel alteri nomine ejus fit profeſſio, & promittitur obedientia: ut unitas Ordinis, & profeſſionis ſervetur, quæ ab unitate unius capitis, cui omnes tenemur obedire dependet: qui eſt proprius & immediatus Prælatus omnium Fratrum, & Conventuum totius Ordinis. Et poteſt omnes Prælatos, & Officiales ejusdem Ordinis inſtituere, & deſtituere: & eorum officia, & authoritates limitare. Qui ſtatim poſtquam eſt electus, curam omnium animarum Fratrum ipſius Ordinis plenè habet, & libere gerit, ipſoſque Fratres authoritate propria ligare poteſt, & abſolvere: iidemque Fratres ſibi tenentur devotè, & humiliter obedire, ſicut patet in privilegio, quod dicitur *Mare magnum* Alexandri IV. Clementis IV. Bonifacii VIII. Benedicti XI. Gregorii XV. Martini V. Eugenii IV. & Sixti IV. ubi omnia prædicta expreſſe continentur.

(g) *Secundum Regulam Beati Auguſtini.*) Declaramus, quòd inter multas & varias Regulas, ſub quibus diverſi Religioſi militant Deo in Eccleſia occidentali: Regula Beati Auguſtini multum videtur excellere. Primò, ratione ſui exemplaris unde fuit aſſumpta, quæ fuit Regula Apoſtolica. Unde Eccleſia de ipſo cantat: *Cœpit vivere ſecundum Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Et ipſe in quodam ſermone dicit: *Apoſtolica vita optamus vivere.* Secundo, ratione antiquitatis, quia non ſolum modernas Regulas, ſed etiam multo tempore Regulam Beati Benedicti præceſſit. Nam Sanctus Auguſtinus obiit anno Domini 425. Beatus Benedictus obiit anno Domini 509. & ſic patet, quòd Beatus Auguſtinus præceſſit Beatum Benedictum annis 84. Tertio, ratione conditionis ſui Authoris: qui fuit authoritate Epiſcopus, vita ſanctiſſimus, ſcientia doctiſſimus. Quarto ratione moderationis, & diſcretionis. Nam Sanctus Auguſtinus in ſua Regula ſic ſervat mediocritatem, quod nec multitudine, nec paucitate, nec obſcuritate, nec gravitate mandatorum cadit in extremum. Quinto, apparet laus Regulæ iſtius à materia ejus; quia maxime verſatur circa ſpirituales actiones: ſicut eſt dilectio Dei & proximi, unitas cordium, conformitas morum, caſtitas corporum, communitas rerum, ſtudium Scripturarum, correctio vitiorum, obedientia Prælatorum, & ſimilia, ut patet per totam Regulam. Sexto, ratione authoritatis, & antiquitatis, & multitudinis Ordinum, & locorum, in quibus prædicta Regula obſervatur. Sub hac enim Regula Sancti Auguſtini militant Deo, Eccleſiæ Cathedrales, Religioneſque diverſæ. Nam præter illas, quæ communiter Canonicorum appellantur, ſub ea militant quamplurimi Sacri Ordines tam Regulares, quam Militares ab Eccleſia approbati.

(h) *Et inſtitutiones Fratrum Prædicatorum.*) Declaramus, quòd Conſtitutiones noſtræ continent ſtatuta diſcreta, & valde conformia fini Religionis, quæ quidem tenentur, Fratres ſervare eo modo, quo in eis continentur: hoc eſt præcepta, & ſtatuta ſimplicia, ut ſtatuta; dato quod Prælatus ſuus non mandet, nec dicat eis, quod ea ſervent, quia quilibet tenetur ſervare ea, quæ pertinent ad ſtatum ſuum. Et licet in profeſſione non permittant principaliter ſervare Conſtitutiones, ſed tantùm obedire ſecundum eas, tamen eo ipſo, quod aliquis profitetur Ordinem Fratrum Prædicatorum, promittit ex conſequenti, & implicitè ſervare ſpectantia ad ipſum Ordinem; licet in tali profeſſione hoc non promittat expreſſe. Nam ex ſua profeſſione, ut dicit Sanctus Thomas, tenetur quilibet Frater Ordinis noſtri principaliter, directe, & abſolute ſervare ſubſtantialia Religionis, & præcepta in Regula, vel Conſtitutionibus poſita, aut à Prælato facta: ad obſervandum vero alia ſtatuta non obligatur ex ſua profeſſione abſolute, ſed ſub tali conditione, quod ſi omitteret, vel tranſgrederetur illa, non incurreret culpam, ſed tantùm pœnam. Et ideo tranſgreſſio illorum, quæ in ſua profeſſione Religioſus abſolute vovit, & promiſit, obligat eum ad peccatum mortale. Tranſgreſſio verò illorum ſtatutorum, quæ non abſolutè, ſed ſub illa conditione in ſua profeſſione ſervare promiſit, non obligat ad culpam, ſed ad pœnam. Prædictæ autem Conſtitutiones, quia non continent niſi ſtatuta honeſta, & rationabilia, ſunt per Sedem Apoſtolicam confirmatæ, ſicut patet in privilegio, quod dicitur *Mare magnum* Alexandri IV. Clementis IV. Nicolai IV. Bonifacii VIII. Benedicti XI. Joannis XXII. Gregorii XI. Martini V. Eugenii IV. & Sixti IV.

(i) *Fratrum Prædicatorum.*) Declaramus, quòd hoc nomen Prædicatorum fuit impoſitum Ordini noſtro ab Innocentio III. qui dum ſcriberet Beato Dominico, & Fratribus ſuis, impoſuitſerque Scriptori, ut ſcriberet hoc modo: Fratri Dominico, & Sociis: ſtatim revocavit, & dixit: Scribe hoc modo: Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus. Statimque aliquantulum plus conſiderans: Noli, inquit, ſic dicere; ſed ſcribe hoc modo: Magiſtro Dominico; & Fratribus Prædicatoribus. Et ex tunc ipſe Beatus Dominicus Pater noſter, & Filii ejus cœperunt ſe Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in Curia, & ubique ab omnibus ſic vocari, juxta illud Iſaiæ: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Fuit etiam hoc nomen ab Honorio III. approbatum, & poſtea à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beati Dominici confirmatum, & ab eodem Sancto Patre Dominico longè ante ardentiſſimis deſideriis, orationibus, lacrymis, & multiplicibus meritis feliciter obtentum. Et vere hic Ordo re, & nomine dicitur Prædicatorum, quia principaliter ad prædicationem, & ſalutem animarum eſt inſtitutus. Eſt autem hic Ordo arctior, quam appareat, & ejus auſteritates magis in exiſtentia, quam in apparentia conſiſtunt. Præterea hic Ordo ratione inſtitutionis antiquioris, & approbationis, alios Mendicantium Ordines antecedit. Nam præcedit Ordinem Minorum, ut expreſſe ponit Gloſſa in cap. *Quorumdam*, in verbo *Prædicatorum* de electione lib. 6. & gloſſ. 21. cap. tit. *de pace & trenga*: & Joan. Andr. in cap. *Joannes de Teſtamentis*, dicens: quod Ordo Prædicatorum excedit Ordinem Minorum ratione antiquioris inſtitutionis, ſicut litteræ in prædictis juribus dicunt. Et hoc notat Petrus de Angar. aſſignans tempus inſtitutionis prædictorum Ordinum. Nam Ordo Prædicatorum, quantum ad ſui exordium, cœpit ſub Beato Dominico in partibus Toloſanis anno Domini 1203. ubi Toloſam adveniens, hoſpitem ſuum hæreticum convertit ad Fidem. Poſtea fuit confirmatus ab Honorio, anno Domini 1216. xi. kalendas Januarii apud Sanctam Sabinam, Pontificatus ſui anno primo. Obiit autem Beatus Pater Dominicus Bononiæ anno Domini 1221. 8. Idus Auguſti. Fuit autem Canonizatus Beatus per Gregorium IX. anno Domini 1234. 8. Idus Julii. Ordo autem Minorum, quantum ad ſui exordium cœpit ſub Beato Franciſco in partibus Thuſciæ anno Domini 1207. & poſtea confirmatus fuit ab Honorio III. anno Domini 1223. Pontificatus ſui anno octavo. Quæ tempora ponit etiam Joan. Andr. in cap. *Quorumdam*; & ſequitur eum ibi Dominicus, dicens, quod per illam gloſſam haberi poteſt, qualiter Religioſi debeant ordinari in proceſſionibus, & in aliis actibus, quibus interſunt. Secundo, Ordo Prædicatorum inter cæteras Religiones præſtantiſſimus eſt, propter perfectionem finis; quemadmodum ſupra dictum eſt.

Præterea Ordo Prædicatorum præſtat inter alios Ordines, ratione majoris arctitudinis, & aſperitatis. Eſt enim arctior omnibus Religionibus mendicantium, propter parcitatem cibi, & longiora jejunia. Non enim comedunt carnes, & jejunant à quartadecima die Septembris uſque ad feſtum Paſchæ Reſurrectionis, & alia plura in Conſtitutionibus præſcripta jejunia obſervant. Quapropter Clemens V. interrogatus à quodam Milite, ut ſibi conſuleret, quem Ordinem deberet intrare, an Prædicatorum, an Minorum, ſic reſpondit: Sciſcitaris quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, vel Minorum Ordinibus præeligendum eſſe declaremus; id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris utriuſque Ordinis obſervantias, quæ non ſunt pares in omnibus, & in diverſis articulis excedentes ſunt, & exceduntur. Alterius quidem illorum Ordinum lectus eſt durior, nuditas gravior, & ut nonnulli judicant paupertas profundior. Et alterius cibus eſt parcior, longiora jejunia, & ut nonnulli autumant, ſanctior diſciplina. Neutrum ergo alteri præferimus, ſed in una & arctiſſima paupertate fundatos ad unum tendere finem credimus, ſalutem videlicet animarum. Et ideo ſive hunc, ſive illum elegeris, arctam viam ingredieris, & per portam intrabis anguſtam ad terram melliffluam, & præ cæteris ſpecioſam. Sic ergo uni iſtorum adhæreas, ut amore ab altero non diſcedas: Frater enim Prædicator reprobatus eſt, qui Minores non diligit; & Frater Minor eſt execrabilis, qui Ordinem Prædicatorum odit, vel contemnit. Hæc ille. Ex prædictis omnibus patet dignitas, & excellentia Ordinis Prædicatorum.

(k) *Quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus.*) Declaramus, quòd ex voto noſtræ profeſſionis, tenemur & obligamur caſte, & ſine proprio vivere, & Regulam, ac Conſtitutiones non contemnere, & præcepto in Regula, vel in Conſtitutionibus contento, vel à Prælato facto, in his quæ ſunt ſecundùm Regulam, & Conſtitutionem, uſque ad mortem incluſive obedire.

Item declaramus, quòd Religioſus non tenetur in omnibus obedire Prælato ſuo, videlicet in his, quæ ſunt contra præcepta Dei, & Eccleſiæ, vel contra Regulam, vel quæ diſpenſationem Prælati non admittunt: in dubiis autem tenentur omnes obedire, ut habetur 33. qu. 1. cap. *Quid culpatur.*

Item declaramus, quòd *Religio*, ut dicit Sanctus Bernardus, *Profeſſores ſuos ſimiles Angelis facit, diſſimiles hominibus, immo imaginem Dei in homine ad inſtar Baptiſmi reformat.* Pro conſtanti enim habetur, quod per profeſſionem tamquam per Crucis aſſumptionem, conſequitur quis remiſſionem omnium peccatorum, ut Sanctus Thomas ducet 2. 2, q. ult. art. 3. ad 5. iſtis verbis: Si aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere pro peccatis ſuis, ſecundum illud Danieli 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, multo magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis, ſufficit quod aliquis ſe totaliter Divinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum: quæ excedit omne genus ſatisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur in decretis 33. q. 2. cap. *Admonere.* Sicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium, ut Gregorius dicit *ſuper Ezechielem.* Unde dicitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati. Igitur cum per profeſſionem det homo omnia bona exteriora quæ habet, & habere poſſet, vovendo paupertatem; & omnia bona corporis, vovendo caſtitatem: & libertatem voluntatis cum omnibus bonis animæ vovendo obedientiam, quæ excedunt quaſcumque eleemoſynas: per eandem conſequitur remiſſionem omnium peccatorum ſuorum. Item profeſſio liberat profitentem ab omni voto ſimplici, ſive ſit reale, ſive perſonale, ſive mixtum: qui etiam ſi voviſſet arctiorem Religionem, profitendo latiorem liberatur, ut habetur cap. penult. *de Regularibus* lib. 6. licet male fecerit omittendo perfectam adimpletionem voti ſimplicis, quod

ſub-

ſubditur in eodem Capitulo. Pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda. Non tamen profeſſio liberat quempiam ab omni debito humano pecuniario, ex delicto, vel quaſi ex contractu, vel etiam quocumque modo facto: quia, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 189. art. 6. ad 3. argumentum: ille, qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licite prætermittere facultate exiſtente: & ideo ſiquis ſit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, ut vota Religionis profiteatur: quemadmodum ſuperius cap. *de Recipiendis* num. 2. fuſius dictum eſt.

I I.

(*l*) NOvitiorum veſtes hoc modo benedicantur in profeſſione.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiſcum &c.

O R E M U S.

DOmine JESU Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris; ut qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta.

In quolibet Conventu habeatur liber particularis, in quo ſcribantur omnes, qui faciunt profeſſionem: ibi notando annum, menſem, & diem, & nomen Prælati recipientis ad profeſſionem; & ſub quo Magiſtro Ordinis.

(*l*) *Novitiorum veſtes in eorum profeſſione benedicantur.*) Declaramus, quòd hæc benedictio veſtium ſumpta eſt ex cap. *Statuimus*, Extrav. *de Regular.* ubi ſic dicitur: Statuimus, quod in Religionibus, ubi non eſt diſtinctus patenter habitus Novitiorum ab habitu Profeſſorum, in profeſſione veſtes eorum, ſcilicet ſcapulare, & hujuſmodi debeant benedici: ut ſic ſit diſtinctus habitus Profeſſorum ab habitu Novitiorum per hoc, quod ille eſt benedictus, habitus vero Novitiorum non eſt benedictus. Et ideo in Ordine Prædicatorum videtur, quod hoc deberet ſervari, quòd Novitiis quando recipiuntur ad habitum, non detur, ſi commode fieri poteſt, ſcapulare benedictum. Profeſſi autem quando de novo ſibi faciunt ſcapularia, debent à Prælatis ſuis ea facere benedici; quia ſcapulare benedictum eſt habitus Profeſſorum in Ordine Prædicatorum.

C A P U T XVI.

De levi Culpa.

I.

(*a*) LEvis culpa eſt, ſi quis mox ut ſignum factum fuerit, non relictis omnibus, cum matura feſtinatione diſponat ſe præparare, ut ad Eccleſiam ordinatè, & compoſitè quando debuerit veniat; ſi quis ad Gloria primi Pſalmi non adfuerit; ſi quis in Choro malè legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe coram omnibus humiliaverit; ſi quis Divino non intentus officio, vagis oculis, (*b*) & motu irreligioſo, levitatem mentis oſtenderit; ſi quis in Eccleſia, vel in Dormitorio, vel in Cellis aliquid inquietudinis fecerit; ſi quis in Choro riſerit, vel alios ridere fecerit; ſi quis lectionem ſtatuto tempore non prævideverit; ſi quis aliud cantare, vel legere præſumpſerit, quàm quod commmunis probat uſus.

(a) *Levis culpa eſt.*) Declaramus, quòd Capitula de levi, gravi, graviori, & graviſſima culpa fuerunt edita ante primum Capitulum Generaliſſimum, & in ipſo, quod fuit celebratum Pariſiis 1228. fuerunt confirmata, & ordinata. Et tunc temporis non erat adhuc edita illa Conſtitutio, quæ declarat, Conſtitutiones noſtras non obligare nos ad culpam, ſed ad pœnam: ſed poſtmodum ad conſulendum paci totius Ordinis, & removendum ſcrupulum à conſcientiis Fratrum, qui timebant ne transgreſſio Conſtitutionum obligaret nos ad culpam; fuit poſtea in ſecundo Capitulo Generaliſſimo celebrato Pariſiis anno Domini 1236. facta illa Conſtitutio, & in prooemio poſita. Et ſic ante præfatam Conſtitutionem, transgreſſio Conſtitutionum, quoad ea, quæ non ſunt eſſentialia, nec habent annexum præceptum, vel contemptum, obligat ad peccatum veniale: ſive talis transgreſſio eſſet facta ex negligentia, inadvertentia, oblivione, levitate, fragilitate, vel ex aliqua alia conſimili cauſa. Et propter hoc fuit poſitum Capitulum de levi, & gravi culpa; quia pro illo tempore faciens, vel omittens aliquid eorum, quæ continentur in prædictis Capitulis, incurrebant culpam levem, vel gravem. Poſt vero illam Conſtitutionem editam, tranſgrediens prædictas Conſtitutiones, licet ex vi Conſtitutionum nullam incurrat culpam, poteſt tamen aliàs illam incurrere: ut ex Divo Thoma 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 1. ſupra dictum eſt. Ad quod reſpiciens Conſtitutio diſtinxit Capitula de levi, gravi, graviori, & graviſſima culpa: & eadem de cauſa, Capitulum quotidianum, in quo Fratres de hujuſmodi transgreſſionibus ſe accuſant, dicitur Capitulum de culpis.

(b) *Et motu irreligioſo levitatem mentis oſtenderit.*) Declaramus, quòd quamvis motus irreligioſus levitatem mentis oſtendens, & riſus diſſolutus, & vagus, ac vanus oculorum aſpectus, & otioſus ſermo, & vaniloquus, & alia hujuſmodi, ſint peccata venialia: non tamen ideo peccata ſunt, quia per Conſtitutiones noſtras ſunt prohibita, ſed quia de ſe ſunt mala. Et ideo ex tranſgreſſionibus prædictorum, non ſolum obligamur ad pœnam taxatam, vel taxandam, ſed etiam ad venialem culpam.

I I.

ITem levis culpa eſt, ſi quis ad prædicationem vadens otioſa locutus fuerit, vel egerit. Si quis diſſolutè riſerit,

cachinnis vel ludis, dictis vel factis alios ad ridendum concitaverit. Si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo, ad vanitates frequenter direxerit. Si in vigilia Annunciationis, & Nativitatis Domini in principio Capituli per negligentiam non adfuerit: ut pronunciatis redemptionis noſtræ exordiis (*c*) corde & corpore gratias agat Redemptori. Si quis de via veniens eadem hora (ſi fieri poteſt) benedictionem accipere neglexerit, vel abſque ea plus una nocte moraturus exierit. Si quis ad lectiones dormierit. Si quis temporibus ſtatutis, cum aliis lectionem auditurus non adfuerit. (*d*) Si quis libros interdictos legerit.

(c) *Corde & corpore gratias agat.*) Declaramus, quòd in Vigilia Annunciationis, quando à Lectore pronunciatur *Annunciatio Dominica;* & in vigilia Nativitatis Domini, quando dicitur *JEſus Chriſtus &c.* debent Fratres humiliter toto corpore ſe proſternere, eo modo, quo in Capitulo de Inclinationibus dictum eſt.

(d) *Si quis libros interdictos legerit.*) Declaramus, libros interdictos, de quibus hæc loquitur Conſtitutio, non eſſe illos, quorum lectio ab Indice, & à Canone omnibus Chriſti fidelibus prohibetur: tales enim libros legere graviſſima culpa eſt, quandoque ſub anathematis pœna ab Eccleſia interdicta; ſed eſſe alios libros, qui continent inutiles, ac frivolas, ſive narrationes, ſive fabulas, ſive inventiones, aut vanitates. Horum enim quoque lectio dedecet Religioſum ſpiritualibus rebus omninò addictum.

III.

ITem levis culpa eſt; ſi quis Eccleſiæ, vel Altaris ornamenta negligenter tractaverit. Si quis veſtes ſuas, aut libros in loco ſtatuto honeſtè non depoſuerit, vel negligenter tractaverit. (*e*) Si indumenta, vel alia Fratri data, vel conceſſa, ſine ipſius licentia, per ſe alius acceperit. Si quis aliquid utenſilium fregerit, vel perdiderit: Si quis cibi, vel potûs aliquid effuderit. Si liber, in quo legendum eſt, cujuſcumque neglectu defuerit. Si quis aliquid dixerit, vel egerit, unde offendantur Fratres.

(e) *Si indumenta, vel alia Fratri data &c.*) Declaramus, quòd licet nobis ſint omnia communia, ut habetur in Regula, non eſt tamen in poteſtate cujuſque accipere, id quod alteri ad uſum conceſſum eſt. Immò hæc acceptio furtiva in materia gravi, abſque licentia Prælati, propria authoritate, eſſet peccatum mortale. Nec de hac loquitur Conſtitutio, ſed de acceptione quarumdam rerum manualium, quibus promiſcue ſolent uti Religioſi: etiam abſque ſpeciali licentia Prælati, & ſolùm interveniente licentia ejus, qui habet rem ad uſum. Sicut in eadem materia gravi non poteſt Frater, qui habet rem ad uſum, concedere alteri Fratri talem rem abſque licentia Prælati.

IV.

ITem levis culpa eſt, ſi quis cibum, vel potum abſque benedictione ſumpſerit. Si quis in Conventum hora qua debet venire diſtulerit. Si quis ad Capitulum, vel collationem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit. (*f*) Si quis commune mandatum dimiſerit. Si quis clamans in clamatione ſua jurgium fecerit. Si quis eum, à quo proclamatus fuerit, eodem die (*g*) quaſi ſe vindicando, clamare præſumpſerit.

(f) *Si quis commune mandatum dimiſerit.*) Declaramus, quòd commune mandatum dicitur illud, quod nec habet præceptum, vel excommunicationem annexam, nec materiam gravem; ſed in communi injungitur à Prælato, attentis iis, quæ communiter accidunt. Hoc ergo mandatum dimittere, eſt levis culpa, ſecus autem in aliis mandatis.

(g) *Quaſi ſe vindicando clamare præſumpſerit.*) Declaramus non fieri ſermonem in præſenti Conſtitutione de vera vindicta, hæc enim plus quam levis culpa eſt: ſed de quaſi vindicta; quæ ſcilicet præſefert aliquam apparentiam vindictæ, & excuſatur à mortali, vel ex obreptione, vel ex parvitate materiæ.

V.

(*h*) ITem levis culpa eſt, ſi quis cum juramento (ut loquendo fieri ſolet) aliquid negaverit, vel affirmaverit. (*i*) Si quis turpem ſermonem, vel vaniloquium dixerit, vel (quod gravius eſt) in uſu habuerit. Si quis eorum, qui officiis deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit: ut ſunt Priores in Conventu cuſtodiendo, Doctores in docendo, Studentes in ſtudendo, Scriptores in ſcribendo, Cantores in officiis ſuis, Procuratores in exterioribus procurandis, Veſtiarii in veſtibus providendis, cuſtodiendis & reficiendis: infirmorum Cuſtos in infirmis cuſtodiendis, procurandis, & reficiendis; & mortuis neceſſaria miniſtrandis: & cæteri in officiis ſuis, ut injunctum eſt eis. Clamatis, vel proclamantibus ſe de ſupradictis, detur pœnitentia, ſecundùm quod Prælato videbitur expedire.

(h) *Si quis cum juramento (ut loquendo fieri ſolet &c.)* Declaramus, quòd conſulto hic interponitur parentheſis, ſcilicet, ut loquendo fieri ſolet: ut denotetur juramentum, quod eſt veniale.

(i) *Si quis turpem ſermonem &c.*) Declaramus id quoque intelligendum eſſe de turpiloquio, quando non eſt peccatum mortale: & univerſaliter de omnibus aliis ſuperius in hoc Capitulo poſitis. Idem intelligendum eſt, quod ſunt levis culpa tunc, quando non accedunt ad rationem peccati mortalis: tunc enim deberent puniri, pœna gravioris culpæ, ut in cap. *de graviori culpa* dicetur.

CA-

Caput XVII.

De gravi Culpa.

I.

(*a*) GRavis culpa eſt, ſi quis inhoneſte in audientia ſecularium cum aliquo contenderit. Si Frater cum Fratre iotus vel extra lites habuerit. Si quis alicui Fratri opprobrium dixerit. Si quis mendacium de induſtria dixiſſe depreheoſus fuerit. (*b*) Si quis ſilentium non tenere in conſuetudioem doxerit. Si quis culpam ſuam, vel alterius defenderit. Si quis in illum, à quo proclamatus eſt, vel in quemlibet alium maledicta, ſeu verba inordinata, & irreligioſa malitioſe invexiſſe deprehenſus fuerit. Si quis Fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecit, improperaverit.

(a) *Gravis culpa eſt.*) Declaramus, quòd quamvis in hoc Capitulo multa contineantur, quæ de ſe culpa ſunt, ſicut dicere opprobriom Fratri, vel mendacium de induſtria dicere, vel maledicta, & verba inordinata, & irreligioſa malitioſe proferre, mala de Patribus, & Fratribus evomere, jejunia ab Eccleſia inſtituta ſine cauſa, & licentia frangere, & alia hujuſmodi; non tamen ideò culpa ſunt, quia à Conſtitutionibus ſunt prohibita, ſed quia de ſe mala ſunt; vel à jure Divioo, aut Eccleſiaſtico prohibita. Unde transgreſſor in talibus duplicem incurrit pœnam: unam ſcilicet Sacramentalem, ex eo quod culpam committit, quæ nun poteſt deleri, niſi per contritionem, & confeſſionem, quando culpa eſt mortalis; aliam vero pœnam incurrit, ex eo, quod transgreditur Conſtitutionem.

(b) *Si quis ſilentium non tenere in conſuetudinem duxerit.*) Declaramus, omnem Fratrem aſſuetum ad quoſcumque defectus in iſto Capitulo dumtaxat, & præcedenti enumeratos, debere puniri pœna gravis culpæ, ſicut vult Conſtitutio de aſſuetis ad ſilentii fractionem, ſicut fuit declaratum Venetiis 1357. Nam gravius punitur, qui ex conſuetudine, quam qui ex ſimplici transgreſſione offendit.

I I.

(*c*) ITem gravis culpa eſt, ſi quis mala de Patribus, aut Fratribus, vel domibus ſuis, vel Sororibus malitioſè evomuerit, quæ teſtimonio Fratrum ſuorum probare nequiverit. (*d*) Si quis abſque licentia, & magna neceſſitate equitaverit, (*e*) vel carnes comederit, vel etiam io via pecuniam portaverit, vel portari procuraverit. Si quis procedens ubi fœminæ ſunt, oculum fixerit (ſi tamen hoc in uſu habuerit) vel cum fœmina ſolus non de confeſſionibus, vel honeſtis locutus fuerit. Si quis jejunia ab Eccleſia inſtituta fregerit ſine cauſa, & licentia. (*f*) Si quis litteras alicui miſerit, vel ſibi miſſas legerit, quas primitus ſuo Præſideoti non oſtenderit; Magiſtris in Theologia, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, & Prædicatoribus Generalibus dumtaxat exceptis.

(c) *Si quis mala de Patribus, aut Fratribus &c.*) Declaramus, quòd evomere mala de Patribus, aut Fratribus, ex genere ſuo eſt grave delictum: & longè gravius, ſi talia mala teſtimonio Fratrum probari non poſſint. Neque clauſula illa, poſita in Conſtitutione, ſcilicet, quæ teſtimonio Fratrum ſuorum probare nequiverit, habet exceptionis rationem, firmantis regulam in contrarium, quaſi ſenſus ſit: tunc non eſſe gravem culpam, quando illa mala, teſtimonio Fratrum probare poſſunt; ſed ponitur ad declarandam majorem gravitatem culpæ.

(d) *Si quis abſque licentia, & magna neceſſitate equitaverit.*) Declaramus, quòd cum equitare maximè repugnet ſtatui Mendicantium, qui ex eleemoſynis vivunt: nullus Frater Ordinis noſtri ſine neceſſitate, & licentia (quando habet Prælatum in promptu) vel ſine magna neceſſitate debet equitare, ſed pedes vadat. Et ſi ſecus factum fuerit, graviter puniantur tranſgreſſores, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Pariſiis 1264. Et in Capitulo apud Ferrariam 1290 ordinatum fuit, quod Conſtitutio de nonequitando ſtrictiſſimè obſervari debeat, & maximè per territoria, ubi Conventus habemus; & quod tranſgreſſores, per Priores Provinciales, & per Viſitatores acriter & graviter puniri debeant. Et idem fuit ordioatum Romæ 1569. & innovatum Venetiis 1592 Ubi præſertim fuit ordinatum, ne Converſi equitarent, niſi ex magna neceſſitate. Quod vero dicitur, de pecuniis in vis non portandis, id intelligendum eſt, ſi quis ſine licentia Superiorum ſuorum eas portaverit.

(e) *Vel carnes comederit.*) Declaramus, quòd Prælati poſſunt cum Fratribus ſuis etiam extra caſum infirmitatis ex cauſa rationabili, quantum ad eſum carniom, diſpenſare. Subditi autem non debent ſine licentia, vel magna neceſſitate carnes comedere, ſicut in *Capitulo de Jejuniis* dictum eſt.

(f) *Si quis litteras alicui miſerit.*) Declaramus, quòd in Capitulo Pariſiis celebrato 1234. ſic fuit ordinatum: Volumus, & ordinamus, quod nullus Prior in hoc deferat alicui, quin litteras accipiendas, & mittendas legat Et in alio Capitulo 1243. ibidem celebrato fuit ordinatum, quod Fratres non mittant litteras, etiam non ſigillatas, nec recipiant ſine licentia ſui Prælati. Et in alio Capitulo ibidem celebrato 1264. ſic dicitur: Fratres qui miſerunt, vel in poſterum miſerint literas, vel memorialia non oſtenſa Prælato ſuo, vel ſibi miſſas legerint, niſi habita prius licentia, gravius puniantur. Et in Capitulo Treveris 1289. ſic dicitur: Inhibemus diſtrictè, ne Fratres litteras, vel cedulas, vel aliaquæcunque memorialia legant, vel tranſmittant, vel ſibi tranſmiſſa aperiant, ſine eorum Superiorum inſpectione, vel licentia ſpeciali. Et hoc idem fuit in diverſis aliis Capitulis ordinatum, præſertim Venetiis 1592. in hunc modum: Nullus Frater noſtri Ordinis, præter exceptos in Conſtitutionibus noſtris, audeat litteras aliquas ad aliquem, præterquam ad Superiores mittere, niſi prius à proprio Prælato viſæ, & ſubſcriptæ fuerint; nec ad ipſum miſſas legere, vel aperire, niſi prius eidem Superiori ſuo legendas præſentaverit, ſub pœna carceris per menſem, & aliis, Superioribus arbitariis.

III.

(*g*) PRO hujuſmodi culpis, & his ſimilibus veniam petentibus, & non proclamatis, tres correctiones in Capitulo dentur: & tres dies in pane, & aqua jejunent. Clamatis verò una dies, & una correctio ſuperaddatur. Præter hæc autem, Pſalmi, & veniæ ſecundùm quod diſcretioni Superioris viſum fuerit, pro qualitate culparum injungantur. Eadem pœna digni ſunt, qui poſtquam miſſi fuerint, ſine licentia reverti præſumpſerint, (*h*) vel ultrà terminum ſibi aſſignatum moram fecerint ſine rationabili cauſa: vel ſi quis pro victu & veſtitu, vel qualibet alia re murmuraverit. Caveat autem quilibet frater (*i*) ne proclamet aliquem in Capitulo de crimine, (etiam de auditu) niſi ipſum crimen poſſit probare. Quod ſi accuſatus negaverit, & accuſans in probatione defecerit, pœna accuſato debita puniatur. (*k*) Ne autem vitia occultentur, Prælato ſuo denunciet, quod viderit, vel audiverit.

(g) *Pro hujuſmodi culpis, & his ſimilibus veniam petentibus, &c.*) Declaramus, quòd Fratres de his quæ continentur in iſto, & in Capitulo de levi Culpa tenentur ſe in Capitulo de culpis accuſare, & pœnitentiam ſibi injunctam facere: ſicut ſupra in cap. de ſilentio dictum eſt; quod fratres debent ſe de ſilentio, ſicut & de aliis culpis in Capitulo accuſare. Et de Capitulo quotidiano dicitur, quod fratres qui ſe reos intellexerint, humiliter culpas ſuas confiteantur. Hoc tamen intelligendum eſt; quando perpetratio culparum gravium, eſt talis naturæ propter ſuam notorietatem, quod poſſit in judicium deferri. Si vero talis perpetratio ſit occulta, non obligat Conſtitutio perpetrantem ut ſe prodat.

(h) *Ultra terminum ſibi aſſignatum moram fecerint.*) Declaramus, quòd Fratres exeuntes à Conventu ſine licentia, vel cum ſocio non ſibi à Prælato deputato: debent puniri eadem pœna, qua puniuntur in Conſtitutionibus ii, qui ultrà terminum ſibi aſſignatum, moram fecerint; vel ſine licentia reverti præſumpſerint, prout exprimitur in hoc Capitulo: ſicut declaratum fuit Romæ 1558. Immò quia gravius eſt egredi domo ſine licentia, quam ultra terminum aſſignatũ extra domum moram facere: illud ſeverius puniendum eſt, quam iſtud. Declaramus etiam pro hujuſmodi Conſtitutionis obſervantia, illud quoque ſæpius ordinatum, Romæ 1608. confirmatum eſſe: ut cuique fratri è domo exeunti, nominatim ſocius aſſignetur à Prælato, nec ulli detur licentia exeundi, niſi ei ſimul ſocius deſignetur. Fratres vero cum in domum redierint, quamprimum ſe ſiſtere debent Præſidenti Conventus, ut accepta ab eo benedictione, ipſe ſciat quid de eis actum ſit. Id verò toties quoties exierint, & redierint, facere debent, Romæ 1601,

(i) *Ne proclamet aliquem in Capitulo de crimine.*) Declaramus, quòd hujuſmodi proclamationes, quæ in Capitulis Religioſorum fieri ſolent, ſunt de quibuſdam levibus quæ famæ non derogant: & ideò potiùs ſunt quædam commemorationes oblitarum culparum, quam accuſationes, vel denunciationes: ac propterea fieri poſſunt, nulla, etiam ſecreta admonitione ſive correctione fratrum, præmiſſa. Si tamen talia eſſent, ut ob illa frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui hoc modo peccatum fratris non præmiſſa correctione fraterna publicaret: ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 4. Quapropter dictæ proclamationes regulariter loquendo, locum habent in iis, quæ continentur in *Cap. de levi culpa*, non tamen in aliquibus culpis contentis in hoc Capitulo, niſi correctione fraterna præmiſſa. Et multo minus tenetur ſeipſum quis accuſare publice de eiſdem culpis, niſi in caſu ſuprapoſito notorietatis facti.

(k) *Ne autem vitia occultentur; Prælato ſuo denunciet.*) Declaramus, hoc quod hic præcepit Conſtitutio, prudenter eſſe intelligendum, ſalvo ſcilicet ordine correctionis fraternæ, quam Dominus præcepit Matth. 18. verbis iſtis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Et hunc eundem ordinem hæc noſtra Conſtitutio ſervandum eſſe ſupponit, tum hic, tum in capite ſequenti num. 9. initio ipſius numeri, ubi hoc negotium clarius explicatur. Unde ſi frater qui commiſit crimen, non indiget correctione fraterna, quia jam eſt emendatus: quantumcunque adveniat præceptum Prælati, quod ſolet in viſitationibus communiter poni, non poteſt quis ipſum denunciare. Secus autem ſi inquiſitio fieret contra aliquem laborantem infamia, etiamſi jam ſit emendatus, quia in hoc caſu providetur bono communi. In duplici tamen caſu, non tenemur præceptum privatæ, & ſecretæ correctionis ſervare, ut docet S. Thom. loco nuper citato in corpore articuli: quando videlicet peccatum eſt publicum, vel quando eſt occultum quidem, ſed eſt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale. Nam in his caſibus, qui ſic peccat, non ſolùm in ſe peccat, ſed etiam in alios. Et ideò omiſſa privata correctione, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur, niſi fortè aliquis firmiter æſtimaret, quòd ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire. Si autem peccatum eſt publicum, non eſt tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat; ſed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publice arguenda, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Quod ſicut dicit Auguſt. lib. de verbis Domini cap. 16. *de peccatis publicis intelligitur.*

CAPUT XVIII.

De graviori Culpa.

I.

(*a*) GRavior culpa eſt, ſi quis per contumaciam, (*b*) vel manifeſtam rebellionem inobediens Prælato ſuo extiterit; vel cum eo intus, vel foris (*c*) proterve contendere auſus fuerit. (*d*) Si quis percuſſor fuerit. (*e*) Si quis crimen capitale, id eſt, pœna mortis in ſeculo puniendum commiſerit. (*f*) Si quis procuraverit, quod ipſe, vel alius, eximatur via non juridica à poteſtate ſui Prælati. Si quis rem ſibi collatam rece-

pe-

petit, de his quæ prohibentur recipi. Si quis rem ſibi collatam celaverit, quem B. Auguſtinus furti judicio dicit eſſe condemnandum. (*g*) Si proclamatus convictus fuerit, ſponte ſurgat, & veniam petens, ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus (ut dignam recipiat ſuis meritis ſententiam) vapulet, quantum placuerit Prælato; & ſit omnium noviſſimus in Conventu. Ut qui culpam perpetrando non erubuit membrum Diaboli fieri, ad tempus (ut reſipiſcat) ſequeſtretur à conſortio ovium Chriſti.

(a) *Gravior culpa eſt, ſi quis per contumaciam.*) Declaramus, quòd trangreſſoribus ſcienter præceptorum, & obedientiæ Superiorum poteſt, & debet imponi pro hujuſmodi tranſgreſſione per Præſidentem pœna gravioris culpæ: ſicut fuit ordinatum apud Caſtras 1352. hoc tamen intelligendum eſt ſi adſit contumacia atque rebellio. Nam ex vi hujus Conſtitutionis non ſufficit ad hoc ut quis incurrat pœnam gravioris culpæ, quod ſit transgreſſor præcepti poſiti à Prælato, & multo minus ſimplicis obedientiæ: ſed requiritur, quod interveniat contumacia, vel manifeſta rebellio, ut dicitur in textu.

(h) *Vel manifeſtam rebellionem.*) Declaramus, quòd manifeſta rebellio eſt, quando ſubditus pertinaciter verba ſui Prælati contemnit: puta, cum Prælatus juxta præſcriptum Conſtitutionis, dicit: Volo omninò quod facias hoc, & ſubditus dicit: Nolo facere. Et ſic obedientiam ſui Prælati tranſgrediens, debet pœna gravioris culpæ puniri, ſicut declaratum fuit Coloniæ 1428. Unde S. Thom 2. 2. qu. 39. art. 1. ad 2. dicit, quod tunc aliquis dicitur cum rebellione Prælato ſuo non obedire, quando pertinaciter ejus mandata contemnit, & judicium ſui Superioris ſubire recuſat.

(c) *Proterve contendere auſus fuerit.*) Declaramus, quòd proterva contentio, eſt improba & perverſa, ſeu ſuperba diſceptatio, vel impugnatio verborum cum tumultu. Unde proterve contendere cum Prælato, nihil aliud eſt, quam verba ipſius verbis tumultuoſis, vel clamoſis improbè, & perverſè ſeu ſuperbè impugnare: & talis debet puniri pœna gravioris culpæ.

Item declaramus, quòd nullus ſub pœna gravioris culpæ præſumere debet aſſerere Priorem ſui Conventus, non eſſe Priorem, neque ab ejus obedientia ſe ſubtrahere, donec per Superiores, ſi quid acciderit dubii fuerit declaratum, ſicut in Capitulo apud Valentiam 1364. declaratum fuit.

(d) *Si quis percuſſor fuerit.*) Declaramus; quòd ſi quis aliquem quocumque inſtrumento enormiter percuſſerit, ſuper ejus abſolutione Prior Provincialis conſulatur, & ipſe percuſſor interim ab aliis ſequeſtretur. Poſtquam autem fuerit abſolutus, pœna gravioris culpæ puniatur: quam ſaltem per duos menſes perfectè, & complere perſolvere teneatur, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Londinis 1314.

(e) *Si quis crimen capitale, id eſt, pœna mortis in ſeculo puniendum commiſerit.*) Declaramus in Capitulo Romano 1518. explicatum fuiſſe, & in Conſtitutionem redactum, quòd propter crimen pœna mortis in ſeculo puniendum præter prædictam pœnam gravioris culpæ debet qui illud committit carceri mancipari: ſicut etiam propter lapſum carnis. Propter quodcumque autem aliud crimen, quod ſit peccatum mortale, & committenti adferat infamiam: ſicut eſt falſum teſtimonium, ebrietas aſſidua, & horum ſimilia, ille qui peccat, pœna gravioris culpæ puniri debet.

(f) *Si quis procuraverit quod ipſe, vel alius eximatur via non juridica à poteſtate ſui Prælati*) Declaramus, quòd quicunque procuraverit correctionem (ſcilicet, de delictis in hoc capitulo contentis) de ſe vel de alio factam, vel aſſignationem quamcumque per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas impedire, pœna gravioris culpæ puniatur: & omnibus gratiis Ordinis ſit privatus, nec ad ipſas reſtitui poſſit, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale. Et eandem pœnam volumus incurrere eos, qui per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas procuraverint, quod frater aliquis de Provincia, vel de Conventu aliquo expellatur: ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Cadurcium 1319. & apud Rothomagum 1320.

Item denunciamus, non tantum acceptatam eſſe ab Ordine noſtro in Capitulo Romæ 1589. Gregorii XIII. Conſtitutionem, qua prohibetur fratribus, ne per perſonas extra obedientiam Ordinis conſtitutas, audeant ſibi aliquid in Ordine, ſub pœna inhabilitatis ad hæc & ſimilia, (niſi per Sedem Apoſtolicam diſpenſati fuerint) obtinenda, procurare: ſed etiam ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ præceptum fuiſſe, ne quiſpiam directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus, apud perſonas extra noſtrum Ordinem conſtitutas, & de noſtro Ordine non aſſumptas, gratiam aliquam, vel pœnarum remiſſionem à Prælatis noſtri Ordinis obtinendam, procuret; aut ad hunc effectum munera aliqua ſecularibus ſpondeat, vel exhibeat. Quæ Conſtitutio, una cum ordinatione Capituli ſupranominati, atque cenſuris, & pœnis in eo expreſſis, cum poſtea à Clemente VIII. & ſucceſſive à Paulo V confirmata fuerit, & illa quidem in Capitulo Venetiis 1592. hæc autem Romæ 1608 acceptata fuerit: ideo operæ pretium eſt, ut omnes Fratres meminerint ejus, quod Clemens VIII. cum priùs per gratias, quas per emendicatos favores nolebat concedi, quolcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, Prælaturaſque Ordinis intelligi debere ſignificaſſet, expreſſe præcepit illis verbis:

Et propterea dilectis Magiſtro Generali, Provincialibus, & aliis Prælatis, ac Superioribus ejuſdem Ordinis, non poſthac aliquod præmiſſorum cuiquam ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem perſonarum ſuperius expreſſarum quarumcumque quovis modo concedere; Religioſis verò ac Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque, non ſolum in præmiſſis omnibus ſecularium favorem minimè procurare; ſed nec etiam ſponte oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere: & ſimiliter, ne ad hunc effectum munera aliqua ſecularibus impendere, vel exhibere audeant, vel præſumant t authoritate Apoſtolica tenore præſentium in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub eiſdem pœnis in dictis Gregorii litteris contentis præcipimus, & expreſſe interdicimus, & prohibemus. Eadem authoritate ſtatuentes, quod omnes, & ſinguli in præmiſſis delinquentes, nulla alia moni-

tio-

tione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrant: quodque ad illas ſententias, & pœnas hujuſmodi damnabiliter incurriſſe legitime probandum, & omnino convincendum; ſolæ præmiſſarum perſonarum inſtantiæ, favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & ſufficientem in judicio, & extra fidem faciant, ne ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Item declaramus, quòd ſi quis Frater ſubditus, vel Prælatus inducat (ſcilicet vi, & metu, vel alio quocumque illicito modo) aliquem Fratrem per ſe, vel per alium ad electionem cujuſcumque Prælati, aut Officialis noſtri Ordinis: ſi in hoc deprehenſus fuerit, pœna gravioris culpæ puniatur; & ſit per triennium omni voce activa & paſſiva privatus, ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1286. & Burdigalæ 1287. & noviſſimè Bononiæ 1615. ad memoriam revocatur illud, quod in Decret. lib. 6. capit. *Sciant cuncti*, habetur iſtis verbis: Sciant cuncti, qui eos, ad quos ſpectat electio, pro eo quod rogati, vel inducti, eum pro quo rogabant, vel inducebant elig re noluerunt; ſpoliant, vel injuſte proſequuntur: ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt.

Item declaramus, Valentiæ 1596. & Romæ 1601. & 1608. ſtrictiſſimè ſub pœnis in Capitulo gravioris culpæ contentis prohibitum fuiſſe: ne quis Religionis negotia, ſive Fratrum ſint, ſive Monialium, quoquo modo deferre audeat, directè, vel indirectè, per ſe, vel per alios ad Tribunàlia extra Ordinem; utque id ſcientes, Superiori infra 12. dies denunciare, Superiores vero præmiſſis præmittendis, pœnam tranſgreſſoribus ſupra taxatam infligere teneantur. Ordinantes, ut quicumque Prælati ſui judicium recuſaverit, ſeveriſſimè puniatur: ſuper quo conſcientiam Prælatorum aggravamus. Qui nec ſe recuſatos judicent, ſed reos pœnitentiam ſibi injunctam ſubire cogant, & interim Superiores de omnibus certiores faciant.

(g) *Si proclamatus convictus fuerit.*) Declaramus, quòd licet ſecundùm jura convictus propriè dicatur, qui per teſtes in judicio convincitur: tamen convictus etiam dicitur, qui Prælato ſuo peccatum ſuum fatetur, coactus per aliquam excommunicationem, ſive per incluſionem, ſive per diſciplinas, & alias pœnitentias, licet talis propriè ſit confeſſus. Unde taliter convictus illas eaſdem pœnas Conſtitutionis incurrit, ſicut fuit declaratum apud Toloſam 1328. Accuſatus autem à pluribus non conteſtibus, ab uno de uno actu, à ſecundo de alio ejuſdem ſpeciei: talis non eſt convictus, nec poteſt ſententialiter condemnari; ſed benè poteſt ad quæſtiones poni. Similiter quando contra aliquem Fratrem habentur teſtimonia ſecularium fide dignorum, poteſt arctari ad dicendam veritatem, & ad quæſtiones poni; potiſſime quando infamia probata contra eum laborat, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. Quare ſi infamia præcedente, duo teſtes ſeculares deponunt contra aliquem Fratrem, talis poteſt ab aliis ſeparari, & veritas ab eo exturqueri. Immo infamia, & unus teſtis, vel infamia, & una vehemens ſuſpicio, ſufficiunt ad ſeparationem alicujus Fratris puniendi: & talis ſic ſeparatus tenetur Judici veritatem dicere de eo crimine, de quo infamatus eſt, non ſolum de ſe, ſed & de alio; ſi tamen alius ſimiliter fuerit diffamatus, atque ab eo ſic ſeparato petatur veritas juxta ordinem juris, quia mentiri in judicio, eſt peccatum mortale. Eo autem ipſo, quod propter unum crimen Judex in aliquem juſte inquirit, & contra eum procedit, ex hoc ipſo non poteſt inquirere, & procedere contra ipſum de aliis criminibus occultis: adeo ut qui de uno crimine infamatus eſt, non tenetur alia crimina, de quibus non eſt infamatus, etiamſi de illis à Judice interrogatus fuerit, confiteri, ſecundùm Caietan. 2. 2. quæſt. 69. art. 1. & 2. Ideo caveant Prælati ab hujuſmodi inquiſitione occultorum criminum, quia peccant ipſi præcipiendo, vel inquirendo, & ſubditi non tenentur obedire; non tamen poteſt reus, etiam infamatus per ſententiam, ad pœnam ordinariam condemnari, niſi fuerit per duos teſtes, vel per propriam confeſſionem convictus.

I I.

POEna autem ſequeſtrationis tunc tantum locum habeat, quando propter peccatum morrale ad pœnam gravioris culpæ quis eſt damnatus. In Refectorio quoque ad communem menſam cum cæteris non ſedebit: ſed in medio Refectorii (*h*) ſuper nudam terram comedet; & providebitur ei ſeorſim panis groſſior, & potus aquæ. Nec reliquiæ prandii ſui cum aliis miſceantur: ut cognoſcat, ſe ita eſſe ſequeſtratum à conſortio aliorum, quod privetur (niſi per pœnitentiam redeat) conſortiis Angelorum: ad Canonicas Horas, & gratias poſt comeſtionem, ante oſtium Eccleſiæ tranſeuntibus Fratribus proſtratus jaceat, dum intrant & exeunt: nullus autem ſe audeat conjungere illi, vel aliquid mandare.

(h) *Super nudam terram comedet.*) Declaramus, quòd in Refectorio pro ſedentibus in terra pro graviori culpa, debet haberi aſſer aliquis immediatè juxta terram, ſuper quem ponantur cibaria, videlicet panis, & aqua: & ipſi debent ſedere ſuper nudam terram. Pro aliis vero, qui ſedent in terra pro fractione ſilentii, vel pro aliis defectibus: debent haberi aſſeres, ſuper quos ſedeant; & aliqua menſa, vel forma lignea, ſuper quam comedant.

I I I.

PRælatus tamen (ne in deſperationem labi poſſit) mittat ad eum, qui eſt in graviori culpa ſeniores: qui commoneant eum ad pœnitentiam, provocent ad pœnitentiam, foveant per compaſſionem, hortentur ad ſatisfactionem, adjuvent per ſuam interceſſionem; ſi viderint in eo humilitatem cordis. Quibus etiam ſuffragetur totus Conventus. (*i*) Nec renuat Prælatus cum eo facere miſericordiam: & ſi videbitur ei, denuo vapulet ad pedes ſingulorum primo Prælati, deindè utriuſque lateris ſeſſorum. Talis quandiu erit in hac pœnitentia, non communicet, nec veniat ad oſculum pacis. Si Prædicator eſt, prædicationis officium non exerceat: non notetur ad aliquod officium in Eccleſia, nec ulla ei committa-

tatur obedientia: nec vocem habeat (niſi in ſui accuſatione) (*k*) ante plenariam ſatisfactionem, (*l*) vel donec per Magiſtrum Ordinis, aut Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis fuerit reſtitutus. Si fuerit Sacerdos, vel Diaconus, his Officiis non fungatur, niſi poſtmodum religioſe converſatus fuerit.

(i) *Nec renuat cum eo Prælatus facere miſericordiam.*) Declaramus, quòd quando Frater aliquis de gravi aliquo delicto accuſatur, ac per teſtes convincitur, vel ipſe in loco judicii confitetur, Prælatus non poteſt ei parcere quoad pœnas privativas, quæ in noſtris Conſtitutionibus continentur. Et ſi dicatur, cum confeſſo eſſe mitius agendum, ac proinde tales ei pœnas remittendas eſſe: reſpondetur, quod in pœnis poſitivis, puta, quod maneat in carcere, quod comedat in terra in pane & aqua cum proſtrationibus tot diebus, quod dicat tot Pſalteria, & accipiat tot diſciplinas, ſi ſponte confitetur, cum eo mitius eſt agendum: & quoad hujuſmodi pœnas poteſt Prælatus ei parcere de conſilio diſcretorum. Sed quoad pœnas privativas, puta, quod ſit privatus voce activa, vel paſſiva, vel gratiis Ordinis, vel Officio prædicationis, & aliis hujuſmodi, quæ in noſtris Conſtitutionibus continentur, & quæ ſunt Canonis latæ ſententiæ non poteſt Prælatus, etiam cum ſponte confeſſo diſpenſare; ſed hoc pertinet ad Magiſtrum Ordinis, vel ad Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1328. & Coloniæ 1301. & Baſileæ 1473. Ad cujus Conſtitutionis obſervationem Valentiæ 1596. declaratum eſt: pœnas omnes privativas in noſtris Conſtitutionibus contentas, quando adeſt clauſula (ipſo facto) ſola facti declaratione incurri: ita ut non poſſit Judex ipſas minuere in ſententias ferenda.

(k) *Ante plenariam ſatisfactionem.*) Declaramus, quòd cum ad plenariam alicujus debiti ſatisfactionem alterum duorum requiratur: videlicet, aut debiti ſolutio ex parte ejus, qui ſatisfacere tenetur, quando videlicet ſolvit debitum; vel debiti relaxatio ex parte illius, qui poteſt debitum relaxare, quando videlicet ille, cui ſatisfaciendum eſt, remittit debitum: ita in propoſito, ſi ille, qui eſt in graviori culpa, ſit adjudicatus ad faciendam talem pœnitentiam uſque ad annum, menſem, vel ad alium terminum, & pœnitentiam ſibi injunctam facit, vel Prælatus qui poteſt, talem pœnitentiam remittit, vel relaxat; dicitur plenè ſatisfeciſſe, ſicut fuit declaratum apud Toloſam 1328.

(l) *Vel donec per Magiſtrum Ordinis &c.*) Declaramus circa hæc verba, quod licet antiqua Conſtitutio facta apud Montem Peſſulanum 1316. & in duobus Capitulis immediate præcedentibus inchoata, & approbata ſic diſponeret, ut legeretur conjunctive, ſcilicet; (ac donec per Magiſtrum Ordinis) poſtea tamen in Capitulo Romano 1518. nova fuit edita Conſtitutio per tria Capitula immediate continua, juxta modum inchoationis, & approbationis, ac per eam fuit decretum: ut copulativa mutaretur in disjunctivam, & dicatur: (vel donec per Magiſtrum &c.) ac propterea ille, qui eſt in graviori culpa, cum primum ſatisfecerit, poteſt illis officiis, quibus privatus fuerat, fungi, & voce activa, vel paſſiva potiri, abſque nova reſtitutione à Magiſtro Ordinis, vel Diffinitoribus exſpectanda; niſi fortè in ſententia privationis eſſet expreſſum, quod illis non fungatur, donec fuerit reſtitutus. Illi porro, qui de cætero abjuraverint, tanquam de Hæreſi vehementer ſuſpecti, non poſſint à quocumque etiam Magiſtro Generali reſtitui, aut promoveri ad aliquod officium, aut dignitatem toto tempore vitæ eorum: ſed permittantur in humilitate deflere peccatum ſuum; irritum decernentes, quidquid in oppoſitum factum fuerit. Romæ 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

IV.

SI quis autem (quod Deus avertat) (*m*) in peccatum carnis lapſus fuerit, (*n*) aut furtum commiſerit, quod ſit notabile judicio diſcretorum: (*o*) vel litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium, vel eorum ſigilla falſificaverit, vel falſificatis ſcienter uſus fuerit; aut in Prælatum ſuum manus injecerit temere violentas, aut quemcumque lethaliter, vel graviter, & atrociter percuſſerit, aut infra ſepta Monaſterii ſuper ſe arma invaſiva portare præſumpſerit, ut aliquod prædictorum fieri fecerit: (*p*) carcerali cuſtodiæ mancipetur.

V.

(*q*) SI quis etiam alteri Fratri Ordinis, vel ipſi Ordini crimen falſò impoſuerit, propter quod crimen ſecundùm noſtrarum ſeriem Conſtitutionum Frater aliquis carcerem mereretur: aut crimina quæcumque hujuſmodi Fratrum ſecularibus perſonis, & extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutis revelaverit, unde Fratri, vel Ordini infamia, vel damna fuerint ſubſecuta; modo conſimili carcerali cuſtodiæ mancipetur. Et nolumus, quod hujuſmodi Ordinis deſtructores, poſſint (niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale Capitulum) liberari. Idem dicimus de Fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos luſiſſe, (*r*) aut in ſententiam excommunicationis à quocumque Judice noſtri Ordinis rite latam, ſcienter incidiſſe: quos etiam pœnæ carceris volumus ſubjacere.

(m) *In peccatum carnis.*) Declaramus, in Capitulo Salmanticenſi 1551. iſtud editum fuiſſe. Item ordinantes, admonemus omnes Priores tam Conventuales, quam Provinciales, ut in pœnitentiis (præſertim in Conſtitutionibus taxatis) imponendis ſint ſeveriores: & in his maximè, quæ ad honeſtatem pertinent, unde ſolet ex paucorum erratis tota Religio infamari, & in aliis, quæ in capit. *de Graviori Culpa* continentur.

(n) *An furtum commiſerit.*) Declaramus, in Capitulo Romano 1583. fuiſſe ordinatum: ut qui ſemèl reperti fuerint furtum grave feciſſe de rebus Monaſterii, (præter alias pœnas) priventur officio, & inhabiles reddantur ad quamcumque adminiſtrationem rerum temporalium.

(o) *Vel litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium &c.*) Declaramus, quòd præter pœnas hic contra falſificantes litteras Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium conſtituras, aliæ ſuperadduntur in Capitulo *de Apoſtatis* prope finem.

(p) *Carcerali cuſtodia mancipetur.*) Declaramus, quòd illi proprie carceri mancipati intelliguntur, qui per diffinitivam ſententiam ſunt ad carcerem condemnati. Qui vero ad inquirendam veritatem ſunt in cuſtodia detenti, dicuntur ſeparati, vel arreſtati: ſicut fuit declaratum apud Rothomagum 1320. Item declaramus, quòd Priores non poſſunt, nec debent proprio judicio incarcerare Fratres ſine conſilio diſcretorum: qui autem per ſententiam fuerint incarcerati, ſi inventi fuerint culpabiles, non debent inde extrahi, vel liberari ſine licentia Provincialis, ſicut fuit declaratum Pariſiis 1326. & apud Toloſam 1328.

Item declaramus, quòd Joannes XXII. ordinavit, quod Frater qui fuerit carceri judicialiter mancipatus, ſemota omni crudelitate, ſecundùm quantitatem, & qualitatem ſuorum exceſſuum debet in eodem carcere teneri, & etiam aliis diſciplinis, & abſtinentiis puniri: ita quod rigor carceris exterminium non pariat, ſed ad meliora provocet delinquentem: Item declaramus, quod Bonifacius VIII. in Bulla, quæ incipit, *Ad augmentum &c.* ſtatuit, & ordinavit: quod Prælati Ordinis noſtri, ad quos punitiones, & correctiones Fratrum delinquentium ſpectant, poſſint liberè punire, & corrigere Fratres delinquentes, ſecundùm conſuetudines approbatas, & inſtituta ipſius Ordinis generaliter facta, & etiam facienda, ſimulis, & apicibus juris, ac etiam ordine juris poſtpoſitis, dummodò ſubſtantialia juris ſerventur, quæ præcipuè ſunt quatuor. Primum, ut contra aliquem non procedatur, niſi accuſatum, denunciatum, aut infamatum: juxta tres modos procedendi à jure ſtatutos; per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem. Secundùm, ut teſtes examinentur per præceptum formale. Tertium, ut abſens vocetur, & per duos ad minùs teſtes vel conteſtes per propriam confeſſionem convincatur. Quartum, ut indefenſus non condemnetur ad pœnam ordinariam, niſi fuerit contumax. Nec licet eiſdem fratribus ab Ordinis punitionibus, & correctionibus aliquatenus appellare, niſi appellatio gradatim fiat: ut Capit Roman. 1589. ex decreto Sac. Congregationis Regularium deonciato ,ſtatutum eſt. Eſt autem decretum hujuſmodi conformiter ad conſtitutionem Bonifacii IX. de quaz. diſtinct.cap. 18. his verbis pronunciatur. Quoniam nonnulli vagandi ſtudioſi, dum imminentes commiſſorum criminum pœnas ex ſuis Conſtitutionibus, aut alias debitas ſibi metunt: falſa, & commentitia gravamina cauſati, non immediatè ad ſui Ordinis Superiores, ſcilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali, ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, prout cujuſcunque Religionis Conſtitutionibus diſponitur, ſed ad hanc Romanam Curiam abſque licentia fugiunt potius quam recurrunt, ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores evadunt: placuit Sacræ Congregationi ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere; ut ſi quis Regularium inpoſterum temere, levivè ex cauſa hanc almam Urbem, ſeu Curiam abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores ſeveriori pœna plectendus remittatur.

Item declaramus in Capitulo Romano 1558. decretum fuiſſe contra facinoroſos hoc modo. Denunciamus in noſtro Diffinitorio fuiſſe concluſum, & decretum: quod Reverendi Provinciales cum ſuo Diffinitorio, vel cum quatuor Patribus Provinciæ, aut qui fuerunt aliquando Diffinitores Provincialis Capituli, delictis majoribus, & facinoroſis hominibus poſſint adhibere pœnas extraordinarias (etiam triremium) in delictis gravioribus apud ſeculares notis. Qui autem ad triremes etiam ad tempus fuerint condemnati juridice, & ſententia fuerit executioni mandata, ſunt ipſo jure irregulares, & privati perpetuo executione ordinum ſuorum, cujus privationis mentio inſeratur in ſententia diffinitiva. Quod etiamſi non inſeratur, illi tamen ſunt ea executione de facto privati.

Item declaramus, quòd Priores Provinciales debent facere, quod in omnibus Conventibus ſuæ Provinciæ ſint firmi, & fortes carceres, ubi puniantur criminoſi, & rebelles: ſicut ordinatum fuit Bononiæ 1238. & Lugduni 1274. & apud Argentinam 1296. & iterum Lugduni 1536. Et Romæ 1546 præceptum fuit Prioribus in quorum Conventibus carceres deputati non ſunt, ut infra ſex menſes eos conſtitui, atque aptari ac muniri faciant: quod ſi realiter, & cum effectu non præſtiterint, careant in Provinciali Capitulo voce activa, & nullo modo admittantur ad illam. Et poſtea ibid. 1569. ſic habetur: Admonemus omnes Priores Conventuales, ut ordinationes de muniendis carceribus omninò mandent executioni: qui infra ſex menſes à notitia præſentium id non præſtiterint; à Priore Povinciali in viſitatione abſolvantur. Volentes quod ordinatio facta apud Carcaſſonam 1378. quæ eſt infraſcripti tenoris, obſervetur: Firmiter mandamus obſervari, ut quicunque frater alium fratrem de carcere extraxerit, vel ad exeundum, ſeu ad frangendum carcerem, inſtrumentum aliquod alicui incarcerato, vel per ſe, vel alium miniſtraverit, carceri realiter, & de facto mancipetur. Et in Capitulo Lucæ 1288. & Toloſæ 1362. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, quod quicunque Frater noſtri Ordinis ad liberationem alicujus Fratris incarcerati operam dederit efficacem, ex præſentis ſtatuti ipſo facto excommunicationem incurrat, & pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat. Declarantes, quòd fratres incarcerati, non ſunt ipſo facto bonis, & rebus ſibi conceſſis privati: ſed debent conſervari ut poſſint ſuo tempore eis reſtitui, ſi Superiores hoc expedire judicaverint; vel ad Conventus ſuos, vel ad eos in quibus detinentur deputati, ſicut fuit ordinatum apud Perpinianum 1327. & Burgis 1369 Et in Capitulo Januenſi 1513. ordinatum fuit, quod ſuadens alicui fratri fugam ex carcere, aut quomodolibet coadjuvans ad hoc: ſit ipſo facto privatus voce activa, & paſſiva, & pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat, per dies decem intra menſem adimplendæ. Frangens autem ſeram carceris, per tres menſes ad carcerem deputetur: ita quod elapſis tribus menſibus poterit à Prælato liberari.

Expenſas porro, quas fieri contigerit, & pro captura, & pro carceratione Fratrum: à primo die detentionis, uſque ad diem eductionis eorum; ſolvant Conventus, quorum ſuot filii. Neapol. 1600.

(q) *Si quis etiam alteri Fratri Ordinis, vel ipſi Ordini crimen &c.*) Declaramus, In jure communi ſtatutum eſſe, ut non probantes objecta, & maximè contra Superiores; etiamſi ſe non obligaverint ad pœnam talionis, eadem ſunt puniendi, *extr. de calumn. cap.* 2. In Capitulo

au-

autem Romano 1580. iſtud ex Capitulo Avenionen. 1561. contra infamatores fratrum confirmatum ſtrictiſſimè fuit:ne de cætero Frater aliquis, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, ſcribere præſumat per ſe, vel per alios litteras criminoſas, ad quoſcunque intus, vel extra Ordinem, ſine proprii nominis ſubſcriptione. Item ibidem eſt ordinatum, graviſſimè eſſe puniendos detractores, etiamſi vera dicerent, contra ordinem charitatis: puniendos inquam uſque ad pœnam gravioris culpæ incluſivè; ſi Prælato de conſilio Patrum, pro rei gravitate ita viſum fuerit. Si quis autem de Superioribus ſuis, crimina quæ probari non poterunt evulgare præſumpſerint, volumus eos per triennium carcerali cuſtodiæ mancipari. Et Romæ 1601. de mandato Clementis VIII. ordinatum, ac Valliſoleti 1605. confirmatum fuit, ut ſi qui tam temerarii, & audaces fuerint, nec Deum timentes, nec homines reverentes; ut Sanctiſſimo aliqua memorialia exhibere attentaverint, in quibus aliquid falſum contra fratres ſuos, & præcipuè contra Prælatos ſit contentum, ſeveriſſimè puniantur. Item ut pœnæ à Conſtitutionibus taxatæ, deficienti in accuſatione alicujus Fratris, addatur quod hæc pœna omnino, & indiſpenſabiliter infligatur, & quod perpetuo inhabilis ſit ad quaſcunque dignitates, & infamis; nec ei in tribunalibus fides aliqua adhibeatur. Quod tamen volumus intelligendum, quando delictum de quo alium accuſat, erit grave, & non aliter. Et Neapoli 1600. ordinatum fuit: quod ſcribentes libellos famoſos, non poſſint ſuper pœnis ſibi inflictis diſpenſari: niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

(r) *In ſententiam excommunicationis &c.*) Declaramus, excommunicationem eſſe duplicem: altera eſt juris, & altera Judicis. Judicis ea eſt, quæ à Judice, vel Superiore poteſtatem habente, in ſcriptis, per verba in Prologo præſcripta, trina monitione canonica præmiſſa, profertur. Juris illa eſt, quæ in lege ſcripta, per eadem verba, exprimitur. Quarum numerum, pro notitia fratrum, in quantùm eos attingere poſſunt, volumus adjungere.

Iſtæ ſunt Excommunicationes à Conſtitutionibus.

1. QUicumque apoſtataverit. *Cap. de Apoſtat.*

2. Litteras Magiſtri Ordinis, vel Provincialium, ſeu ſigilla eorum falſificaverit, vel falſificatis ſcienter uſus fuerit. *ibidem.*

3. Ut cura Monialium, vel quarumcunque mulierum Fratribus Ordinis, ſine licentia Magiſtri Generalis committatur, curaverit. *Cap. de Domibus conced.*

4. His quæ circa electionem Magiſtri Ordinis ſtatuta ſunt contraire præſumpſerit. *Cap. de Electione Magiſtri Ordin.*

5. Cauſam depoſitionis Magiſtri vel Provincialium, vel eorum exceſſum, aut correctionem; vel ſecretum Capituli, diſſenſiones Diffinitorum vel Fratrum, unde Ordo poſſit turbari vel infamari, extraneis publicaverit. *Cap. de Capitulo Generali.*

6. Ad diviſionem Ordinis, verbo vel facto laboraverit. *Ibidem.*

7. Si Provinciales Diffinitoribus vel Diffinitores Provincialibus, per ſuas diffinitiones præjudicaverit. *Ibidem.*

8. Bullas prædicaverit, aut quæſtus extraneos, vel perſonales fecerit, ſine licentia Magiſtri Ordin. *Cap. de Prædicat.*

9. Ad inferiorem dignitatem Epiſcopali, extra Ordinem electo licentiam acceptandi dederit, vel eandem dignitatem acceptaverit. *Cap. de itinerant.*

10. Gradum Magiſterii, niſi quatuor annos in aliqua Univerſitate legiſſet, acceptaverit. *Cap. de Student.*

11. Ad legendum pro forma, & ad honorem Magiſterii, ſine approbatione Capituli promotus. *Conſtitut. Bonif. IX.*

12. Examinatores, ſi ignarum linguæ Latinæ, & ad habitum vel profeſſionem Capitulo propoſuerint. *Cap. de Recipiend. ex Conſt. Sixti V.*

13. Prælati, qui non probatæ vitæ pro ſuſcipiendis Sacris Ordinibus, vel non in legitima ætate conſtitutos miſerint, *Capit de Itinerantib.*

14. Prælati, qui non ſufficientes, nec per quinque aut ad minùs tres examinatores, aliquos ad prædicationis officium, aut confeſſiones ſecularium, & Fratrum excipiendas admiſerint. *Cap. de Prædicatoribus.*

15. Prælati, qui ædificium notabile, ſine aſſenſu majoris partis Patrum à conſiliis, & conſilio peritorum, ac licentia Provincialis inchoaverint; vel veteri derelicto, novum inſceperint. *Cap. de Domib. conced. ex Conſtit. Sixti V.*

16. Gratias aliquas, vel pœnarum remiſſionem, per perſonas extra Ordinem conſtitutas, non autem ex Ordine aſſumptas poſtulaverint. *Cap. de Graviori Culpa.*

Sequentes Excommunicationes ſunt ex jure communi, quæ poſſunt afficere Regulares.

1. SI quis violentam manum in Clericum injecerit. *Can.* Si quis ſuadente 17. q. 4.

2. Sacramenta Euchariſtiæ & extremæ unctionis ſecularibus extra caſum neceſſitatis, ſine licentia miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare ſine licentia Parochorum præſumpſerit. *Clem. de Privil.* Religioſi.

3. Ad vovendum, jurandum, vel promittendum ut ſepulturam in Eccleſiis Ordinis eligant, ſeculares induxerit. *Clem. de pœnit. Cap.* Cupientes.

4. Interdictum S. Sedis violaverit *Cap.* Si Dominici, *de pœnit. & remiſſ.*

5. Pro ingreſſu Religionis aliquid dederit, vel receperit. *Cap.* Sanè. *de Simonia.*

6. Partem adverſam in materia de peccato Originali Beatæ Virginis Mariæ hæreſis, aut peccati mortalis damnaverit. *Cap.* Grave nimis, extra: *de Reliq.*

7. Miracula falſa vel incerta, aut prochetias in Bibliis non contentas, in Sermonibus publipè prædicaverit; vel Epiſcopis, & ſtatui eorum detraxerit. *Concil. Lateranen.* ſeſſ. 11.

8. Eos qui rogati vel inducti, ut aliquem in Monaſteriis eligerent, noluerunt eligere, ſpoliaverit, vel perſecutus fuerit. *Cap.* Sciant cuncti, *de elect. in 6.*

9. Decimas ad ſe non ſpectantes, appropriare ſibi præſumpſerit. *Cap.* Religioſi, *de Decimis.*

10. Ut Leges, vel Phyſicam audiat, extra clauſtra exierit. *Cap.* Ut periculoſa. *Ne Clerici in 6.*

11. Nova loca vel domos ad habitandum receperit, vel recepta mutaverit, aut tranſtulerit ſine licentia. *Cap.* Unicus, *de exceſſib. in 6.*

12. Ad curias Principum abſque licentia, ut Prælatis ſuis vel Monaſterio damnum inferat, acceſſerit. *Clement.* Ne in agro. *De ſtatu Monach.*

13. Libros interdictos legerit, aut detinuerit. *Bulla Cœnæ Domini.*

14. Religionis habitum profeſſus, temere dimiſerit. *Capit* Ut perniciosa. *Ne Cleric. in 6.*

15. Matrimonium contraxerit. *6. Clem. de Conſanguin.*

16. A ſolutione decimarum auditores ſuos retraxerit. *Cap.* Cupientes, *de pœnis.*

17. Interdictum à matrice Eccleſia ſervatum, non ſervaverit. *Cap.* Et frequentibus. *de ſententia excommunicat.*

18. Abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ad alium Ordinem, excepto Carthuſiano, tranſierit. *Cap.* Viam ambitioſæ, extra, *de Regularibus.*

19. Intra ſepta Monaſterii arma tenuerit. *Cap.* Ne in agro, *de ſtatu Monach.*

20. Libros ſine licentia Ordinarii vel Inquiſitoris impreſſerit. *Concil. Lateranen.*

21. Bona Eccleſiaſtica quoquomodo alienaverit, vel ultrà triennium locaverit. *Paulus II. in Extrem.* Ambitioſæ.

22. A caſibus in Bulla Cœnæ Domini abſolverit. *In eadem Bulla.*

23. Licere Sacerdoti exiſtenti in peccato mortali, non præmiſſa confeſſione, habita tamen copia Confeſſoris, celebrare defenderit. *Concil. Trident.* ſeſſ. 13. cap. 11.

24. Monaſteria Monialium ſine licentia ingreſſus fuerit. *Idem* ſeſſ. 25. cap. 5. Et abſque neceſſitate. *Gregor. XIII.*

25. Mulierem ad ſuſcipiendum habitum Religionis, vel emittendam profeſſionem coegerit: vel alicui ex his actibus conſenſerit, vel eum ſua præſentia authorizaverit. *Ibidem* cap. 18.

26. Ne aliqua mulier Religionis habitum ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat, ſine juſta cauſa impedimentum præbuerit. *Ibidem*, cap. 16.

27. A. Novitiis & Novitiabus, vel curatoribus eorum, aliquid præter victum & veſtitum, ante profeſſionem ſi Superior Monaſterii receperit. *Ibidem*, cap. 16.

28. Lector, ſi non præmiſſa profeſſione Fidei, Theologiam, vel Philoſophiam, aut Artes liberales legerit. *Pius IV. Cap.* In ſacroſancta.

29. In Decreta Concilii Tridentini, ſine licentia Apoſtolica commentarios, gloſſas, vel annotationes edere præſumpſerit. *Pius IV. Cap.* Benedictus.

30. Mulieres intra Conventum introduxerit aut admiſerit. *Pius IV. Cap.* Regularium.

31. Per litteras, aut internuncios confiteri, vel abſolutionem eodem modo recipere, ſi quis docuerit. *Clem. VIII.*

32. Officiales ſancti Officii in perſonis vel rebus offenderit. *Pius IV. Cap.* Si de protegendis.

33. Inquiſitores, & eorum Officiales, qui odii vel amoris, lucri aut commodi temporalis cauſa, contra conſcientiam omiſerint procedere: aut falſo contra aliquem de hæretica pravitate proceſſerint. *Cap.* Multorum, *de hæreticis.*

VI.

(ſ) SI quis autem tale quid extra Monaſterium commiſerit, Frater qui cum eo eſt ſtudeat ejus exceſſum Prælato quantocius corrigendum intimare. Correctus verò ad locum in quo tale quid commiſit, ulterius non redeat: niſi ita religioſe converſatus fuerit, quod per Diffinitores Generalis, vel Provincialis Capituli illuc reverſurus judicetur. Si vero hujuſmodi peccatum occultum fuerit, diſquiſitione ſecreta ſecundum tempus, & perſonam, condignam agat pœnitentiam.

(ſ) *Si quis autem tale quid extra Monaſterium commiſerit.*) Declaramus, quòd licet in Capitulo Burdigalæ 1324. fuerit declaratum, hanc culpam ad lapſum carnis juxta Conſtitutionis ſeriem tantummodo debere referri: tamen etiam referenda eſt ad alia crimina, quæ fuerunt præmiſſa; ſcilicet furtum, percuſſionem gravem, ſeu lethalem &c. Hæc enim crimina cum ſcandalum generent extra Monaſterium commiſſa, indigent remedio in præſenti adhibito.

Item volumus, ut Superiores meminerint Decretorum Concilii Tridentini pro delinquentibus extra clauſtra. Primum ita habet *ſeſſ. 6. cap.* 3. *Nemo ſecularis, Clericus, vel Regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur: quominus ſi deliquerit ab Ordinario loci tanquam ſuper hoc à Sede Apoſt. delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi valeat.* Alterum eſt *ſeſſion.* 25. *cap.* 14. hujuſmodi. *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui inter clauſtra Monaſterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit: Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſevere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem reddat. Sin minus, à ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Pro cujus decreti executione, Clemens VIII. hoc addidit. *Cæterum ſi Superior in delinquentem Fratrem ut ſupra non animaverterit, quinimo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſim transmiſerit: volumus motu proprio, & authoritate Apoſtolica decernimus, ut Superior inſtante Epiſcopo, infra terminum ab Epiſcopo præfigendum, ſub pœnis indignationis noſtræ, privationis officiorum & dignitatum, ac inhabilitationis ad illa & alia, & privationis vocis activæ & paſſivæ, (ad quæ non niſi per Sedem Apoſtolicam reſtitui poſſit) ipſo facto incurrendis; ipſum Regularem delinquentem à loco ad quem tranſmiſſus fuit revocare, & in quo deliquit conſtituere teneatur. Quod ſi hoc facere prætermiſerit, ſtatuimus, ut Ordinarius loci ad quem delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab Ordinario loci in quo deliquit requiſitus, vel alias de illius delicto informatus, tanquam Sedis Apoſt. delegatus prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in delinquentem Regularem ſevere animadvertere poſſit & debeat.*

VII.

(t) SI quis autem de mala familiaritate notabiliter ſuſpectus fuerit, & poſt admonitionem à Prælato, de conſilio diſcretorum Fratrum coram eiſdem pluries ſibi factam ſe non correxiſſe deprehenſus fuerit: præcipiatur ei in virtute ſanctæ obedientiæ per Prælatum, coram illis, coram quibus monitus fuerat, ſi præſentes fuerint; vel coram aliis decretis de conſilio eorundem, ut à tali familiaritate deſiſtat. Quod ſi tale præceptum tranſgreſſus fuerit, poſtquam hoc legitime conſtiterit, tanquam reus & convictus de ſuſpecto crimine habeatur.

(t) *Si quis de mala familiaritate.*) Declaramus, quòd Religioſi debent evitare conſortium & familiaritatem mulierum: tum propter periculum, quia multi Epiſcopi & Clerici poſt magnalia & ſigna miranda ſanctitatis naufragari noſcuntur propter mulierum conſortia, ut dicit Sanctus Auguſtinus; tum propter infamiam, quam ex tali familiaritate incurrunt, & bonum nomen amittunt, quod debet magis conſervari,

quam

quam divitiæ: tum tertiò propter notam talis exempli; quia cum viri perfecti inhærent prædictis familiaritatibus, dant occaſionem m ootibus idem faciendi, & cum ſint infirmi, de facili in peccatum corruunt. Unde nec propter utilitatem temporalem, nec propter deſiderium ſalutis debent Religioſi cum mulieribus converſationem aut familiaritatem habere, ſicut dicit Sanctus Auguſtinus: præcipuè quando mulieres ſunt innuptæ, & maxime juvenes, vel quæ continentiam ſervant, ſub ſpecie vel habitu ſanctitatis; de quibus Sanctus Hieronymus admonebat: *Fœminam, quam videris bene converſantem, mente dilige, ſcilicet ſecundum Deum, non corporali converſatione*, ut habetur diſt. 32. cap. *Hoſpitiolum.*

Item denunciamus, in Capitulo Romano 1566. & 1571. & Barcinonæ 1574. ſub pœna gravioris culpæ per unum menſem pro prima vice, pro aliis vero vicibus ad arbitrium Prælati: ac deinde Romæ 1580. & 1583. ſub eadem pœna gravioris culpæ; atque deinde Venetiis 1592. ſub pœna privationis omnium graduum, dignitatum, ſive officiorum, vocis activæ & paſſivæ, aut carceris per ſemeſtre reſpective, præceptum, atque etiam à Sacra Congregatione Regularium ex ordine expreſſo Sixti V. ordinatum fuiſſe: ne aliquis, exceptis Superioribus, Viſitatoribus, & Confeſſoribus ordinariis, & extraordinariis, in his dumtaxat, ſine quibus officium ſuum exercere non poſſunt, extra caſum neceſſitatis, ſine debita licentia audeat ad Monaſteria Monialium cujuſcumque Ordinis accedere: nec cum iiſdem loqui, aut litteras, nuncios, vel munera illis mittere, vel ab eis accipere; etiam ſi pro ſacro faciendo, concionesve habendas, ad præfata Monaſteria miſſus fuerit. Admonentes A A. R R. PP. Provinciales, ut nonniſi perſonas ætate graves, maturas, ac diſcretas, religioſiſque moribus ornatas, in Monialium Confeſſores præficiant, ut earum ſaluti ſpirituali, & profectui in via Dei conſulere poſſint.

VIII.

(u) SI quis per conjurationem, vel conſpirationem, vel malitioſam concordiam adverſus Priores, vel Prælatos ſuos manifeſte ſe erexerint, ſupradicto modo pœniteant: & de cætero in omni vita ſua extremum locum ſui Ordinis teneant; & vocem in Capitulo non habeant. Neque eis aliqua committatur obedientia, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis fuerint reſtituti.

(u) *Si quis per conjurationem &c.*) Declaramus, ad tollendas rebelliones, & conſpirationes, ordinatum fuiſſe in Capitulo Romano 1525. ut nullus ad Superiores recurrat contra Provincialem pro ejus amotione impetranda, aut pro impetrando Viſitatore; niſi habeat commiſſionem à majori parte Priorum illius Provinciæ: oppoſitum autem faciens ipſo facto pœnæ gravioris culpæ ſit ſubjectus. Et in Capitulo Lugdunenſi 1536. & Romano 1539. dicitur: Declarantes, quòd ſubſcriptiones litterarum, & conſenſus Fratrum non poſſunt fieri à Conventibus, niſi Patres, & Fratres ſubſcribentes, & conſentientes ſint inſimul congregati in aliquo uno loco: & hoc idem dicimus de Patribus Provinciæ ſubſcribentibus ſe, vel conſentientibus in aliquibus litteris. Et quod videantur, & ſciantur, quæ in litteris continentur, & ſcribuntur, & hoc ſub pœna gravioris culpæ, declarantes, & determinantes, omnia quæ in contrarium fient, eſſe irrita, & invalida, & nullius roboris, vel momenti. Admonentur etiam Fratres in Capitulo Romano 1558. ut ſervent hanc ordinationem, cum jam conſtitutio facta ſit. Item declaramus in Capitulo Valentino 1596. ſic haberi: Ordinamus, & inviolabiliter obſervandum præcipimus, ut Fratres ad pœnam gravioris culpæ condemnati, in Conventibus parvis minimè aſſignentur, ſed in magnis, ubi ſuas pœnitentias humiliter adimplere, & melius Obſervantiæ Regulari operam dare poſſint. Ordinamus etiam, ut in poſterum defunctorum Fratrum proceſſus combinantur, dummodo ſine præjudicio juſtitiæ, eorum qui vita ſuperſtites ſunt, fieri poſſit. Quod etiam antea Romæ 1596. fuerat ordinatum. Viventium autem proceſſus, nulla ratione permaneant apud Fratres, ſub pœnis gravioris culpæ, tam poſitivis, quam privativis, ſed apud R. R. P. P. Provinciales ſucceſſive tuto ſerventur. Romæ 1580.

IX.

(x) SI qui tamen Fratres non malitioſe, ſed in veritate adverſus Prælatum ſuum aliquid habuerint, quod tolerari nec debeat, nec deceat: prius eum inter ſe cum omni humilitate, & charitate de ſua correctione admoneant. Quod ſi frequenter admonitus ſe corrigere neglexerit, aut contempſerit; Priori Provinciali ſignificent, vel Viſitatoribus: ut cum ad eandem domum viſitandam venerint, cauſa manifeſte judicetur; & Diffinitoribus Capituli Generalis, vel Provincialis ſignificetur. Aliter Prælatos ſuos ſubditi infamare non præſumant. Statuimus, quod ſi quis nefandum crimen concubitus contra naturam, homicidii, vel propinati (etiam effectu non ſubſecuto) veneni commiſerit: perpetuo carceri ſit addictus; à quo nec per Capitulum Generale poſſit ante annos viginti liberari. Et nihilominus pœnis aliis puniatur, ſecundùm Prælati diſcretionem.

(x) *Si qui tamen Fratres non malitioſe &c.*) Declaramus, quòd cum correctio fraterna ſit actus charitatis, quæ ſe extendit ad æquales, & ad ſuperiores: tenentur ſubditi ex præcepto charitatis corrigere Prælatum, & admonere, ſi in eo graves defectus animadverterint; etiam ſi illi defectus non in damnum boni communis, ſed tantum in detrimentum Prælati, tanquam privatæ perſonæ, cederent. Quod ſi etiam Communitati, propter illos defectus Prælatus noceret; non tantum ex charitate, verum etiam ex juſtitia, tenentur ſinguli, etiam cum periculo admittendæ ejus gratiæ, illum corrigere. Correctione tamen, ut docet Sanctus Thomas 4. ſent. diſt. 19. humili cum manſuetudine, & reverentia, non autem correctione punitiva, aut increpativa, juxta illud: *Seniorem non increpaveris.* 1. Timoth. 5. Ad hanc correctionem cum humilitate, & charitate factam, ſi mores inordinatos, & publice ſcandaloſus non emendaverit Prælatus: debent ſubditi Provinciali ſignificare, quemadmodum Conſtitutio diſponit.

Caput XIX.

De Graviſſima Culpa.

I.

(*a*) GRaviſſima culpa eſt, incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre: vel ex earum ſæpius repetita inflictione, judicio diſcretorum cognoſcitur non proficere. Talis de conſilio diſcretorum, carcerali cuſtodiæ mancipetur, & ibidem ſecundùm exigentiam culparum, juxta diſcretionem Prælati, jejuniis, & abſtinentiis puniatur, vel ſecundùm Regulam Sancti Patris noſtri Auguſtini, ſi magis expediens judicatur, (*b*) per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale aut Provinciale, exutus habitu Ordinis, de Ordine noſtro expellatur. Quod tamen mature fiat, ità ut appareant geſta cum toto proceſſu, & ſententia in ſcriptis, & cum debitis ſubſcriptionibus, & ſigillis, & hoc ſi talis ſani capitis, & integri ſenſus uſque ad illam horam extitiſſe cognoſcitur: Nullus autem cum habitu Ordinis, ob quamcumque cauſam criminalem à ſua Provincia eiici poſſit, ſimpliciter, vel ad tempus: niſi à Magiſtro Ordinis, vel Generali Capitulo. (*c*) Si aliqui ſunt, qui judicio diſcretorum ſine gravi periculo, vel ſcandalo in communi tolerari non poſſint: in carcerem recludantur.

(a) *Graviſſima culpa eſt.*) Declaramus, hoc Capitulum de Graviſſima Culpa fuiſſe antiquitus confirmatum Pariſiis 1276. poſtea vero Avenione 1561. ex duobus Capitulis immediate præcedentibus, per modum inchoationis, & confirmationis, quod aliqua fuiſſe innovata iſtis verbis: Confirmamus, quod in diſtinct. 1. cap. 19. de graviſſima culpa, ubi dicitur: Graviſſima culpa eſt incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre, addatur: Vel ex earum ſæpius repetita inflictione, judicio diſcretorum, cognoſcitur non proficere. *Et infra*, ubi dicitur: Si magis expediens judicabitur, addatur: Per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale, aut Provinciale. Et poſt verbum, expellatur, hæc addantur. Quod tamen mature fiat, ita ut appareant geſta cum proceſſu, & ſententia in ſcriptis, & cum debitis ſubſcriptionibus, & ſigillis Et hoc ſi talis ſani capitis, & integri ſenſus, uſque ad illam horam extitiſſe cognoſcitur. Et hæc habent tria Capitula.

(b) *Per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale, aut Provinciale exutus.*) Declaramus, in antiquioribus Capitulis Pariſienſi 1279. Florentino 1280. Pariſienſi 1286. Argentin. 1307. Cæſarauguſtano 1309. & apud Montem Peſulan. 1316. ordinatum, & confirmatum fuiſſe, quòd nullus Prior Conventualis, nec Supprior, nec Vicarius poteſt aliquem Fratrem in Ordine noſtro profeſſum, habitu exuere, & ab eodem Ordine licentiare, vel alias ex Ordine expellere, ſine licentia Generalis Magiſtri, vel Prioris Provincialis; ſicut etiam per Joannem XXII. in quadam Bulla declaratum fuit, cum hac pœna adjecta: ut illi, qui contra hoc fecerint, ſint ipſo facto à ſuis officiis abſoluti. Sed poſtea per hanc Conſtitutionem Avenione factam, etiam Provinciales prohibentur, ſoli abſque Provinciali Capitulo aliquem habitu exuere, aut ex Ordine expellere: neque hoc eſt contra prædictam Joannis XXII. determinationem. Nam in ea dicitur, quod Provincialis poſſit habitu aliquem exuere &c. non tamen dicitur, quod ſolus, & ſine conſilio hoc poſſit facere: nova autem Conſtitutio hoc decernit, quod faciat id quidem Prior Provincialis, ſed non ſine Provinciali Capitulo. Itaque Vicarius Provinciæ, non poteſt aliquem Fratrem habitu exuere, aut ex Ordine expellere.

Quod autem attinet ad licentiam ad alios Ordines tranſeundi, ſic ſtatutum fuit Bononiæ 1615. Quoniam vero interdum ex Ordine noſtro ad alios Ordines, non matura inſpectione præmiſſa, ab aliquibus noſtris Fratribus facilem tranſitum fieri comperimus, unde poſt brevem lapſum temporis eoſdem ad Ordinem noſtrum redire procurantes, & inſtantiſſime petentes, ex fraterna pietate, & charitate recipere compellimur: idcirco decernimus, & declaramus: ut ſi quis Fratrum noſtrorum ex noſtro Ordine in alium commigraverit, & denuo eo relicto ad Ordinem noſtrum rediens receptus fuerit, à tempore quo revertitur ad noſtrum Ordinem, numerus annorum, & antiquitas ratione loci illi computentur.

Item declaramus, quòd non eſt etiam laudabile dimittere habitum unius Religionis, & tranſire ad aliam Religionem, niſi propter magnam utilitatem, vel neceſſitatem; tum quia plerumque ſcandalizantur illi Religioſi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, in qua conſuevit, quam in alia, in qua non conſuevit, cæteris paribus. Unde in collationibus Patrum Abbas Neſtorius dicit: *Unicuique utile eſt, ut ſecundum propoſitum quod elegit, ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis incepti perfectionem pervenire feſtinet; & nequaquam à ſua quam elegit profeſſione diſcedat.* Et poſtea rationem aſſignat, dicens: *Impoſſibile namque eſt, unum, eumdemque hominem, ſimul univerſis fulciri virtutibus: quas ſi quis voluerit ſimul attentare, in iſtud incidere eum neceſſe eſt, ut dum omnem ſequitur, nullam integre conſequatur. Diverſa enim Religiones praeminent, ſecundum diverſa virtutum opera.*

(c) *Si aliqui ſunt, qui judicio diſcretorum, ſine gravi periculo, vel ſcandalo in communi tolerari non poſſint, in carcerem recludantur.*) Declaramus, quòd cum utilitas communis ſit præponenda utilitati unius: quando aliquis eſt ita ſcandaloſus, & periculoſus, quod ejus converſatio nocet Communitati, nec alii poſſunt ejus mores pravos & perverſos ferre: & potius eligerent è Monaſterio exire, quam cum tali ſcandaloſo ſtare, debet talis ab aliis ſeparari, & in carcerem recludi, ut habetur 25. quæſt. 4. cap. *Reſecanda* Si vero talis eſſet incorrigibilis, & non poſſet aperte corrigi, capi, vel detineri, & recuſaret pœnitentias pro delictis ſuis impoſitas facere: poſſet modo ſupradicto exui habitu, & ab Ordine expelli; ſi tamen eſſet integri ſenſus. Ille autem, qui propter culpam ſuam expellitur à Prælato, adhuc eſt ſuus ſubditus; ſicut ovis morbida, licet ſit expulſa à grege, adhuc eſt paſtoris. Unde taliter expulſus,

noo

non eſt abſolotus ab obedientia Prælati, quouſque tranſierit ad aliam Religionem, & in ea fecerit profeſſionem: ſicut ponit Magiſter Humbertus ſuper Regulam. Et eſt advertendum, quod totum iſtud Capitulum *de Graviſſima Culpa*, fuit confirmatum in Capitulo Pariſiis 1276.

Caput XX.

De Apoſtatis.

I.

(*a*) Quicumque apoſtataverit, ipſo facto ſit excommunicatus; quam ſententiam ferimus ex nunc præſenti ſtatuto. (*b*) Si vero miſertus ſui redierit, depoſitis in clauſtro veſtibus, nudus cum virgis in Capitulum veniat, & proſtratus culpam ſuam dicat, & humiliatus veniam petat: (*c*) & quandiù Prælato placuerit, pœna gravioris culpæ ſubjacebit, & in Capitulo nudus ſe præſentabit, ſemel in ſingulis ſeptimanis.

(a) *Quicumque apoſtataverit &c.*) Declaramus, quòd ille, qui per ſe Ordinem egreditur, & ſubito ac ſtatim revertitur, non eſt judicandus Apoſtata, nec incidit in pœnas Conſtitutionum. Qois tamen actum apoſtaſiæ commiſit, debet ab excommunicatione abſolvi, & ad cautelam ad gratias Ordinis reſtitui: ſicut fuit declaratum Januæ 1305. & in multis aliis Capitulis. Declarantes, quod quilibet Religioſus tenetur deferre patenter habitum ſuæ Religionis, cum procedit in publicum: quicumque autem temere habitum ſuæ Religionis dimiſerit, peccat mortaliter, & eſt excommunicatus de jure. C. *Ut periculoſa, tit. de Apoſtat.*

Item declaramus, quòd ad refrenandum damnoſum Apoſtatarum diſcurſum, Magiſter Ordinis de Diffinitorum conſilio, & aſſenſu in Capitulo Pariſienſi 1269. poteſtatem conceſſit Prioribus Conventualibus, & Provincialibus, ac eorum Vicariis: ut apoſtatas, quos infra terminos ſuos invenerint undecumqoe venientes, poſſint excommuoicare, capere, ligare, & aliàs ſubjicere Ordinis diſciplinæ. Inſuper conceſſit, & commiſit eiſdem, ut ſi aliquos ceperint, vel incarceraverint, ipſos ab excommunicatione poſſint abſolvere. Et in Capitulo apud Montem Peſſulanum 1294. ſic dicitur: Admonemus univerſos Priores Provinciales, & Conventuales, & eorum Vicarios: ut juxtà ordinationem Capituli Florentini celebrati anno Dom. 1281. diligentiùs laborent pro apoſtatis reducendis; ex quorum præſentia & diſcurſu, Conventibus, & Fratribus ſcandalum generatur, ubicumque infra ſuos terminos poterunt eos invenire. Quod ſi facere non poterunt, ſententia excommunicationis innodatos publicè denunciari procurent; ut ſic ſaltem ab aliis evitentur. Volumus autem, quod expenſæ, quæ in ipſorum captione, vel detentione fient, à Provinciis, vel Conventibus, de quibus fuerint, plenè, & promptè ipſis capientibus, vel detinentibus refundantur: quod idem fuit ordinatum Palentiæ 1291.

Item declaramus in Capitulo Salmanticæ 1551. ordinatum fuiſſe Prælatis, ut In recipiendis apoſtatis, & iis qui per Brevia Apoſtolica plures annos habitum dimiſerunt, quàm diligentiſſimè attendant, ne totam maſſam modico fermento corrumpant: & caveant ne ex nimia erga paucos miſericordia, crudeles in Communitatem inveniantur. Ubi etiam declaratur, quod illi, qui ad Civitates ſuſpectas de hæreſi acceſſerunt, vel poſthac accedent, nullo modo, niſi tanquam apoſtatæ recipiantur, & declaramus, in Capitulo Bononienſi 1564 ſic haberi: Admonemus RR Provinciales, ut ſi quando Fratres apoſtatas, qui quondam ſcandaloſe vixerint, receperint ad ordinem, eos ad illos Conventus mittant, in quorum Terris tam manifeſta non ſit eorum infamia; etiamſi aliorum Conventuum ſint filii, quorum filiationem non intelligantur amiſiſſe. Et poſtea in Capitulo Romano 1571. ſic dicitur: Concedimus omnibus Provincialibus, ac etiam Prioribus Conventualibus, ut juxtà tenorem noſtrarum Conſtitutionum poſſint recipere apoſtatas ad eos revertentes, etiam poſt decennium in apoſtaſia elapſum: non obſtante quacumque ordinatione, per quam aliter ordinetur.

(b) *Si verò miſertus ſui redierit.*) Declaramus, quòd quidam prætendere poſſent ſe non fuiſſe apoſtatas, quia de licentia Sedis Apoſtolicæ habitum dimiſerunt, & propterea in Capitulo Romano 1553. pro his, & ibidem 1558. pro his, & aliis ordinatum fuit: quod qui de licentia Sedis Apoſtolicæ, noſtræ Religionis habitum dimiſerunt: nullatenus de cætero recipiantur, niſi proceſſu ſuper eorum indulto facto, diligenter examinato. Et ſi vera & rationabilis cauſa aſſignata & probata fuiſſe inveniatur, abſque pœnitentia recipiantur: ſi autem cauſa rationabilis, & vera non inveniatur, & conſequenter Breve ſubreptitium, nonniſi ut apoſtatæ recipiantur. Ita tamen, quod qui per quatuor annos extra Ordinem, quovis modo ſine habitu ſteterunt, non recipiantur, niſi de ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis. Addentes, quod hujuſmodi ſine habitu ad Ordinem revertentes, etiamſi non ut apoſtatæ, ſed ut legitimè diſpenſati recipiantur; non tamen poſſint ante decem annos à ſua receptione promoveri ad ullam Ordinis dignitatem. Quod autem attinet ad authoritatem diſpenſandi Fratres, ut maneant extra Clauſtrum, ſervandum eſt Decretum Clementis VIII. quo continetur, ne de cætero, niſi in graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, facultates manendi extra Clauſtra concedi poſſint.

(c) *Et quandiu Prælato placuerit &c.*). Declaramus, quòd hoc intelligitur propter ſolam apoſtaſiam: pro aliis autem delictis, quæ in ipſa apoſtaſia, vel in Ordine cum habitu inventus fuerit commiſiſſe, ſecundum rigorem Ordinis & Conſtitutionum, pœna debita puniatur, ſicut declaratum fuit apud Biſuntinum 1353.

Item apud Narbonam 1354. ſic dicitur: Declaramus, quòd committens crimina, ſeu peccata in ipſa apoſtaſia: puta, furta, adulteria, & hujuſmodi, propter talis ſic commiſſa, pari pœna debet plecti, & puniri, ac ſi dicta crimina in Ordine exiſtens perpetraſſet.

Item in Capitulo apud Lugdunum 1319. ſic dicitur: Cum apoſtaſia culpam non minuat, ſed potius augeat, & pro quibuſdam criminibus à Fratribus commiſſis, circumſcripta omni apoſtaſia, eis debeatur cuſtodia carceralis: volumus, & ordinamus, quod ſi aliquis Frater ante apoſtaſiam aliquod tale crimen commiſerit, de quo non ſatisfecit, vel etiam in ipſa apoſtaſia; ſi po-

poſtea ad Ordinem etiam ſponte redierit, carcerali cuſtodiæ mancipetur.

I I.

INfra hoc tempus pœnitentiæ, ubique in Conventu noviſſimus erit: & duobus diebus in qualibet ſeptimana per annum in pane, & aqua jejunabit. Et peracta pœnitentia, (*d*) ad priorem locum non redeat, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel per Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis cum eo fuerit diſpenſatum. Quæ diſpenſatio non fiat per eoſdem ante tres annos ad minus; ita tamen, quod anni, quibus fuerit in apoſtaſia, non computentur ei, quoad locum, (*e*) ſed ſit ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine, quam ipſe habuerit quando exivit. Quod ſi ſecundo fugerit, & iterùm redierit: ſupradicto modo pœniteat, & priori anno ſecundus annus addatur. Si tertio tertius, ſi quarto quartus.

(d) *Ad priorem locum non redeat.*) Declaramus, quòd Fratres, qui apoſtataverint, debent tenere infimum locum infra omnes Fratres Clericos, ſi ſint Clerici: & infra omnes Converſos, ſi ſint Converſi: & poſtquam compleverint in Conventu pœnitentiam, adhuc tenebunt ultimum locum ubique, & redire ſeu reſtitui non poſſunt ad illum locum, quem prius tenebant, quando receſſerunt, ſine licentia, & diſpenſatione Magiſtri Ordinis, vel Diffinitorum Capituli Generalis, vel Provincialis. Res autem, & bona ipſorum apoſtatarum debent ad Conventus illos, in quibus erant aſſignati, tempore quo apoſtataverunt liberè pertinere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Trajectum 1330. ſed poſtea in Capitulo Florentino 1414. Et apud Argentinam 1417. fuit facta Conſtitutio, quod hujuſmodi bona dividerentur inter Conventum originalem, & inter Conventum in quo erat aſſignatus.

(e) *Sed ſit ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine, quam ipſe habuerit quando exivit.*) Declaramus, quòd ex iſta clauſula manifeſtè apparet, quod Fratres debent tenere loca ſua in Choro & alibi, ſecundùm quod habent plures, vel pauciores annos in Ordine à profeſſione ſua: ſeu ſecundùm quod poſt profeſſionem tacitam, vel expreſſam, diutius habitum noſtri Ordinis portaverunt; niſi ſint Magiſtri in Theologia, vel Baccalaurei, qui ſententias legant, vel legerint in aliqua Univerſitate. Et ità illi, qui poſt apoſtaſiam recipiuntur ad Ordinem, & fuerunt diſpenſati per Magiſtrum Ordinis, vel per Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis, quod de infimo loco reducantur ad priorem locum, quem tenebant, quando habitum dimiſerunt: nihilominùs habebunt ſeu tenebunt locum infra omnes illos, qui plures annos habent à profeſſione ſua, quàm haberent ipſi, quando ab Ordine receſſerunt: qui videlicet poſt profeſſionem ſuam diutiùs habitum noſtræ Religionis portaverunt, quàm ipſi apoſtatæ. Unde non ſolùm non computantur apoſtatis anni, quibus fuerunt in apoſtaſia quoad locum, ſed etiam anni, quibus fuerunt in pœnitentia pro apoſtaſia, quouſque reſtituantur ad priſtinum locum.

Item declaramus in Capitulo Romano 1546. ita diſponi: Confirmamus, quod Fratribus exemptis, vel eis, qui quomodolibet extra Ordinem (id eſt extra obedientiam Ordinis) manſerunt, non numeretur, nec computetur tempus illud inter alios annos ſuæ profeſſionis, ſi eos poſtea ad Ordinem reverti contingat. Quod priùs fuerat declaratum Romæ 1542. Quapropter quando iſtis poſtea gratiæ Ordinis reſtituuntur, non intelligitur propterea tempus illud eis numerari, vel computari, inter alios annos ſuæ profeſſionis.

I I I.

OMnibus autem Fratribus, pro hujuſmodi pœnitentibus, humiliter in Capitulo deprecantibus, Prælatus cum eorum pœnitentiam perſpexerit, (*f*) eis indulgere, vel remittere poterit: ſecundùm quod ſuæ diſcretioni viſum fuerit, vel placitum. Apoſtatæ unius Conventus, non recipiantur à Priore alterius Conventus ad Ordinem in eadem Provincia, ſine licentia Prioris Provincialis: nec apoſtatæ aliarum Provinciarum, ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Si quis in apoſtaſia ordinatus fuerit, vel poſt excommunicationem Divina celebrare præſumpſerit in ea, executione officii perpetuo carebit: niſi fortè poſtea ita religioſe converſatus fuerit, ut cum eo (*g*) authoritate Sedis Apoſtolicæ diſpenſetur. (*h*) Qui autem in apoſtaſia, ſed tamen ſine legitima Ordinis licentia ordinatus fuerit, ipſo facto ſit addictus carceri, ad minùs per quatuor menſes; ibidem ſecundùm arbitrium Prælati, pœnis aliis puniendus. Et poſtmodum non permittatur exequi Ordines ipſus ſine licentia Magiſtri Ordinis.

(f) *Eis indulgere, vel remittere poterit.*) Declaramus, quòd in pœnitentia, quæ debetur apoſtatis pro apoſtaſia, poterit Prælatus indulgere quoad pœnas poſitivas gravioris culpæ, & quoad jejunia in qualibet ſeptimana duobus diebus facienda, de quibus ſupra facta eſt mentio: non autem quoad pœnas privativas, de quibus infra dicetur; ut etiam ſupra declaratum eſt in *Capit. de Graviori Culpa.*

(g) *Authoritate Sedis Apoſtolicæ diſpenſetur*) Declaramus, quòd Magiſter Ordinis, & Priores Provinciales, à ſuſpenſione quam quis Frater incurrit ſuſcipiendo Ordines in apoſtaſia, vel celebrando Divina poſt excommunicationem, poſſunt authoritate Apoſtolica diſpenſare: ſicut patet *in Bulla aurea Sixti*, & in multis aliis Privilegiis Magiſtro Ordinis conceſſis.

(h) *Qui autem in apoſtaſia.*) Declaramus, Conſtitutionem hanc fuiſſe deſumptam ex Capitulo Valliſoletano 1523. ex eo, quod (ut in eodem Capitulo dicitur) habuit tria Capitula.

I V.

(*i*) QUi verò ſemel apoſtataverit, vel de lapſu carnis manifeſte convictus fuerit, vel carceri ſententialiter, &

legi-

legitimè mancipatus: de cætero non prædicet, nec audiat confeſſiones, nec ad aliquam electionem Ordinis, nec ad aliquem tractatum eorum, quæ mittenda ſunt ad Generale, vel Provinciale Capitulum admittatur; niſi per Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis, vel per Magiſtrum Ordinis fuerit reſtitutus. (*k*) Quæ reſtitutio non fiat per eoſdem, ante tres annos ad minus. Et ſi fuerit Prædicator Generalis, dicto officio ſit privatus: nec poſſit habere officium Prioratus, vel Supprioratus, vel Vicariatus, vel Lectoratus: nec poſſit fieri Diffinitor Capituli Generalis, vel Provincialis, nec Prædicator Generalis, nec Magiſtri Ordinis Elector, ſine licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. (*l*) Quicumque litteras Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis, ſeu ſigilla eorum falſificaverit, vel eis ſcienter uſus fuerit, ſententiam eandem incurrat excommunicationis latam, & privationum dictarum ipſo facto.

(i) *Qui vero ſemel apoſtataverit, vel de lapſu carnis manifeſtè convictus fuerit.*) Declaramus, quòd quicumque judicialiter de lapſu carnis, vel de furto convictus fuerit, aut carceri mancipatus: talis ſit in perpetuum omni voce privatus, & officio Prioratus, Supprioratus, Lectoratus, & Prædicationis, & Confeſſionis, nec poſſit ad prædicta reſtitui. Niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale. Rothomagi 1320.

Item in Capitulo apud Barcinonam 1349. ſic dicitur: Quicumque de lapſu carnis manifeſtè convictus fuerit, de cætero non prædicet, nec audiat confeſſiones, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur: nec ante triennium ullo modo ad prædicta poſſit reſtitui per quemcumque. Et ſi reſtituatur, reſtitutio nullo modo valeat ante triennium.

(k) *Quæ reſtitutio non fiat per eoſdem ante tres annos.*) Declaramus, quòd in Capitulo apud Argentinam celebrato 1358. prædicta verba ſic fuerunt gloſſata: Non fiat, id eſt, fieri non poſſit per Deffinitores Generales, vel Provincialis Capituli ante tres annos: & ſic reſtitutus nullo modo valeat ante triennium.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. ſic haberi: Ordinamus, & omnino obſervari volumus, ut apoſtatæ, qui poſthac ad Ordinem recipientur, etiamſi ad omnes Ordinis gratias admittantur, nunquam tamen ante 20. annos ad Prælaturæ officium poſſint aſſumi, & ſi ſecus factum fuerit, irritum omnino eſſe decernimus.

(l) *Quicumque litteras Magiſtri Ordinis &c.*) Declaramus, has pœnas additas fuiſſe illis, quæ in Capitulo *de Graviori Culpa* taxantur, de quibus ſuperius loco citato dictum eſt.

SECUNDA DISTINCTIO.

CAPUT I.

De Domibus concedendis, & conſtruendis.

CONSTITUTIO I.

(*a*) NUlla Domus concedatur, (*b*) niſi à Priore Provinciali, & à Deffinitoribus Capituli Provincialis fuerit poſtulata: nec conceſſa ponatur, (*c*) nec poſita transferatur; niſi ubi prædicti viderint expedire. (*d*) Fratres autem novis domibus deputati, Conventibus de quibus aſſumuntur, & ipſi Conventus eiſdem quantum ad ſuffragia, ſicut ſuis Conventualibus mutuo teneantur: quouſque Conventus ibidem fuerit aſſignatus. Quantum vero ad omnia alia, dicti Fratres ad Domos prædictas ſimpliciter pertinebunt.

(a) *Nulla Domus concedatur.*) Declaramus, quòd de jure antiquo communi, Religioſi Mendicantes non poterant novas Domos, vel nova loca ad habitandum recipere, nec recepta mutare, alienare, aut relinquere; ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, plene atque expreſſe, de prohibitione hujuſmodi mentionem faciente: alias fuiſſent excommunicati, ut habetur *de exceſſibus Prælator. cap. unico*, lib. 6. & in Clement. *Cupientes de pœnis.* Cæterum poſt diverſa Privilegia hac in parte Ordini noſtro conceſſa, Concilium Tridentinum decrevit ſufficere ſolius loci Ordinarii licentiam, ad hoc, ut Conventus & loca nova Mendicantes recipiant; dum ſtatuit iſtud ſeſſ. 25. de Regular. cap. 3. De cætero ſimilia loca non erigantur, ſine Epiſcopi in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta, & ideo ab omnibus Concilio Tridentino ſtandum eſt.

Item denunciamus, quod Clemens VIII. in quadam ſua Conſtitutione motu proprio præcepit, ne Epiſcopus licentiam dare poſſit, ut novi Conventus cujuſcumque Ordinis Mendicantium erigantur niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus, & locis, ubi erigi debent, exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cognita cauſa., quod novi, qui erigendi ſunt Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſint. Itaque in erectione, vel acceptatione novorum Conventuum, quorum intereſt, meminerint, ut ab Epiſcopo licentiam petant: quod ſi non obtinuerint, Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, vel ejus Procuratorem admoneant.

(b) *Niſi à Priore Provinciali.*) Declaramus, quòd nullus Frater cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtat, ſine licentia Generalis Capituli, vel Magiſtri Ordinis, ædificandorum Conventuum cauſa, poteſt ullo modo loca recipere. Quod ſi ſecus factum fuerit, talis receptio, ipſo facto ſit irrita, & inanis: ac hujuſmodi receptores ſint penitus omni voce, præterquam in ſui accuſatione privati; quæ eis à nemine, præterquam à Magiſtro Ordinis poſſit reſtitui.

Et caveant quam diligentiſſimè Priores Provinciales, ne Domus aliquæ cum incongruis conditionibus, & gravibus oneribus recipiantur. Mandantes, quod Domus à Generali Capitulo conceſſæ, vel concedendæ, non ponantur in locis ita propinquis aliis Domibus, ut oporteat Fratres illarum Domorum occupare terminos Conventuum, æquitate ſervata ſtudeant limitare, ſicut ad pacem Fratrum, & ſalutem animarum viderint expedire, ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1246. Oxonio 1280. Florentiæ 1281. & Ferrariæ 1290

Item declaramus, quòd Provinciæ, quæ Domos petunt à Generali Capitulo, debent nominare Civitates, & Oppida, in quibus eas petunt, & exprimere cauſas, quæ movent eos ad Domos hujuſmodi faciendas. Diſtriĉte prohibentes ne Priores Provinciales, & Deffinitores Capitulorum Provincialium, aliquem locum ullo pacto recipere audeant: niſi prius eis conſtiterit, eum locum eſſe idoneum ad Conventum ædificandum, per Fratres idoneos ad hoc inquirendum ſpecialiter deſtinatos: ſicut fuit ordinatum Barcinonæ 1261. & apud Peſtum 1273.

In Capitulo autem Valliſoletano. 1605. ſic dicitur: Ordinamus, ut nulla unquam Domus, ſive Fratrum, ſive Monialium (etiam ad petitionem cujuſcumque, etiam Principis) deinceps conſtituatur, in qua novæ ceremoniæ, leges, ordinationes, pœnæ, pœnitentiæ, modus vivendi, vel veſtiendi, vel alia quæcumque, inducenda, & obſervanda ſint: quæ diſponant aliquid præter noſtras Conſtitutiones, vel Ordini noſtro contraria, & ab eo aliena eſſe videantur. Quod ſi ſecus recipiantur, receptio ipſo facto nulla ſit, & nullius roboris; ſicut de facto ex nunc pro tunc nullam decernimus, & declaramus. In Capitulo etiam Neapol. 1515. ordinatum eſt: nullus recipiatur Conventus, qui liberæ Superiorum diſpoſitioni non relinquatur, conformiter ad leges, & Conſtitutiones noſtras; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

(c) *Nec poſita transferatur.*) Declaramus in Capit. Barcinonen. 1574. R. R. Provincialibus mandatum fuiſſe: ut ſi quæ repererint loca, vel Vicariatus, in quibus Religio minus apte foveri poſſit, quin potius otii, & diſſipationis diſciplinæ Regularis fomenta, & ſcandalorum occaſiones afferant; conſultis gravioribus Patribus, quo melius fieri poterit reddant, & relinquant omnino, cum ex his graviora mala ſequantur, ac maxima patiatur Religio detrimenta. Advertendum tamen eſt, quod Fratres Prædicatores, cum à priſtinis ſuis locis ad alia loca cum licentia ſe transferunt, poſſunt ſecum deferre omnium ædificiorum materiam (dedicatis Eccleſiæ dumtaxat exceptis) libros, calices, paramenta, atque alia bona: & poſſunt etiam ipſa ædificia cum ſolo & aliis ad ea loca pertinentibus, præterquam Eccleſias vendere, & eorum pretium in ſuam utilitatem convertere: non obſtante quorumcumque Prælatorum contradictione; ſicut habetur in Bulla, quæ dicitur *Mare Magnum*.

Item declaramus Romæ 1571. ordinatione 11. præceptum fuiſſe omnibus Prælatis Ordinis noſtri ſub pœna abſolutionis ab officio, ne loca Conventuum Fratribus neceſſaria, vel quaſcumque officinas ulla de cauſa ſecularibus concedant, nec etiam ſub prætextu cujuſcumque Fraternitatis. Si autem aliquid uſque modo conceſſum fuit, authoritate noſtra revocamus: irritam præſenti ſtatuto decernentes hujuſmodi conceſſionem. Et hæc ordinatio confirmata fuit Barcin. 1574. & Romæ 1580.

(d) *Fratres autem novis Domibus deputati.*) Declaramus, quòd Fratres miſſi ad loca nova recepta, intelliguntur eiſdem locis omnino, & ſimpliciter aſſignati: ſed quoad ſuffragia Conventus, ex quibus fuerunt aſſumpti, & ipſi eiſdem Conventibus omnino tenebuntur; quouſque Domus illæ fuerint in Conventus erectæ. Volentes, quod ad nova loca mittantur ſolum Fratres exemplares, graves, & maturi: ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Montem Peſulanum 1265. & apud Peſtum 1273.

Item declaramus, Romæ 1571. ordinatum, & declaratum fuiſſe, & Barcinonæ 1574. confirmatum: quod Fratres qui ſunt in Vicariis, aut in Conventibus Monialium, cenſentur quoad ſuffragia aſſignati in Conventibus, quorum ſunt filii: ita ut ipſi inter ſe viciſſim ad eadem teneantur. Et idem cenſendum eſt de Fratribus, qui ex Prælatorum legitima licentia, cum Epiſcopis, vel alibi extra Ordinem commorantur. Quæ quidem ordinationes procedunt de Vicariatibus jam per ſe conſtitutis, non autem de novis Domibus, quibus Fratres deputantur, juxta id quod diſponit Conſtitutio.

I I.

(e) CONventus citra numerum duodenarium Fratrum profeſſorum, quorum decem (ad minus) ſint Clerici, ſine licentia Generalis Capituli, & abſque Priore, & Doctore non admittatur: nec poſtquam admiſſus fuerit, dictus numerus Fratrum minuatur. Et ſi aliquis inde ſubtractus fuerit, loco illius alius aſſignetur. Ille verò Conventus, qui pro illo tempore prædictum duodenarium numerum non habebit, ab eâ quæ tractanda ſunt in Capitulo Provinciali, ſive in electione Prioris Provincialis, quoad Priorem & ſocium, & electores Provincialis, nullatenus admittatur. Niſi forte illo anno, per Fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus. Quod ſi oppoſitum factum fuerit, totum ſit irritum, & inane: Provinciis Hieroſolymitana & Græciæ dumtaxat exceptis.

(e) *Conventus citra numerum duodenarium &c.*) Declaramus, quòd cum Eccleſiæ noſtræ ſint Collegiales, & in ipſis debeat Divinum Officium in Choro perſolvi, & Miſſa Conventualis: numerus Fratrum Clericorum, (ſine quo Domus tanquam Conventus recipi non debet,) intelligendus eſt de Fratribus Clericis, tam vocalibus, quam non vocalibus. Ac debet habere Doctorem id eſt Lectorem, qui Fratribus legat: alias Conventus ille non admittatur ad ea, quæ in Provinciali Capitulo tractanda ſunt; niſi fortè illo anno propter obitum Fratrum numerus ille fuerit minutus. Et in tali caſu debent Priores Provinciales, & Conventuales operam dare efficacem, ut per Fratrum receptorum multitudinem, numerus ille ſufficienter poſſit reparari: ſicut fuit declaratum apud Biſuntium 1353. & apud Januam 1413. Declarantes, quod

in

Capitulo Romano 1558. ſic ſtatutum fuit: Confirmamus declarationem factam in præcedenti Capitulo 1553. videlicet quod Conventus, qui Fratrum vocalium numerum ſaltem denarium nunquam habuerunt, tanquam non Conventus æſtimentur: & quod ab eis ſubtrahatur titulus Prioratus, quem ex vi præſentis ſtatuti ſubtrahimus; ſi tamen ſine ſcandalo fieri poterit. Qui autem aliquando integrum numerum habuerunt, & modo ad hoc redacti ſunt, ut quatuor Fratres vocales cum Priore non habeant: titulo Prioratus gaudere interim permittantur; ſocium vero ad electionem Provincialis, vel ad Provinciale Capitulum nequaquam eligant. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. Præterea declaramus Valentiæ 1596. & Romæ 1601. Valliſoleti 1605. item Romæ 1608. ordinatum fuiſſe: ut poſſibilis adhibeatur diligentia, ne in Conventus, & Prioratus erigantur loca, quæ poſtea taxatum numerum Fratrum juxta noſtras Conſtitutiones ſuſtentare nequeunt. Quare impoſterum nulla Domus in Prioratum erigatur, aut erecta intelligatur, quantumcumque conceſſio quælibet facta fuerit, niſi per annum integrum antea duodecim Fratres Religioſe aluerit; & pro Religioſis neceſſitatibus plene providerit, ut in iiſdem Capitulis ordinatum eſt. Quod quidem Indiarum Provincias non aſtringit: tum quia ex antiquiore Privilegio Clementis VII. poterant earum Conventus eſſe cum numero ſeptenario: tum etiam quia Salmanticæ 1551. declarat. 5. declaratum fuit, in Provinciis Indiarum numerum ſenarium Fratrum ad Conventum conſtruendum ſufficere, prout eis authoritate Apoſtolica conceſſum eſt.

Item denunciamus confirmatam fuiſſe in Capitulo Romano 1601. ordinationem Capituli Valentini 1596. qua omnibus Præſidentibus Provinciarum, Congregationum, & Vicariatuum in Provinciis, & Conventibus, ubi commodè fieri poterit, mandatur, ut curent certam notitiam habere de reditibus tam certis, quam incertis, omnium Conventuum, & locorum ſuæ curæ ſubditorum; & conformiter ad ipſos de graviorum Patrum conſilio, ipſis ſingulis determinatum numerum Fratrum præfigant: ultra quem ad præfatos Conventus plures Fratres, ipſi Præſidentes non mittant; ut Religioſis neceſſitatibus eorumdem Fratrum ſemper provideri poſſit, & multa vitentur incommoda. Quod idem à Clemente VIII. & Paulo V. conſtitutum eſt.

III.

ITem nulla Domus transferatur de Provincia ad Provinciam, niſi per tria Capitula fuerit approbatum. (*f*) Mediocres Domos, & humiles, Fratres noſtri habeant: nec fiant, aut permittantur fieri (*g*) in Domibus noſtris curioſitates, & ſuperfluitates notabiles in ſculpturis, picturis, pavimentis, & aliis ſimilibus, quæ paupertatem noſtram deformant. In Eccleſiis tamen permitti poterunt. Si quis verò contra fecerit, pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjacebit. (*h*) Item poſſeſſiones, ſeu redditus nullo modo recipiantur; nec Eccleſiæ, quibus animarum cura ſit annexa. Item, nullus audeat inſtare, vel rogare pro beneficiis conſanguineis ſuis obtinendis.

(f) *Mediocres Domos, & humiles &c.*) Declaramus pro hujuſmodi Conſtitutionis obſervatione: ut ſi quibus cura ædificandorum, vel reædificandorum Conventuum incumbit, priùs exemplar totius ædificationis faciant, ſecundùm quod Conſtitutio inferius diſponit; & illud Provinciali omninò oſtendant, abſque cujus licentia nihil omninò incipiant.

(g) *In Domibus noſtris curioſitates &c.*) Declaramus Venetiis 1592. ordinatum fuiſſe, ut omnes Fratres, cujuſcumque gradus, & conditionis ſint in communi dormitorio, non in ſeparatis ædiculis, vel cameris habitent, unica tantum paupere cella contenti: Prælato, & graviori aliquo Patre exceptis, quibus duæ ad ſummum concedi poterunt; ſi hactenus tot habuere, abſque eo, quod noviter accommodentur, maximè cum aliorum incommoditate. Ab his vero ſuperfluitates omnes, ornamenta vana, pretioſa quæque, & omnia tandem quæ religioſam paupertatem non ſapiunt, omninò auferantur; ſuper quo Superiores omnes ſpecialiter invigilabunt.

Item ad obſervationem, ne curioſitates ſenſim introducantur, & ut introductæ eradicentur: Declaramus Bononiæ 1564. præceptum fuiſſe: ut omnium ſubditorum nemine excepto, privatas cellas Prælati viſitarent, & eorum ſupellectilia conſiderarent. Quod ſi aliquid invenerint, quod ſtatui paupertatis non conveniat, auferant, & applicent communi utilitati. In Capitulo etiam Romano 1569. authoritate Apoſtolica Pii V. ſub pœna abſolutionis ab officiis Prælatis, & amiſſionis cujuſcumque, nec non privationis vocis activæ, & paſſivæ, mandatum fuit: ut cameræ, & habitationes à communi Religioſarum cellarum forma recedentes auferantur, & vel ad conſuetam Regularium formam redigerentur, vel ſi id fieri commodè non poterit, in communem uſum reducantur, & unuſquiſque tali cella in communi Dormitorio, nullo apparatu ornata contentus ſit. In Capitulo etiam Romano 1608. ordinatum eſt, ut à cellis Fratrum omnes imagines, quæ non ſunt ſacræ aut piæ, item illæ quæ propriam Fratris, vel alterius non Sancti, aut Pii imaginem exprimunt, amoveantur. In Capitulo quoque Salmanticen. 1551. iſtud habetur: Reprobamus abuſum quorumdam clauſtralium ſive Conventualium de vendendis, aut etiam teſtandis poſt mortem cameris; irritantes quaſcumque conceſſiones, ſi quæ ſunt ſuper his hactenus factæ, & ordinantes, ut ſi de cætero uſus illarum conceſſus fuerit viventibus, ſemper ponatur in litteris concedentis, ad beneplacitum noſtrum, & noſtrorum ſucceſſorum. Quod ipſum fuit poſtea Venetiis 1592. ordinatum, cum hac additione: quod valebunt Superiores ipſi, etiam immediati, dum expediens illis videbitur, pro vitio proprietatis à cordibus ſubditorum eradicando, eoſmet ab una cella ad aliam transferre, & mutare.

(h) *Item poſſeſſiones, ſeu redditus nullo modo recipiantur.*) Declaramus, quod quamvis Ordo noſter ab Honorio III. confirmatus fuerit cum poſſeſſionibus, caſtris, & redditibus, quos tunc habebat, & in poſterum erat habiturus; ſicut patet in Bulla ſuperius memorata: poſtea tamen in primo Capitulo Generali Bononiæ celebrato ſub B. Patre Dominico Anno Dom. 1220. totus Ordo prædictis poſſeſſionibus, & redditibus non ſolum præſentibus, ſed etiam futuris renunciavit, & per Conſtitutionem hic poſitam, &

ſucceſſivè in Capitulo Generaliſſimo Pariſiis ſub B. Jordano Magiſtro Ord. Anno Dom. 1228. confirmatam, ne Fratres in poſterum poſſeſſiones, & redditus recipiant, ſtatutum fuit. Cæterum, quia habere poſſeſſiones & reddirus in communi, non eſt contra votum paupertatis; quia multæ Religiones Monachorum, profitentes paupertatem redditus habent in communi: neque etiam eſt contra Regulam Sancti Auguſtini, quam profitemur; neque minuit perfectionem Religionis, cum paupertas non ſit ipſa perfectio, ſed perfectionis inſtrumentum. Cum autem inſtrumentum non propter ſe appetatur, ſed propter finem, non dicitur eſſe tanto melius, quanto eſt majus, ſed quanto magis fini eſt accommodatum: ſicut medicina non dicitur eſſe melior quæ eſt major; ſed quæ magis ad expulſionem morbi, & introductionem ſanitatis eſt apta. Et propterea non oportet Religionem, quæ in omnibus par, & æqualis eſt aliis, eſſe tanto perfectiorem, quanto majorem habet paupertatem: ſed quanto magis paupertas ejus accommodata eſt ad finem toti Religioni communem, qui eſt incumbere in Divina obſequia: vel ad finem ſpiritualem ipſius, qui eſt Divina contemplatio, aut proximorum inſtructio. Quod ſane perficitur per illam paupertatem, quæ modica humanæ vitæ neceſſaria congruo tempore ſine magna ſollicitudine procurata, in communi conſervat: qualis eſt paupertas Ordinis noſtri. Quamobrem Sixtus IV. per Bullam quæ incipit, *Nuper &c.* cum toto Ordine diſpenſavit: omnibuſque, & ſingulis Conventibus, ac locis Ordinis noſtri, ut poſſeſſiones, redditus, & proventus, & alia bona immobilia libere poſſint in communi, & non aliter habere, emere, & retinere, conceſſit: Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, atque Inſtitutis Regularibus dicti Ordinis, ſecundùm quas Mendicantes appellantur, & ſine proprio ex incerta mendicitate vivere debent: aliis quoque Ordinis atque ejus domorum ſtatutis, & conſuetudinibus, quibus omnibus ſpecialiter, & expreſſe ſua Sanctitas derogavit. Denique ad omnem ſcrupulum tollendum Concil. Trident. Seſſ. 25. *tit. de Reg. capit.* 3. ſic ordinavit: *Concedit Sancta Synod. omnibus Monaſteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium (exceptis domibus Fratrum Sancti Franciſci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de Obſervantia vocantur) etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis liceat poſſidere. Quod ſi aliqua loca ex prædictis, quibus ex authoritate Apoſtolica permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit.* Quapropter cum tam univerſus Ordo prædictum Privilegium, & Decretum Concilii receperit, denunciamus quod nullus Prælatus poteſt bona immobilia, poſſeſſiones, aut redditus perpetuos Conventus, ſub pœna excommunicationis vendere, aut quovis modo alienare: quemadmodum Paulus II. in ſua Conſtitutione his verbis præcepit: *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra biennium fieri prohibemus, hac perpetua valitura Conſtitutione, niſi in caſibus à jure expreſſis; & tunc in Eccleſiarum evidentem utilitatem. Si quis autem contra hujus prohibitionis ſeriem alienare præſumpſerit, alienatio conceſſa, hypotheca, locatio, conductio, nullius ſit roboris: & qui alienant, & qui recipiunt, ſententiam excommunicationis incurrant.* Item denunciamus in Capitulo Barcinonenſi 1574. ordinatum, & Romæ 1580. nec non Venetiis 1592. confirmatum fuiſſe ordinationem, qua præcipitur omnibus Prælatis noſtri Ordinis ſub pœna abſolutionis ab officiis: ne bona ſtabilia, aut fundos (quos vocant) alienare, & aliqua pecuniæ ſumma recepta, rationes, & prætenſiones Conventuum extinguere audeant. Cæterum, quia ſæpe contigit, propter evidentem utilitatem Conventuum, bona elocare, & vendere, meminerint omnes Præſidentes Conventuum, ut à Magiſtro Ordinis licentiam prius in ſcriptis obtineant. Huic enim pro tempore, Leo X. & poſtea Clemens VII. authoritate Apoſtolica indulſit: ut poſſit dare licentiam bona Conventuum, & locorum ſibi in toto Ordine ſubjectorum, ad certum tempus, ac in perpetuum locandi: vel in emphiteuſim ad lineam maſculinam concedendi, ſive commutandi, aut vendendi, vel quocumque alio titulo alienandi bona immobilia, & pretioſa mobilia minus utilia, quæ nunc habent, & in poſterum juſto titulo habituri ſunt; tam pro ſatisfactione debitorum, aut pro utilitate, aut neceſſitate Conventuum ſine locorum prædictorum contracturum, aut etiam utilitate ſuggerente contrahendorum, quam alia evidenti utilitate. Proviſio tamen, quod pretium bonorum immobilium ſi vendantur, aut quovis modo alienentur, centum ducatorum auri de Camera, ſecundùm communem æſtimationem valorem annuum non excedat: & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum bonorum immobilium, ſeu præfatorum debitorum realem ſolutionem, cum effectu convertatur, & accedat aſſenſus majoris partis vocalium Conventus.

IV.

IN virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub Excomunicationis pœna diſtricte prohibemus: (*i*) ne aliquis Fratrum noſtrorum laboret, vel procuret de cætero, ut cura vel cuſtodia Monialium, ſeu quarumlibet aliarum mulierum Fratribus noſtris committatur, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſpeciali. Prohibemus diſtricte, ne aliquis curam recipiat prædictarum, niſi per tria Capitula Generalia continua fuerit approbatum: vel niſi cura per Dom. Papam Ordini committatur; vel per alium qui poſſit facere commiſſionem prædictam. Si quis vero contraire præſumpſerit, pœnæ graviori culpæ debitæ, ſubjacebit.

(i) *Ne aliquis procuret ut cura, vel cuſtodia Monialium.*) Declaramus, quòd Monaſteria Sororum curæ Ordinis commiſſa, & in poſterum committenda, juxta Privilegia Apoſtolica ſub cura ſunt ac regimine, & Magiſterio Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium; ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, quibus eam curam ipſi commiſerint. Atque idem Magiſter, & Provinciales prædicti, per ſe, vel per alios debent, & poſſunt eadem Monaſteria juxta Conſtitutiones prædicti Ordinis regulare, & gubernare, atque ea tum in capitibus, tum in membris viſitare, & corrigere, ac reformare: Sorores, Prioriſſas, Supprioriſſas, & Officiales, necnon Converſos, & familiares ibidem inſtituere, deſtituere, mutare, transferre, & alia ordinare: atque etiam ſub pœnis, quæ eis videbuntur mandare, & ſtatuere, prout ſecundùm Deum viderint expedire: juxta id, quod Bonifacius IX.

in

in Bulla, quæ incipit: *Sacra Religionis*, quæ infra Capitulo 18. inſerta eſt, atque Alexander IV. in alio Privilegio decreverunt.

Item declaramus, quòd Fratres, qui ad curam Monialium conſtituti ſunt, non poſſunt ingredi clauſuram ipſarum, niſi propter evidentem neceſſitatem: nec debent permittere, ut alii ingrediantur illuc, niſi ex legitima, & rationabili cauſa, & in privilegio Bonifacii IX. ſic dicitur: *Nulla perſona, religioſa vel ſecularis, ſub pœna excommunicationis lata ſententia poteſt ingredi in Monaſteria Monialium, quæ ſunt ſub cura Ordinis Prædicatorum, ſine licentia Magiſtri Ordinis, niſi in caſibus in earum Conſtitutionibus expreſſis; & a tali excommunicatione non poſſunt abſolvi, niſi per Magiſtrum prædictum, vel per alios quibus ipſe commiſerit.* Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 5. ſic ſtatuitur: *Ingredi autem intra ſepta Monaſterii (Monialium ſcilicet) nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, aut ætatis fuerit; ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem licentiam tantum Epiſcopus, vel Superior debet, in caſibus neceſſariis; neque alias ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel inpoſterum concedendi.* Hactenus Concilium Tridentinum decrevit. Cui decreto inhærens Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, cenſuit, licentias ingrediendi intra ſepta Monialium, ex vera tantum neceſſitate concedendas, quoad Monaſteria Regularibus ſubjecta, pertinere tantum ad ipſos Superiores Regulares. Quamobrem poſt Decretum Concilii Trident. Bononiæ 1564. iſtud habetur: Admonemus Reverendos Provinciales, ut circa ingreſſum ad Monaſteria Monialium, magnam cuſtodiam adhibeant; & quando gravis neceſſitas pro ſui executione officii intrare compulerit; unum tantum aut duos ut plurimum ſocios, eoſque graves ſecum adducant. Inferioribus autem Monialium Præfectis, ipſi Provinciales leges præſcribant, quando eis, & cum quibus ſociis ingredi liceat, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Cæterum quia multæ etiam perſonæ Illuſtres, ratione quorumdam privilegiorum prætendere ſolent ingreſſum intra ſepta Monaſterii Monialium: denunciamus, Gregorium XIII. in Bulla, quæ incipit. *Ubi gratia* &c. & Paulum V. in alia, cujus initium eſt *Monialium ſtatui* &c in Capitulo Romano 1612. acceptata, omnes licentias, omnibus mulieribus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, hactenus conceſſas, ingredi Monaſteria Monialium revocaſſe: & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandaſſe, ne quæ earum ingredi in ea audeat. Neve eas Prioriſſa, aut Superiores introducant, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibitum eſt: à qua nonniſi à Romano. Pont. pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint; & ſub pœna privationis ſuorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, ipſo facto ſine ulla declaratione incurrendis pœnis.

Item declaramus, quòd Fratres in Monaſteriis Sororum continue per modum Collegii ſub cura ſui peculiaris Prioris, vel Vicarii reſidentes, (ſicut quondam in Monaſterio Sancti Sixti, & nunc etiam in Cœnobio Prulliano, & præſertim noviſſime in Monaſterio Sancti Sebaſtiani Neapoli commorantur) non pertinent ad alium Conventum, niſi ſolum quoad ſuffragia: eorumque bona, ſive libros, ſive res alias Prior Provincialis poſt eorum obitum Conventibus eorum originalibus reddere debet, ſicut habetur in *capitulo de Studentibus.* Et idem dicendum eſt de aliis Fratribus reſidentibus in aliis Monaſteriis, & de ipſorum bonis: quod videlicet ad ſuos originales Conventus debent pertinere, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Venetiis 1297. Metis 1298. & iterum Venetiis 1437. Volentes, quod Priores Provinciales tam Monialibus, quam Tertiariis, conſtituant peculiares Confeſſores diſcretos, & maturos, & ſtatuant tempus, quo confiteri debent, juxta præſcriptum Conſtitutionum: nec permittant à Fratribus eadem Monaſteria frequentari; ſicut fuit declaratum apud Londonas 1250. & Metis 1251. Tandem in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 10. habetur, quod præter ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur. Quod etiam in Capitulo Romano 1601. præceptum fuit, & additum: Confeſſores poſt triennium amovendos eſſe, ſicut etiam fuerat antea ordinatum Romæ 1569. & 1583. Atque iterum Romæ 1589. ſub pœna gravioris culpæ mandatum fuit, ut Confeſſores Monialium, quaſcumque eleemoſynas pro Miſſis ſibi datas, ac illarum numerum, infra unius diei terminum ab earum receptione ſuis Prælatis manifeſtare teneantur. Declarantes, quod Vicarii Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialium, de viſitandis, vel ordinandis Monaſteriis Sororum nullo modo poſſunt ſe ingerere, niſi eorum litteris ſpecialiter ſit expreſſum: ſicut fuit ordinatum apud Argentinam 1307.

Item declaramus, quòd Modus eligendi Prioriſſas juxta tenorem Conſtit. Bonifacii VIII. talis erat: quod videlicet Conventus Monialium deberent compromittere in tres Fratres, qui audirent, & conſcriberent vota Sororum ad eligendam illam, quam major pars ultra medietatem nominaſſet. Quo facto & auditis vocibus omnium Sororum in ſecreto, publicarent ſcrutinium; & facta collatione numeri ad numerum, ſi majorem partem omnium eligentium in unum conveniſſe inveniſſent; debebat ille qui primus erat inter ſcrutatores, formare electionis decretum hoc modo. Ego Fr. N. vice mea, & Fratrum N. N. Compromiſſariorum, & Sororum electricum mecum conſentientium: eligo Sororem N. talem in Prioriſſam Monaſterii talis. Si vero omnes conſenſiſſent: dicere debebat, & omnium Sororum electricum mecum conſentientium. Prioriſſa autem ſic electa poterat per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Provincialem, vel per eos quibus ipſi commiſiſſent (ſi eis videbatur) confirmari. His tamen non obſtantibus, declaramus, propter Concilium Tridentinum debere ſervari modum, qui in ſequenti capitulo *de electione Prioris* poſitus eſt ex Capitulo Bononienſi 1564.

V.

(k) Mulieres Clauſtrum, vel Oratorium, vel alias officinas noſtras nunquam ingrediantur, niſi in die conſecrationis Eccleſiæ: & tunc liceat eis ingredi Chorum, & Clauſtrum. In Paraſceve vero tantum Chorum poterunt intrare uſque ad officium.

(k) *Mulieres Clauſtrum, vel Oratorium.*) Declaramus, quòd in Eccleſiis noſtris debent eſſe intermedia, quæ dividant Chorum à ſecularibus:

bus, & debent obique ſic eſſe diſpoſita: ut Fratres ingredientes Chorum non poſſint videri à ſecularibus, nec eos videre; poterunt tamen aliquæ feneſtræ aptari, ut tempore elevationis Corporis Dominici poſſint aperiri, & Sacramentum à Secularibus adorari, ut fuit ordinatum Treveris 1249.

Item declaramus, fel. recor. Pium V. in Conſtitutione incipiente: *Regularium perſonarum* &c. revocaſſe licentias quibuſcumque mulieribus conceſſas ingrediendi Monaſteria, & loca quorumcumque Ordinum Regularium: ac præcepiſſe Prioribus, & aliis Præſidentibus, quocumque nomine vocentur, etiam Mendicantibus, ſub pœnis privationis officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis inpoſterum ad alia omnia, & ſuſpenſioois à Divinis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendia; ne quaſcumque mulieres etiam Comitiſſas, vel Marchioniſſas, intra Monaſteria, vel Domos, introducere, admittereve præſumant: quod Idem præcepit Gregorius XIII. in alia ſua Conſtitutione, incipiente: *Ubi gratia* &c.

Item declaramus, quod in Capitulo Romano 1571. ſic habetur: Denunciamus à SS. D. N. Pio V. motum proptium enanaſſe, circa ingreſſum mulierum in Conventus noſtros, quem Sua Sanctitas viva voce declaravit: quod per dictas literas non præcludetur aditus mulieribus ad Monaſteria, & Clauſtra, quando in eis Miſſæ celebrantur, ac alia Divina Officia, aut etiam quando proceſſiones fiunt, vel cadavera fidelium in eis ſepeliuntur, aut etiam pro eis ſuffragia fiunt: ſed eis concedit, quod quando hæc fiunt, ad ea accedere poſſint. Similiter, quando verbum Dei in Eccleſia proponitur, vel ob quamcumque aliam cauſam tantus eſt concurſus populorum, quod commode ingredi, vel egredi per portam communem non poſſit, concedit idem Pius V. ut mulieres, una cum aliis perſonis ſecularibus, ingredi, vel egredi poſſint per portam Conventus Clauſtri, dummodo recto tramite accedant ab Eccleſiæ janua ad dictam Clauſtri portam, qua exitur à Monaſterio &c non obſtantibus &c. Datum 1568. Illud vivæ vocis oraculum fuit factum Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Alexandro Cribello anno Domini 1568. cui etiam declaravit ſua Sanctitas, in cæteris ſervandum eſſe ſuum Modum proprium in omnibus Conventibus noſtri Ordinis, ſub pœnis ibidem expreſſis.

VI.

(*l*) STatuatur ſemper aliquis Frater Clericus, vel Converſus diſcretus, maturus, & ſecurus, qui ſit portarius, & diligenter ea, quæ ad officium portarii pertinent exequatur. Poterit autem aliquem Fratrem, vel ſecularem honeſtæ converſationis habere in adjutorium, cum neceſſitas hoc requiret.

(l) *Statuatur ſemper aliquis Frater Clericus.*) Declaramus Valliſoleti 1605. ordinatum iſtud. & in Capitulo Romano 1608. confirmatum fuiſſe: ut in omnibus Conventibus, maxime in præcipuis, ſemper ad oſtium Cœnobii Cuſtos aſſiſtat aliquis Sacerdos, vel Converſus diſcretus, & morum probitate inſignis: qui ſeculares adventantes benigne recipiat, & de rebus ſpiritualibus colloquendo, eos detineat interim, dum Frater ab eis poſtulatus, ab alio juniore Oſtiario (quem ſocium ſenior ille, & primarius Oſtiarius in eo officio ſemper habebit) vocatus adveniat. Nec permittat ſeculares per Conventum diſcurrere, nec ad cellas Fratrum accedere, niſi fuerint perſonæ graves. Oſtium autem ita introrſus ſemper ſit occluſum, ut nulla ratione à foris venientes poſſint aperire. Ut vero facilius Oſtiario innoteſcat, qui Fratres ſint foris, qui vero domi: mandamus ſub pœna gravis culpæ, ne quis extra Conventum egredi audeat per portas Eccleſiæ, vel per alias; ſed ſolum per unicum commune oſtium domus. Ad oſtium vero introrſus, tabula loco apto affigatur, nomina, & cognomina Fratrum Conventus continens: in qua Oſtiarius aliquo ſigno notet Fratrem domo egredientem, vel regredientem; ut ſic de quæſitis Fratribus rationem reddere queat. Prælati vero, qui in horum cura fuerint negligentes, à ſuis officiis abſolvantur.

VII.

(*m*) VOlumus autem quod fiat cum maturo conſilio peritorum in arte, (conſiderato loco illo) in ligno, vel in alia materia, formula totius Domus conſtruendæ, quam non liceat tranſgredi pro voluntate varia Præſidentium; ſed juxta illam ædificetur. In Domibus autem conſtructis, mandamus nullam fieri conſtructionem, aut ædificationem notablilem in fabrica à Priore, vel Procuratore; niſi de licentia Prioris Provincialis, & conſilio, atque aſſenſu Patrum. Oppoſitum autem facere præſumens in pœnam abſolvatur: ſic quod per triennium nec ibi, nec alibi præſit.

(m) *Volumus autem, quod fiat cum maturo conſilio.*) Declaramus, in Capitulo Salmanticen. 1551. ſic determinari: Ordinamus ne fiat aliquod ædificium, vel conſtructio notabilis in aliquo Conventu, niſi de aſſenſu Patrum cum licentia Provincialis, & cum conſilio Peritorum: & quod taliter per unum Priorem inceptum eſt, per ſubſequentem continuetur, & ne potius nova ædificia inchoentur. Et qui his contravenerint, pœnæ gravioris culpæ ſubjacere intelligantur. Et inter alia, quæ in Capitulo Romano 1583. ex mandato Sixti V. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ordinata referuntur, iſtud tertio loco habetur. Sanctitas ſua confirmat, & ordinat (ſi opus eſt) de novo, id quod alias in ſupradicto Ordine fuerat ordinatum: videlicet, quod non fiat ædificium aliquod, vel conſtructio notabilis in aliquo Conventu, (notabilis inquam reſpective juxta Conventus quantitatem & qualitatem) niſi de aſſenſo majoris partis Patrum à conſiliis; & cum conſilio peritorum, ſimul etiam cum licentia Provincialis. Rurſus, quod ab uno Prælato inceptum eſt, ſubſequens proſequatur: ita quod non poſſit nova ædificia inchoare, ſi priora non ſint finita. Præcipit etiam, idipſum ſervari in Monaſteriis Monialium; ita quod non poſſit Priorîſſa ædificium notabile inchoare, ſine aſſenſo majoris partis Matrum à conſiliis; ſimul cum licentia Provincialis, & cum peritorum conſilio; nec ullo modo ædificia nova aggrediantur, quouſque jam inchoata ſint finita. Prior autem Provincialis, vel Conventualis, vel Prioriſſa, ſi contra ordinationem iſtam agere præſumpſerit, ipſo facto excommunicationem incurrat, & officio privetur. Ut autem hujus prohibitionis non

in-

Digitized by Google

interdicitur, quin poſſint inchoari illa ædificia, quibus reparatur aliqua pars Conventus collapſa, vel quæ in ruinam tendit: nec etiam ædificia illa, quæ extra Conventus fiunt, quibus annui redditus creſcunt, & promoventur; dummodò in iſtis etiam conſtructionibus (ſi ſint notabiles) præcedant conſenſus, & licentia juxta ſupradicta.

Item declaramus in Capitulo Romano 1569. præceptum fuiſſe Reverendis Patribus Provincialibus, ut in viſitatione Conventuum ſequeſtrent aliquas pecunias annuales, pro reparatione fabricæ Conventuum, qui paſſim deſtruuntur: & ut etiam provideantur pro loco infirmorum, & hoſpitum neceſſaria; adhibitis gravioribus pœnis ne hujuſmodi pecuniæ in alios uſus diſtrahantur, ſuper quo Provincialium conſcientias in diem Chriſti oneramus. Et in Capitulo Bononienſi 1564. fuit ordinatum, quod in noſtris Conventibus certus aliquis locus ſtatuatur, in quo privilegia, & aliæ ſcripturæ neceſſariæ, ſub tribus clavibus conſerventur. Et ſi quando inde pro neceſſitate Conventus productæ fuerint, quam citius reponantur, nec in cella Prioris, aut Syndici, niſi pro neceſſario tempore retineri poſſint. Et in Capitulo Romano 1605. dicitur: In omni Conventu locus tutus cum armariis (ut vulgo dicitur) ſive capſis habeatur, in quibus ſcripturæ, privilegia, contractus, inſtrumenta, libri profeſſionum Fratrum,&omnia jura ad Conventum pertinentia cum ſuo inventario, ſeu indice aſſerventur. Similiter inventarium bonorum mobilium, & immobilium tam Conventus, quam Eccleſiæ, conſcribatur, duplici authentico exemplari: quorum alterum in Archivio illius Conventus, alterum vero in Archivio primarii Provinciæ, vel nationis Conventus diligenter cuſtodiantur.

Similiter in Capitulo Valliſoleti 1605. magis exactè, confirmando diſponitur: Confirmamus, & omnibus Prioribus, Conventuumque Præſidentibus diſtrictè injungimus: ut qua poterunt brevitate faciant memorialia, quæ vocantur inventaria,tum in Depoſito de omnibus ſcripturis, tum annuorum redditum,quæ cenſualia vocantur, tum aliorum privilegiorum, & ſimiliter in qualibet officina Conventus. Ad quæ inventaria conſtituatur liber in Depoſito in quo ponatur Primo: inventarium privilegiorum, & aliarum ſcripturarum pertinentium ad fundationem, & ſtatum Conventus. Secundo, ponatur inventarium ſcripturarum cenſualium perpetuorum, & poſtea ſcripturarum cenſualium temporalium, per ordinem menſium:cum aliquo ſigno tam in inventario,quam in ipſa ſcriptura, ut poſſint facilè reperiri. Et in alia parte ponatur inventarium omnium ſcripturarum pertinentium ad annuos redditus frumenti, vini, & olei. In alio autem libro ponantur ſigillatim inventaria omnium bonorum, quæ reperiuntur in qualibet officina Conventus: in quibus quæcumque bona, quæ de novo ponuntur in aliqua officina, addantur inventario illius officinæ; maximè autem in inventario Sacriſtiæ ponantur omnia localia, & quæ offeruntur: quæ teneantur Sacriſtæ quantocyùs acceperint, præſentare Patri Priori, ſeu Principali Præſidenti Conventus, ut ponantur in inventario. Ex quibus inventariis detur tranſumptum cuilibet Officiali talis officinæ, ſubſcripti à Patre Priore, ſeu Principali Præſidente, Depoſitariis Conventus, & Officiali quocumque cujuſcumque officinæ, quæ omnia teneantur adimplere Prælati, ſub pœna abſolutionis ab officiis eorum. Addente, quod nullo modo extrahantur aliquæ ſcripturæ à Depoſito, niſi in præſentia Prælati: taliter, quod in Depoſito maneat aliquod memoriale ſemper ipſius ſcripturæ, donec reſtituatur.

Item in Capitulo Romano 1608. iſtud habetur: Confirmamus ordinationem illam Capituli Valliſoletani immediatè præcedentis, de his, quæ pertinent ad commune Depoſitum Conventus: nimirùm ut in quolibet Conventu, vel Domo, deputetur aliquis locus fortis, & ſecurus, qui Depoſitum commune appelletur; cujus clavem habeat ſemper Prior, vel principalis Præſidens Conventus. In quo conſtituatur arca fortis, & validè compacta, quæ tribus ſeris claudatur, quarum claves habeant ſinguli ſingulas; Prior, vel principalis Præſidens Conventus, & duo Patres Depoſitarii, moribus, & fidelitate probati, quos major pars Patrum à conſiliis ad hoc munus aptiores eſſe judicantes elegerint. Et in prædicta arca omnes pecuniæ Conventus deponentur & cuſtodientur.

In adminiſtrando autem Depoſito hæ leges ſervabuntur.

Primò. Singulis hebdomadibus, vel menſibus ad prædictum Depoſitum conveniant Prior, & duo Depoſitarii: quibus Syndicus, Procurator, Sacriſta, & alii, ad quos ratiocinia Conventus quoquo modo ſpectant, rationem reddant de receptis hebdomadæ, vel menſis præteriti.

Secundo. Sacriſtæ nihil eorum, quæ recipiunt, expendere audeant, neque etiam ſub prætextu adornandæ Eccleſiæ, vel muſicæ, vel alia occaſione, abſque licentia Prioris.

Tertio. Fratres quaſcumque eleemoſynarum pecunias, tam ad Miſſas celebrandas, quam quavis alia ratione pro Conventu eis traditas, infra ſpatium viginti quatuor horarum, Sacriſtæ ad Depoſitum conſignent, nec apud ſe retineant.

Quarto. Et quoniam longa Syndicorum in ſuo officio perduratio, Conventibus damnoſa ſæpe eſſe ſolet: ordinamus, ut nullus Syndicus poſſit in Syndicatus officio perdurare, pluſquam per biennium; quo completo, ipſo facto à prædicto officio ſit abſolutus, nec ad illud ante biennium eligi poſſit ſine licentia Prioris Provincialis, & præmiſſa nova electione majoris partis vocalium Conventus conſenſu accedente.

Quinto. Syndico nunquam concedatur facultas acceptandi pecunias, quæ ad extinctionem cenſuum erogari ſolent. Qui etiam teneatur ſingulis hebdomadibus, vel menſibus ad ſummum, rationem reddere Priori, & Depoſitariis, de omnibus receptis, & pecunias omnes deferre ad Depoſitum; ut ibi in arca deponantur, & cuſtodiantur; unde non poterunt extrahi niſi in præſentia Prioris, & Depoſitariorum, & ſtatim in libro majori ſcribatur diſtincte, & clare, in quos uſus expenduntur. Volumus autem, quod Syndicus nullas pecunias expendere poſſit, niſi prius portatæ fuerint ad Depoſitum, & inde ſibi fuerint conſignatæ à Priore, & Depoſitariis. Quod ſi aliter fecerit, pœnæ proprietarii ipſo facto ſubjaceat.

Sexto. Liber magnus in arca Depoſiti cuſtodiatur, à qua non poſſit extrahi, niſi in præſentia Prioris, & Depoſitariorum: nec inde alio ullo modo, vel per breve tempus aſportetur, præterquam tempore Viſitationis Prioris Provincialis: & tunc ad ejus cellam poterit deportari, ut omnia ratiocinia poſſit intueri. In quo libro ex una parte ſcribantur omnia recepta tam Syndici, quam Sacriſtæ, quam aliorum; ita ut nihil in Conventu recipiatur, quod in prædicto libro non ſcribatur. Ex alia autem parte omnes expenſæ referantur, ut ſic tempore ratiocinii collatio fiat recepti, & expenſi, & cognoſcatur, an bona Conventus rectè fuerint adminiſtrata. Prædictæ autem in adminiſtrando Depoſito leges, & ordinationes diſtricte, & inviolabiliter obſerventur.

Hæc

Hæc ordinatio fuit etiam confirmata in Capitulo Pariſienſi 1611. cum hac additione: ut in quolibet Conventu fiat liber (ſi jam factus non eſt) in quo deſcribantur omnes redditus certi, territoria, ſylvæ, vineæ, prædia, ſive poſſeſſiones Conventuum cum ſuis confinibus, terminis, & limitibus; ad evitandas in poſterum lites, & depellendas injurias occupantium bona Ordinis. Idque præcipitur tam Provincialibus, quam Præſidentibus, & Procuratoribus Conventuum, ſub pœna abſolutionis ab officiis ſuis, niſi intra annum executioni mandentur. Et quia multa Privilegia noſtro Ordini, ejuſque Provinciis à Summis Pontificibus conceduntur, & ſingularia pro iiſdem Provinciis, à Magiſtris Ordinis per neceſſaria præſcribuntur: ut hujuſmodi litteræ, vel Apoſtolicæ, vel Magiſtrorum Ordinis perpetuo conſerventur; ideo in Capitulo Bononienſi 1615. mandatum eſt omnibus PP. Provincialibus, quatenus de conſilio Patrum ſuarum Provinciarum, prout neceſſitas expoſcet, unum vel duos Conventus primarios, pro hujuſmodi litteris conſervandis, deſignent: in quibus Conventibus omnes Provinciales, finem ſuis officiis imponentes, de ſcitu Patrum Provinciæ, tales litteras reponere tenebuntur.

Cæterùm, quia magis bona ſpiritualia, quam temporalia in Conventibus noſtris conſervari debent: declaramus pro reformatione Obſervantiæ Regularis, illud à Bonifacio Papa IX. & à Beato Raymundo Capuano Generali olim Magiſtro ſtatutum, & poſt in Capitulo Salmanticenſi 1551. Romæ 1558. Bononienſi 1554. Romæ 1569. & Valliſoleti 1605. ſtrictiſſimè mandatum eſſe omnibus RR. AA. PP. Provincialibus; ut unuſquiſque in ſua Provincia, unum, vel plures Conventus, juxta qualitatem, & numerum Fratrum deputet, in quibus Regula, & Conſtitutiones Ordinis noſtri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem obſerventur; nec cum aliquo ibi commorante in carnibus, vel aliis Regulari vitæ repugnantibus quoquo modo, aut quovis prætextu, vel colore, niſi propter actualem infirmitatem dumtaxat, diſpenſari poſſit. In quibus Conventibus, & locis nemo invitus cogatur manere, nec aliquis nolens à ſuo retrahatur fervore, niſi quem jam arrepti propoſiti, & cœptæ obſervantiæ pœnituerit. Ne vero contingat, ſicut plerumque maligni ſpiritus ſuggeſtione ſolet evenire, ut qui ſpiritu cœperunt, poſtmodum carne conſumantur: & qui ad meliora accendi videbantur, aliquando ſuperba elatione, & aliorum contemptu ad deteriora trahuntur, & unde quærunt meliores fieri, inde inobedientes, & ſuis Superioribus rebelles efficiuntur: volumus & præſenti ſtatuto in perpetuum ordinamus; quod omnes in præfatis Conventibus commorantes, in omnibus, & per omnia ſuis Provincialibus cenſeantur, & ſint ſubditi, qui eos viſitare, aſſignare, & removere poſſint, ſicut antea conſueverunt, & omnia alia tam in dictis Conventibus, quam Fratribus facere valeant, quæ dicto vivendi modo, & Regulari Obſervantiæ non repugnent. Diſtricte etiam mandamus, ne Fratres in talibus Conventibus commorantes, quovis modo poſſint habitum, vel formam ejus tranſmutare, ſed tali uti, quali in Capit. Romano proximè præterito, & in hoc Capitulo fuit decretum. Nec poſſeſſiones, cæteraque immobilia, & pretioſa, abſque ſpeciali Reverendiſſimi licentia alienare audeant. Hortamur nihilominus dictos RR. AA. PP. Provinciales, ut præfatos Patres foveant, & adjuvent, neque illis in ſuo fervore ſint impedimento: curentque, nè Domini ſpiritus in aliquo extinguatur, moneantque eos, qui in tali obſervantiæ arctitudine morantur, ne cæteros de ſua Provincia ſpernant, nec aliſcui detrahant, nec aliis ſe eſſe meliores judicent: ſed animadvertant, quod quanto quis perfectior eſt, tanto humilior eſſe debet, & tanto magis Superioribus obedientior; illius exemplo, qui uſque ad mortem factus eſt obediens, & mortem noſtram ſua morte deſtruxit, ut in omnibus humilitatem, & obedientiam nos doceret. Quare Reverendiſſimum Patrem Generalem obnixe rogamus, ut in Provinciarum viſitationibus, omnia quæ hujuſmodi vivendi modum adjuvare judicaverit, pro ſua ſingulari providentia, & ſollicitudine curet ordinare.

Eam Capituli Valliſoletani ſanctiſſimam ordinationem, Capitulum Romanum 1608. confirmavit, cum denunciatione, quod jam in pluribus Provinciis executioni mandata ſit, & cum admonitione, ut in iis Conventibus Fratres nonniſi ſpontanei, & voluntarii aſſignentur; quibus etiam non liceat alias cæremonias, & obſervantias, quam in Ordine receptas, & approbatas inducere, aut ſe ab obedientia Præſidentis Provinciæ ſubducere ullo pacto.

CAPUT II.

De Electione Prioris Conventualis, & inſtitutione Supprioris.

I.

(*a*) PRiores Conventuales à ſuis Conventibus ſecundùm formam canonicam eligantur, videlicet (*b*) à majori parte ultrà medietatem omnium eligentium: (*c*) vel per ſcrutinium, vel per compromiſſionem, vel per comunem inſpirationem; aliis ſubtilitatibus juris relegatis. Quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium obſervetur. Cùm autem per diſquiſitionem, & ſcrutinium voluntatum procedit electio, vota eligentium recipiantur, & conſcribantur (*d*) per Suppriorem, vel ejus Vicarium in abſentia Supprioris: & duos Fratres, (*e*) qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt; ſi tamen poſt profeſſionem à noſtro Ordine nullatenus diſceſſerunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, vel Provinciale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum.

(a) *Priores Conventuales ſecundùm formam Canonicam eligantur.*) Declaramus, quòd Fratres noſtri, ſicut jura volunt, non poſſunt ſibi eligere, vel poſtulare Priorem, niſi ille qui præeſt in tali officio, ſit penitus amotus. Nec etiam poſſunt eligere ſub conditione, ſi eum contigerit amoveri, ſicut fuit declaratum Pariſiis 1239.

Item declaramus, quòd ad electionem canonicam infraſcripta requiruntur.

Primum eſt, quod mortuo, vel amoto Priore, Electores abſentes vocandi ſunt, ſi nuntius ad eos pedeſter per unam diem commodè poſſit acce-

accedere, ut infra num. 6. amplius declaratur. Item in Capitulo Romano 1601. fuit pro his qui ad Capitulum Provinciale proficiſcuntur, ordinatum: quod quando Priores tempus ſui Prioratus (in Capitulo Provinciali dumtaxat) expleverint; tenentur Electores præſtolari ſocios eorundem Priorum, qui ad Capitulum Provinciale profecti fuerint, uſque ad Sabbatum Pentecoſtes excluſivè: & tunc procedere poterunt ad electionem Prioris; niſi forte ante talem diem illi, qui ad Capitulum Provinciale acceſſerant, reverſi fuerint.

Secundum eſt, quod vocatis, & exſpectatis abſentibus, debent vocales ad locum electionis per ſonum campanulæ convocari, & præmiſſo tractatu, ſaltem in communi (ſi viſum fuerit) de perſona idonea eligenda, debet eligi hora, & locus pro electione facienda. Quod ſi major pars Electorum petierit à Suppriore, vel Vicario (ſi non adſit Supprior) ut congreget Capitulum ad electionem, & ipſe renuerit: tunc antiquior ex omnibus Electoribus, poſt tertium aut quartum diem a notitia carentiæ Prioris, poterit congregare Capitulum, & ad electionem procedere. Quod ſi iſte noluerit, alius antiquior poſt ipſum, & ſic de cæteris, donec ad electionem procedatur, ut ipſis iiſdem verbis fuit declaratum Romæ 1601. declarat. 3. & Pariſiis 1611.

Tertium eſt, quod determinatis jam hora, & loco electionis, præſentibus ad ſonum campanæ vocalibus, debet in Capitulo à Præſidente electionis fieri proteſtatio: quod non intendit admittere aliquem de jure non admittendum, nec excludere non excludendum.

Quartum eſt, quod ille qui præeſt, debet ad cautelam generalem abſolutionem facere ab omni cenſura.

Quintum eſt, quod debet invocari gratia Spiritus Sancti.

Sextum eſt, quod ille qui præeſt, debet ſecum duos Scrutatores aſſumere, qui habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem diutius portaverunt: & cum eis ad ſcamnum præparatum ante oſtium Capituli debet accedere. Quibus Conventus poteſt addere quartum, quem electores eligant in Capitulo per ſchedulas, tribus primis ſcrutatoribus exhibendas: & qui à pluribus fuerit nominatus (quamquam vota non exceſſerint medietatem) ille quartus ſcrutator habendus erit. Quod ſi duobus æqualia vota collata fuerint, ille qui fuerit antiquior in Ordine, præferendus erit: ita ut ex primo ſcrutinio, quartus ille ſcrutator pro ea dumtaxat electione ſemper habeatur.

Septimum eſt, quod poſtquam prædicti tres, vel quatuor ſcrutatores in menſa coram omnibus ſederint, debent primo ſua, deinde aliorum vota, per involutas ſchedulas in aliquo vaſe, vel urna recipere: nihil aliud reſpicientes, quam quod una tantum ab unoquoque exhibeatur, & in urnam mittatur. Quod ut rectè, & ſine aliqua fraude fiat; nullus eligentium manum cum ſchedula in urnam mittat, ſed eam ſolum ex aere pendentem, ita ut ſcrutatoribus viſibiliter cadens appareat, intromittat. Similiter, ut omnis fraus auferatur, omnibus ac ſingulis eligentibus in Capitulo Bonon. 1615. ſtrictiſſimè præcipitur; ut in omnibus Canonicis electionibus, nullus electorum audeat ſchedulas, quibus electiones hujuſmodi perturbantur, multiplicare.

Octavum eſt, quod ſcrutatores receptis ſingulorum votis, debent ſchedulas involutas in menſam effundere, & numerare, atque conferre cum vocalium numero: & ſi numerus earum non fuerit æqualis numero eligentium; ſtatim eas non explicando neque legendo, comburant. Si autem æqualis fuerit, eas explicent, legant, diligenter ſcrutentur, & in ſcriptis redigant.

Nonum eſt, quod facto ſcrutinio votorum, debent ſcrutatores conferre numerum cum numero eorum qui fuerint electi: & ſi invenerint, quod aliquis exiſtens extra Collegium, aut extra numerum eligentium fuerit electus à majori parte ultra medietatem omnium eligentium; ejus electio rata, ac legitima habeatur. Si quis vero de numero ipſorum eligentium electus fuerit, ut illius electio rata, & legitima ſit, ne fraudi locus adſit, neque poſſit aliquis ſeipſum eligere: duo vota ultra medietatem collata eſſe oportet. Declarantes tamen ſatisfieri huic ſtatuto de duobus votis, ſi conſtet illum eſſe electum à majori parte, ſecluſo ſuo voto, ſi forte illud ſibi contuliſſet. Id autem tunc ſatis conſtabit, quando aderit unum votum, & dimidium (quod dicitur) ultra majorem partem: utpote ſi eligentes ſint quinque, major pars ſunt tres; requiritur ergo, & ſufficit, ut electus, qui eſt de numero eligentium, habeat quatuor vota, ut ejus electio rata, & legitima habeatur. Ut fuit ordinatum Bonon. 1564.

Item declaramus in Capitulo Barcinonen 1574. confirm. 14. & poſtea Romæ 1580. & 1583. iſtud haberi: Ordinamus quod alias fuerat confirmatum in Capitulo immediate præcedenti: ut ſi quis propriæ vocis renunciatione medietatem eligentium exceſſerit, in quacunque electione, tam canonica quam alia irrita, cenſeatur electio; & hoc habent quatuor capitula, quantum ad electionem canonicam. Adjicientes quod totum hoc ordinatum cadit ſuper electione ipſa, & non ſuper electo, ita quod non poſſit denuo eligi. Quod in Capitulo Romano 1589. confirm. 5 fuit confirmatum, & additum: quod ſi quis, nec propriæ voci renunciare, nec ſuum votum conferre voluerit, ſed dixerit, neutraliter ſe velle habere; tanquam ſi voci ſuæ renunciaſſet cenſendus erit. Et quod qui contra hujus tenorem quempiam electum confirmaverit: iis pœnis ſubjaceat, quæ contra confirmantes non legitime electos, ſtatutæ ſunt; ac talis confirmatio nulla ſit & invalida. Item in eodem Capitulo Romæ 1589. declarat: 6. fuit ordinatum, quod ille qui eſt aſſignatus in aliquo Conventu, & electioni revera adeſſe poteſt: ſive tali electioni cum aliis in Capitulo interſit, ſive non interſit: debet neceſſario habere duo vota ultra eligentium medietatem, ad hoc ut rite, & canonice cenſeatur electus. Sicuti etiam de illo qui propriæ voci renunciat, jam ſæpe declaratum eſt.

Decimum eſt, quod habito ſchedularum numero, & collatione facta numeri ad numerum, debent vota in ſcriptis redigere, deinde ſchedulas coram eligentibus ante publicationem ſcrutinii comburere. Tandem in medium Capituli veniendo, ſcrutatores nomina publicent eorum, qui fuerunt electi: atque exprimant numerum votorum, quæ unuſquiſque habuit: quod etiam faciendum eſt, etiam ſi nullus fuerit à majori parte ultra medietatem electus, ut ad ſecundum ſcrutinium poſſint dirigi electores. Si autem electio rata fuerit; ille qui primam vocem habuerit inter electores, tenens in manibus librum Conſtitutionum, debet vice omnium prædictorum eligere, & decretum electionis formare, dicendo: Ego Frater N. vice mea, & omnium eligentium præſentium, eligo Fratrem N. in Priorem talis Conventus. Quod ſi prius ſcrutator

tator fuerit electus, ſecundus ſcrutator in publicando ſcrutinio, & formando decreto ſuccedat: & ea ſolum quæ in Capitulo publicantur, in decreto electionis mittendo ad Confirmatorem, ſcribenda ſunt; ſubſcriptis nominibus ſcrutatorum. Clauſum vero, & ſigillo coram omnibus, antequam a loco electionis recedant, munitum, ad Confirmatorem mittatur quantocius. Et idem modus eligendi ſervetur in electione Prioris Provincialis ac Magiſtri Ordinis, & Diffinitorum Capituli Generalis, & Provincialis, & Socii Prioris Conventualis, euntis ad Capitulum Provinciale.

Declaramus præterea, ut in illis Provinciis, in quibus, vel ex Apoſtolico indulto, vel ex approbata, & jam diu recepta conſuetudine, ſolent præter nomen electi apponi in eadem ſchedula nomina eorum, qui ſimul poſtulantur, ea conſuetudo deinceps conſervetur. Nomina vero eorum qui poſtulantur, & numerus eorumdem, ſimiliter in Capitulo publicentur, atque in decreto ſcribantur, & mittantur, ut in Capit. Bonon. 1564. ordinatum eſt. Quod autem ad clauſuram ſcrutinii attinet, illud Romæ 1553. declarat. 3. ordinatum eſt: ut ſi contingat ſcrutinium ipſum debere tranſcribi poſtquam tranſcriptum fuerit, ſcrutatores ipſum coram vocalibus iterum legant, & in oculis eorum ſigillo claudant.

(b) *A majori parte ultra medietatem omnium eligentium.*) Declaramus, quòd nullus Frater irregularis, & qui non eſt in Sacris Ordinibus conſtitutus, vocem habet in quacumque Ordinis noſtri electione, ſicut fuit declaratum apud Narbonam 1354. Nec ſufficit ad hoc quod electio ſit canonica, ut electus habeat majorem partem quam alii, ſed oportet ut habeat majorem partem ultra medietatem omnium eligentium.

(c) *Vel per ſcrutinium, vel per compromiſſionem, vel per communem inſpirationem.*) Declaramus, hanc antiquam eligendi formam per Concil. Tridentin. jam abolitam eſſe, & in omni canonica noſtri Ordinis electione, ſervandum eſſe Decretum Sacri Concilii Trident. Seſſ. 25. de Regularib. ubi ita decernit. *In electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, aliorumque Officialium Generalium, & Abbatiſſarum, ac aliarum Præpoſitarum, quo omnia recte, & ſine ulla fraude fiant: in primis ſancta Synodus diſtricte præcipit, omnes prædictos eligi debere per vota ſecreta; ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. Neque inpoſterum liceat Abbates Provinciales, Priores, aut alios titulares quoſcumque ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra huius Decreti Conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is qui adhunc effectum, ſe in Prælatum creari permiſerit; deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur, & ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſubreptitiæ cenſeantur.* Et propterea in Capitulo Generali Bononienſi 1564. ſic habetur: In hujus ergo (decreti videlicet Concilii) executionem, præcipimus univerſis Fratribus noſtris: ut in futuris electionibus infraſcripta forma deinceps obſervetur; & ſi ſecus factæ fuerint, irritæ prorſus habeantur, Singuli electores in ſchedula ſcribant electi nomen, vel ſcribi faciant; eligentis autem nomen nunquam ſcribatur, nec ſcrutatoribus, nec confirmatori unquam reveletur. Abrogata igitur electione per communem inſpirationem, & per compromiſſum, ſemper per ſcrutinium facienda eſt electio. Quod etiam Romæ 1571. denunc. 6 ita diſpoſitum fuit: Denunciamus, in noſtro Capitulo Generali diligenter ſuper forma electionis per ſchedulas facienda à patribus eſſe tractatum, decretumque fuiſſe eam formam nullatenus eſſe immutandam: de qua re Sanctiſſimus Dom Noſter Pius V. etiam conſultus in eadem ſententia fuit. Quapropter præcipimus omnibus Fratribus Ordinis noſtri, tam Prælatis quam ſubditis; ne de cætero ulla ratione eam immutare contendant. Declarantes tamen ſcrutinia, quæ fiunt ſuper retentione, vel abſolutione Priorum, more hactenus conſueto facienda eſſe. Socii etiam Prioris Provincialis euntis ad Capitulum Generale, ſive Socii Diffinitoris Capituli Generalis, eodem modo à Diffinitoribus Capituli Provincialis eligantur, ac deſignentur; ſicut antea conſuevit fieri. In receptione quoque Novitiorum ad habitum, ſive ad profeſſionem, & in præſtando conſenſu in contractibus, qui circa temporalia negotia fieri ſolent nihil innovatum cenſeatur: ut fuit ordinatum Bonon. 1564. quia iſta quatuor, vel quinque relata, per electionem canonicam non fiunt; atque ideo, nec in Decreto Concilii, quod tantum de electione canonica procedit, comprehenduntur.

Item declaramus, in Capitulo Bononienſi 1574. ordinat. 9. ordinatum fuiſſe: ne quis Patrum eligentium in quavis electione per ſchedulas, audeat, vel præſumat ipſius ſchedulis notam aliquam, characterem, vel ſignum quodlibet, & quovis modo, & cujuſvis rationis, unde poſſit nomen, vel perſona eligentis cognoſci, & ad notitiam venire, imprimere, inſcribere, vel alias annectere; privatos ex nunc declarantes utraque voce tam inducentem ad hoc, quam facientes, ſeu conſentientes. Ubi item ordinatur, & Romæ confirmatur 1580. quod in omni electione cujuſcumque Prioris, ſive Provincialis, ſive Conventualis, & Priориſſæ, teneantur omnes vocales, præmiſſa (ſi opus habuerit) Sacramentali Confeſſione, Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere ante celebrationem electionis, ſub pœna privationis vocis ipſo facto.

(d) *Per Suppriorem, vel ejus Vicarium.*) Declaramus, quòd mortuo, vel amoto Priore, amovetur etiam & ejus Vicarius: ſicut fuit declaratum Avenione 1367. & Romæ 1501. declarat 3.

Item declaramus, quòd quamvis Supprior abſente Priore non poſſit Vicarium inſtituere, ſicut apud Brivam 1347. & in multis aliis Capitulis ordinatum fuit: tamen mortuo, vel amoto Priore cum vices ejus per legem plenarie gerat in omnibus; poteſt Vicarium inſtituere, ſicut hæc habet Conſtitutio. Poteſt etiam Fratres ad Ordinem, & profeſſionem recipere, & confeſſiones Fratrum audire, alioſque exponere ad audiendas eorumdem Fratrum confeſſiones. Et hæc eadem facere poteſt Vicarius electus à Patribus, mortuo vel amoto Priore, & abſente Suppriore: quia in tali caſu non ſunt amplius delegati, ſed uterque habet poteſtatem, & juriſdictionem ordinariam per legem ſibi datam, & conceſſam, ut amplius infra littera S. declarabitur.

Item declaramus, quòd per Vicarium Supprioris intelligit Conſtitutio Vicarium illum, qui in Conventu ab ipſo Suppriore inſtitutus eſt, vel etiam à quocumque alio, eodem Suppriore abſente, & mortuo, vel amoto Priore ejuſdem Conventus: ſicut fuit declaratum Venetiis 1325.

Item

Item declaramus, quod Vicarius electus à duobus, vel tribus antiquioribus è Conventu, abſente Suppriore, & mortuo, vel amoto Priore, ſi Domus non habuerit Vicarium Supprioris, vel alterius Superioris; vota eligentium poteſt recipere ſicut fuit declaratum Cadurci 1319.

Item declaramus, quòd ſi in Conventu habente Suppriorem, mortuo, vel amoto Priore, aliquis per Capitulum, vel per Priorem Provincialem datus fuerit Vicarius dicti Conventus ſuper Suppriorem, & omnes Fratres: Vicarius in tali caſu debebit convocare Fratres ad electionem, Supprior autem cum duobus antiquioribus tenebit ſcrutinium: & prædictus Vicarius habebit vocem in tali electione, ſicut cæteri Fratres, ut fuit declaratum Avenione 1367.

Declaramus præterea, quod Provinciales, aut Vicarii, non poſſunt Vicarios pro electione Prioris facienda mittere ad Conventus, niſi in cauſa magnæ diſſenſionis electorum: ſive cum in veritate Conventus adeo eſt viris idoneis deſtitutus; ut nullus in eo ſit, qui ſciat electionem dirigere. Et nihilominus, qui ſic miſſus fuerit, careat voce paſſiva in eadem electione: quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. Et hæc ordinatio facta fuit primum Romæ 1553. deinde fuit confirmata ibidem 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

(e) *Qui primitus Habitum noſtri ordinis ſuſceperunt.*) Declaramus, quòd illi eſſe debent ſervatores, non qui prius Habitum ſuſceperunt, ſed qui poſt profeſſionem diutius ſuſceptum Habitum portaverunt, ſicut fuit declaratum apud Carcaſſonam 1324. Unde illi, qui per apoſtaſiam à noſtro ordine receſſerunt, cum ſint omni voce privati, nec ad aliquam Ordinis electionem poſſint admitti; non poſſunt eſſe ſcrutatores, nec etiam vocem in electione habere, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, vel Provinciale Capitulum fuerint diſpenſati; quod fieri non poteſt ante tres annos. Ita tamen ut anni quibus fuerint in apoſtaſia, non computentur eis quoad locum, ſed ſint ſub illis omnibus, qui habent plures annos in ordine poſt profeſſionem, quam ipſi haberent quando exierunt, & ita illi, qui diutius Religionis habitum poſt profeſſionem portaverunt, dicentur eſſe antiquiores illis, qui prius profeſſionis Habitum receperunt, ſed illum poſtea per apoſtaſiam dimiſerunt.

Declaramus tandem, quòd præfati ſcrutores non debent eſſe cæci, neque ſurdi, ſed debent eſſe tales, ut videre poſſint eligentium vota, viſa ſcribere, & legere, & lecta in publicatione ſcrutinii audire.

I I.

(*f*) PUblicato autem ſcrutinio in medio, & (*g*) expreſſis nominibus eligentium, & electorum, & (*h*) facta collatione numeri ad numerum ſi majorem partem medietate omnium eligentium in unum conveniſſe invenerint, & minor pars interrogata majori conſenſerit: (*i*) ille, qui primam vocem habuit inter electores, ſurgens dicat: Ego N. vice mea, & omnium electorum præſentium, eligo N. in Priorem talis Conventus, vel talis Provinciæ; ſi Prior Provincialis eligatur. Si vero non omnes conſenſerint, ſed major pars ultra medietatem: tunc ſicut prius, qui primam vocem habuerit dicat: Ego N. pro me, & his qui mecum conſentiunt, eligo N. in Priorem, &c. ut prius. (*k*) Quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Prioris Provincialis obſervetur.

I I I.

PRiores autem Conventuales ſupradicto modo electi, (*l*) à Priore Provinciali (ſi ei viſum fuerit) confirmentur. (*m*) Idem etiam fiat ſi aliquis à majori parte illorum, ad quos pertinet electio, de alio Conventu fuerit poſtulatus.

(f) *Publicato ſcrutinio*) Declaramus, quòd ante publicationem ſcrutinii, tam ipſi ſcrutatores, quam cæteri vocales (dummodo omnes conſentiant) poſſunt voces mutare; ſed poſt ejus publicationem illas mutare nullo modo poſſunt.

(g) *Expreſſis nominibus eligentium, & electorum.*) Declaramus, hanc antiquam Conſtitutionem de expreſſione nominum eligentium, poſt Tridentinum Concilium, de quo ſuperius mentio facta eſt, quemadmodum & illam aliam; Et minor pars interrogata majori conſenſerit, in deſuetudinem abiiſſe.

(h) *Facta collatione numeri ad numerum.*) Declaramus, quòd cum juxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, electiones noſtræ factæ à majori parte ultra medietatem eligentium ſint canonicæ, nec alia collatio, quam numeri ad numerum requiratur: ut gravibus, & periculoſis diſcriminibus obvietur, prohibemus, ut præter talem electionis formam, ſeu poſt decretum talis electionis formatum, nullus præſumat ad aliam electionem procedere, vel aliud electionis decretum formare: ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, quam ipſo facto incurrat, & ad eam non poſſit reſtitui, niſi per Magiſtrum Ordinis, ut fuit declaratum apud Londonas 1314. Quando autem concorditer aliquis ab omnibus eligitur, non oportet ut fiat collatio numeri ad numerum; ſed ſufficit ut ille qui præeſt, dicat, cum ſimus tot electores, omnes elegerunt talem.

(i) *Ille qui primam vocem habuit inter electores.*) Declaramus, quòd ille cenſendus eſt habere primam vocem inter electores, qui primus eſt inter ſcrutatores, & primus ſchedulam in vas mittit: & talis debet formare decretum electionis, ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327.

(k) *Quod ſimiliter in electione Magiſtri Ordinis, & Prioris Provincialis obſervetur.*) Declaramus, quòd quando eligitur Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis vel Conventualis, publicato ſcrutinio debet unus vice omnium eligentium formare electionis decretum, ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1272.

(l) *A Priore Provinciali, ſi ei viſum fuerit, confirmentur.*) Declaramus, quod in Capitulo apud Verdunum in Provincia Franciæ celebrato 1536. ſic dicitur: Imponimus univerſis Provincialibus, eorumque Vicariis, ſub pœna abſolutionis:

nia: quatenos electos in Priores quantumcumque unanimiter, non præſumant confirmare, niſi ſint ſufficientes in ſcientia, & moribus, & niſi veriſimiliter præſumant, quod correctioni, & honeſtati, & reformationi Ordinis operam dabunt efficacem. Et propter hoc Conſtitutio dicit: quod Provincialis Priorem electuum ſi ei viſum fuerit confirmabit. Quod verbum non deſignat liberam poteſtatem, ſed diſcuſſionem rationis, & arbitrium boni viri, atque ideo non debet Provincialis ſecundùm libitum ſuæ voluntatis, ſed ſecundùm judicium rationis Priorem electum confirmare. Quamobrem in Capitulo Romano 1580. fuit confirmatum, ut Provinciales in confirmandis Prioribus Conventualibus, Patrum diſcretorum conſilium adbibeant: eorum autem ſententias, & vota, quos ad conſilium capiendum vocaverint, per ſuffragia ſecreta ſeu fabas ſuſcipiant; quo liberius ſuam poſſint ferre ſententiam. Quod etiam fuit ordinatum Barcinonæ 1574.

Item declaramus, quod ſi Prior Provincialis Fratrem aliquem electum, vel poſtulatum non confirmaverit, ſed ex aliqua rationabili cauſa, electionem caſſaverit: non poſſunt poſtea Electores cum ſecundo eligere, vel poſtulare ſine licentia Provincialis. Quod ſi caſſata electione, ſine ejus licentia denuo illum eundem elegerint, vel poſtulaverint, electio illa nulla ſit, & poteſtas providendi de Priore ad ipſum Priorem Provincialem devolvatur, ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſſulanum 1271. & Florentiæ 1272.

Item declaramus, quod Priores Provinciales electionem canonice factam non debent niſi ex rationabili cauſa caſſare. Quod ſi electio aliqua, de aliquo canonice facta, ei fuerit præſentata, & ipſe dixerit: Ite & eligite vobis alium, quia hunc nolo confirmare, & non dixerit: Caſſo iſtam electionem, non poterunt Electores alium eligere. Si vero electione non caſſata elegerint alium, electio illa erit nulla, donec prima caſſata fuerit. Item ſi quis Frater habens litteras Magiſtri Ordinis, quod non poſſit cogi ad ſuſcipiendum officium Prioratus, eligatur in Priorem alicujus Conventus, & à Priore Provinciali confirmetur: ſi talis Frater confirmationi factæ non conſenſerit, non eſt abſolvendus; ſed ſufficit electionem caſſari, ut Electores libere alium eligere poſſint, ſicut fuit declaratum Januæ 1365.

Item declaramus, quod ille qui eſt canonice electus in Priorem alicujus Conventus Ordinis noſtri, non poteſt ſtatim pronunciata electione cedere juri ſuo. Primo, quia taliter electus in Ordine noſtro, ex tali electione nihil juris acquirit. Quod patet, quia quantumcumque ab omnibus eligatur, nullam tamen habet adminiſtrationem; & tamen electi in quibuſdam Eccleſiis ſtatim habent adminiſtrationem, & gerunt quaſi vicem Prælati.

Secundo, quia Religioſus quicumque, cum obedientiam ſit profeſſus, non habet velle, aut nolle: ac proinde ſi Prælatus aliquid ei præcipiat, oportet eum obedire; nec eſt in eo diſſentire, bene tamen in Prælato præcipiente, à cujus voluntate, ſubditi voluntas dependet.

Tertio. Quia quantumcumque aliquis à majori parte, vel ab omnibus eligatur, in poteſtate tamen Superioris eſt ipſum confirmare, vel non confirmare: quia Conſtitutio dicit, quod Provincialis poterit talem electum confirmare ſi ei videbitur expedire. Et quamvis illum non confirmet, non tamen reſtat tali electo locus appellandi, vel aliqua cauſa proſequendi, ſive aliquid in foro contentioſo repetendi. Apparet ergo ex prædictis: talem non habere jus aliquod in tali electione, ac proindè non poſſe cedere juri ſuo, quia ex vi talis electionis nullum jus dignoſcitur acquiſiviſſe. Si quis autem à majori parte eligitur, & tamen contradicitur tali electioni; electus non debet confirmari quouſque tales contra dictiones audiantur, & removeantur, ſicut fuit declaratum Valencenis 1537. Declaramus etiam, quod quantumcumque ſit aliquis canonicè electus, & confirmatus, eique præceptum de acceptatione factum ſit: ipſe tamen non conſentiat; nunquam eſt Prior, nec Prælatus, neque jus aliquod ſibi acquirit.

(m) *Idem etiam fiat, ſi aliquis à majori parte fuerit poſtulatus.*) Declaramus, quòd quamvis olim quando quis erat ex alieno Conventu, vel alium Prioratum obtinebat, non eligeretur, ſed poſtularetur: tamen poſtea in Capit. Placentiæ celebrato 1310. ſic fuit declaratum: quod in omni electione canonica Ordinis undecumque, vel in quocumque ſtatu perſona eligenda exiſtat, ſemper in formatione decreti dici debet: Eligo, & nunquam ſolum, Poſtulo.

I V.

(*n*) CONVENTUS autem, qui petit electi confirmationem: numerum, & nomina ſcribat eligentium; cum formatione decreti, & expreſſione eorum, quæ in electione facta ſunt.

(n) *Conventus autem &c.*) Declaramus, quòd Conventus qui mittit ad Provincialem pro confirmatione Prioris electi, debet in ſcriptis narrare totum electionis proceſſum, & ſcribere numerum eligentium, & quot vota tam electus, quam non electi habuerunt: eique ſignificare, nihil eorum, quæ ad canonicam requiruntur electionem, fuiſſe omiſſum.

Item declaramus, propter Decretum Concil. Trident. ſuperiùs relatum, in electionibus Priorum tum Conventualium, tum etiam Provincialium, ſervandum eſſe in toto Ordine ſtatutum Capituli Generalis Bononien. 1564. ſimiliter etiam Valliſoleti 1605, quod quidem eſt hujuſmodi. Quia electionum libertati quam maximè ſancta Synodus conſultum eſſe voluit: admonemus in primis RR. Provinciales, & alios Superiores, quibus poteſtas dirigendi, & confirmandi electiones commiſſa eſt; ut ea quam modeſtè utantur. Quare ubi non fuerit ſpecialis neceſſitas, nullus Electoribus proponatur. Quod ſi neceſſarium eſſe exiſtimabunt, non pauciores quam tres in ſingulis electionibus proponant. Cæterum ſi Electores, alioquin dignum (quamvis non de propoſitis) elegerint; eam tamen electionem Confirmator, Divini judicii memor, (niſi juſta ſubſit cauſa) confirmare non differat.

V.

(*o*) SI verò infra menſem non elegerint, vel poſtulaverint; Prior Provincialis provideat Conventui de Priore, (*p*) qui competenter ſciat in ſuo Conventu proponere verbum Dei. Nullus eligatur, aut confirmetur in Priorem, niſi ſciat Grammatice loqui abſque falſa latinitate: & ſit ita inſtructus (ſaltem in moralibus Sacræ Scripturæ) ut ſciat proponere compe-

petenter verbum Dei in ſuo Conventu. Quod ſi ſecus factum fuerit, in Conventibus habentibus integrum numerum Fratrum; Confirmator abſoluatur, & per triennium omni officio Ordinis privetur.

(o) *Si verò infra menſem non elegerint.*) Declaramus, quòd ſi Electores ſtatuerint aliquam diem ad eligendum Priorem infra menſem, & in illa die ſtatuta non elegerint: potuerunt alium diem infra ipſum menſem ad electionem faciendam conſtituere, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1304. Declaratum etiam fuit in Capitulo Romano 1601. declarat. 2. menſem electionis incipere debere à die, quo de carentia Prioris in Conventu conſtiterit: infra quem menſem debent Electores canonice aliquem eligere. Quod ſi non elegerint, etiamſi actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes fecerint; ſtatim tranſacto illo primo menſe; devolvitur jus ad Provincialem. Quod ſi canonicè aliquem elegerint, & contigerir ut caſſetur electio; incipiat denuo alter menſis electionis, à die quo canonicè conſtiterit Conventui prædicta caſſatio. Quod ſanè intelligendum eſt habere robur quomodocumque ceſſatur electio ſive propter defectum in ipſa commiſſum, ſive propter aliquam aliam rationem. Et ſi in illo caſu Pvovincialis Priorem providerit, ille talis non erit Prior. Et quamquam Conſtitutio Provinciali terminum non præfigat ad providendum de Priore, ſed abſolutè dicat, quod ſi infra menſem non elegerint, Prior Provincialis Conventui provideat de Priore; non tamen propter hoc intendit derogare juri communi, quo cavetur, ut ille ad quem poteſtas devolvitur, debeat infra tres menſes Eccleſiæ viduatæ providiſſe; ut habetur in cap. *Ne pro defectu*, extra *de electione*. Et ideò ſi Provincialis, vel ejus Viceſgerens in prædicto caſu infra tres menſes Conventui de Priore non providerit; elapſis tribus menſibus non poterit providere, & ſi providerit, proviſio non valebit, ſed ad Magiſtrum Ordinis poteſtas providendi devolvetur: ut habetur extr. *de ſupplen. negligent. Prælatorum*, cap. *Licet*. Ubi dicit gloſſa, quod mora in electionibus non poteſt purgari.

Item declaramus ex Capitulo Valentino 1596. declarat. 5. quod quando contigerit Priorem aliquem non aliam ob cauſam à Prioratu, quem tunc habet abſolvi, quam ut poſſit in Priorem alterius Conventus confirmari: ſi confirmatio quacumque de cauſa ſuum non ſortiatur effectum, nulla cenſenda erit abſolutio; poteritque in primo ſuo Prioratus officio perſeverare. Item Romæ 1580 admonentur Patres Provinciales, quod ſi Inquiſitores eligi in Priores contigerit, non eos confirment, niſi conſulto Magiſtro Ordinis, atque ſacra Congregatione ſancti Officii: ne forte ſanctum Officium Inquiſitionis impediatur.

(p) *Qui competenter ſciat in ſuo Conventu proponere verbum Dei.*) Declaramus, quòd ille qui neſcit competenter proponere verbum Dei, nec eligi poteſt in Priorem, nec confirmari: quia ſecundùm Conſtitutiones videtur ineligibilis. Quare in Capitulo Veneriis 1357. ſit dicitur: Volumus, & ordinamus, quod nullus de cætero confirmetur in Priorem, niſi ſit ſufficiens, Provincialis judicio, ad proponendum verbum Dei: mandantes ſtrictiſſimè Prioribus Provincialibus; quod omnes Priores inſufficientes à ſuis officiis indilate abſolvant. Et in Capit. apud Toloſam 1372. ſic dicitur: Ordinamus, quod nullus Frater poſſit eligere in Priorem eum, qui neſcit competenter proponere Verbum Dei: nec etiam poſſit eligi, qui non poteſt ſequi Chorum, Dormitorium, Refectorium, & communia, prout decet; & idem fuit declaratum Cenomanis 1491. declarat 7. & in multis aliis Capitulis; potiſſimè autem Romæ 1571. admonit. 3. admonentur PP. Provinciales, & univerſi Fratres, ad quos pertinet electio: ut in Conventibus, ubi viget Studium Generale, dent operam ut viri graves, & quo magis fieri poterit in litteris periti, in Priores eligantur, ut ſcientiarum ſtudia, quæ maximè Ordo noſter profitetur, in dies augeantur.

Item declaramus, quod electio debet eſſe digni, & idonei viri: & ideò nullus poteſt eligi in Priorem, qui non habet conditiones à ſacris Canonibus requiſitas. Nullus autem debet excludi à quacumque electione, prætextu alicujus criminis, vel delicti, niſi ſententialiter ſit condemnatus, & per ſententiam voce privatus: quamvis ad electionem non debeat admitti ille, de quo manifeſtum ſit incidiſſe in excommunicationem latæ ſententiæ, etiam nulla alia declaratione ſubſecuta; cum ſufficiat aperte conſtare eum commiſiſſe aliquid, per quod revera ipſo facto in excommunicationem latæ ſententiæ inciderit.

Item non poſſunt eligi Fratres, qui morantur extra clauſtra, etiam ſi Cathedrali Eccleſiæ inſerviant: ut declaratum fuit Romæ 1601. declarat. 5. Multo minus eligi poſſunt, qui extra Ordinem beneficia obtinent, ut inferiùs in capit. *de Itinerantibus*, dicetur. Et qui Provincialis fuit, non poſſit infra octo annos immediate ejus abſolutionem ſequentes, eligi in Provincialem in illa Provincia: & qui fuit Prior infra quadriennium in eodem Conventu, in quo fuit Prior, ut conſtituit Julius II. Quod quidem intelligitur ubi Provinciales durant per quadriennium. Priores vero per triennium. Duo etiam Fratres germani non poſſunt ſibi immediate ſuccedere in officio Prioratus, aut Provincialatus; quod ſi ſecus factum fuerit, electio ſit irrita, & nulla; ſicut de facto irritam, & nullam decernimus, & declaramus. Romæ 1608. ordinat. 16. & confirmatum Pariſiis 1611. confirm. 10. Ineligibiles quoque ſunt ii, qui per ſententiam condemnati ſunt ad pœnas gravioris culpæ, donec diſpenſentur; quin etiam poſt diſpenſationem, vel ſatisfactionem non adeò facile eligantur; niſi fortè poſt multos annos mores in melius commutaſſe ita clare conſtiterit, ut merito non indigni aliqua gratia cenſeri poſſint. Romæ 1589. ordin. ultima. Item Romæ 1569. ordinat. 12. habetur: Apoſtatas in poſterum recipiendos ad Ordinem non poſſe admitti ad Prælaturas ante viginti annos: & irritum decernitur, ſi ſecus factum fuerit, ut etiam ſuperiùs in cap. *de Apoſtat.* dictum eſt. Et Romæ 1558. ordin. 3. definitur, ut qui abjuraverint tanquam de hæreſi vehementer ſuſpecti; non poſſint a quocumque etiam Magiſtro Ordinis reſtitui, aut promoveri ad quodcumque officium, ſive dignitatem toto tempore vitæ ſuæ: irritum decernentes quidquid in oppoſitum factum fuerit. Quod etiam confirmatur Bononiæ 1564. confirm. 9. nulla facta mentione illorum verborum: *Etiam à Magiſtro Ordinis.* Eligendus etiam in Priorem debet habere 12. annos à profeſſione completos, ut fuit authoritate Apoſtolica ordinatum Valentiæ 1596. ordin. 10. & eadem authoritate confirmatum Neapoli 1600. ordin. 13. & Romæ 1601. ordinat. 5.

VI.

(*q*) FRatres autem poſt quatuor annos à profeſſione ſua, (ſi tamen ſint in ſacris conſtituti) ad electionem Prioris Conventualis admittantur. Infra vero idem tempus in Socios Priorum Conventualium; vel in Electores Priorum Provincialium, vel in Priores nullatenus eligantur. (*r*) Si vero de aliena Provincia fuerint, poſtquam per annum continuum in aliquo uno Conventu alienæ Provinciæ aſſignati morati fuerint, admittantur ad electiones in illa Provincia, ſicut alii: & hoc tam ſi ad tempus, quam ſi ſimpliciter ad alienam Provinciam quis aſſignetur. Infra verò idem tempus non admittantur ad electionem Electorum Prioris Provincialis, nec ad tractatus eorum, quæ ad Generale, vel Provinciale Capitulum ſunt mittenda.

(q) *Fratres autem poſt quatuor annos à profeſſione ſua.*) Declaramus in Capitulo Romano 1608. ordinat 4. ita fuiſſe ordinatum: Cùm in Capitulo Generali Valentiæ anno Domini 1596. celebrato, ordinat. 10. authoritate Apoſtolica ſtatutum fuerit; ut nullus haberet imposterùm vocem tam activam, quam paſſivam in ulla electione canonica, niſi poſt expletos duodecim annos à profeſſione ſua: quæ ordinatio recepta, & confirmata fuit in duobus immediate ſequentibus Capitulis Generalibus, Neapolitano 1600. & Romano 1601. (ubi declaratum fuit, eadem authoritate Apoſtolica interveniente, hanc ordinationem extendendam eſſe ad electionem Sociorum Priorum euntium ad Capitulum Provinciale) nunc propter juſtas, & legitimas cauſas, habito vivæ vocis oraculo à SS. D. N. Paulo Papa V. de ejuſdem Apoſtolica authoritate, non obſtante præfata Capituli Valentini ordinatione, ejuſdemque per duo Capitula ſequentia confirmatione, ſtatuimus, & ordinamus: ut deinceps Fratres noſtri in quacunque electione canonica habeant vocem activam; dummodo expleverint ſex annos integros à ſua profeſſione, & fuerint Sacerdotes. Conventu noſtro Pariſienſi duntaxat ob certas cauſas excepto, in quo præfatam Capituli Valentini ordinationem volumus, & declaramus, in ſuo robore permanere. Item eadem authoritate Apoſtolica cum eadem moderatione confirmatum fuit Pariſiis 1611. & declaratum: per hanc moderationem, circa Moniales quidem nihil omnino innovatum; circa Fratres verò nihil quoad paſſivam vocem mutatum fuiſſe.

Quod ſi contingat aliquem Converſum profeſſum admitti ad Habitum Clericalem, habeat vocem in electionibus Canonicis poſt duodecim annos à ſuſceptione Habitus Clericalis, ut Valliſoleti 1605. declaratum eſt. Declaramus etiam quod cum dicit illa ordinatio: Dummodo expleverit ſex annos, hoc eſſe intelligendum de expreſſa, vel tacita profeſſione: juxta declarationem factam in Capitulo Barcinon. 1574. ita exponentem Conſtitutionem, quæ quatuor annos à profeſſione requirebat. Declaramus præterea, quod ſi in aliquo Conventu non reperiantur, niſi duo legitimi vocales (Sacerdotes videlicet, & qui habuerint ſex annos à profeſſione) tunc adjungantur uſque ad quinarium numerum ex his, qui habent quatuor annos à profeſſione, ſuntque in Sacris, incipiendo ab antiquioribus: quod ſi tot non ſuppetant, addantur ſaltem uſque ad numerum ternarium, & ſic poterunt ad electionem procedere. Si autem tot non reperiantur: tunc devolvitur electio ad Provinciales, qui de conſilio quatuor, ad minus, graviorum Patrum, maxima cum conſideratione providere debebunt; eorumdem conſcientias ſuper hoc aggravamus: ſicut fuit authoritate Apoſtolica declaratum Romæ 1601. circa explicationem ordinationis quæ 12. annos profeſſionis requirebat.

Item Romæ 1583. ordinat. 6. fuit ordinatum, quod Fratres, qui ordinariè permanent extra Conventum quacunque occaſione, & prætextu, (præterquam pro Officio ſanctæ Inquiſitionis,) non cenſeantur aſſignati in Conventibus ad vocem habendam in electionibus, quacunque ratione in illis aſſignentur: ſed omninò excluſi intelligantur, quoad electiones faciendas. Quod etiam Romæ 1589. confir. 4. confirmatum fuit, cum declaratione; quod tantummodo vocem activam non habeant in electione, in Conventibus in quibus ſunt aſſignati. Et iterum Romæ 1601. ordinat. 4. ordinatum fuit; ut Fratres extra Ordinem commorantes, etiamſi alicui inſerviant Cathedrali Eccleſiæ, vel ibi ſint Lectores; nec paſſivam, nec activam habeant vocem.

(r) *Si vero de aliena Provincia fuerint, poſtquam per annum continuum &c.*) Declaramus, quòd Fratres qui ſunt de una Provincia, ſi aſſignentur in aliquo Conventu alterius Provinciæ, ſive pro ſtudio, ſive quocumque alio modo, ſi non ſint ibi totaliter translati, non habent vocem in illo Conventu: niſi poſt talem aſſignationem ſteterint per unum annum continuum in aliquo Conventu Provinciæ. Et intelligitur, quod fuerit continuatio aſſignationis, & majoris partis unius anni; ut declaratum fuit in Capitulo Romano 1532. declarat. ultima Si vero fuerint totaliter translati, & illi Provinciæ incorporati: tunc poſtquam fuerint in aliquo Conventu illius Provinciæ aſſignati, abſque aliqua dilatione habebunt in præfato Conventu vocem ad electiones faciendas; ſi tamen compleverint ſex annos à ſua profeſſione, & Sacerdotes fuerint, prout ſupra dictum eſt. Quia ſic translati, ſunt de illa Provincia ad quam ſunt totaliter translati, & non de alia, ſicut fuit declaratum apud Brugas 1356. declarat. 1. & Coloniæ 1428.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. ſic haberi: Concedimus Fratribus Provinciarum Indiarum, & Congregationum, ut quamprimum Fratres ad illos ex partibus Hiſpaniarum declinaverint, & ad Conventus ſuarum aſſignationum acceſſerint, habeant vocem etiam in electione Priorum: ſi alias habiles fuerint, eſto quod per integrum annum in aliquo Conventu earumdem Provinciarum non ſteterint, & ſi quid in hac parte ſupplendum ſit, authoritate Apoſtolica ſuppletum eſt.

VII.

(*ſ*) ELectio autem tam Priorum Provincialium, quam Conventualium, ad illos tantum pertineat electores; qui perſonaliter præſentes in electione extiterint: ſicut fit in electione Magiſtri Ordinis.

(ſ)

(ſ) *Electio autem tam Priorum Provinciali. um: quam Conventualium.*) Declaramus, quòd licet ſecundùm jura, illi qui ſunt abſentes, poſſint inſtituere Procuratorem ad eligendum, quando electio eſt facienda: tamen in Ordine noſtro in quacunque electione non poſſunt electores abſentes per litteras, aut per Procuratorem eligere; ſed oportet quod ipſi perſonaliter, & præſentialiter in loco electionis exiſtant, niſi in eodem Conventu eſſent infirmi decumbentes: quia tunc ſcrutatores debent ad eos accedere. Inſtante tamen electione Prioris in Conventu, vel tractatu de ſocio faciendo: ſi aliqui ex electoribus extra Conventum infra dietam fuerint; debent Præſidentes Conventuum ad eos nuncium mittere. Quod ſi noluerint, vel non potuerint venire, vel in loco ubi veriſimiliter putabantur debere eſſe, facta diligenti inquiſitione inventi non fuerint; poterunt electores præſentes, poſtquam hoc eis legitimè conſtiterit, in eorum abſentia, canonice ad electionem procedere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Biſontium 1253. Et Romæ 1360. ordinat. 28. authoritate Apoſtolica ſtatutum fuit, de Provincialibus, & Diffinitoribus; ſcilicet, ne ſint duo Provinciales unius ejuſdemque Provinciæ; item dicendum de Diffinitoribus, qui ad electionem Magiſtri Ordinis conveniunt, per dietam autem intelligitur iter, quod poteſt facere unus pedeſter in una die.

Item declaramus, quòd in diverſis Conventibus ſeparatis, quorum unus ab alio non dependet, non poteſt aliquis Frater habere vocem: nec Prior in uno Conventu poteſt habere vocem in alio, niſi forte ibi inſtitueretur Vicarius ad tempus; ut habetur in cap. *Conſtitutis de electione* & capit. ultim. *de Relig.* & capit. *Cum ſingul. de Preben. lib. 6* ut etiam fuit in multis Capitulis ordinatum. Et noviſſimè Ulyſſipone 1618 ordinat. ultima ordinatum fuit; quod nullus Frater ratione novæ aſſignationis poteſt eodem anno duos eligere Priores, nec ſocios pro Capitulo Provinciali; exceptis Regentibus, Lectoribus, & Studentium Magiſtris, qui ſtudiorum promovendorum intuitu aliis Conventibus aſſignati fuerint, & etiam Supprioribus de novo inſtitutis. Quæ exceptio non intelligitur de Lectoribus Caſuum Conſcientiæ.

Item declaramus, quòd cum ex inductionibus, & practicis indebitis libertati electionum Ordinis plurimùm detrahatur, & turbationes, & ſcandala plurima conſequantur, & ſinceritas ſtatûs Ordinis noſtri multipliciter lædatur: propter hoc in multis Capitulis fuit ſtrictiſſimè prohibitum: ne aliquis prece, pretio, promiſſione, comminatione, ex certa ſcientia, & ex animi deliberatione præſumeret alium ad eligendum aliquem inducere. Qui vero contrarium fecerit, ſit per triennium omni voce privatus, & nihilominus pœnis aliis acriter puniatur. Et eandem pœnam incurrat ille, qui hoc ſciverit, niſi ſtatim habita opportunitate debita, Prælato ſuo ipſum inductorem revelaverit; ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1286. Burdigalæ 1287. Lucæ 1288. Treveris 1289, Placentiæ 1310. Neapoli 1311. Carcaſſonæ 1312. Similiter propter eandem rationem, ut electiones noſtræ liberè fiant, in cap. 16. *infra de Ordinationibus* diſponitur: quod infra menſem ante electiones quaſcumque, novæ aſſignationes, & mutationes Fratrum non fiant; niſi in caſibus ibi exceptis. Et de hoc fuerunt admoniti Provinciales in Capitulo Bononienſi 1564. admonit. 8. per hæc verba: Admonemus RR. Provinciales, ut cùm celebrandæ electionis in Conventu aliquo tempus inſtat, etiam ſi Priori menſis unus ſuperſit ſui Officii, maximè abſtineant à mutationibus Fratrum in dicto Conventu, in quo inſtat electio: niſi in his caſibus, qui in noſtris Conſtitutionibus exprimuntur; ne propter hoc eligentium libertati aliquod præjudicium fieri videatur. Et Romæ 1589. declarat 5. ſic habetur: Declaramus, ad tollendam quamcumque fraudem, & doli ſuſpicionem, & quatenus opus eſt decernimus, & ſtatuimus, quod ad hoc ut aliquis in aliqua electione vocem habeat, non ſufficit, quod ante electionis menſem in Conventu ubi eligere debet, fuerit aſſignatus; niſi de aſſignatione ipſa, & Prælato, & Conventui in quo de novo eſt aſſignatus, revera ante menſem conſtiterit. Quod Venetiis 1592 fuit confirmatum, & additum; quod excipiatur caſus mortis ipſius Prioris; quando jam nulla fraus præſumi poteſt. Tandem in Capitulo Romæ 160 . acceptata fuit Clemen. VIII Conſtitutio, ne duobus menſibus ante tempus electionis Prioris, ullæ fiant aſſignationes, vel revocationes. Quæ etiam fuit acceptata Valliſol. 1605. acceptat. 2. & additum; quod ſi factæ fuerint, Fratres ſic aſſignati non habeant vocem in quavis electione illius Conventus, donec aliquis fuerit confirmatus.

Item declaramus in Capitulo Romæ 1612. declarat. 2. fuiſſe ordinatum ita: Declaramus, quod cum in Conſtitutionibus noſtris dicitur, quod infra menſem electionis, numerus eligentium non augeatur; non debet intelligi quando quis intra tempus electionis complet ſex annos ſuæ profeſſionis, ſi eſt Sacerdos, vel ſacrum Presbyteratus Ordinem ſuſcepit, & explet ſex annos à profeſſione: poterit enim in præfatis caſibus vocem habere in electione. Et idem dicitur, ſi contingat Priorem mori; juxta declarationem Venetiis 1592. factam, quia tunc nulla fraus præſumi poteſt.

Item declaramus ordinatum fuiſſe Pariſiis 1611. ordinat. 10 ad tollenda inconvenientia in electionibus, quod non fiant aſſignationes doloſæ ac fictitiæ, ſed ad illos tantum pertineat electio, qui realiter & bona fide in illo Conventu aſſignati ſunt, & in eodem ſaltem per duos menſes realiter & bona fide Conventui inſervientes ante electionem Prioris permanſerunt. Nec etiam poſſunt vocales ab eodem Conventu removeri infra idem tempus electionis, antequam Prior electus fuerit, & confirmatus; niſi pro officio Prioratus, vel Lectoratus, vel ratione ſtamiali. Item Valentiæ 1596. prohibetur, ne de electione peragenda aliquis tractare audeat (niſi ante diem unam naturalem electionis) per ſe, vel per alios verbo, aut ſcripto, ſub pœna gravioris culpæ; ſive is vocem habeat in electione, ſive non. Et Prælati talem pœnam tranſgreſſoribus infligere tenentur. Et in *cap.* Sciant cuncti, *de electione* lib. 6. habetur ſummarie Decretum hoc: Sciant cuncti, qui eos ad quos ſpectat electio, pro eo quod rogati, vel inducti, eum pro quo rogabantur, vel inducebantur eligere noluerunt, ſpoliant, vel injuſtè perſequuntur; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt. Quod in Capitulo Bonon. 1615. fuit ad memoriam revocatum.

VIII.

(*t*) PRior autem Conventualis, de conſilio diſcretorum Fratrum ſui Conventus inſtituat Suppriorem; cujus officium erit habere diligentiam circa Con-

ven

ventum; & corripere delinquentes, & in aliis quantum Prior aſſignaverit, vel ei permiſerit. Idem autem (*u*) Supprior mortuo Priore, vel amoto, vices ejus in omnibus plenarie obtineat: quouſque Prior ejuſdem loci fuerit electus, (*x*) & in Domo præſens extiterit; (*y*) niſi Prior Provincialis aliter ordinaverit. In quotidianis verò Capitulis non accuſetur Supprior: niſi aliquando pro aliquo majori exceſſu, ſecundùm quod Priori viſum fuerit, proclametur.

(t) *Prior autem Conventualis de conſilio diſcretorum.*) Declaramus, quod Prior Conventualis, non poteſt inſtituere Suppriorem, niſi de conſilio & aſſenſu ſpecialiter ad hoc congregato, majoris, vel ſanioris partis Patrum illius Conventus, qui juxta morem ſolent ad conſilia vocari: & oportet, quod ille Frater, qui debet Supprior inſtitui, ſit in eodem Conventu aſſignatus, ſicut fuit declaratum Venetiis 1325. Ad conſilia autem vocandi ſunt hi, qui deſignati ſunt in *Capit. de Recipiendis.*

Item declaramus, quòd Priores Provinciales, in ſua Provincia dumtaxat poſſunt inſtituere Suppriores: quia in Rectoribus eſſentialiter ordinatis, quod inferiori conceditur, ſuperiori nullatenus denegatur; niſi ſuper hoc ſpecialis fiat exceptio, ſicut fuit declaratum Biſuntii 1353.

Item declaramus, quòd in quolibet Conventu, Suppriore carente, Priores ſecundùm modum in Conſtitutionibus poſitum, tenentur infra ſpatium unius menſis Suppriores inſtituere, vel inſtituendos petere: & qui in hoc inventi fuerint negligentes, à ſuis officiis abſolvantur, ſicut fuit ordinatum Neapoli 1311. ordinat 14. & Valencenis 1337. Declarantes, quod imminente tractatu eorum, quæ ad Capitulum mittenda ſunt, non debent Priores ullo modo Suppriores abſolvere: quod ſi contrarium fecerint, in pœnam à Prioratus officio abſolvantur, ſicut fuit ordinatum Avenione 1341. ordinat. 9.

Item declaramus, quòd quamvis Prior Conventualis non poſſit inſtituere Suppriorem, niſi Fratrem in ſuo Conventu aſſignatum, poteſt tamen inſtituere Vicarium in Conventu ſuo, Priorem, vel Fratrem alterius Conventus: licet hoc non debeat facere, niſi in caſu neceſſitatis. Nam ſecundùm jura, unus Ordinarius poteſt committere vices ſuas alteri, cujuſcumque alterius Diœceſis, & propter hoc cùm Prior ſit Ordinarius in ſuo Conventu, poterit vices ſuas Fratri cujuſcumque alterius Conventus committere. Item declaramus, quod nec Supprior, nec Vicarius inſtitutus à Priore, poteſt in abſentia Prioris alium Vicarium ſubſtituere, niſi ſibi ſpecialiter committatur per Priorem, dicendo in ſuo receſſu: Ego inſtituo in Vicarium illum, vel illos, quos inſtituendos duxeritis; ſicut fuit declaratum Toloſæ 1328. Item cum abſentia Supprioris ſit Conventui valdè damnoſa, nullo modo debent Suppriores in ſocios Priorum eligi: qui autem oppoſitum fecerint, debent graviter puniri, ac voce privari, ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1275. & Toloſæ 1304. Si tamen Suppriores Conventuum fuerint Prædicatores Generales, quia habent vocem in Capitulo Provinciali, poſſunt ire ad Capitulum Provinciale: ut fuit declaratum Romæ 1608. declarat. 1.

Item declaramus, quòd Suppriores, & Vicarii Priorum in abſentia Prioris, non poſſunt recipere Fratres ad Ordinem, vel profeſſionem, neque etiam ad ſacros Ordines promovere: ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſſulanum 1294. poſſunt tamen abſentibus Prioribus, per Privilegium, quod dicitur *Mare magnum*, omnes Fratres ſuorum Conventuum, vel ad eos declinantes, ab omnibus exceſſibus, & cenſuris à jure, vel à Judice generaliter promulgatis abſolvere, ac Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis eis adminiſtrare. Londini 1335. & Valencenis 1337.

(u) *Supprior mortuo Priore, vel amoto, vices ejus in omnibus plenarie obtineat.*) Declaramus, quod per Conſtitutiones noſtras, mortuo, vel amoto Priore, cùm Supprior vices ejus plenariè in omnibus obtineat, poterit in tali caſu agere quidquid Prior jure ordinario poteſt: & ideo poterit Vicarium inſtituere, Fratres ad probationem, vel ad profeſſionem recipere, Confeſſorem eligere, & aliorum Fratrum confeſſiones audire, & alios pro audientia Fratrum exponere. Quia cum ſit in tali caſu quaſi ordinarius; & poteſtatem, ac juriſdictionem ordinariam habens, poterit prædicta, & quæcumque alia facere, quæ Prior jure ordinario poteſt. Non poterit autem Fratres præſentare Epiſcopis pro confeſſionibus ſecularium audiendis, vel Ordinibus ſuſcipiendis, vel alia hujuſmodi facere, quæ Priori competunt, non de jure, ſed ex commiſſione. Et hæc eadem poteſt Vicarius electus à Patribus mortuo, vel amoto Priore in abſentia Supprioris: quia in tali caſu Vicarius non eſt delegatus, ſed habet juriſdictionem ordinariam per legem ſibi datam.

(x) *Et in Domo præſens extiterit.*) Declaramus, quòd Prior Conventualis noviter electus, & confirmatus, antequam veniat ad ſuum Conventum, non poteſt Suppriorem à ſuo officio removere: quia per legem, ſeu per Conſtitutionem, vices ejus plenariè gerit in omnibus, quouſque ipſe Prior præſens in Domo extiterit. Poſtquam verò ſemel in Conventu præſens fuerit, & poſtea à Conventu receſſerit; poterit etiam exiſtens extra ſuum Conventum, Suppriorem, vel etiam Vicarium à Patribus electum abſolvere: & alia quæ ad ſuam juriſdictionem pertinent, quoad Fratres ſui Conventus exercere. Similiter poterit Prior Conventualis Suppriorem inſtitutum à Priore Provinciali abſolvere, ut declaratur in Capitulo Barcinonæ 1574. declarat. 12. Sed hoc de abſolutione Supprioris intelligendum eſt juxta declarationem Capituli Valentini 1596. declarat 7. quod poſſit abſolvi à Priore, de Patrum tamen conſilio per vota ſecreta.

Item declaramus in Capitulo Barcinonæ 1574. declarat 11. fuiſſe declaratum: Suppriores non habere locum extra Conventus, quibus præſunt, neque etiam ſuper Baccalaureos ſubditos ſuos, quos ſolent præcedere in ſuo Conventu; ſi contingat Suppriorem, & Baccalaureum ejuſdem Conventus, ad alium Conventum ſimul declinare.

(y) *Niſi Prior Provincialis aliter ordinaverit.*) Declaramus, quod mortuo, vel amoto Priore, Prior Provincialis poteſt Suppriorem à ſuo officio abſolvere, vel authoritatem ejus limitare; etiam antequam Prior electus fuerit, vel confirmatus, vel præſens in Domo extiterit. Et poterit in eodem Conventu Vicarium inſtituere Fratrem alterius Conventus, qui habebit vocem in electione, & aliis negotiis, & tractatibus illius Conventus; ſicut fuit declaratum Cadurci 1319. Non poteſt tamen in illa electione vocem paſſivam habere in eodem Conventu: quod ſi ſecùs factum fuerit, totum ſit irritum & inane, ut fuit ordinatum Romæ 1553. ordinat. 2. & 1558. & Avenione 1561. & Bononiæ 1564.

IX. Si

IX.

(z) SI vero mortuo Priore, vel amoto, vel abſente, Domus Suppriorem præſentem, (a) vel Vicarium Prioris (in ejus abſentia) non habuerit; tres Patres illius Conventus præſentes, & vocem in electionibus habentes, qui primitùs Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, ſi tamen poſt profeſſionem à noſtro Ordine nullatenus diſceſſerunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Provinciale, vel Generale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum (b) aliquem Fratrem de Conventu illo, in Domo præſentem antequam comedant, & bibant eligere teneantur, renuntiatione qualibet nòn obſtante. Qui vices ſupradictas Prioris obtineat, quouſque Domus ipſa Priorem præſentem habeat, vel Suppriorem, vel Vicarium Prioris in ejus abſentia: vel Prior Provincialis, vel Conventualis aliter ordinaverit. Quod ſi prædictis tres non concordaverint, duorum ſententia ad providendum, ſive de uno ipſorum trium, ſive de aliquo alio Fratre Conventuali præſente, prævalebit.

(z) *Si vero mortuo Priore, vel amoto &c.*) Declaramus, quòd mortuo, vel amoto Priore, ſi Domus non habuerit Suppriorem, vel Vicarium ejus, vel alicujus alterius Superioris; tres Patres antiqui, qui diutiùs Habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem portaverunt, & aſſignati ſunt in præfato Conventu, tenentur eligere unum Vicarium: qui in tali caſu poterit in electione cum aliis duobus vota recipere, & omnia facere, quæ poteſt Supprior mortuo, vel amoto Priore, ſicut declaratum eſt Caturci 1319.

(a) *Vel Vicarium Prioris.*) Declaramus, quod cum mortuo, vel amoto Priore, Vicarius ab eo inſtitutus etiam removeatur, & non remaneat amplius Vicarius, ſicut declaratum fuit Burgis 1396. & Romæ 1601. illud verbum (vel Vicarium Prioris) non debet referri ad illud, mortuo, vel amoto Priore; ſed ad illud verbum, vel abſente Priore: & in tali caſu, videlicet in abſentia Prioris, ſi Domus Suppriorem, vel Vicarium ejus, vel Vicarium Prioris non habuerit: tunc tres Fratres illius Conventus, qui diutiùs Habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem portaverunt, tenebuntur aliquem Fratrem de illo Conventu in Vicarium eligere: qui vices Prioris in omnibus plenariè obtinebit, quouſque Domus ipſa Priorem præſentem habeat, vel Suppriorem, aut Vicarium Prioris; vel Prior Provincialis, vel Conventualis aliter ordinaverit. Ex quo patet, quod verbum illud, vel Vicarium Prioris, refertur ad abſentiam, & non ad remotionem Prioris: quia Prior remotus ab aliquo Conventu, non poteſt de illo aliquid diſponere, vel ordinare; quod tamen poteſt in ſua abſentia facere. Et propter hoc in Capitulo Barcinon. 1261. cùm in prædicta clauſula: Si verò mortuo, &c. nulla fieret mentio de abſentia Prioris, nec de ejus Vicario; fuit ſtatutum, & confirmatum, ut ſic diceretur: Si verò mortuo Priore, vel amoto, addatur, vel abſente. *Et infra*: Et domus Suppriorem præſentem non habuerit: addatur, vel Vicarium Prioris. *Et infra*, ubi dicitur, vel Prior Provincialis, addatur, vel Conventualis aliter ordinaverit. Et ita bene apparet, quod prædicta clauſula, quæ ſolùm ſe extendebat ad eligendum Vicarium in caſu mortis, vel remotionis Prioris; nunc per illas tres dictiones additas, etiam ſe extendit in caſu abſentiæ ipſius Prioris. Item declaramus, quod Priores abſoluti à ſuis officiis, ad illos Conventus, de quibus fuerunt aſſumpti, pertinebunt; niſi per Superiores de illis aliter fuerit ordinatum.

(b) *Aliquem Fratrem de Conventu illo, &c.*) Declaramus, quod aliquis Frater proprie dicitur eſſe de aliquo Conventu, qui eſt in illo aſſignatus per Priorem Provincialem, vel per Magiſtrum Ordinis, vel eorum Vicarios, vel per Capitulum Generale, vel Provinciale. Et talis propriè dicitur eſſe Conventualis illius Conventus, etiamſi non fuerit in illo profeſſus. Non poſſunt ergo illi tres Patres aliquem Fratrem eligere in Vicarium; niſi fuerit in illo Conventu; aſſignatus ſic enim poterit dici eſſe de illo Conventu, vel Frater Conventualis illius Conventus, ſicut fuit alias declaratum Toloſæ 1328.

X.

& NUlli autem Præſidenti Ordinis liceat alicui extra obedientiam noſtri Ordinis exiſtenti, curam committere ſuper Fratres, vel Conventus Ordinis quomodocumque: niſi Prælatis ex Ordine noſtra aſſumptis ſupra Socios eis deputatos, & quamdiù ſunt eorum Socii; & niſi ſupra apoſtatas, & vagos, hoc eſt ſine Ordinis licentia extra Ordinem commorantes, quamdiù ſic extra manent. Super quos volumus, quod non ſolum Magiſter Ordinis, ſed etiam Priores Provinciales, & eorum Vicarii poſſint poteſtatem concedere omnibus Eccleſiaſticis perſonis. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſit irritum, & inane. Fratres vero noſtros, tam in Epiſcopatu preciſe titulari, vel alias infra Epiſcopatum conſtitutos, & beneficiatos, vel exemptos ab Ordine, (exceptis Magiſtro Sacri Palatii, & Pœnitentiariis perpetuis D. Papæ, qui ſequuntur Romanam Curiam, eorumque Sociis,) nolumus in noſtris Conventibus ultra triduum retineri: abſque licentia Provincialis cum conſenſu (ad minus) duarum partium Conventus obtenta. Alioquin ſuſpenſionem à ſuis officiis incurrant Præſidentes, ipſo facto contrafacientes.

& Nulli autem Præſidenti Ordinis liceat &c.) Declaramus, quòd cum Ordo noſter ſit immediatè ſubjectus Romano Pontifici, & exemptus ab omni poteſtate, & juriſdictione quorumcumque Prælatorum, qui non ſunt de Ordine; & cum etiam nullus Præſidens, vel Frater Ordinis poſſit renunciare cuicumque privilegio noſtro Ordini conceſſo, abſque aſſenſu Capituli Generalis, propter hoc hic prohibetur, ne alicui Præſidenti Ordinis liceat cuicumque extra obedientiam noſtri Ordinis exiſtenti committere curam, vel authoritatem dare ſuper Fratres, vel Conventus Ordinis noſtri: quod ſi ſecus factum fuerit, irritum ſit, & inane, & illi qui talem authoritatem hujuſmodi perſonis dederint,

vel alicui privilegio Ordinis renunciaverint, debent pœna gravioris culpæ puniri, à qua non poſſunt, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Provincialem, vel per Generale, vel per Provinciale Capitulum diſpenſari.

Item declaramus Valliſoleti 1605. ordin. 12, ordinatum fuiſſe, ut in Provinciis, in quibus hactenus patentes litteræ confirmationis Priorum in Capitulo legi non conſueverunt, deinceps legantur coram Fratribus in Refectorio, vel Capitulo: notando in eiſdem litteris diem, & horam, quibus fuerint intimatæ.

Caput III.

De Electione Prioris Provincialis.

I.

(*a*) Statuimus, & ordinamus, ut mortuo vel amoto Priore Provinciali, vel ipſo, & eo cui vices ſuas commiſerit, extra Provinciam exiſtente; Prior Conventualis illius loci, in quo primum Capitulum Provinciale fuerit celebrandum, vices ejus obtineat; quouſque Prior Provincialis illius Provinciæ ſit electus, & confirmatus; & ipſe, vel ille, cui vices ſuas commiſerit, præſens in Provincia extiterit. Quod ſi Capitulum Provinciale ex aliqua cauſa, ad Conventum alium transferatur, (quæ translatio fiat per Priorem Provincialem, vel ejus Vicarium, de conſilio diſcretorum) poſt translationem, Prioris Vicarii poteſtas expiret, & Prior loci illius, ad quem Capitulum fuerit translatum, vices Prioris Provincialis, in omnibus obtinebit.

II.

Idem dicimus, ſi Capitulum Generale contigerit ad aliam Provinciam transferri: videlicet, quod authoritas Vicariæ ad Provincialem illius Provinciæ cum Capitulo transferatur. Si autem Conventus ille, cui Capitulum aſſignatum fuerat, vel translatum, Priorem non habuerit, vel, vel cum infra tempus Vicariæ ſuæ mori, vel amoveri contigerit, vel extra Provinciam eſſe: durante ejus abſentia Prior illius Domus, ubi Provinciale Capitulum antecedens fuerat celebratum, & vices Prioris Provincialis in omnibus obtinebit; & ſic deinceps retrocedendo, quouſque Conventus ille, in quo Provinciale Capitulum fuerit celebratum, Priorem habuerit: qui vices Prioris Provincialis in omnibus obtinebit, donec Prior illius Provinciæ ſit electus, & confirmatus: vel Magiſter Ordinis, vel Generale Capitulum in prædictis caſibus aliter ordinaverit; vel ipſe Provincialis, vel cui vices ſuas commiſerit, præſens in Provincia extiterit.

(a) *Statuimus &c. & infra: Vices ejus obtineat.*) Declaramus, quòd ille qui amoto, vel mortuo Priore Provinciali ex vi Conſtitutionum gerunt vices Provincialium in omnibus, nullam habent ex hoc ſuper Sorores noſtri Ordinis poteſtatem: ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331. & Argentinæ 1307. Verumtamen Julius Papa II. per ſuas litteras in forma Brevis, Fratri Thomæ de Dio Cajetano tunc Vicario Ordinis, & omnibus Vicariis pro tempore, Ordinis, Provinciarum, Conventuumque ejus, mortuis, vel amotis, Magiſtro Ordinis, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus omnem poteſtatem, & facultatem, tam Apoſtolica authoritate, quam quomodolibet aliter conceſſam, & in poſterum concedendam, Magiſtro, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus præfati Ordinis (exceptis illis, quæ in Conſtitutionibus dicti Ordinis ſpecialiter illis inhibentur) reſpectivè conceſſit de gratia ſpeciali, die 7. Decembris, anni 1507.

III.

Si verò Prior illius Conventus, ubi Provinciale Capitulum fuerit celebrandum, in Provincia præſens extiterit, ſed aliqua ex cauſa Capitulo Provinciali non interfuerit; ſimili modo Prior illius loci, ubi fuerat præcedens Capitulum celebratum, vices Prioris Provincialis (in ipſo tantùm Capitulo, durante abſentia prædicti Prioris) in omnibus obtinebit. Finito vero Capitulo, Prior Domus in qua Capitulum illud fuit noviter celebratum, vices Prioris Provincialis (eo modo quo ſupra dictum eſt) in omnibus obtinebit. (*b*) Si autem Priorem Provincialem in Capitulo Generali, vel medio tempore uſque ad Capitulum Provinciale, vel in ipſo Capitulo Provinciali mori, vel amoveri, vel quocumque caſu infra illud tempus Provinciam aliquam Priore Provinciali carere contigerit, vel carentia ipſa duraverit, ad ipſum Capitulum Provinciale ejus electio pertinebit: qua peracta Capitulum Provinciale celebretur.

IV.

(*c*) Quod ſi nec ipſe in ipſo Capitulo electus, nec alius fuerit confirmatus; vel poſt Provinciale Capitulum Priorem Provincialem mori, vel amoveri contigerit: qui ejus locum obtinet, teneatur convocare quantociùs poterit Electores; & in die ad eligendum aſſignata Prior Provincialis eligatur, vel poſtuletur, & Provinciale Capitulum celebretur; niſi prius celebratum fuerit. Quod ſi in die ſtatuta non elegerint, vel poſtulaverint, qui debent eligere; ad Magiſtrum Ordinis poteſtas providendi transferatur. Quod ſi Fratres cujuſcumque Provinciæ, infra annum poſtquam eis conſtiterit, quod Provincia caret ſuo legitimo Provinciali, non elegerint, vel non

non poſtulaverint Provincialem ; ipſo facto electio, & proviſio de Provinciali, ſit ad Magiſtrum Ordinis devoluta.

(b) *Si autem Priorem Provincialem in Capitulo Generali &c.*) Declaramus, quòd circa initium Ordinis uſque ad annum 1357. ubi fuit iſta Conſtitutio confirmata; ſingulis annis fiebant Capitula Provincialia poſt Capitulum Generale. Et ſi Prior Provincialis, poſt Provinciale Capitulum moriebatur, vel amovebatur: ante Generale Capitulum convocabantur Electores, & in die ſtatuta eligebatur Prior Provincialis: & tunc non celebrabatur Capitulum Provinciale, quia jam erat celebratum. Si verò amovebatur, vel moriebatur Prior Provincialis in ipſo Capitulo Generali, vel poſt, uſque ad diem ſtatutam pro Capitulo Provinciali; convocabantur Electores, & in die ſtatuta eligebatur Provincialis: & poſtea Capitulum Provinciale celebrabatur, in quo recitabantur acta Capituli Generalis illo anno celebrati. Sed poſtmodum ad evitandas expenſas, & ad tollendam confuſionem, quæ ſequi videbatur, fuit facta iſta Conſtitutio: per quam ſtatutum fuit: ſi contingeret Priorem Provincialem in Capitulo Generali, vel medio tempore uſque ad Capitulum Provinciale, vel in ipſo Capitulo Provinciali mori, vel amoveri, vel quocunque caſu contingeret infra illud tempus Provinciam aliquam Priore Provinciali carere, vel ipſam carentiam etiam ante illud tempus inceptam, infra illud tempus durare, tunc electio pertinere deberet ad Capitulum Provinciale, & non ad Electores: hoc eſt ad Priores cum ſingulis Sociis, & ad Magiſtros in Theologia, & Prædicatores Generales. Et facta electione in die ſtatuta, Capitulum Provinciale debet celebrari. Ubi eſt advertendum, quod ſi etiam ante Capitulum Generale Provincia inceperit Priore Provinciali carere, ſed non potuerunt forte Electores ante Capitulum Generale congregari, nec electionem facere, vel ſi potuerunt, & electionem fecerunt, electus non fuit confirmatus, & ſic carentia duravit uſque ad Capitulum Generale: tunc & eo caſu electio Prioris Provincialis pertinebit ad Capitulum Provinciale, & non ad Electores, ſicut declaratum fuit Valentiæ 1364. Januæ 1365. & Avenione 1367. Et demum in Conſtitutiones redactum in Capitulo Romano 1558. quod inchoatum fuerat Salman. 1551. & approbatum Romæ 1553.

(c) *Quod ſi nec ipſe in ipſo Capitulo electus, nec alius fuerit confirmatus.*) Declaramus, quòd cum per privilegia ſit nobis conceſſum, quod quando in aliquo Capitulo, vel Conventu noſtri Ordinis, de Provinciali, vel Conventuali Priore occurrerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa electionem factam contingat forſitan non confirmari: Superior ad quem confirmatio talis electionis pertinet, authoritate Apoſtolica concedere poterit, & in Priorem confirmare, aliquem de illis Fratribus, quos ipſi Electores, vel major pars eorum per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt. Et propter hoc dicit hic Conſtitutio: quod ſi nec ipſe in Capitulo electus, nec alius (ſcilicet poſtulatus) fuerit confirmatus, ille qui locum Provincialis obtinet, teneatur convocare quam citius poterit Electores.

V.

VOlumus autem quod electio prædicta (quæ non in ipſo Capitulo Provinciali, ſed poſt Capitulum debet celebrari) tantum ſpectet ad Priores Conventuales, & ad Prædicatores Generales: & unum Fratrem de quolibet Conventu, ad hoc idem pro qualibet electione de Priore Provinciali fienda (ſi pluries fieri contingerit) noviter electum; (Romæ 1558.) niſi Confirmator præſens fuerit, vel in tam parva diſtantia, quod ante diſſolutionem Prioris Congregationis, potuerit de caſſatione electionis prius factæ (ſi eam caſſari contingat) nuncius pervenire. Tunc enim & ſecunda, & tertia (ſi opus fuerit) electio, ad eoſdem pertinebit. Qui Elector, à majori parte medietate Conventus, (*d*) per diſquiſitionem Supprioris, vel vices ejus gerentis, & duorum Fratrum, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, nec poſt profeſſionem ſuam ullatenus à noſtro Ordine diſceſſerunt (niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, aut Provinciale Capitulum cum eis fuerit diſpenſatum) omnibus Fratribus ad Conventum illum pertinentibus convocatis: (ſi infra unam dietam ad eos poſſit nuncius pervenire) eligi debet. Et hoc idem in electione Prioris Conventualis, (*e*) & tractatu eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum Provinciale, obſervetur. Qui ſecundum formam inferius in electione Magiſtri poſitam, electionem hujuſmodi celebrabunt: hoc excepto; quod eos includi, ſicut in electione Magiſtri, non oportet.

(d) *Per diſquiſitionem Supprioris.*) Declaramus, quòd in electione electorum Priorum Provincialiũ, Prior Conventualis debet habere primam vocem: non obſtante illa Conſtitutione, quæ dicit: quod in electione prædicta Supprior cum duobus Patribus debet vota Fratrum diſcutere, ſicut fuit declaratum in Capitulo Lucæ 1288. & Argentinæ 1296.

(e) *Et tractatu eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum.*) Declaramus, quòd ad Priores Conventuales non ſpectat ordinare, vel ſe intromittere de tempore, vel die inſtituendo, ſive de quocunque alio eorum, quæ ad tractatum Provincialis Capituli, vel electionem ſocii pertinent: ſed aſſignatio diei, in quo tractari debent ea, quæ ad electionem ſocii Prioris, & ea quæ ad Capitulum Provinciale mittenda ſunt, pertinent ad Suppriorem; nec Priores electioni ſocii intereſſe debent, ſicut declaratum fuit apud Montem Peſulanum 1271 & Lugduni 1274. & Barcinonæ 1323. Et tractatus eorum quæ mittenda ſunt ad Capitulum, non poſſunt ultra unum diem prolongari.

Item declaramus, quòd ſocii Conventuum electi ad Capitulum Provinciale, vocem tantùm habeant in Capitulo Provinciali illius anni, pro quo fuerunt electi. Si autem ex cauſa, vel impedimento, à Capitulo Provinciali, illo anno ſuperſedeatur, ad tractatum Capituli Provincialis anni ſequentis, ex vi talis electionis non admittuntur: ſicut fuit declaratum Ferrariæ. 1362. In Capitulo etiam Bononiæ 1564. ordinatum fuit, quod qui in uno Conventu fuerit electus ſemel in ſocium Prioris Conventualis, euntis ad Capitulum Provinciale, in eodem Conventu non

poſſit eligi in ſocium Prioris pro Capitulo Provinciali immediatè ſequenti : & ſi ſecùs fiat, irrita electio cenſeatur. Ubi etiam fuit declaratum, quod Provinciales qui ſuum officium expleverint, aut etiam fuerint abſoluti, ad idem officium in eiſdem Provinciis, non poſſint eligi, niſi poſt tempus, quo duorum Provincialium officium durare ſolet : ut etiam ſuperius ex Conſtitutione Julii II dictum eſt. Similiter ſi ante mortem, vel amotionem Prioris Provincialis, aliquis Conventus de electione ſocii Prioris tractatum ſecerit, & aliquem Fratrem in Socium elegerit : ſi contingat poſtea electionem ipſius Provincialis fieri per electores, & non per Capitulum Provinciale, non erit talis Frater ſic electus verus ſocius; ſed oportebit poſt mortem ipſius Provincialis, vel amotionem, aliquem in ſocium de novo eligi, ſive numerari, ſicut declaratum fuit Brivæ 1346.

VI.

QUod ſi Magiſter Ordinis, vel Capitulum Generale, aliquem Fratrem illius Provinciæ Vicarium inſtituerit in eadem; volumus ipſum Vicarium in electione prædicta vocem habere. (*f*) Tres autem Priores Conventuales, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt (quum electio per ſcrutinium facienda eſt) voluntates ſingulorum ſigillatim, & ſeorſim aliquantulum in eodem loco coram oculis omnium diſquirant, & ſcribant : deinde ſcipturam in medium publicent, expreſſis nominibus eligentium, & electorum. Et facta collatione numeri ad numerum, ſi omnes, vel major pars ultra medietatem omnium eligentium in unum concordaverint, & minor pars interrogata majori conſenſerit; ille, qui primam vocem habuit inter electores, ſurgens dicat : Ego Frater N. vice mea, & omnium electorum præſentium, eligo Fratrem N. in Priorem Provincialem talis Provinciæ. Si vero non omnes conſenſerint, & tamen major pars ultra medietatem (ut dictum eſt) unum elegerit; tunc (ſicut prius) qui primam vocem habuit, dicat : Ego Frater N. pro me, & his qui mecum conſentiunt, eligo Fratrem N. in Priorem talis Provinciæ.

VII.

ILle autem ſupradictus Elector, illo anno ſit Socius Prioris Conventualis euntis ad Capitulum Provinciale, ſi tunc fuerit celebrandum. Quod ſi eum impediri contingat, antequam iter ad eundum ad electionem arripuerit, Conventus alium poſſit eligere loco ipſius. Idem dicimus de Socio Prioris Conventualis, euntis ad Capitulum Provinciale, electo. (*g*) Inſtante vero Prioris Provincialis electione, Priorum Conventualium abſolutionem (niſi ob cauſam criminis, vel gravis ſcandali, vel ipſo Priore petente, vel in Capitulo Provinciali à Diffinitorio illius tunc poſt electionem Prioris Provincialis factam, licet pendentem quoad confirmationem) fieri totaliter prohibemus. Inſtare autem electionem Prioris Provincialis dicimus, quandocumque Provincia non habet Priorem Provincialem præſentem, vel abſentem.

(f) *Tres autem Priores Conventuales &c.*) Declaramus, quòd in electione Prioris Provincialis, tres Priores Conventuales qui diutius poſt Profeſſionem Habitum noſtri Ordinis portaverunt, debent vota electorum recipere : juxta formam in Capit. Bonon 1564. traditam, & ſupra *in Cap. 2. de electione Prioris Conventualis* poſitam.

(g) *Inſtante vero Prioris Provincialis electione.*) Declaramus, & volumus, quod ſicuti imminente electione Priorum Conventualium non debent fieri mutationes Fratrum infra duos menſes (ut ſupradictum eſt ex Conſtitutione Clementis VIII.) ante electionem prædictam, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus : ſimili modo declaramus, & volumus quod non fiant mutationes Fratrum, privationes vocum, abſolutiones Priorum, à tempore notitiæ carentiæ Provincialis in aliqua Provincia, uſque ad notitiam confirmationis ejuſdem; niſi in caſibus in Conſtitutionibus contentis; ſicuti fuit declaratum Venetiis 1357. Brugis 1369. & Coloniæ 1301.

VIII.

PRior autem Provincialis ſupradicto modo electus, (*b*) poterit per Magiſtrum Ordinis confirmari, vel ejus electio caſſari; ſi ipſi Magiſtro videbitur. Quod ſi Ordo Magiſtrum non habuerit, ipſum electum confirmandi, vel infirmandi, & ad dicti officii ſuſceptionem compellendi, Vicarius Ord. habeat poteſtatem. Si vero poſt confirmationem, per Magiſtrum Ordinis factam, antequam ad electum ipſa confirmatio perveniat, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoveri contigerit, confirmatio ſuum ſortiatur effectum.

IX.

(*i*) STatuimus autem, ut Prior Provincialis in Capitulo Generali à Magiſtro, & Deffinitoribus Capituli (præmiſſa diligenti examinatione) confirmetur, vel amoveatur.

(b) *Poterit per Magiſtrum Ordinis confirmari.*) Declaramus, quòd Magiſter Ordinis per privilegia Bonifacii VIII. & Clementis VII. poteſt omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis, Inquiſitores, ac Priores Provinciales, & Conventuales, & alios quoſcumque Officiales dicti Ordinis, ac Prioriſſas Monaſteriorum in dicto Ordine, & per Sedem Apoſtolicam, vel per quoſcunque, & quavis authoritate deputatos, quoties ſibi videbitur revocare, & à ſuis Officiis removere : etiam ſi eis per Sedem Apoſtolicam fuiſſet conceſſum, quod à ſuis prælationibus, vel Officiis removeri non poſſent; & loco ipſorum alios, vel alias ſubſtituere, ac officia ip-

ipſa limitare, ac in Curia Romana Procuratorem inſtituere, & inſtitutum ab ipſo Officio removere quoties ſibi, & ſuis ſucceſſoribus videbitur expedire. Item declaramus Bonon. 1615. iſtud ordinatum fuiſſe: Ad expenſas in Provinciis, & alia varia inconvenientia evitanda, electionis Provincialium ſcrutinia ad Magiſtrum Ordin. per Tabellarios, aut Fratres Converſos ſive Tertiarios mittantur. Si vero aliquando per Patres graviores ex cauſa urgentiſſima, hujuſmodi ſcrutinia mittere neceſſe fuerit; hoc arbitrio Magiſtri Ordin. probandum, vel improbandum relinquimus. Caveant autem Fratres Provinciarum, ne facile ſeſe electionibus Provincialium opponant, aut proteſtationes de invaliditate earum faciant; alioquin pro ſuis auſibus temerariis à Magiſtro Ordinis graviſſimè puniantur.

Item declaramus, quòd ſi Priores Conventuales, in Provinciales electi fuerint, ſtatim ut Provincialatus confirmationem acceperint, ab officio Prioratus cenſeantur abſoluti; etiamſi talis abſolutio in literis confirmationis non fuerit expreſſa. Bononiæ 1564. declarat. 1.

(i) *Statuimus autem, ut Prior Provincialis in Capitul. Generali &c.*) Declaramus, hoc ita eſſe intelligendum, ſi tunc in proximo Generale Capitulum celebrabitur: aliàs per Magiſtrum Ordinis de conſilio Patrum debet confirmari, prout ſuperius dictum eſt.

Item declaramus, Romæ 1546. fuiſſe ordinatum, quod ſi pendente confirmatione Provincialis in aliqua Provincia, & finito Capitulo Provinciali, electum mori contigerit, Vicariatus ejuſdem Provinciæ pertineat ad illum Priorem, in cujus Conventu ſequens Capitulum fuerit aſſignatum.

X.

PRior autem Provincialis eandem habeat poteſtatem in ſua Provincia, quam & Magiſter Ordinis: (*k*) & eadem ſibi reverentia, & obędientia à Comprovincialibus exhibeatur, quæ Magiſtro Ordinis, niſi Magiſter præſens extiterit. Item Prior Provincialis totam ſuam Provinciam per ſe (ſi poterit) vel Vicarios idoneos teneatur ſingulis annis viſitare, quibus authoritatem ſuam committat, prout ſibi videbitur expedire.

XI.

PRiores autem Provinciales quum fuerint abſoluti, ad illos Conventus pertineant, de quibus fuerunt aſſumpti: niſi per Superiores ſuos de eis aliter fuerit ordinatum. Si vero in Provincialatu deceſſerint libri, & alia quæ habuerunt per proviſionem Ordinis à Provincia, vel etiam ab aliquo Conventu antequam eſſent Provinciales, vel in ipſo Provincialatus officio; ad Provinciam, vel Conventum, unde habuerunt ſimpliciter pertinebunt. (*l*) Ea vero quæ acquiſiverunt tempore Provincialatus; ad Provincias quarum erant Priores ſpectabunt pro medietate, & pro medietate ad Conventus ſuos quorum ſunt filii. Alia vero omnia ſint Conventuum ſuorum quorum ſunt filii. Et idem dicimus de bonis Procuratoris Ordinis. Relicta autem Magiſtri Ordinis, quæ acquiſivit in Magiſterio; pro medietate ſint ſui Conventus originalis, alia vero medietas ad commune Ordinis bonum pertineat.

XII.

STatuimus autem, ut in ſingulis Provinciis Priores Provinciales, vel eorum Vicarii, & Deffinitores Capituli Provincialis, Provincias ſuas per Vicarias diſtinguant, ſecundum quod eis videbitur expedire. Quibus ſingulis, Vicarios præficiant, qui non ſint Priores, vel Lectores actu legentes, niſi prius à ſuis officiis abſolvantur; & requiſito conſilio Fratrum præſentium ad dictas Vicarias pertinentium, qui ſint de corpore Capituli Provincialis. Qui Vicarii in Domibus ſibi aſſignatis, Prioris Provincialis plenarie vices gerant: exemptis dumtaxat inſtitutione, & deſtitutione Priorum, & Lectorum; & ubique loca ſua teneant, niſi in Capitulo, dum officium ſuæ Vicariæ exercent; quorum poteſtas in die immediatè præcedente electionem Deffinitorum Capituli Provincialis expiret. Hos autem Vicarios, Prior Provincialis corrigere poſſit, & ex cauſa rationabili amovere.

(k) *Et eadem ſibi reverentia &c.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales extra ſuas Provincias debent præcedere Priores Conventuales tam in loco, quam in proceſſionibus, & in dicendo *Fidelium*. Similiter in Refectorio habebunt locum nolæ, abſente Præſidente Provinciæ: cum ille non ſit locus judicii, ſed dignitatis; ut habetur inferius cap. 13. In Capitulo autem, cum extra Provinciam ſuam nullam habeant juriſdictionem, habebunt locum immediatum à dextris Præſidentis Capituli, ſicut fuit declaratum Romæ 1468.

Item declaramus, nonnulla in diverſis Capitulis ordinata eſſe pro officio Provincialium. Imprimis, ne multa à Provincialibus proviſa, è memoria elabantur, utque falſificationibus litterarum oſtium omnino occludatur, ut librum habeant, Regeſtum nuncupatum, in quo præcipuæ res, & acta eorum annotari debeant. Valliſoleti 1605. ordinat 13. Item nullus omnino Provincialium, inconſulto Magiſtro Ordinis, contributiones pro ſui officii uſu, & neceſſitatibus in Provincia augere valeat. Expenſas vero extraordinarias pro communi bono Provinciæ, de conſilio Capituli Provincialis, aut Provinciæ, id eſt, Magiſtrorum Provinciæ, & eorum qui fuerunt Provinciales, conſtituere poterit. Bononiæ 1615. ordinat. 13.

Item ad tollenda omnia Fratrum ſubditorum gravamina, vera, vel prætenſa: ordinatum eſt Valentiæ 1596. ordinat 23. quod Provinciales quarumcumqe Provinciarum, & Vicarii Congregationum, ſive Vicariarum, expleto officio ſui regiminis, debeant ſubire judicium ſuæ adminiſtrationis, hunc in modum videlicet. Quatuor Deffinitores Capituli electionis ſuæ ſucceſſo-

ris, vocabunt ad Deffinitorium ex vocalibus illius Capituli, primo Patres qui fuerunt Provinciales ejuſdem Provinciæ: deinde antiquiores Magiſtros in Capitulo exiſtentes, ita ut ſenarius numerus compleatur; cui addito quaternario ipſorum Deffinitorum, reſultabit numerus denarius. Hi itaque decem tenebuntur ſinguli duos Patres de præſentibus in Capitulo, ad id magis aptos, & idoneos, in ipſorum conſcientia, ſecreto, & per ſchedulas nominare. Hæ autem omnes ſchedulæ in vias aliquot mittentur; inde forte una extrahetur, & in illa nominatus Pater, Judex erit ad querelas audiendas, & examinandas contra Provincialem præteritum. Extrahentur, & aliæ duæ, in quibus nominati Patres, præfati Judicis conſultores habebuntur, pro ſententia duntaxat ferenda, cum aſſiſtentia Provincialis noviter electi: & pro diſcernendo: an ultra tempus Capituli quandoque durare debeat prænominati judicis authoritas, cauſa capiendi aliquas informationes extra locum Capituli; quæ an neceſſario ſumi debeant nec ne, attenta negotii qualitate, videbunt ipſi una cum Provinciali electo, ut ſupra: pariterque Judici terminum præfigent, intra quem eas accepiſſe debeat, & ad ſententiam venire. Excipiuntur ab hoc modo judicii, Superiores quilibet abſoluta authoritate à Magiſtro Ordinis, vel ejus Vicario, Apoſtolico etiam interveniente indulto, dati, & inſtituti: quibus Magiſtro Ordinis, aut illius Vicario Judicem præſcribere erit poteſtas, cui rationem reddere teneantur.

Verum hæc ordinatio, fuit poſtea revocata in capit. Romano 1601. revocatione 4. ubi ſic dicitur: Revocamus ordinationem 23. Capituli Valentini 1596. qua præfigitur modus, quo ſubire judicium tenentur RR. AA. PP. Provinciales, & Vicarii Generales Congregationum. Terminato tamen officio, de datis, & acceptis, ſeu expenſis, & receptis in officio, Deffinitorio Capituli Provincialis reddant rationem: & ea quæ ſupererunt reponantur in communi Provinciæ depoſito; ſicut fuit ordinatum Romæ 1608. ordinat. 18., & Pariſiis confirmatum 1611. confirmat. 10.

Caput IV.

De electione Magiſtri Ordinis.

I.

STatuimus, ut ſi ante feſtum Sancti Michaelis, vel in ipſo feſto, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoveri contingerit; Prior Conventualis, vel Provincialis, qui propinquior illi loco extiterit, ubi Magiſter deceſſerit, Pariſienſi, vel Bononienſi Conventui (ſibi videlicet propinquiori) cum feſtinatione denunciet. Alteruter autem iſtorum duorum Conventuum, cui primo denunciatum fuerit, teneatur ſimiliter reliquis nunciare. Pariſienſis Conventus, Provincialibus Hiſpaniæ, Provinciæ Toloſanæ, Angliæ, Scotiæ, Teutoniæ, Daciæ, Aragoniæ, Provinciæ Provinciæ, Portugalliæ, Bethicæ, & Germaniæ inferioris, Sanctæ Crucis, Hiberniæ, S. Joannis Baptiſtæ, S. Jacobi, S. Vincentii, & S. Antonini. Bononienſis vero Ungariæ, Romanæ Provinciæ, Regni Siciliæ, Poloniæ, Terræ ſanctæ, Greciæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Lombardiæ, Saxoniæ, Trinacriæ, S. Thomæ, & Calabriæ, teneantur quantocius intimare. Si vero poſt dictum feſtum deceſſerit, vel amotus fuerit, ipſius obitus, vel amotio nihilominus nuncietur, ut ſuperſedeatur illo anno à Capitulo Generali.

I I.

MOrtuo igitur Magiſtro, vel amoto à Magiſterio, Prior Provincialis illius Provinciæ, ubi ſequens Capitulum fuerit celebrandum, vices Magiſtri Ordinis in omnibus obtineat, quouſque Magiſter Ordinis ſit electus; exceptis abſolutionibus Priorum Conventualium aliarum Provinciarum, exceptis translationibus Fratrum de Provincia ad aliam, de quibus ſe nullatenus intromittat; niſi forte aliquis Frater, non Prior Provincialis exiſtens, pro Provincialatus officio peteretur. Si autem illa Provincia tunc Priorem Provincialem non habuerit, vel infra tempus Vicariæ ſuæ eum mori, vel amoveri contigerit; Prior Provincialis illius Provinciæ, ubi immediate præcedens Generale Capitulum fuerit celebratum, vices obtineat ſupradictas; & ſic deinceps retrocedendo, donec in aliqua Provinciarum, iſto modo valeat Vicarius inveniri.

I I I.

POſtquam vero illa Provincia, in qua fuerit Generale Capitulum celebrandum, Priorem Provincialem habuerit confirmatum, ipſe Prior Provincialis vices obtineat ſupradictas. (*a*) Priores autem Provinciales triginta unius Provinciarum, (*b*) ſinguli cum duobus Fratribus in Capitulo Provinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium, ad Capitulum veniant Generale. Si autem in aliqua Provincia, Provinciale Capitulum fuerit celebratum, & in proximo feſto Pentecoſtes electio Magiſtri fuerit facienda. Definitor Capituli Generalis in anno Deffinitorum, & Socius ejus ſint illo anno Magiſtri Ordinis Electores. (*c*) In anno autem Priorum Provincialium, vel quando ex alia quacumque cauſa, Deffinitor, & Socius, vel Electores prædicti, non fuerint electi, neque ſuppetat tempus, ut eligantur, propter quodcumque (judicio diſcretorum) legitimum impedimentum: tunc duo de Deffinitoribus immediatè præcedentis Capituli Provincialis, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, (*d*) qui tunc ſuperſtites fuerint, ad electionem

nem Magiſtri Ordinis admittantur; quorum antiquior in Ordine ſit illo anno Generalis Capituli Deffinitor. Qui ſi ad Capitulum non venerit, aut præcedentis Capituli extiterit Deffinitor, tunc ad deffinitionem Elector alius admittatur.

(a) *Priores autem Provinciales triginta unius Provinciarum.*) Declaramus poſt factam hunc Conſtitutionem, auctum fuiſſe numerum Provinciarum. Unde in Capitulo Romæ 1553. ſic habetur: Declaramus conformiter ad ea, quæ in actis vetuſtiſſimorum Capitulorum Generalium reperta ſunt; quod deinceps in Capitulis Generalibus, & ubique, Provinciæ noſtri Ordinis ſervare debeant infraſcriptum ordinem, juxta quem tenebunt loca ſua.

I.	Hiſpaniæ.
II.	Toloſanæ.
III.	Franciæ.
IV.	Utriuſque Lombardiæ.
V.	Romanæ.
VI.	Regni.
VII.	Hungariæ.
VIII.	Teutoniæ.
IX.	Angliæ.
X.	Poloniæ.
XI.	Daciæ.
XII.	Græciæ.
XIII.	Terræ ſanctæ.
XIV.	Aragoniæ.
XV.	Bohemiæ.
XVI.	Provincia Provinciæ ſive Angelorum.
XVII.	Saxoniæ.
XVIII.	Dalmatiæ.
XIX.	Trinacriæ.
XX.	Portugalliæ.
XXI.	Scotiæ.
XXII.	Bethicæ.
XXIII.	Germaniæ inferioris.
XXIV.	Apuliæ S. Thomæ.
XXV.	Calabriæ.
XXVI.	S. Crucis Indiarum.
XXVII.	Hiberniæ.
XXVIII.	S. Jacobi de Mexico.
XXIX.	S. Joanis Baptiſtæ del Perù.
XXX.	S. Vincentii de Chiappa.
XXXI.	S. Antonini de novo Regno.
XXXII.	Occitana.
XXXIII.	S. Dominici Venetiarum.
XXXIV.	Nexſciovanenſis in Armenia.
XXXV.	S. Catharinæ Martyris de Quito.
XXXVI.	S. Laurentii de Chile.

Poſt ſtabilitum verò hunc Provinciarum ordinem, & in Capitulo Romano 1558. confirmatum, tractu temporis, acceſſit ſubſequens numerus (benedicente Domino) diverſarum Provinciarum, quæ juxta antiquitatem ſuæ erectionis, & inſtitutionis hoc ordine diſponuntur; videlicet:

XXXVII.	SS. Roſarii Philippinarum, erecta Venetiis 1592.
XXXVIII.	S. Hyppoliti Martyris de Oaxaca, creata Venetiis 1592.
XXXIX.	S. Petri Martyris, inſtituta Romæ 1601.
XL.	S. Catharinæ Senenſis Aprutina, creata ibidem Romæ 1601.
XLI.	S. Hyacinthi in Ruſſia, inſtituta Romæ 1612.
XLII.	Pariſienſis, ſtabilita, & confirmata Valentiæ 1647.
XLIII.	Lithuaniæ, S. Angeli Cuſtodis, erecta ibidem Valentiæ 1647.
XLIV.	S. Mariæ de Candelaria aliàs Canariarum, creata Romæ 1650.
XLV.	S. Ludovici, inſtituta & ſtabilita Romæ 1670.
XLVI.	S. Roſæ, creata, & ſtabilita noviſſimè Romæ 1686.

(b) *Singuli cum duobus Fratribus &c.*) Declaramus, quòd ſi in aliqua ex relatis Provinciis, antequam mors, vel amotio Magiſtri Ordinis ei fuerit nunciata, Provinciale Capitulum fuerit celebratum, & in proximo feſto Pentecoſtes electio Magiſtri fuerit celebranda; non erit opus aliud Capitulum Provinciale celebrare pro electione Electorum Magiſtri Ordinis: ſed in anno Deffinitorum ſi electio Magiſtri fuerit celebranda, Deffinitor Capituli Generalis, & Socius ejus in Capitulo Provinciali immediate præcedenti electi, erunt illo anno Magiſtri Ordinis Electores. In anno autem Priorum Provincialiū duo ex Deffinitoribus immediate præcedentis Capituli Provincialis, qui diutius poſt profeſſionem, Habitum noſtri Ordinis portaverunt, qui tunc ſuperſtites fuerint, ad electionem Magiſtri Ordinis admittantur; quorum antiquior in Ordine, erit illo anno Capituli Generalis Deffinitor. Si vero in præfatis Provinciis, ante notitiam mortis, vel amotionis Magiſtri Ordinis, Capitulum Provinciale non fuerit celebratum: tunc celebrabitur Capitulum Provinciale, & in eo duo Electores eligentur à pluribus ultra medietatem omnium eligentium; quorum unus ad hoc electus, erit Generalis Capituli Deffinitor.

(c) *In anno autem Priorum Provincialium.*) Declaramus, quòd mens hujus Conſtitutionis eſt; quod in anno Provincialium, ſi celebrandum ſit Capitulum Generale in proximo feſto Pentecoſtes, ubi electio Generalis deberet fieri, & contingerit mori Generalem poſt Capitulum Provinciale, nullo modo debent celebrari Capitula Provincialia, ad conſtituendos novos vocales, cum Deffinitoribus Capituli Provincialis præcedentis, fuerit jam jus acquiſitum; nec illa clauſula interpoſita (vel quando ex alia quacumque cauſa &c.) huic rei faceſſit negotium, cum tota ſit rejicienda in annum Deffinitorum, nulloque modo pertineat ad annum Provincialium; ſicut fuit declaratum Romæ 1583. iiſdem ipſis verbis. Ubi etiam ſic habetur: Item declaramus, verbum paulo infra in eadem Conſtitutione, ubi agitur de duobus Deffinitoribus mittendis ad Capitulum Generale pro electione Generalis quod habet locum in aliis duobus Deffinitoribus: adeo ut ſi deficiat primus aut ſenio, aut infirmitate, aut alio impedimento, ſubſtituatur ſecundus, ſecundo tertius, tertio quartus. Quod ſi omnes defecerint, recurrendum eſt ad Capitulum immediate præcedens; ſicque retrocedendo quouſque ſuis Provincia poſſit gaudere ſuffragiis.

(d) *Qui tunc ſuperſtites fuerint.*) Declaramus, quòd ſi quis Deffinitorum in Priorem Provincialem electus, & confirmatus fuerit: talis quantùm ad actum Deffinitorii debitum, cum ratione officii Provincialatus in tali caſu electionis Magiſtri definire habeat, reputatur non ſuperſtes: & ideo ad definitionem alius Elector admittetur, ſicut fuit declaratum Lugduni 1348. ordinat. 5. & Barcinonæ 1349.

IV.

(*e*) QUI poſtquam congregati fuerint in Vigilia Pentecoſtes, à Prioribus Conventualibus illius Provinciæ, & à Fratribus præſentibus in loco, ubi fienda eſt electio, in uno conclavi firmiter includantur: ita quod inde egredi nullatenus valeant; nec eis ullo modo aliqua alimenta miniſtrentur, quouſque Magiſter Ordinis ſecundùm formam Canonicam ſit electus. Hoc autem tam ab Electoribus, quam à recludentibus præcipimus firmiter obſervari. Quod ſi quis contraire præſumpſerit, ipſo facto ſit excommunicatus, & pœnam graviori culpæ debitam ſuſtinebit.

V.

FOrma autem electionis hæc eſt. Electoribus ſupradicto modo incluſis, cum per diſquiſitionem, vel ſcrutinium voluntatum procedet electio, tres de Prioribus Provincialibus, qui inter alios triginta, & unum Provinciales primitùs Habitum noſtræ Religionis ſuſceperunt, voluntatem ſingulorum ſigillàtim, & ſeorſim aliquantulum in eadem Domo coram oculis omnium diſquirant, & conſcribant: deinde ſcripturam publicent in medium expreſſis nominibus eligentium, & Electorum. Quod ſi Dei gratia inſpirante in unum aliquem omnes unanimitèr concordaverint, ille verùs Magiſter Ordinis habeatur. Si autem in partes inæquales ſe diviſerint, ille in quem plures medietate omnium eligentium conſenſerint, (*f*) ex vi talis electionis, & hujus Conſtitutionis ſit Ordinis Magiſter. Quod ſi aliquem, vel aliquos de Electoribus contigerit non venire: nihilominus tamen per eos, qui advenerint, electio Magiſtri Ordinis celebretur. Hoc autem ita fiat, ut ſemper in ſecunda feria Pentecoſtes Capitulum habeat Magiſtrum antiquum, vel novum præſentem, vel abſentem; quia tunc incipit ſolemniter celebrari, ne acephalum judicetur.

(e) *Qui poſtquam fuerint congregati in Vigilia Pentecoſtes.*) Declaramus, quòd ante electionem Magiſtri, debet Vicarius Ordinis congregare Electores in aliquo loco, & cum illis habere tractatum de futuro Magiſtro eligendo. Et in die electionis debet cantari Miſſa de Spiritu Sancto, cui ipſe cum Provincialibus, & aliis Electoribus debent intereſſe. Finita autem Miſſa, debet ad ſonum campanulæ cum Electoribus, & aliis Fratribus intrare Capitulum: & ibi fieri ſermo exhortatorius ad eligendum in Magiſtrum Ordinis virum prudentem, diſcretum, maturum, doctrina, & virtutibus ornatum, zelatorem Religionis, & non ignarum vitæ, & Obſervantiæ Regularis. Finito vero ſermone, debet accedere ad Sacriſtiam, vel ad alium locum, in quo electio eſt facienda cum Provincialibus, & Electoribus, & ibi debent in uno conclavi firmiter includi: ita quod ingredi, & egredi non valeant, nec eis ullo modo aliqua alimenta ſunt adminiſtranda; quouſque Magiſter Ordinis ſecundùm formam Canonicam ſit electus. Prædictus igitur Vicarius, Electoribus congregatis, poſtquam illi acceptaverint diem, locum, & horam electionis; debet ſemel, iterum & tertio proteſtationem facere, quod non intendit excludere ab electione non excludendum, nec admittere non admittendum: & abſolutione à cenſuris ad cautelam facta, & invocata Spiritus Sancti gratia, debet ipſe Vicarius duos ex Prioribus Provincialibus aſſumere, qui inter omnes Provinciales diutius poſt profeſſionem Habitum noſtræ Religionis portaverunt. Poſtea cum ipſis duobus Scrutatoribus, ſeorſim aliquantulum in eodem conclavi coram oculis omnium vota ſingulorum ſigillatim, & ſecreto diſquirere; expreſſis nominibus eorum, qui fuerint electi. Demum facta ſola collatione numeri ad numerum, ſi omnes, vel major pars ultra medietatem omnium eligentium, in unum concordaverint; tunc ille, qui primam vocem inter Scrutatores habuit, vice omnium eligentium formabit electionis Decretum, dicendo Ego Fr. N. vice mea, & omnium eligentium, mecum conſentientium, eligo Fr. N. in Magiſtrum Ordinis Prædicatorum.

(f) *Ex vi talis electionis, & hujus Conſtitutionis, ſit Ordinis Magiſter.*) Declaramus, quòd ſecundùm privilegia Apoſtolica, Magiſter Ordinis poſtquam fuerit electus, eo ipſo curam animarum Fratrum omnium ipſius Ordinis plenarie habet, & libere gerit: ipſoſque Fratres authoritate propria ligare, & abſolvere, necnon in eodem Ordine ea agere poteſt, quæ ipſe, & præfati Ordinis Definitores, juxta Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, ſecundùm Deum viderint expedire. Teneanturque omnes Fratres ſibi devotè, & humiliter ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones obedire: poteſtque ipſos ab omnibus officiis removere, & ab omnibus exceſſibus, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere, atque in irregularitatibus diſpenſare. Et poteſt quaſcumque utriuſque ſexus perſonas, extra Curiam Romanam ſibi confiteri volentes, ab eorum peccatis, exceſſibus, & caſibus, in quibus minores Apoſtolicæ Sedis Pœnitentiarii poſſunt, abſolvere, & Miſſam etiam, antequam dies illuceſcat, per ſe, vel per alium Sacerdotem idoneum celebrare.

VI.

(*g*) HÆc verò omnia, quæ circa electionem Magiſtri ſtatuta ſunt, abſque contradictione volumus, & præcipimus firmiter obſervari. (*h*) Quicumque autem auſus fuerit contradicere pertinaciter, vel rebellare; tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus, & deſtructor noſtri Ordinis habeatur: & (quouſque non ſatisfecerit) à communione omnium ſit penitus alienus, & pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat. Præcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, ut nullus ante electionem Magiſtri Ordinis, circa ſtatum Ordinis aliquid audeat immutare.

VII. Sta-

VII.

STatuimus autem, quod nec Magiſter Ordinis, nec aliquis Prior Provincialis, aut quovis modo Præſidens in noſtro Ordine, aliquid accipiat, directè, vel indirectè etiam ſponte oblatum, à quacunque perſona, ſive prælata, ſive ſubdita, prætextu litterarum, ſigilli, regiſtri, licentiæ, confirmationis, & univerſaliter cujuſcumque gratiæ, aut juſtitiæ conceſſæ, aut concedendæ: ſed quilibet ſit communibus contributionibus, & viſitationibus contentus. Priores autem Provinciales, & alii inferiores contrafacientes, in pœnam à ſuis officiis abſolvantur indiſpenſabiliter. Magiſter vero Ordinis, ſi in hoc exceſſerit, à Deffinitoribus Generalis Capituli corrigantur; & ſi obſtinate reſtiterit, deponatur.

(g) *Hæc verò omnia, quæ circa electionem Magiſtri, ſtatuta ſunt &c.*) Declaramus, quòd omnes Fratres, ſub præcepto tenentur ea obſervare, quæ circa electionem Magiſtri ſtatuta ſunt, & maximè electores.

(h) *Quicumque autem auſus fuerit contradicere pertinaciter.*) Declaramus, quòd qui his, quæ circa prædictam electionem ſtatuta ſunt, pertinaciter contradicere, vel rebellare auſus fuerit; ipſo facto eſt excommunicatus: & tamquam deſtructor noſtri Ordinis carceri eſt mancipandus; & quouſque non ſatisfecerit, pœna gravioris culpæ puniendus eſt.

Caput V.

De Electione Deffinitorum Capituli Generalis, & Provincialis.

I.

(a) STatuimus, quod ſingulis annis, in ſingulis Capitulis Provincialibus, Hiſpaniæ, Toloſanæ, Franciæ, S. Dominici, Romanæ, Provinciæ, Regni Siciliæ, Hungariæ, Teutoniæ, Angliæ, Poloniæ, Daciæ, Græciæ, Terræ Sanctæ, Aragoniæ, Bohemiæ, Provinciæ Lombardiæ, Saxoniæ, Dalmatiæ, Trinacriæ, Portugalliæ, Scotiæ, Bethicæ, Germaniæ inferioris, S. Thomæ, Calabriæ, S Crucis, Hiberniæ, S. Jacobi, S. Joannis Baptiſtæ, S. Vincentii, & S. Antonini &c. quatuor Fratres de diſcretioribus, & magis idoneis, à Provinciali Capitulo per diſquiſitionem Prioris Provincialis, vel ejus Vicarii: & Prioris, & Supprioris ejuſdem loci, ubi Capitulum celebratur; vel ſi unus defuerit, per diſquiſitionem duorum, quod ſi duo defuerint, loco ipſorum per diſquiſitionem duorum antiquiorum in ordine præſentium in Capitulo, hoc modo eligantur.

II.

PRædicti ſiquidem tres vel duo, ſi tertius defuerit, voluntates ſingulorum ſigillatim, & ſeorſim aliquantulum in eadem Domo, coram oculis omnium diſquirant, & conſcribant fideliter. Deindè in continenti loco eodem, antequam in Fratres diſcedant, & ad invicem colloquantur, ſcripturam publicent in medium, expreſſis nominibus eligentium, & Electorum: & in quibus plures concordaverint, illi pro Deffinitoribus habeant. Si autem partes fuerint æquales, tunc eodem modo per diſquiſitionem voluntatum unus de Fratribus, qui vocem in prædicta electione non habuerit, eligatur, & cui parti ille conſenſerit, illi pro Diffinitoribus Capituli recipiantur. Quod ſi in electione ipſius adhuc diſcordaverint, alius eligatur per eundem modum: & ſic deinceps, donec in parte altera major poſſit numerus inveniri.

III.

(b) PRædicti igitur quatuor Deffinitores eligantur in die proximo, præcedente diem aſſignationis Capituli Provincialis, & ex tunc incipiat authoritas eorumdem. Quod ſi aliquem de dictis quatuor Deffinitoribus, durante Provinciali Capitulo, mori contigerit, vel alia legitima cauſa impediri: Electores ſupradicti, ſecundùm dictam formam poſſint ſtatim alium Deffinitorem eligere dicti Capituli: qui mox electus, eandem habeat poteſtatem, quam cæteri Deffinitores habent, & loco mortui, vel impediti, omnia Capitdli negotia, cum aliis pariter deffiniet, & tractabit.

(a) *Statuimus &c.* & infra. *Et in quibus plures concordaverint.*) Declaramus, quòd ad hoc, ut aliquis ſit Deffinitor, non ſolum oportet, quod habeat plures voces, quam alii; ſed oportet, quod habeat plures ultra medietatem, juxta Capit. Bonon. 1564. declarationem; ubi poſtquam de electione Prioris Provincialis præmiſerat, quod fieri deberet per vota ſecreta, & ultra medietatem omnium eligentium, ſubdit hæc verba: Et idem modus eligendi ſervetur in electione Prioris Conventualis, & Magiſtri Ordin. & Deffinitorum Capituli Generalis, & Provincialis, & Socii Prioris euntis ad Capitulum Provinciale.

Item ordinamus, ut in omnibus Provinciis, in quibus Deffinitores Capituli Provincialis eliguntur per Nationes, examinatores ſcrutiniorum Patrum Vocalium Electorum pro Capitulo Provinciali, eligantur etiam per Nationes à PP. Provinciæ tantum: qui ſcrutatores in Natione Prioris Provincialis proponantur ab eodem Provinciali; in aliis autem Nationibus à PP. Magiſtris antiquioribus ſecundum profeſſionem. In Provinciis vero, in quibus Deffinitores non eliguntur per Nationes, præfati examinatores ſcrutiniorum proponantur à Provinciali, ſeu Vicario Generali Pro-

vinciæ de conſilio PP. Provinciæ: præcipientes omnibus tam Prælatis, quam ſubditis, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ; ne quidquam in contrarium attentare audeant, quacumque conſuetudine non obſtante. Pariſiis 1611. ordinat. 11 Porro per Patres Provinciæ tam in Conſtitutionibus, quam in declarationibus intelliguntur non modo illi, qui fuere ipſius Provinciæ Provinciales; verum etiam Magiſtri in Theologia rite inſtituti: qui à Provincia fuere acceptati, & potiuntur gratiis, & privilegiis Magiſtrorum. Valentiæ 1596. declarat. 3.

Declaramus etiam, quòd ante electionem Deffinitorum, acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri Ordinis debent legi omnibus vocalibus in ipſo Provinciali Capitulo congregatis: & ille, qui fuit Deffinitor præcedentis Capituli Generalis, debet in ipſo Capitulo Provinciali, cauſas Conſtitutionum inchoatarum, & approbatarum, & admonitionum exponere; ſicut fuit declaratum Florentiæ 1257. & Argentinæ 1260. Item Pariſ. 1611. conceſſum fuit, ut ſi quæ circa acta Capituli Generalis immediate celebrati difficultates, aut dubia ſuborientur: Deffinitores poſt Capitulum Deffinitorum, & Provinciales poſt Capitulum Provincialium, ea explicare, & declarare poſſint; quorum explicationi, & declarationi ſtandum erit, quouſque à Magiſtro Ordinis aliter fuerit determinatum.

(b) *Prædicti igitur quatuor Deffinitores eligantur in die proxime præcedente &c.*) Declaramus, declaratum fuiſſe in Capitulo Romano 1552 declarat 4. quòd prædicti Deffinitores omnes ipſa die ſimul eligi debent, non autem ſigillatim, niſi per Nationes eligantur; Provincialem verò poſtea in ipſo Capitulo eligi debere: ipſos autem Deffinitores ſtatim poſt ſuam electionem habere locum ſuper omnes Fratres, inter ſe autem ſecundum ordinem ſuorum graduum, vel Conventuum dignitatem.

I V.

STatuimus etiam, ut per duos annos in dictarum triginta unius Provinciarum Capitulis, aliquis de magis idoneis, (*c*) à majori parte Capituli eligatur, per diſquiſitionem Prioris Provincialis, vel ejus Vicarii, & Prioris, & Supprioris illius loci, ubi Capitulum celebratur: & ſi unus defuerit, per diſquiſitionem duorum; quod ſi duo defuerint, loco ipſorum per diſquiſitionem duorum antiquiorum in Ordine. præſentium in Capitulo, qui ſit Generalis Capituli Deffinitor ſecundum formam ſupradictam in electione Deffinitorum Capituli Provincialis. Cui Socius competens à Priore Provinciali, & Deffinitoribus aſſignetur; (*d*) qui Deffinitor, & Socius, ſolum de ſuis Provinciis quarum ſunt filii, aſſumantur. Quod etiam de Electoribus Magiſtri Ordinis, volumus inviolabiliter obſervari. Socii etiam Priorum Conventualium ad Provinciale Capitulum, & Electores Prioris Provincialis, tantum de Conventibus, in quibus ſunt aſſignati, eligantur.

V.

QUod ſi ſuperſedeatur in illo anno à Capitulo Generali: qui in ſequenti Capitulo Provinciali electus fuerit, habeatur Generalis Capituli Deffinitor. Valliſoleti 1523. Si vero nullus alius legitimus electus fuerit, ille qui in Capitulo præcedenti fuerit electus, legitimus ſit Deffinitor. Et idem dicimus de illius Socio, quod valeat, & ſit eodem modo legitimus Socius, & in anno electionis Magiſtri Ordinis ſit Elector, ſi non eſt alius Elector electus. Et tam Deffinitor, quam Socius, habeant litteras teſtimoniales, non tantum à Priore Provinciali, ſed à toto deffinitorio; alias nullo modo admittantur, neque ad deffinitionem, nec ad electionem Magiſtri Ordinis in anno electionis; niſi aliter de jure conſtiterit.

V I.

NOlumus tamen, quòd is, qui in præcedenti Capitulo electus fuerit, (*e*) ad idem officium eligi valeat in anno Deffinitorum proxime ſubſequente: ſi vero medio tempore deceſſerit, vel in Priorem Provincialem electus fuerit, & confirmatus, vel aliquo modo fuerit impeditus, quod venire non poſſit ad Capitulum Generale; ipſo jure Socius ejus loco ipſius Deffinitor habeatur, niſi tunc ſuperveniat Deffinitor, qui non obſtante deffinitione incepta per Socium, ipſe illa vice deffiniat, & Socius illius cedat. Quod ſi alterum ipſorum ſupradicto modo impediri contigerit; primus Conventus, ad quem declinaverit, teneatur ei de competenti Socio itineris providere. Fratres, qui in uno anno electi ſunt in Deffinitores Capituli Provincialis, ſequenti anno ad idem officium non eligantur. Idem dicimus de Deffinitoribus Capituli Generalis.

(c) *A majori parte Capituli eligatur, per diſquiſitionem Prioris Provincialis, vel ejus Vicarii, & Prioris, Supprioris &c.*) Declaramus fuiſſe prohibitum, ne vocales in Capit. Provinc. committant Priori Provinciali & Deffinitoribus Provincialis Capituli, electionem Deffinitoris Capituli Generalis, nec etiam Electorum Magiſtri Ordinis: ſed tam Deffinitor, quam Electores prædicti, debent eligi, ſecundum formam in Conſtitutionibus expreſſam, à majori videlicet parte ultra medietatem omnium eligentium; ſicut fuit declaratum Florentiæ 1257. ordinat. 3. & Argentinæ 1260. confirm. 8.

(d) *Qui Deffinitor, & Socius ſolum de ſuis Provinciis, quarum ſunt filii aſſumantur*) Declaramus, quòd Frater de illa Provincia proprie dicitur, pro qua profeſſus eſt; vel ad quam à Generali Capitulo, vel à Magiſtro Ordinis, non ſolum aſſignatus, ſed ſimpliciter translatus, ſeu incorporatus eſt; ſicut fuit declaratum Coloniæ 1428. Et ideo quamvis Frater, qui eſt ex aliena Provincia poſtquam ſteterit per unum annum con-

tinu.

Digitized by Google

tinuum, aſſignatus in aliquo Conventu alicujus Provinciæ, ſi habuerit ſex annos à profeſſione ſua, & fuerit Sacerdos, ad electionem Prioris Provincialis admitti poſſit: non tamen eligi poterit in Deffinitorem Gener. Capitul. nec Socius ejus eſſe, nec Elector Magiſtri Ordinis; niſi ſit illi Provinciæ incorporatus, atque ad eam ſimpliciter tranſlatus. Provinciis Græciæ, & Terræ ſanctæ exceptis. Item declaramus ex mandato Clementis VIII. fuiſſe Romæ 1601. ordinat. 28. ordinatum, & Valliſoleti 1605. accept. 1. acceptatum, ne titulares Provinciales ullo modo creentur (excepto Provinciali Terræ ſanctæ) nec vocales Electures. Quod ſi contigerit conſtituere in aliquibus Provinciis, quaſi deſolatis, habentibus tamen aliquos Conventus, aliquem Provincialem, qui non ſit illius Provinciæ filius: ſic volumus providere in hac parte, ne ſint duo Provinciales harum Provinciarum, unius ejuſdemque Provinciæ. Idem dicimus de Deffinitoribus, ſi pro illis Provinciis conſtitui debeant. Ita denique ut alicujus Provinciæ ultra tria vota non poſſit ſuperaddi ex quacumque cauſa, niſi tantum unum votum pro Capitulo Generali.

(e) *Ad idem officium eligi valeat.*) Declaramus, quòd Deffinitor, qui in aliquo Generali Capitulo deffinivit, non poterit aliquo modo in alio Capitulo immediate ſequenti ad idem officium eligi, aut quocumque modo deffinire: ſicut expreſſe in noſtris Conſtitutionibus continetur, fuitque declaratum apud Caſtras 1352. Hoc autem ita fuit declaratum Romæ 1546. declarat. 2. ad eum modum, quod qui in Capitulo Provinciali fuerit electus Capituli Generalis Deffinitor, poſſit in ſequenti Capitulo reeligi, ſi non deffinivit.

Caput VI.

De Capitulo Quotidiano.

I.

(*a*) FInitis Matutinis, teneatur Capitulum, vel aliquando poſt Primam, vel etiam intermittatur, ne ſtudium impediatur; ſecundum quod Prælato videbitur. Ingreſſo Conventu Capitulum, Lector pronunciet Lunam, & quæ de Calendario pronuncianda ſunt: & Sacerdos proſequatur, Pretioſa eſt &c. Deinde reſidentibus Fratribus Lector pronunciet lectionem de Inſtitutionibus, vel de Evangello, pro tempore: præmiſſo, Jube Domne: & Hebdomadarius ſubjungat benedictionem: Regularibus diſciplinis, vel Divinum auxilium, pro tempore. Et facta abſolutione pro Defunctis, dicat, qui tenet Capitulum, Benedicite, & reſponſo, Dominus; inclinent omnes. Deinde recitatis beneficiis, & dicto à Priore: Retribuere dignare &c. dictis etiam à Conventu Pſalmis. Ad te levavi &c. & De profundis &c. Kyrie eleiſon, cum Pater noſter: ſubſecutis etiam tribus verſiculis, Oremus pro Domino Papa; Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas; Requieſcant in pace; Dominus vobiſcum, ab Hebdomadario dicendis; cum his tribus Collectis, Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis &c. Prætende &c. Fidelium Deus &c. reſedeant Fratres.

II.

TUnc Prælatus poterit dicere breviter, ſi quid ad honeſtatem Ordinis, & correctionem Fratrum viderit expedire. Poſt hæc autem egrediantur Novitii, quibus egreſſis dicat, qui præeſt: (*b*) Faciant venias ſuas, qui ſe reos exiſtimant. Continuò, qui ſe reos intellexerint, proſtrati veniam petant. Deindè ſurgentes, (*c*) humiliter confiteantur culpas ſuas: & quorum culpa talis eſt, quæ digna ſit correctione, præparent ſe ad correctionem; quam Prior faciat vel ille cui injunxerit.

III.

IN Capitulo verò Fratres, niſi duabus de cauſis, non loquantur; ſcilicet culpas ſuas, vel aliorum dicendo ſimpliciter, & Prælatis ſuis tantum ad interrogata reſpondendo. Uno etiam Fratre loquente, alius non loquatur. Nullus faciat proclamationem ſuper aliquem ex ſola ſuſpicione. Item nullus accuſet de auditu, niſi dicat, à quo audierit, & ille ſit præſens in Domo. Auditis vero culpis dicatur Pſalmus, Laudate Dominum omnes Gentes, cum verſiculo, Oſtende nobis Domine &c. Dominus vobiſcum, & Collecta, Actiones &c. In fine dicat Prior, Adjutorium noſtrum in nomine Domini, & ſic ſolvitur Capitulum.

(a) *Finitis Matutinis teneatur Capitulum.*) Declaramus, quòd Capitulum de culpis, ſi non poſſit teneri quotidie propter ſtudium, vel alias occupationes, debet tamen ſaltem ſemel in qualibet ſeptimana, vel ad ſummum ſemel intra quindenam haberi: ut beneficia recitentur, & Benefactores Fratrum orationibus commendentur; ſicut fuit declaratum Saviliani 1439 Romæ 1501. & in multis aliis Capitulis. Et noviſſime Romæ 1601. confirm. 2. & Valliſoleti 1605. confirm. 1. confirmata fuit ordinatio de Capitulo habendo ad minus de quindena in quindenam; in quo inter reliqua tenebuntur Præſidentes culpas ſubditorum audire, unius ſaltem Chori; & Provinciales, quos in hoc invenerint negligentes, à ſuis officiis abſolvant. Summopere autem Prælatis cavendum eſt, ne ira perciti Fratres corripiant, ſed omnem benignitatem, & Religioſam erga eos pietatem oſtendant, ſicut fuit ordinatum Venetiis 1592.

(b) *Faciant venias ſuas, qui ſe reos exiſtimant.*) Declaramus, quòd venia eſt totius corporis ſuper latus extenſio, ſicut ſuperius cap. 2. *de Inclinationibus* dictum eſt. Hanc igitur veniam Fratres, qui ſe reos eſſe intellexerint, debent in Capitulo facere proſtrati ſuper terram, ſignificando ſe veniam petere ſuarum culparum.

(c) *Humiliter confiteantur culpas ſuas.*) Declaramus, quòd Capitulum de Culpis, ideo de Culpis appellatur, quia Fratres in eo de Con-

Conſtitutionum omiſſione, & tranſgreſſione ſe debent accuſare. Quæ quidem omiſſio, ac tranſgreſſio dicitur eſſe culpa, non eſſentialiter: ſed ſolum antecedenter, vel conſequenter, ſicut ſuperius Capit. *de Levi, & Gravi Culpa* explicatum eſt. Debent ergo Fratres ſe accuſare de defectibus manifeſtis commiſſis contra Regulam, & Conſtitutiones. Quod ſi non ſe accuſaverint, vel pœnitentias taxatas, ſive taxandas non fecerint; diſponunt ſe ad aliquam culpam, & eam incurrunt: venialem quidem ſi ex negligentia, vel levi malitia, mortalem vero, ſi ex contemptu pœnitentias illas omiſerint.

Caput VII.

De Capitulo Provinciali.

I.

(*a*) Capitulum Provinciale poſt Capitulum Generale (quando, & ubi Prior Provincialis, cum conſilio Deffinitorum elegerit) celebretur. Conventuales cum ſingulis ſociis, à pluribus de Capitulo ſuo ultra medietatem eligentium electis, per diſquiſitionem Supprioris, vel vices ejus gerentis, & duorum Fratrum, qui primitus Habitum noſtri Ordinis ſuſceperunt, & Prædicatores Generales. Si qui tamen, qui non ſunt de Capitulo, in Deffinitores eligantur, ad omnia acta ejuſdem dumtaxat Capituli admittantur. Prædicatores autem Generales dicimus Magiſtros in Theologia, (*b*) & qui per Priorem Provincialem, & Deffinitores Capituli Provincialis fuerint inſtituti. (*c*) Quos inſtituendi nullus Vicarius, (etiam cum Deffinitoribus) habeat poteſtatem. Dicti autem Prædicatores Generales, dicto officio non fungantur, niſi in Provincia, in qua fuerint inſtituti.

(a) *Capitulum Provinciale, poſt Capitulum Generale &c.*) Declaramus, quòd antiquitus, quando ſingulis annis celebrabatur Generale Capitulum, tunc Capitulum Provinciale celebrabatur poſt Capitulum Generale: & in illo recitabantur acta Capituli Generalis, ac pro futuro Generali Capitulo, Deffinitor eligebatur; & ſic non erat niſi unum Capitulum Provinciale inter duo Capitula Generalia. Sed poſtea in Capitulo Florentino 1374. ex authoritate Gregorii XI. ſtatutum fuit, ut Generale Capitulum de biennio in biennium, vel de triennio in triennium celebraretur: Capitula autem Provincialia eſſent biennalia: & ita inter duo Capitula Generalia debent mediare duo Provincialia Capitula. Quorũ primum poſt Generale Capitulum quanto citius fieri poteſt, celebrandum eſt; in ſecundo autem, quod erit poſt duos annos à primo, debet eligi Deffinitor Generalis Capituli: & ſcrutinium fieri, ſuper amotione, vel retentione Prioris Provincialis ad Generale Capitulum deferendum, per Deffinitorem Capituli Generalis in anno Deffinitorum, & per Socium Provincialis in anno Provincialium. Et licet tunc ſtatutum illud editum fuerit, tamen non fuit poſitum in praxi, niſi poſt annum Domini 1421.

(b) *Et qui per Priorem Provincialem, & Deffinitores Capituli Provincialis fuerint inſtituti.*) Declaramus, quòd ſine Prioris Provincialis aſſenſu, Deffinitores Capituli Provincialis non poſſunt Prædicatores Generales inſtituere: ſicut fuit declaratum in Capitulo apud Montem Peſulanum 1294. declarat. unica. Prior autem Provincialis, poteſt cum duobus Deffinitoribus præfatos Prædicatores generales inſtituere.

(c) *Quos inſtituendi nullus Vicarius, (etiam cum Deffinitoribus) habeat poteſtatem.*) Declaramus, quòd quicumque hactenus inter Deffinitores conſtitutus, ſeipſum de aſſenſu duorum, aliis diſſentientibus, Prædicatorem fecerit generalem; pro non Prædicatore habeatur. Prohibentes diſtricte, ne ſuper hoc de cætero aliquid attentetur; ac ſine conſenſu Prioris Provincialis, nullus Prædicator Generalis inſtituatur, ſicut fuit declaratum apud Londonas 1263. ordin. 3. & apud Montem Peſulanum 1265. & apud Perpinianum 1327. Item declaramus, quod Prædicatores Generales, quando inſtituendi ſunt, debent in actis Capituli Provincialis promulgari, non per litteras fieri. Et ſi qui hactenus per litteras facti ſunt, pro non factis habeantur, ſicut fuit declaratum Florentiæ 1321. Barcinonæ 1323. declar. 4. & Pampilonæ 1355.

II.

Nullus Prior Conventualis ducat ſecum plures Fratres ad Capitulum Generale, vel Provinciale, ſine cauſa legitima. Quod ſi Priorem Provincialem abeſſe contigerit, nec vices ſuas alicui commiſerit, vel ille cui commiſerit, aliquo caſu abſens fuerit: Prior illius loci, ubi Capitulum fuerit celebrandum, cum Deffinitoribus Capituli, in celebratione procedat ejuſdem. (*d*) Quilibet autem Vicarius Generalis Provinciæ (per quemcumque modum fuerit legitime inſtitutus) locum Provincialis teneat: Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & poſſit concedere litteras de beneficiis illius Provinciæ, durante Capitulo Provinciali dumtaxat. Vicarii vero particulares, ſive Nationum, ſive Conventuum, nec Fidelium dicant: nec locum ſuum mutent: niſi in Capitulo dum ibidem ſuum officium exercuerint.

III.

Prædicti igitur Deffinitores tractabunt omnia, & definient cum Priore Provinciali. Quod ſi in ſuis definitionibus in partes æquales ſe diviſerint, illorum ſententia prævalebit, in quorum parte Prior Provincialis concordaverit; alias enim ſententia plurium prævalebit. Si autem per adjunctionem, vel abſentiam Prioris Provincialis, vel ejus Vicarii, vel caſu aliquo contingente, partes fiant æquales; unus ab eiſdem de Capitulo eligatur: & in quorum partem declinaverit, illorum ſententia prævalebit. Iſti autem

qua-

quatuor Deffinitores, exceſſum Prioris Provincialis coofeſſi, vel proclamati io Capitulo Provinciali curam Fratribus audiant, & emendent, ei pœnitentiam injungentes. Si autem (quod abſit) incorrigibilis extiterit, ipſum uſqoe ad Capitulum Generale ſoſpendant ab nfficio Prioratus, aliquem idoneum loco ejus ſubſtituentes: & ejus exceſſum referant ad Capitulum Generale, ſcripto communiter ſigillato.

I V.

CApitula Provincialia deinceps fiant biennialia, ſi, & in quantum Provinciali, & Diffinitoribus in ſua Provincia videbitur expedire. Io ſingulis autem Capitulis Provincialibus, auditis culpis fiat ſecretum ſcrutinium in conſpectu omnium ſuper retentione, vel abſolutinne Prinris Provincialis; cum expreſſione nominum, & officiorum Fratrum exprimentiom vota ſua, per Deffinitores Capituli Provincialis. Et hoc ſcrutinium non publicetur, nec alicui nſtendatur; ſed ſtatim ſigillis nmnium Deffinitorum in conſpectu omnium ſigilletur, & per Deffinitorem Generalis Capituli, vel ejus ſociom, vel per ſocium Prinris Provincialis (in anoo Provincialium) ad Generale Capitulum deferatur. Et hæc eadem ſnrma ſcrutinii faciendi de Prinre Conventuali, per Snppriorem, vel ejns Vicarium, (in abſentia Supprioris) & duos antiquinres in Ordine de Conventu præſentes in Capitulo, in tractato eorum, quæ mittenda ſunt ad Capitnlum obſervetur: & ſigillo Cnnventus ſigilletur, & per ſocium Prinris, ad Provinciale Capitulnm tranſmittatur.

(d) *Qoilibet autem Vicarius Generalis Provinciæ, &c.*) Declaramus, quòd licet quilibet Vicarius Generalis Provinciæ, per quemcumque modum legitime fuerit inſtitutus, locũ Provincialis debeat tenere, *Fidelium* dicere, licentiam loquendi ſecum commedentibus, in illa Provincia dare, & etiam litteras de beneficiis concedere: Vicarii tamen Magiſtri Ordinis, vel Priorum Provincialiũ, non generales, ſed particulares, ſive Nationum ſint, ſive Conventuum, ſive miſſi ad aliquam Provinciam viſitandam; debent ubique ſuum locum tenere, niſi in Capitulo, dum officium correctionis exercuerint, ſicut fuit declaratum Londonis 1263. ordinat. 9. & apud Montem Peſulanum 1265. Nec debent ſe de viſitandis, & ordinandis Monaſteriis Ordinis, quovis modo intromittere, niſi in eorum litteris hoc ſpecialiter expreſſum fuerit, ſicut fuit declaratum Argentinæ 1307. ordinat. 3.

Item declaramus, Vicarios tam generales, quam particulares, ita ex ordine eſſe collocandos. Primus eſt Vicarius Generalis Ordinis, qui mortuo, vel amoto Magiſtro Ordinis, uoiverſæ Religionis adminiſtrationem habet. Secundus eſt Vicarius Generalis Magiſtri Ordinis, ab ipſo Magiſtro Generali inſtitutus. Tertius eſt Vicarius Generalis alicujus Provinciæ, qui ſcilicet miſſus eſt à Generali Magiſtro, ad aliquam, vel aliquas Povincias. Quartus eſt Vicarius Provinciæ, videlicet Prior Provincialis, vel præteritus ante confirmationem Provincialis noviter electi; vel novus electus ante ſui confirmationem, juxta privilegia, & conſuetudines diverſarum Provinciarum. Quintus Vicarius Provinciæ eſt, qui mortuo, vel amoto Provinciali, curam de jure gerit illius Provinciæ. Sextus Vicarius Provinciæ eſt, qui à Provinciali abſente, præficitur toti Provinciæ. Poſt hos Vicarios ſunt Vicarii Congregationum. Deinde Vicarii Nationum, ubi Provinciæ ſunt diſtinctæ per Nationes. Poſtea Vicarius, qui quandoque conſtituitur in capite ſuper Priorem, vel abſente Priore. Ultimi ſunt Vicarii locorum, ſeu Domorum.

Item declaramus, quod Vicarii Congregationum, extra ſuam Congregationem non habent locum ſuper Magiſtros: Vicarii autem locorum, in Domibus ſuis præcedunt quidem ſubditos, & debent habere ſuperiorem locum, non autem ſuper Magiſtros; ut fuit declaratum Barcinonæ 1574. declarat. 15. Ubi etiam expreſſum eſt, quod ſi contigerit ut Prior Conventualis veniat ad illam Domum, debet Vicarium ejuſdem Domus præcedere, & eo præſente *Fidelium* dicere: quod & Romæ 1589. confirmat. 9. confirmatum fuit.

V.

DIctis autem Scrutatoribus voluotatum in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, qund dictum ſcrutinium alicui per modum aliquem non revelent. (*e*) Quod ſi aliquis, vel aliqui de prædictis Scrutatoribus Prioris Conventualis impedimentum haberent, judicin majoris partis, medietate Cooventus, ad audiendum, vel videndum, ſeu ſcribendum ea, quæ in ſcrutinio depoountur, unus de Fratribus ad ipſam electionem pertinentibus, (quem, ut dictum eſt, majnr pars Conventus onminaverit,) loco illius, qui impeditus fuerit, ad recipiendum dictum ſcrutinium admittatur, & tunc ad ſervandum ipſum ſcrutinii ſecretum, ex vi præcepti teneatur, ut alii. Et hæc eadem fnrma circa ſcrutinlom Electorum Prioris Provincialis, & electionis Prioris Conventualis, in omoibus obſervetur.

V I.

ACcuſationi vero, & correctioni, profeſſi poſt triennium ab ingreſſu Ordinis potuerunt intereſſe. (*f*) Infra vero qoioquennium ab ingreſſu Ordinis, Fratres alii non admittantur ad diſcuſſionem eorum, quæ ad Capitulum Generale, vel Prnvinciale ſunt mittenda: nec ad electionem Sncii Prioris Conveotualis, nec ad electionem Electorum Prioris Provincialis. Priores cum ſuo Conventu, Capituln Provinciali ſingulis annis ſcribant debita Domus ſuæ, & cauſas etiam debitorum. Similiter etiam Provinciales, & enrum Deffinitores, ſuarum debita Provinciarum, cum ſuis cauſis Capitulo ſcribant Generali. Item nulla petitio

M 3 offe-

Digitized by Google

offeratur Capitulo Provinciali, niſi à Conventu, nec Generali, niſi à Capitulo Provinciali fuerit approbata. Nullus vero Religioſus alterius Ordinis, vel profeſſionis, nulluſque ſecularis cujuſcumque conditionis, vel dignitatis, vel vitæ; ſecretis, vel tractatibus Capituli aliquatenus admittatur. (*g*) Prior autem Provincialis, & Deffinitores, in quolibet Capitulo Provinciali determinent tempus, ante quod Fratres ad Capitulum ſequens non veniant.

(e) *Quod ſi aliquis, vel aliqui de prædictis Scrutatoribus Prioris Conventualis, impedimentum haberent.*) Declaramus, quòd ſi in ſcrutinio faciendo circa abſolutionem, vel retentionem Prioris Conventualis, vel Provincialis, vel circa electionem Electorum Prioris Provincialis, vel electionis Prioris Conventualis, vel Socii ejus, aliquis ex prædictis Scrutatoribus impedimentum habuerit, vel ſurditatis, vel cæcitatis, vel alterius infirmitatis: tunc ea occaſione ad audiendum, vel videndum, ſeu ſcribendum ea, quæ in ſcrutinio deponuntur, admittendi ſunt, non ille, vel illi, qui poſt eos, qui impedimentum habent, antiquiores ſunt; ſed ille, vel illi, quem, vel quos major pars ultra medietatem omnium Vocalium elegerit, qui tamen ſint ex eorum numero, qui pertinent ad prædictam electionem.

(f) *Infra vero quinquennium ab ingreſſu Ordinis &c.*) Declaramus, quòd quando hæc Conſtitutio fuit edita, Priores ſub pœna abſolutionis à ſuis officiis, non poterant aliquem ad Habitum Religionis, ante quintumdecimum annum recipere: ideo poſt quinquennium ab ingreſſu Ordinis habebant quatuor annos à ſua profeſſione tacita, vel expreſſa. Quamobrem ad omnem tollendam ambiguitatem, in Capitulo apud Valencenas 1337. declaratum fuit, illud quinquennium ita eſſe intelligendum; ut in ipſo ſemper quatuor anni à tempore profeſſionis computandi ſint: ita ut omnes anni tempus profeſſionis præcedentes (quod dicitur tempus Novitiatus) etiam ſi plures anni fuerint, pro uno tantum anno computentur; & poſt quatuor annos à profeſſione, & non ante, admitti debent ad prædicta omnia, ſicut etiam declaratum fuit apud Biſuntium 1353. Verùm ut ſæpius dictum eſt ſuperius, nunc requiruntur ſex anni à profeſſione, & quod ſint Sacerdotes, juxta ordinationem Romæ 1608. ordinat. 4. & Pariſiis 1611.

(g) *Prior autem Provincialis, & Deffinitores in quolibet Capitulo Provinciali determinent tempus &c.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales, vel Vicarii Generales Provinciarum, à tempore, quo Deffinitores Provinciarum iter arripuerint ad Generale Capitulum, non poſſunt Capitula Provincialia de loco ad locum, vel quoad tempus mutare; neque Priores Conventuales, vel Prædicatores Generales abſolvere; quouſque de ipſo Generali Capitulo certiores facti ſint à ſuis Deffinitoribus, vel à Sociis eorum jam reverſis: ſicut fuit declaratum Bononiæ 1280.

Item declaramus in Capitulo Pariſienſi 1611. conceſſum fuiſſe omnibus Provinciis habentibus Provinciales quadriennales, & non habentibus Capitulum intermedium (ſi tamen hæc conceſſio toti Provinciæ in primo Capitulo Provinciali congregatæ propoſita placuerit, & ab omnibus fuerit acceptata) ut poſſint convocare Congregationem ex Prioribus præcipuorum Conventuū, & Magiſtris antiquioribus, & Patribus, qui fuerunt Provinciales: in qua fieri poſſent Deffinitores ad inſtar Capituli Provincialis, & haberi ſcrutinium de retentione, vel amotione Prioris Provincialis; eligi Deffinitor Capituli Generalis, ſi in præcedenti Capitulo non fuerit electus: denique tantam habeat hæc Congregatio authoritatem, quantam haberet Capitulum intermedium formaliter convocatum.

CAPUT VIII.

De Capitulo Generali.

I.

(*a*) Capitulum Generale, una vice ultra montes, altera vice citra montes, alternatim (Avenione 1561.) de triennio in triennium celebretur: niſi Magiſtro cum Deffinitoribus, vel cum diſcretorum maturo conſilio, ex legitima, & urgentiſſima cauſa illud alibi aſſignare, aut aſſignatum transferre, vel per annum prævenire, aut etiam prorogare, neceſſarium videatur; & niſi obitus Magiſtri Generalis acciderit. Quo eveniente fiat, ſicut Capitulo quarto de Electione Magiſtri Ordinis eſt decretum. Prædicti autem triginta unius Provinciarum Deffinitores in duobus Capitulis, triginta & unus Provinciales in tertio Capitulo cum Magiſtro Ordinis omnia definient, conſtituent, & tractabunt. Quod ſi in partes æquales ſe diviſerint, illorum ſententia prævalebit, in quorum partem Magiſter Ordinis declinaverit. Si autem in partes inæquales; obtineat ſententia plurium. Si autem per adjunctionem Magiſtri partes fiant æquales, unus eligatur à Deffinitoribus, ſecundum quod in electione Deffinitorum Provincialium eſt ſtatutum. Quod ſi ad Capitulum aliquo caſu præpediti non omnes venerint, illi, quos ex ipſis venire contigerit, cum Magiſtro Ordinis omnia pertractabunt.

(a) *Capitulum Generale &c.*) Declaramus, quòd iſta Conſtitutio à principio Ordinis, ſcilicet ab anno 1220. ſic habeat: Uno anno Pariſiis, altero anno Bononiæ celebretur. Et ſervata fuit uſque ad 1244. in quo fuit ordinatum, quod etiam alibi poſſet Capitulum celebrari: celebratumque fuit Coloniæ, ac ſingulis annis celebrabatur uſque ad annum 1370 in quo celebratum eſt Capitulum Valentiæ in Provincia Aragoniæ; ubi aſſignatum fuit Capitulum Toloſæ poſt biennium celebratum, & inde Florentiæ etiam poſt biennium. Florentiæ vero authoritate Gregorii Papæ XI. in Conſtitutiones redactum eſt, & poſitum infra *Capite decimo ſeptimo de Capitulo Generali, biennali, vel triennali.* Deinde in Capitulo Romano 1553. inchoatum, & Romæ 1558. approbatum, & demum Avenione 1561. in Conſtitutionem redactum eo modo, quo ponit hic textus: & Capitulum decimumſeptimum de biennali, vel triennali Capitulo abrogatum ac deletum eſt; nec in hoc defuit authoritas Julii Papæ III. quando inchoatum eſt, prout infra ſuo loco clarius dicetur.

II.

I I.

(*b*)SI vero Magiſtrum aliqua occaſione abeſſe contigerit, unus de Deffinitoribus ejuſdem Capituli, ab ipſis Deffinitoribus, vel majori parte eorum aſſumatur in Magiſtri Ordinis Vicarium: qui durante Capitulo, vices Magiſtri gerat in omnibus dumtaxat, quæ ad tractatus, & Acta Capituli pertinebunt. Qui etiam locum Magiſtri ubique teneat, Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & poſſit concedere literas de beneficiis Ordinis, ut Magiſter; in deffinitionibus unam tantum habeat vocem. Quod ſi in ejus aſſumptione in partes æquales ſe diviſerint, unus de præſentibus Fratribus eligatur ab ipſis; & in quorum ſententiam iſte declinaverit, ille pro Vicario habeatur; cum quo Vicario, cæteri Deffinitores in deffinitione procedant. Quod ſi in ipſa deffinitione iterum in partes æquales ſe diviſerint, forma ſuperius poſita teneatur.

(b) *Si vero Magiſtrum aliqua occaſione abeſſe contigerit, unus de Deffinitoribus ejuſdem Capituli aſſumatur in Vicarium.*) Declaramus, quod ſi Capitulo Generali Magiſter Ordinis, ex quacumque cauſa intereſſe non poterit, poterunt Deffinitores unum ex ipſis in Vicarium Magiſtri Ordinis eligere: non autem aliquem extraneum ab ipſis poterunt ad illud officium aſſumere. Talis autem Vicarius poterit etiam licentiam loquendi ſecum conſedentibus tribuere.

I I I.

ISti autem Deffinitores habebunt plenariam poteſtatem ſuper exceſſu Magiſtri Ordinis corrigendo, vel de eo penitus removendo: ipſorum vero ſententia tam in his, quam in aliis inviolabiliter obſervetur; ita quod à nemine ab illorum ſententia (*c*) liceat appellare, & ſi appellatum fuerit, frivola, & nulla appellatio habeatur. Appellationem enim intra noſtrum Ordinem, ſub interminatione anathematis fieri inhibemus, (*d*) cum non venerimus contendere, ſed potius delicta corrigere.

I V.

ITem ne delicta maneant impunita, & obedientia in noſtro Ordine per appellationes frivolas infringatur: ſtatuimus, quod quicumque Frater noſtri Ordinis contra obedientiam appellare præſumpſerit in futurum; niſi ipſi appellationi infra duos menſes renunciaverit, vel etiam infra annum proſequi non inceperit, aut ab incepta proſecutione deſtiterit, vel in ipſa ſuccubuerit; adjudicatus carceri ſit ipſo facto: nec poſſit cum ipſo, niſi per Capitulum Generale, ante annos duodecim diſpenſari.

V.

APpellans autem ab abſolutione facta, vel facienda ab officiis Prioratus Provincialis, vel Conventualis, aut Vicariatus (etiam prætextu gravaminis,) ipſo facto ſit abſolutus ab illo officio. Volentes quod in iſtis ratio gravaminis tam proprii, quam communis, non habeat locum quoad appellandum. Item ad nullum Judicem extra Ordinem, niſi ad Sedem Apoſtolicam (cui immediate Ordo ſubditus eſt) aliquod membrum Ordinis, illique ſubditum, pro juſtitia recurrat; ſub pœna abſolutionis ipſo facto, ſi eſt Prælatus; & privationis vocis activæ, & paſſivæ etiam ipſo facto, quoad alios.

(c) *Liceat appellare*) Declaramus, quòd licet appellatio ſit de jure naturali, nihilominus modus, & ordo utendi hoc jure præſcribitur à lege poſitiva, ne irrepat abuſus, pro uſu rei licitæ Unde in Capitulo Carcaſſonæ 1312. ſic dicitur: Volumus, & ordinamus, quod quicumque Frater repertus fuerit judicio ejus ad quem ſpectat, ſine cauſa rationabili à quocumque ſuo Superiori appellaſſe, carcerali cuſtodiæ mancipetur. Denunciantes Fratribus univerſis, quod de jure communi, & ex ſpeciali Ordinis privilegio, nulli Fratrum licitum eſt à correctione, vel ab officiorum amotione appellare; ſicut fuit declaratum Cenomanis 1491.

(d) *Cum non venerimus contendere, ſed potius delicta corrigere.*) Declaramus, quòd Religioſi appellatio à correctore juxta ſui Ordinis diſciplinã, videlicet ſecundum Regulam, & Conſtitutiones, & approbatas conſuetudines non valet: ut habetur *in capit.* Cum ſpeciali. *extra* de Officio Ordinarii; niſi forte corrigens modum in corrigendo excedat Et propterea Bonifacius VIII. in ſuis Conſtitutionibus ſic dicit: *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus, quod prædictus Magiſter, & alii Præſidentes in dicto Ordine, ad quos id pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejuſdem Ordinis, juris ordine poſtpoſito ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti, procedere libere, & licite poſſint, & valeant. Quodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubjectis, aliquem ex Fratribus, vel aliquam ex Sororibus hujuſmodi, coram quocunque judice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacunque cauſa convenire; nec à correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Prælato, vel Fratre dicti Ordinis, quavis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere valeat: niſi prius coram Conventuali, ſeu Provinciali Priore, ſeu Magiſtro Ordinis, & ſucceſſive in Generali Capitulo dicti Ordinis cauſam, & querelam ſuam propoſuerit verbo, vel ſcripto.* Hæc autem Conſtitutio Bonifacii explicata, & ampliata fuit à ſacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatione, quemadmodum ſuperius *diſtinct.* 1. capit. 18. fol. 136 relatum eſt.

Item Julius II. conceſſit Breve Fratri Vincentio Bandello Magiſtro Ordinis, infraſcripti tenoris: *Julius Papa II. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: A fide dignis accepimus, quod nonnulli Fratres Ordinis tui, & nonnullæ Moniales Ordinis ſancti Auguſtini, ſub Habitu, & cura Fratrum tua cura ſubjectorum degentes, ut debitam correptionem, & abſolutionem a ſuis officiis ſubterfugiant; ad Cancellariam Avenionenſem,*

&

& alias curias ſeculares vel Eccleſiaſticas, à ſuis, & aliorum Prælatorum ordinationibus, & mandatis appellare non erubeſcunt. Quo circa hujuſmodi ſubterfugiis obviare quantum cum Deo poſſumus cupientes Fratribus, & Monialibus antedictis, ne appellationes hactenus interpoſitas proſequi, aut in poſterum à mandatis hujuſmodi appellare, judicibus vero quarumcunque Curiarum, ne appellationes hujuſmodi recipere, aut illas cognoſcere quoquo modo præſumant; ſub excommunicationis pœna, diſtrictius inhibemus. Irritum quoque & inane decernimus, quidquid ſecus à quocunque quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & cæteris in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque &c.

Item declaramus ſimilem Conſtitutionem editam fuiſſe Romæ 1558. contra Fratres, qui ad quodcunque tribunal, aut judicem extra ordinem recurrerint. Et Barcinonæ 1574. confirmat. 42. confirmantur, & innoventur omnes pœnæ, tum per ſacras noſtras Conſtitutiones, tum per acta Capitulorum Generalium inflictæ, contra appellantes ad quodcunque ſeculare tribunal.

VI.

DEffinitores itaque prædicti, poſtquam fuerint accuſati, quando eis videbitur expedire, exceſſum Magiſtri Ordinis ſeorſim corrigant, & emendent. Qui coram ipſis humiliter ſe proſternens veniam faciat, & ſtans de ſuis exceſſibus ſe accuſet, & Deffinitores audiant accuſantem. Auditis vero accuſationibus, ſecedat, & eo abſente Deffinitores de ejus correctione conferant, & diſponant. (*e*) Quod ſi prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, aut adeo negligens, & remiſſus, quod Ordinis diſſolutionem, & deſtructionem inducat: moneatur à Deffinitoribus, ut Magiſtratui cedat, & aliquem locum ad manendum ſibi eligat; ut poſſit honeſte converſari. Alioquin amovendi eum ab officio Magiſtratus, liberam habeant facultatem.

VII.

CEſſio autem Magiſtri à Deffinitoribus non admittatur, niſi propter aliquod prædictorum; aut defectum, aut impotentiam, quæ ipſum ab executione officii Magiſterii perpetuo impediret. Perpetuum autem dicimus, quod Deffinitores de prudentum conſilio perpetuum judicabunt. Magiſter vero Ordinis cedens, vel amotus, poſt Magiſtrum Ordinis in Deffinitoriis Capitulorum Generalium, & Provincialium, & in abſentia Magiſtri poſt Provincialem, in cujus Provincia fuerit; & in abſentia Prioris Provincialis, poſt principalem Prælatum, primam vocem, primumque locum ubique, & in omnibus obtinebit.

(e) *Quod ſi prævaricator Ordinis fuerit, & contemptor.*) Declaramus, quod Deffinitores Capituli Generalis, non habent poteſtatem removendi Magiſtrum à ſuo officio, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus: videlicet ſi fuerit contemptor, hoc eſt ſi ita ſpernit, & nihil curat de Regula, & Conſtitutionibus, ut pro nihilo reputet tranſgredi illas, & ejus voluntas renuat ſubjici Regulæ, & Conſtitutionibus; immò nulla ſubſiſtente cauſa eas continue tranſgreditur, & habet firmum propoſitum in hujuſmodi tranſgreſſione perſeverandi. Vel ſi fuerit prævaricator, hoc eſt, ſi frequenter, & quaſi ex habitu Regulam, & Conſtitutiones tranſgrediatur: nam prævaricator dicitur ille, qui præ aliis pluſquam debeat legem tranſgreditur. Similiter ſi ſit adeo negligens, & remiſſus, ut Ordinis diſſolutionem, & deſtructionem inducat; quando videlicet non hortatur Fratres verbis, litteris, ordinationibus, & exemplis, ad honeſtè, religioſeque vivendum. Si defectus non corrigeret, & nullo modo puniret: ſi nunquam celebraret, & neque ad Chorum, neque ad Refectorium accederet. Si autem nihil horum haberet, quamvis quandoque Conſtitutiones tranſgrederetur, (non tamen ex contemptu, neque pluſquam alii) eſſetque aliquantulum negligens circa Divina, & ea quæ ad communitatem pertinent; non poſſet ab ipſis Deffinitoribus deponi.

VIII.

DEffinitores autem Capituli Generalis, Dominica infra Octavas Aſcenſionis Domini, vel Sabbato præcedenti, locum Capituli intrare teneantur, & ex tunc in Choro, & alibi ordinate ſua loca teneant; quouſque tempus ſuæ diffinitionis expiret. (*f*) Provinciales quoque abſoluti, loca in Provinciis, in quibus præfuerunt, ſuper omnes alios ubique habebunt: (Romæ 1558.) & ſimiliter vocem in omnibus electionibus Provincialium, & Deffinitorum, & electorum Magiſtri Ordinis; dummodo Magiſtri in ſacra Theologia, non Magiſtris ex hoc minime poſtponantur, nec actualium Præſidentium locis minime derogetur. (*g*) Magiſtris vero in ſacra Theologia, immediate poſt Priorem, in cujus Conventu fuerint, locum damus. (*h*) Baccalaureis, qui legitime incorporati in Univerſitate ſententias ſolemniter legerint, aut legunt, poſt Suppriorem ubique in toto Ordine locum damus.

(f) *Provinciales quoque abſoluti, loca in Provinciis, in quibus præfuerunt ſupra omnes alios ubique habebunt.*) Declaramus, quod Priores Provinciales, ſi ſint Magiſtri ſacræ Theologiæ, poſtquam fuerint abſoluti, habebunt locum ſuper omnes Fratres Magiſtros, & Priores illius Provinciæ, infra tamen Priorem illius Conventus in quo ſe repererint. Si vero non fuerint Magiſtri, habebunt locum immediatè poſt Magiſtros, ſupra tamen omnes Fratres, & Priores non Magiſtros: & hoc in Provincia cui præfuerunt, non autem in alia Provincia. Hoc autem de illis Magiſtris Provincialibus intelligendum eſt, qui antequam eligerentur in Provinciales, erant Magiſtri Provinciæ. Sed ſi peracto eorum Provincialatu, vel in Provincialatu promoveantur ad Magiſterium, locum non habebunt ratione Provincialatus, ſuper omnes alios Magiſtros,

qui,

qui non fuerunt Provinciales; ſicut fuit declaratum Neapoli 1600. declarat. 7 & confirmatum Romæ 1601. declarat. ubi etiam dictum fuit, ſic eſſe intelligendam hanc Conſtitutionem Item in Capitulo Romano 1553. declarat. 6. ſic dicitur: Declaramus, conformiter ad ea, quæ jam à duobus Reverendiſſ. Magiſtris Ordinis declarata ſunt: ſi in aliqua Provincia contingat, inferiorem Magiſtrum prius fieri Provincialem, & poſtea antiquiorem, debere utrumque completo Provincialatu tenere locum inter ſe ſecundùm ordinem Magiſterii eorum. Similiter ſi duo non Magiſtri Provinciales fiant, inter ſe locum ſuæ profeſſionis tenebunt poſt Provincialatum, etiam ſi junior ante antiquiorem Provincialis fuerit.

(g) *Magiſtris verò in ſacra Theologia &c. locum damus.* Declaramus, quòd Magiſtri in Theologia ubique tam in Conventibus, quam in Capitulis, locum habent ſuper omnes Fratres, & Priores Conventuales non Magiſtros: infra tamen Priorem, dumtaxat illius Conventus in quo reperiuntur. Priores vero Conventuales ſi non ſint Magiſtri in Theologia, ubique teneant loca ſua, ſecundùm antiquitatem Conventuum quibus præſunt; infra Priorem illius Conventus in quo ſe repererint, & infra Magiſtros in Theologia.

Item circa locum, & vocem Magiſtrorum, Romæ 1542. ſic declaratur: quod graduati aliter quam per viam Ordinis, aut per Breve, aut per ſaltum, non habeant locum quouſque approbentur per Capit. Generale, & ex tunc ratio ſui loci incipiat: quod fuit etiam confirmatum Romæ 1546. confirm. 7. & Salmant. 1551. confirmat. 3. Et Romæ 1589. declaratur, quod Magiſtri, qui primo fuerint laureati via juridica, & ſine dolo in Ordine noſtro præcedant Priores profeſſos, laureatus tamen poſtea; ita quod non habeatur reſpectus ad profeſſionem; ſed ad coronam primo juridice acceptam. Bonon. etiam 1564. declaratur, quod Magiſtri in Theol. qui in eodem Capitulo acceptati fuerint, aut approbati, inter ſe locum obtineant ſecundùm antiquitatem, quam in Ordine habuerint, quod fuit confirmatum Romæ 1589. declarat 10. & 1608. In quorum ultimo ſic habetur: Declaramus juxta declarationem 10. factam in Cap Rom. 1589. quod Magiſtris in Theol. qui ſtatim in ſua Provincia gaudere ſolent loco, & voce, & aliis privilegiis Magiſterii: quamprimum promoventur, antequam etiam acceptentur à ſua Provincia; computanda eſt eis antiquitas loci, & Magiſterii, tam in ſua Provincia, quam in toto Ordine, à die promotionis eorum. Magiſtris verò qui in ſua Provincia non gaudent loco, & voce, & aliis privilegiis Magiſterii, antequam acceptentur à Provincia; (ubi uſus eſt acceptandi Magiſtros ex privilegio Apoſt. ſpeciali) etiamſi ante fuerint promoti, non eſt computanda in ſua Provincia antiquitas loci, & Magiſterii eorum, niſi à die acceptationis in ſua Provincia: in aliis verò Provinciis computabitur ipſis à die promotionis eorum Nec in ordine loci Magiſtrorum, attendenda eſt antiquitas profeſſionis, vel Habitus; ſed promotionis, vel acceptationis reſpectivè, uti dictum eſt, quomodocumque gradum Magiſterii cum voce, & loco in Provincia ſua obtinuerint: Sive per acceptationem, ſive per promotionem ad Regentatum in ſtudio Generali Provinciæ. Sic tamen, ut qui ſimul promoti, vel ſimul acceptati fuerint, habeant locum ſecundùm antiquitatem ſuæ profeſſionis. Idem prorſus ſervari volumus in Baccalaureis, ſive Præſentatis.

Item in Capitulo Pariſien. 1611. ſic habetur. Confirmamus, id quod in declaratione 3. Generalis Cap. Romæ 1608. circa præcedentiam Magiſtrorum habetur: videlicet quòd Magiſtris in Theologia qui ſtatim in ſua Provincia gaudere ſolent voce, & loco, & aliis privilegiis Magiſterii; cùm primum promoventur, antequam etiam à ſua Provincia acceptentur; computanda eſt antiquitas ubique à die promotionis eorum. Declarantes prædicta verba (à die promotionis eorum) ita intelligi debere: id eſt à die, quo ſubſcriptæ ſunt litteræ patentes à Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, vel à die quo Reverendiſſimus ſua manu aliquem gradu Magiſterii ſolemniter decoravit; ſi litteræ patentes ejuſdem Magiſterii non fuerint ante expeditæ. Si autem in eodem Capitulo ſint promoti, aut extra Capitulum eodem die ſubſcriptæ litteræ patentes, tunc locum inter ſe teneant ſecundùm antiquitatem profeſſionis.

Item declaramus, quòd ſi Priores ſint Magiſtri, ſua loca teneant inter ſe juxta Magiſterii rationem. Cæteri vero Fratres loca tenebunt ſecundum antiquitatem ſuæ profeſſionis: ita ut illi, qui poſt ſuam profeſſionem Habitum Ordinis diutiùs portaverunt, eos, qui non tanto tempore poſt profeſſionem Habitum prædictum portaverunt præcedere debeant. Declarantes, quod nullus Frater noſtri Ordinis, Magiſter in Theologia exiſtens omiſſo nomine Fratris, pronunctietur Magiſter, dicendo, *Magiſter talis*, ſed ſemper dictio *Frater*, præferatur nomini, & cognomini: & ſubſequi poterit in nominatione hæc dictio *Magiſter* dicendo, Fr Antonius de Florentia, Magiſter: ſicut fuit declaratum Florentiæ 1321. & Toloſæ 1371.

(h) *Baccalaureis, qui legitime incorporati &c.)* Declaramus, juxta ea quæ in Cap. Romano 1520. & 1532. declarat. 4. declarata ſunt: quod nullus Baccalaureus ordinarius incorporatus locum Baccalaurei teneat; niſi actu legat Sententias, vel Bibliam, vel legerit in aliquo Studio ordinario, in quo per annum ſolemniter lecturam fecerit. In Cap etiam Romano 1542 dicitur: Confirmamus quod Inquiſitores non Magiſtri, teneant primum locum poſt Suppriorem, & Baccalaureos in Conventibus.

Poſtea tamen ex S Congregationis decreto, ſupra Suppriores illum obtinuere. Immo ex nova ejuſdem Sac. Congregationis conceſſione, illum ſuper omnes Magiſtros: immediate autem ſub Prioribus Conventuum, in quibus reſident, intra ſuam juriſdictionem conſequuntur.

IX.

ITem in virtute Spiritus S. & ſanctæ obedientiæ, percipimus firmiter obſervari: ne quis cauſam depoſitionis Magiſtri, vel Prioris Provincialis, vel eorum exceſſum, vel correctionem, (*i*) vel ſecretum Capituli, ſeu diſſentiones Deffinitorum, vel Fratrum, unde Ordo noſter poſſit turbari, vel infamari, audeat ſcienter extraneis publicare. Si quis autem ex deliberatione contra fecerit, tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus, & deſtructor noſtri Ordinis habeatur: & (quouſque ſatisfecerit) à communione omnium ſit penitus alienus; & pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjacebit. Eadem diſtrictione præcipimus, (*k*) ne quis verbo, vel facto ad diviſionem noſtri Ordinis audeat laborare: quod ſi fecerit, pœnæ ſubjaceat ſupradictæ.

(i) *Vel ſecretum Capituli.*) Declaramus, quod ſecreta Capitulorum Generalium, & Provincialium revelare, nos intelligimus perſonis extraneis: ex quorum revelatione Ordo noſter, vel perſonæ Ordinis lædi poſſent, vel infamari.

Unde in Capitulo Bononienſi 1235. admonit. 4. & Placentino 1310. admonit 9. & apud Carcaſſonam 1312. ordinat. 8. ſic fuit ordinatum: Cùm ex revelatione criminum viſorum, vel auditorum, indebita, & incauta ſequatur Fratrum infamia, contra ordinem charitatis, & nihilominus de tali revelatione multiplex ſcandali, & turbationis materia miniſtretur: volumus, ac diſtrictè injungimus; ut quicumque viſum, vel auditum de Ordine, vel de Fratribus Ordinis, exprimendo [illegible]tris perſonam, vel nomen, ſcienter & ex propoſito cuicumque perſonæ alias neſcienti revelaverit, ad quam prædictorum correptio non pertinet, vel quæ non creditur probabiliter in illo caſu poſſe prodeſſe; per Priorem Provincialem, vel ejus Vicarium, vel per Provinciale Capitulum (poſtquam legitime conſtiterit pœna criminoſo debita de Deffinitorum conſilio puniatur, ſi tamen alias de talibus ſit notatus.

(k) *Ne quis verbo, vel facto, ad diviſionem noſtri Ordinis audeat laborare.*) Declaramus, quòd ille dicitur ad diviſionem Ordinis laborare, qui verbo, vel facto per perſonas extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutas, mutationem quærit generalis ſtatus noſtri Ordinis, & Conventus ab Obedientia Magiſtri Ordinis ſubtrahere: cum unitas Ordinis ex unitate unius profeſſionis dependeat; qua ex ſolemni voto tenentur omnes Fratres uni Generali Magiſtro in his, quæ ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſunt obedire. Quapropter in Capitulo apud Ferrariam 1290 dicitur: Volumus, ordinamus, ac mandamus, ne quis verbo, vel facto ad diviſionem Ordinis noſtri audeat laborare, vel ad abſolutionem cujuſcumque Prælati, vel etiam mutationes generalis ſtatus noſtri Ordinis, verbo, vel ſcripto, vel quocumque alio modo directe, vel indirecte, mediate, vel immediate, per perſonas extra ejuſdem Ordinis obedientiam conſtitutas præſumat procurare. Quicumque vero ſcienter contra hoc fecerit, ipſum ex nunc prout ex tunc omni voce, præterquam in ſui accuſatione; omni gradu, Prælatura, Doctoratu, aliiſque omnibus gratiis Ordinis privamus: nec ei poſſint reſtitui, niſi à Magiſtro Ordinis, vel Deffinitoribus Capituli Generalis; & nihilominus pœnam ſubeat culpæ debitam graviori.

Item declaramus, quod Provinciæ, vel Conventus, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus ſatisfacere teneantur, pro impenſis factis cauſa impugnandi appellationes malignorumque turbationes, & reſecandis ſeditionibus, & ſcandalis perverſorum Fratrum, propter Ordinis tuitionem, & juſtitiam, & famam defendendam: ſicut fuit declaratum Toloſæ 1372. Item Romæ 1583. ordinat 5. ſic dicitur: Ordinamus de communi totius Ordinis conſenſu: & prohibemus, quod nullus procuret Ordinis diviſionem, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac aliis pœnis gravioris culpæ: à quibus non poſſit abſolvi, niſi à Magiſtro Ordinis. Mandamus quoque ſub eadem pœna, quod nullus procuret inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum. Quam ordinationem valere volumus, quaſi haberet tria Capitula. Quod idem Romæ 1589. confirmat. 7. Venetiis 1592. confirmat. 3. & iterum Romæ 1601. & Pariſiis 1611. his verbis confirmatur. confirmamus ordinationem, in quam: plurimis Capitulis Generalibus repetitam, quod nullus ſub pœnis in Capitulo *de Graviori culpa* contentis, ac etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac una pro trina Canonica monitione præmiſſa (cujus abſolutio Magiſtro Ordinis reſervatur) directe, vel indirecte diviſionem Ordinis, aut inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum, quovis prætextu audeat, vel præſumat procurare. Quam ordinationem ſub eiſdem pœnis volumus obſervari.

X.

STatuimus; ut ſi in anno Deffinitionis Priorum Provincialium, electio Magiſtri celebretur, illo anno (*l*) unus de Fratribus Electoribus de qualibet Provincia, qui in Provinciali Capitulo ad hoc electus fuerit, ad deffinitionem cum eis pariter admittatur. Quod ſi ad Capitulum non venerit, tunc ad deffinitionem Elector alius admittatur. Si vero in anno Deffinitorum Priores Provinciales conveniant, utrorumque deffinitio ſit communis.

XI.

STatuimus autem, & in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub Interminatione anathematis prohibemus diſtrictè; ne Priores Provinciales Fratribus, vel Deffinitoribus, vel Fratres Deffinitores Prioribus Provincialibus, per ſuas Deffinitiones, (*m*) præjudicium aliquod audeant generare. Quod ſi facere attentaverint, eadem diſtrictione prohibemus, ne in hoc aliquis præſumat eis obedire. Priori vero Provinciali eunti ad Capitulum Generale, detur Socius à Deffinitoribus Capit. Provincialis (Romæ 1558.) Qui (ſi Priorem Provincialem impediri contigerit, quòd ad Capitulum Generale in anno Provincialium non accedat) loco ipſius cum Prioribus Provincialibus admittatur ad omnia tractanda, & deffinienda.

XII.

STatuimus inſuper, quòd omnes Priores Conventuales cum Sociis ſuis, & Prædicatores Generales illius Provinciæ, in qua Generale Capitulum celebratur, illo anno veniant ad Capitulum Generale: nec eodem anno in illa Provincia ad celebrandum aliud Capitulum Provinciale teneantur; & quòd idem faciant Provinciæ propinquæ. (*n*) Licentiandi, & mandandi Magiſter Ordinis liberam habeat facultatem.

(l) *Unus de Fratribus Electoribus*) Declaramus, quòd quando electio Magiſtri Ordinis in anno Provincialium celebranda eſt, tunc unus ex duobus Electoribus, qui in Provinciali Capitulo ad hoc electus fuerit, in deffinitionem una cum eis debet admitti. In anno vero Deffinitorum, Priores Provinciales cum eis deffiniem; & quilibet Deffinitor, cum alio Electore ad electionem Magiſtri Ordinis pariter admittetur. Et intelliguntur prædicta, quando mors, vel

vel amotio Magiſtri Ordinis nunciata fuerit ante Provincialis Capituli celebrationem: quia ſi poſt Capitulum Provinciale nunciata fuiſſet, tunc, & in eo caſu, in anno Deffinitorum, Generalis Capituli Deffinitor, & ejus Socius ad electionem Magiſtri Ordinis erunt admittendi. In Anno vero Provincialium, duo ex Deffinitoribus Provincialis Capituli immediate præcedentis, antiquiores in Ordine, ad electionem ejuſdem Magiſtri admittentur; quorum antiquior in Ordine erit illo anno Generalis Capituli Deffinitor.

(m) *Præjudicium aliquod audeant generare.*) Declaramus, quòd tunc ſolum Definitores Prioribus Provincialibus, & Priores Provinciales Deffinitoribus per ſuas deffinitiones præjudicium generarent: ſi in ſuis deffinitionibus ſtatuerent aliquid, per quod Provincialium authoritas, vel tolleretur, vel minueretur, vel etiam limitaretur, & è contrario. Hoc autem fieri non poteſt, nec per tria Capitula, nec per unum Generaliſſimum; ſed ſolum authoritate Papæ. Non autem præjudicium aliquod generatur, ſi quod ordinatum, vel ſtatutum in uno, vel pluribus Capitulis per Priores Provinciales, poſtea in alio, vel aliis Capitulis per Deffinitores ex cauſa rationabili revocetur: & è contrario, ſicut quotidie fieri conſuevit.

(n) *Licentiandi, & mandandi Magiſter Ordinis liberam habeat facultatem.*) Declaramus, quòd illo anno, quo Generale Capitulum in aliqua Provincia celebratur, debent vocales illius Provinciæ ad Generale Capitulum venire, & ibi ſitum Provinciale Capitulum celebrare. Atque idem facere debent propinquæ Provinciæ, quæ illo eodem anno aliud celebrare Capitulum non tenentur. Magiſter tamen Ordinis liberam habebit poteſtatem mandandi eiſdem Provinciis, ut ad Capitulum accedant: & etiam concedendi, ut poſſint ad idem Capitulum non venire, atque alibi ſitum Provinciale Capitulum celebrare.

CAPUT IX.

De ſolemni celebratione Capituli.

I.

(*a*) CApitulum Generale (quantùm ad authoritatem Deffinitorum) incipiat celebrari in Vigilia Pentecoſtes. Cùm autem in ſecunda Feria poſt Pentecoſtem, vel in ipſo eodem Feſto, Fratres in Capitulum venerint; primo omnium devotè invocetur Spiritus Sanctus, à quo filii Dei aguntur, & dicatur ℣. Emitte ſpiritum tuum, &c. cum Collecta de Spiritu Sancto. Deindè reſidentibus Fratribus, & loca ſua tenentibus omnibus (ut verbo Dei cœli firmentur) Verbum Dei in communi fiat. Sermoni autem intereſſe poterunt, qui ad ædificationem intereſſe voluerint.

II.

FInito ſermone, quia indigentibus quantocyus ſubveniendum eſt, obitus Fratrum poſt præcedens Capitulum Defunctorum in communi recitentur, & fiat eis communis abſolutio: & dicatur pro eis Pſalmus De profundis, & Kyrie eleiſon. Pater noſter. Cum ℣. A porta inferi, &c. cum Oratione Abſolve &c. Poſtmodum, ſi litteræ legendæ ſunt legantur; & eis ſuo tempore cum conſilio reſpondeatur. Perlectis autem litteris, & facta recommendatione Virorum, dicatur Pſalmus: Ad te levavi &c. Kyrie eleiſon. Pater noſter cum ℣. Salvos fac ſervos &c. cum Oratione, Prætende &c. & tunc omnes, qui non ſunt de Capitulo, egrediantur. Quibus egreſſis, qui miſſi ſunt ad excuſandum eos, qui non adſunt, ad quid venerint loquantur; deinde culpæ audiantur.

III.

(*b*) SI qui verò ſine licentia ad Capitulum Generale, vel Provinciale venerint, primo culpæ eorum audiantur, & recepta pœnitentia à Capitulo excludantur. Ut autem modus in eundo ſervetur, nullus exeat ſine licentia, & neceſſitate. Egreſſus autem non diſcurrat; ſed expleta neceſſitate, citiùs revertatur. Qui autem in præſenti anno viſitare debuerant, & non ſicut oportuit fecerunt; culpam ſuam dicant, & dignæ vindictæ ſubjaceant. Tunc etiam abſentibus, qui adeſſe debuerant, & his qui peccaverunt, & non ſatisfecerunt, pœnitentia ſcripta mittatur.

(a) *Capitulum Generale.*) Declaramus, quod licet Generale Capitulum quantùm ad authoritatem Deffinitorum incipiat in Vigilia Pentecoſtes celebrari, tamen quoad ſolemnitatem celebrationis Feria ſecunda poſt Feſtum Pentecoſtes habeat initium: quia tunc Capitulum dicitur habere Magiſtrum antiquum, vel novum, præſentem, vel abſentem, ne acephalum judicetur. Tunc etiam Fratres locum intrent Capituli, & Spiritus Sancti gratia invocetur: & tunc oretur pro vivis, & defunctis, & verbum Dei per unius ſermonem omnibus explicetur.

(b) *Si qui verò ſine licentia ad Capitulum Generale &c.*) Declaramus, quod Fratres ſine ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis Capitulum Generale, vel Provinciale adire non poſſunt. Et ſolus Magiſter, & Provincialis ejus Provinciæ in qua Generale Capitulum celebraretur, licentiam ad idem Capitulum veniendi poſſunt concedere; videlicet Fratribus ſuæ Provinciæ. Qui autem venerint ſine licentia, graviter puniri debent: ſicut fuit declaratum apud Treverim 1289. ordinat. 2. & apud Toloſam 1304. & 1504. ordinat. ultima.

IV.

COnventus autem, qui mittit accuſationes ad Capitulum Generale, vel Provinciale, (*c*) ſcribat numerum, & nomina accuſantium; & ſi accuſant de viſu; vel auditu. (*d*) Accuſatio autem unius tantum ad Capitulum Generale, vel Provinciale non mittatur: & tractatus eorum,

rum*, quæ mittenda ſunt ad Capitulum, ultra unam diem non prolongetur. Qui autem habent facere proprias quæſtiones, vel communes ad Ordinem, vel prædicationem pertinentes; proponant Frarribus à Magiſtro, & Deffinitoribus ad hoc ſtatutis, ot pro loco, & tempore ſolvantur, & terminentur.

(c) *Scribat numerum, & nomina accuſantium.*) Declaramus, quòd illi, qui accuſationes mittunt ad Generale, vel Provinciale Capitulum, debent modum exprimere, quo ſciunt crimen illud fuiſſe commiſſum; utrum ſcilicet ex viſu, vel ex auditu Et ſi ex auditu, utrum per aliquem qui illud viderit, ſciant: ſicut fuit ordinatum Lugduni 1274. Et nullus debet aliquem accuſare de re crimiroſa, quam audivit, niſi probare poſſit: non ſolum ſe illam audiviſſe, ſed etiam veram eſſe; ſicut fuit ordinatum Toloſæ 1258.

Item declaramus, quod quando contra Fratrem habentur ſecularium teſtimonia, talis Frater arctari poteſt ad dicendam veritatem, & ad quæſtiones poni potiſſimum quando ipſe laborat infamia, non tamen poteſt per ſententiam condemnari, niſi convictus, aut judicialiter confeſſus ſit, ſicut fuit declaratum Toloſæ 1304. Similiter ſi accuſatur à pluribus non conteſtibus, ab uno quidem de uno actu, ab alio vero de alio actu ejuſdem ſpeciei; talis non eſt convictus, neque ſententialiter condemnari poteſt, ſed bene ad quæſtiones poni, ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327. & Ferrariæ 1362.

(d) *Accuſatio autem unius tantum &c.*) Declaramus, quòd ideo accuſatio unius non videtur eſſe mittenda ad Capitulum Generale, quia ea adeo nulla cenſetur eſſe, ut ex ea ſola ad ſententiam aliquam procedi non poſſit: niſi præter accuſatorem, vel proponentem, duo ſaltem idonei teſtes ſcilicet conteſtes advocentur, ſicut fuit declaratum Biſuntii 1353.

Item declaramus, quod ſi quis Frater de aliquo occulto crimine accuſetur, quod juridice probari non poteſt, vel quod neſcitur, niſi ab accuſato, & accuſatore, non propterea Prælatus accuſato præcipere poterit, ut coram accuſante, vel coram aliis, ſive in Capitulo, ſive extra Capitulum, vel ſeorſim ſibi ſoli dicat veritatem: & ſi præcipiat, graviter peccat, quia ſibi eam, quam non habet authoritatem uſurpat, non enim eſt judex occultorum; quia occulta Divino judicio relinquuntur; manifeſta autem humano. Et in tali caſu accuſatus non tenetur dicere veritatem, nec ſeipſum infamare, nec prodere. Si tamen præter accuſantem infamia contra accuſatum urgeret, poſſet Prælatus ei præcipere, & illum ad quæſtionem ponere; atque ipſe tenetur veritatem dicere, de eo tamen ſolo crimine, cujus ipſe laborat infamia.

Item declaramus, quod ſi accuſator deficit à probatione illius criminis, de quo aliquem accuſavit; eadem pœna puniri debet, qua puniendus fuiſſet accuſatus ab accuſatore convictus, ſicut fuit ordinatum Valliſoleti 1605. confirmat. 34. prout jam ſuperius pag. 59. dictum eſt.

Item declaramus, quod ſi aliqua ſint alicui commiſſa ſub ſecreto, ex quorum retentione imminet periculum ſcandali, vel ruinæ, vel grave præjudicium alicujus, vel magnum damnum communitatis, cui poteſt obviari per revelationem ſecreti, Prælato præcipienti in genere: tenetur ſubditus tale ſecretum revelare; quia ſicut juramentum non eſt vinculum iniquitatis; ſic ſecretum commiſſum, vel promiſſum, non debet eſſe vinculum, aut velamen ſcandali, ruinæ, & maximi damni proximi, vel communitatis. Non tamen tenetur de illo crimine ſibi ſub ſecreto commiſſo illum accuſare, niſi poſſit hoc ſufficienter probare, quod pertinet ad officium accuſatoris: quia nullus tenetur ad id, quod nequit perficere. Negotium autem accuſationis non perficitur, niſi accuſatus legitime puniatur. Non autem punitur legitime, niſi in judicio fuerit legitima probatione convictus, vel confeſſus. Si autem ex obſervatione ſecreti non imminet ſcandalum, vel periculum aliquod prædictorum; niſi præceſſerit infamia, non poteſt Prælatus præcipere, nec ſubditus tenetur tale ſecretum Prælato præcipienti revelarè. Unde in Capitulo Generali Pariſiis 1279. ordinat. 5. ſic fuit ordinatum: Quia ſic ſub ſecreti pallio plerumque vitia occultantur, & per conſequens correctio enervatur: monemus, & diſtrictè omnibus Fratribus injungimus, quod nullus eorum ſuſcipiat aliquid ſub ſecreto, quod ſit impedimentum correctionis, ſeu quod quovis modo vergat in præjudicium, vel periculum Ordinis, ſeu perſonæ particularis.

V.

SI quæ vero diſſenſio inter Fratres noſtri Ordinis (quod abſit) emerſerit de libris, vel de aliis: cum præponenda ſint ſpiritualia temporalibus, non inde agatur in Capitulo; ſed dicti Fratres extra Capitulum diſcuſſa veritate diſſenſionem dirimant, & inter Fratres pacem reſtituant. De ſolutione autem, & terminatione quæſtionum, de correctione Fratrum, de modo pœnitentiarum, & de Prædicatoribus ad prædicandum, & ſtudendum mittendis Prælatus major cum aliis qui ad hoc ſtatuti ſunt, tractabunt. (e) Et quidquid inde Spiritu Sancto dictante ordinaverit Capitulum; univerſaliter, unanimiter, ac devote ſuſcipiant: nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat. In fine fiat communis confeſſio, & abſolutio, & perſeverantibus benedictio. Et hæc eadem forma in Capitulo Provinciali ſimiliter obſervetur.

VI.

(f) POrro Magiſter Ordinis, aut Priores Provinciales non mutent Acta Capituli Provincialis, aut Generalis; niſi forte in ſpeciali ex cauſa neceſſaria, & utili. Item Generale ſtatutum Ordinis, vel conſuetudinem diu* obtentam, & communiter approbatam in Ordine, nec Magiſter Ordinis, nec Priores Provinciales aliquatenus audeant immutare; niſi per tria Capitula fuerit approbatum. Ea vero, quæ de Capitulo Generali dicta ſunt, in Vigilia Pentecoſtes debent inchoari.

VII.

CApitulum autem Generale ultra Sabbatum infra Octavam Pentecoſtes non prolongetur: niſi ex cauſa rationabili Magiſtro, & Deffinitoribus videatur: quod

per

per unum diem, vel duos ad plus debeat prolongari. (*g*) Capitula etiam Provincialia eodem modo infra taxatum numerum dierum terminentur. Neceſſitate vero urgente, Magiſter Ordinis, vel ejus Viceſgerens, cum aſſenſu Prioris Provincialis, in cujus Provincia Capitulum Generale celebrandum fuerit, de conſilio diſcretorum ad alium Conventum ejuſdem Provinciæ poſſit illud transferre. Quod ſi in eadem Provincia commode celebrari non valeat, eodem anno Magiſter Ordinis, vel ejus Viceſgerens, ipſo mortuo, vel amoto, dictum Capitulum ad aliam Provinciam mutare poterit, ſi expediens judicaverit de Fratrum conſilio Diſcretorum.

(e) *Et quidquid inde, Spiritu Sancto dictante ordinaverit Capitulum: univerſaliter, unanimiter, & devote ſuſcipiant.*) Declaramus, quòd in Capitulo Romano 1589. declarat. 12. ſic fuit ordinatum: Conformiter ad ea quæ in pluribus Capitulis Generalibus ſancita fuerunt, non eſſe in poteſtate alicujus Provinciæ prætextu cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis, Generalium Capitulorum ſtatuta, vel acta non acceptare: ſed Provincias omnes, & ſingulas, decretis, & ordinatis factis in ejuſdem Capitulis, ita eſſe ſubjectas; ut unaquæque illarum eadem acta in Conventibus ſingulis publicare, acceptare atque inviolabiliter obſervare teneatur, utpote quæ pro communi Fratrum, Conventuum, Provinciarumque bono facta ſunt. Et quatenus opus eſſet, authoritate Apoſtolica conſuetudinem quamcunque aut privilegium quomodolibet prætenſum, aut in contrarium exiſtens revocamus, & annullamus: & hoc confirmatum fuit in ſubſequentibus Capitulis, Pariſiis 1611. admonit. 2. Ulyſſiponæ 1618. admonit. ultima, & Mediolani 1622. admonit 5.

(f) *Porro Magiſter, aut Priores Provinciales non mutent Acta Capituli.*) Declaramus, quòd Magiſter Ordinis quamprimum electus fuerit, ſtatim plene, & libere curam gerit animarum Fratrum totius Ordinis; eoſque propria authoritate ligare, & abſolvere poteſt: nec non in ipſo Ordine ea agere valet, quæ ipſe, & Deffinitores Generalis Capituli juxta Ordinis Conſtitutiones, & ſecundùm Deum Fratribus, & Religioni viderint expedire; ac Fratres omnes in iis, quæ ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſunt, tenentur ei devote, atque humiliter obedire, ſicut habetur in *Mari magno*. Et quamvis ordinationes, atque Acta Capitulorum non debeat mutare, illa tamen quoad aliqua in particulari ex utili, vel neceſſaria cauſa limitare vel tollere poteſt. Similiter quamvis Generale ſtatutum Ordinis, vel conſuetudinem diù retentam, & communiter in Ordine approbatam non poſſit auferre; poteſt tamen ex rationabili, utili, vel neceſſaria cauſa in prædictis omnibus diſpenſare.

Item ex commiſſione, quæ à Deffinitorio Provincialis Capituli conceditur Priori Provinciali, ut poſſit facere omnia, quæ poſſet & ipſum Deffinitorium; Prior Provincialis non poteſt Fratrem aliquem abſolvere à pœnis gravioris culpæ, & ab aliis pœnis, quæ alias Provinciali ex vi Conſtitutionum non conceduntur; ſicut fuit declaratum in Capitulo Romano 1518. declarat. 3.

(g) *Capitula etiam Provincialia eodem modo infra taxatum numerum dierum terminentur.*) Declaramus juxta Bononienſis Capituli 1564. declarationem, quòd Deffinitores Capituli Provincialis ſuam authoritatem ultra duos alios dies prorogare non poſſunt: ac propterea à die electionis eorum, uſque ad diem quo eorundem expirat authoritas, nunquam ſunt niſi decem dies; cum in Conſtitutionibus noſtris hic dierum numerus Generalis Capituli Deffinitoribus aſſignetur, & habeatur ibidem, quod Capitula Provincialia infra prætaxatum dierum numerum terminentur.

CAPUT X.

De Capitulo Generaliſſimo.

I.

CApitulum Generaliſſimum non convocetur niſi quando major pars Provinciarum petierit; vel Magiſtro cum media parte Provinciarum viſum fuerit expedire. Provinciæ vero, quæ petunt, ſcribant cauſas, quare petunt. De his tamen Capitulum Generale non habebit judicare, utrum ſufficientes ſint, vel non; ſed tamen ſcribantur, ut Fratres de his ante Capitulum conferre valeant. Priores autem Provinciales ſinguli cum duobus Sociis à Capitulo ſuo Provinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium, tale Capitulum celebrabunt. Duobus autem annis ante pronuncietur, niſi urgens fuerit neceſſitas..

II.

(*a*) ANno ab Incarnatione Domini 1228. convenerunt Pariſiis in Domo Sancti Jacobi, Priores Provinciales, una cum Venerabili Patre Fratre Jordano bonæ memoriæ Magiſtro Ordinis noſtri, ſinguli cum duobus Deffinitoribus à Capitulis Provincialibus deputatis: in quos Fratres omnes vota ſua unanimiter tranſtulerunt; eiſdem poteſtatem plenariam concedentes, ut quidquid ab eis fieret, ſive in conſtituendo, ſive in deſtituendo, mutando, addendo, vel minuendo, de cætero firmum, ac ſtabile permaneret: nec liceret alicui quantæcunque authoritatis, aliquid eorum immutare, quæ ipſi ſtatuerunt perpetuis temporibus permanſura.

III.

PRiores igitur præfati cum ſuis Deffinitoribus, gratia Spiritus Sancti invocata, quaſdam Conſtitutiones ad utilitatem, & honeſtatem, & conſervationem Ordinis, (præmiſſa diligenti examinatione) unanimiter, & concorditer ediderunt; quas in ſuis locis inter Conſtitutiones alias inſerere procurarunt. (*b*) Inter alias autem, quaſdam voluerunt inviolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obſervari: videlicet de poſſeſſioni-

bus, & redditibus nullatenus habendis, vel recipiendis, de appellationibus removendis; & quod non poſſit per Fratres Deffinitores Prioribus Provincialibus, neque per Priores Provinciales Fratribus Deffinitoribus, in ſuis Deffinitionibus in aliquo præjudicium generari.

IV.

Quaſdam vero voluerunt ſic immobiles permanere, ut nonniſi à Conſimilibus Capitulis, novis emergentibus articulis, caſibus, vel negotiis, de ipſis poſſit aliquid pro tempore immutari: videlicet de Conſtitutionibus non faciendis, niſi per tria Capitula Generalia continua fuerint approbatæ: de non equitando, de expenſis non portandis, de carnibus (niſi cauſa infirmitatis) non comedendis; ita tamen ut in his pro loco, & tempore Prælato liceat diſpenſare.

(a) *Anno ab Incarnatione Domini 1228.*) Declaramus, poſt hoc Generaliſſimum Capitulum, de quo hæc Conſtitutio ſermonem habet, aliud Capitulum Generaliſſimum Pariſiis itidem ſub eodem Reverendiſſimo Magiſtro Jordano Anno Domini 1236. fuiſſe celebratum, de quo ſupra mentio facta eſt. Nullum autem aliud Generaliſſimum Capitulum uſque ad hæc tempora celebratum fuit, etiam ſi bis, tempore videlicet Magiſtri Vincentii Bandelli, & demum tempore Magiſtri Sixti Fabri Lucenſis, nec non tertio, tempore Magiſtri Nicolai Rodulphii indictum fuerit; neutrum tamen celebratum fuit, ſed utrumque factum eſt Generale Capitulum: & in unoquoque duobus electis Deffinitoribus pro Generaliſſimo Capitulo unt quior poſt longam diſcuſſionem fuit ad definiendum admiſſus.

(b) *Inter alias autem quaſdam voluerunt inviolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obſervari: videlicet de poſſeſſionibus, & redditibus nullatenus recipiendis.*) Declaramus, quòd propter iſtam Conſtitutionem multa dicta, & ſcripta ſunt, à quamplurimis viris doctis, & piis, de quibus mentio ſupra facta eſt. At in primis in Trident Concilio omnis ſcrupulus removetur, dum in Seſſione 25. titulo de Regularibus capit. 3. *Sancta Synodus concedit omnibus Monaſteriis, & Domibus tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum, & eorum qui Minores de Obſervantia vocantur, etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum; ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quod ſi aliqua loca ex prædictis quibus authoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint: eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit.* De quo ſupra in hac 2. diſtinctione dictum eſt pag. 69. colum. 1.

Caput XI.

De Viſitatoribus.

I.

(a) Statuimus, ut quatuor Fratres ad viſitandam Provinciam in Capitulo Provinciali, à Priore Provinciali, & Deffinitoribus aſſignentur; vel plures, ſecundum quod Capitulo Provinciali videbitur expedire. (b) Qui exceſſus Priorum Conventualium, & Fratrum audiant, & emendent, abſque conſtitutione, & immutatione ſtatus Domus. Loca verò ſua ubique tenebunt, niſi in Capitulo, dum ab eis officium ſuæ correptionis exercetur: (c) quod in tribus diebus continuis terminetur. Si quæ autem gravia, & periculoſa invenerint emerſiſſe à tempore Viſitationis ultimò factæ per Viſitatorem præcedentem, licet correcta fuerint, nihilominus cum teſtimonio majoris partis Capituli ſtudeant denunciare Magiſtro, & Deffinitoribus Capituli Generalis, vel Priori Provinciali, & Definitoribus Capituli Provincialis, ſi ibi Generale Capitulum non fuerit celebrandum.

II.

Viſitatores præſentes verbo, abſentes ſcripto, referre debent Deffinitoribus Provincialis Capituli, vel Generalis (cùm in ſua Provincia celebratur) de his quos viſitaverint Fratribus: ſi in pace continui, in ſtudio aſſidui, in prædicatione ferventes; quæ de eis fama, quis fructus, ſi in victu, & veſtitu, & aliis ſecundùm tenorem inſtitutionum Ordo ſervetur. Priores autem, ſive Lectores, & Suppriores, in Viſitatores nullatenùs eligantur. Quòd ſi quis Viſitator antequam viſitet, vel in ipſa viſitatione in Priorem fuerit electus, & confirmatus, vel mortuus, vel aliàs impeditus, provideat Prior Provincialis de alio Fratre qui viſitet loco ejus.

(a) *Statuimus, ut quatuor Fratres &c.*) Declaramus, quòd Conſtitutio hæc Bononiæ fuit edita 1244. ſed poſtea Bononiæ pariter 1275. facta fuit alia Conſtitutio, quæ ſupra *de electione Prioris Provincialis* habetur: quod videlicet Prior Provincialis totam ſuam Provinciam per ſe ſi poterit; vel per idoneos Vicarios teneatur quotannis viſitare &c. Ex qua Conſtitutione patet, Priorem Provincialem poſſe per ſe, ſine Deffinitoribus conſtituere Viſitatores, eiſque committere authoritatem ſuam, juxta quod judicaverit expedire.

Item declaramus, quòd Viſitatores inſtituendi, non debent eſſe juvenes, ſed antiqui in Ordine, graves & maturi, qui moribus, & vita probati ſint. Qui in ſuis viſitationibus de juvenum, ac ſtudentium profectu, quomodo in moribus, & ſcientia ſe gerant, & an Fratres caſte, & ſine proprio vivant, & ſilentium, jejunia, abſtinentiam à carnibus & alia regularia inſtituta obſervent, debent quam diligentiſſime inquirere: & omnia Priori Provinciali, vel Deffinitoribus Provincialis Capituli, fideliter exponere; ſicut in pluribus Capitulis Generalibus fuit ordinatum.

Item declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinat. 1. ſic fuiſſe ordinatum: Quoniam per negligentiam Viſitatorum maxime declinat Regularitas, & reformatio retardatur; ordinantes præcipimus ſub pœna abſolutionis ab officiis, omnibus

nibus RR. Provincialibus noſtri Ordinis ; quatenus ſemel in anno infallibiliter per ſe ipſos, vel per alios idoneos Patres experientia, & zelo Religionis præditos, viſitent omnes Conventus, & loca ſuarum Provinciarum : & quantum poſſunt obſervantiam noſtrarum Conſtitutionum inducant. Præſertim vero infraſcripta, in quibus, (ut vidimus,) valde Religio infirmatur, volumus toto conatu inviolabiliter, & penitus obſervari.

In primis, ut dicti Viſitatores ſtudeant diligenter reparationi Divini cultus, debitæ clauſuræ, & communitati Conventus ; pœnis etiam, & præceptis adhibitis. Diligenter etiam curent ut uniformitas veſtimentorum, celebrationis Miſſarum, Divinorumque officiorum, & cunctarum Ordinis cæremoniarum ubique teneatur. Item facient, ut cura non deſit infirmis, quemadmodum habetur ſupra, *capite de Infirmis.*

Item inhibeant vagationes inutiles. Et Rom. 1571. ordinat 13. ſic dicitur: Ordinamus, & præcipimus omnibus Provincialibus, & Vicariis Generalibus Congregationū, & Vicariatuum; ut infra quadriennium teneantur Provinciales quadriennales ſuas Provincias, ſeu Congregationes, vel Vicarias, & ſingulos ſuos Conventus, ſaltem bis per ſeipſos, niſi legitimum impedimentum habuerint, viſitare. Quodnam tamen impedimentum ſit legitimum, à diſcretis Provincialibus judicandum eſt. Si autem eorum officium fuerit biennale, ſaltem ſemel Provinciam, vel Congregationem per ſeipſos viſitare teneantur. Quod fuit confirmatum Barcinonæ 1574. confirm. 26. & in utroque Capitulo nuper relato. Ac Romæ 1571, & 1580. ordinatum, & ſtricte præceptum eſt omnibus Prælatis, & Viſitatoribus Ordinis noſtri : ne vel pecuniam, vel prætioſa munera à Fratribus, vel Sororibus accipiant; maxime vero ab iis, qui aut gratiam, aut juſtitiam ab eis expectant, ſed obſervetur ab illis conſtitutio Clementis VIII. *de largitione munerum.* Contra hoc autem facientes authoritate Ordinis privamus eos largitis muneribus, quæ Divino cultui (quæcumque fuerit) harum ſerie applicamus. Declarantes tales Prælatos in crimen proprietatis incurriſſe, & pœnis à Sacro Tridentino Concilio, & à noſtris Conſtitutionibus ſtatutis ſubjectos eſſe; præter alias pœnas, quæ in Conſtitutione Clementis VIII. continentur.

Item declaramus, quòd Viſitatores, & multo magis Provinciales, in viſitatione admonere debent, & operam dare, ut ordinatio facta in Capitulo Bononienſi 1564. executioni mandetur: videlicet, quod cæremoniæ omnes, quæ ad Divinum miniſterium, atque ad alia divina officia in noſtris Ordinariis notatæ ſunt, prorſus obſerventur ; & quod earum executioni juvenes incumbant, ita ut eas optime addiſcant. Et quoniam ex Rubricis noſtris maxima dubia oriri ſolent, curet Reverendiſſimus Generalis, ut à tribus ab ipſo deſignandis, omnia explicentur, quo in ſacro illo Altaris miniſterio maxime uniformitas inter Fratres noſtros ubique appareat. Sacrarum quoque veſtium, & corporalium, quoad fieri poteſt, eadem ſit forma, & ea munditiēs, quæ tantum decet ſacrificium. Et præſertim in Capitulo Januenſi 1513. & Neapolitano 1515. ordinat. 6. mandatum fuit univerſis Fratribus, ut exhibeant reverentiam debitam in Miſſis, Sacramento ſanguinis Domini noſtri JEſu Chriſti: ut ſcilicet ante oris abſterſionem, digitorúmque ablutionem, ſumant ablutionem calicis, faciendam cum vino, & poſtea digitos abluant &c. Atque ut hoc omnino obſervetur, Prælati id publicent, & contrafacientes à Viſitatoribus graviter puniantur.

(b) *Qui exceſſus Priorum Conventualium, & Fratrum audiant, & emendent.*) Declaramus, quòd Viſitatores in ſua viſitatione poſſunt omnes Fratres ad ſuam viſitationem pertinentes ligare præcepto, & in eos ferre excommunicationis ſententiam, quando præcepto non poſſunt veritatem extorquere; ſicut fuit declaratum Perpiniani 1327.

Item declaramus, quòd omnes Fratres ſuis Prælatis, & Viſitatoribus præcipientibus, tenentur etiam ſecreta ſibi commiſſa quæ in periculum communitatis, vel aliarum perſonarum vergunt, revelare. Quapropter in juramento fidelitatis continetur, quod ſervi debeant hujuſmodi ſecreta Dominis revelare. Prælati ergo præcepto Religioſus obſtringatur ad pandendum tale ſecretum, etiam ſi promiſiſſet ſe non revelaturum, dicentibus Auguſtino, & Iſidoro: *In male promiſſis reſcinde fidem.* Quare in Capitulo apud Montem Peſſulanum 1283. ordinat. 4. ſic dicitur: Severiſſimè inhibemus Fratribus noſtris, aliquid ſub ſecreto recipere, quod vel correptionem impediat, aut vergat in præjudicium, vel periculum Ordinis, vel quarumcumque perſonarum. Quod ſi quis tale ſecretum receperit, teneatur illud ſuo Prælato, ipſo requirente, fideliter revelare. Et hoc etiam ordinatum fuit Pariſiis 1279. ordinat 5. Si autem ſecretum illud in confeſſione Sacramentali audiviſſet, non tenetur, immo nec poteſt ex Præcepto Prælati illud ullo modo revelare. Quare in Capitulo Mediolanenſi 1278. ordinat. 10. ſic dicitur. Strictiſſime prohibemus, ne Fratres ſecreta in confeſſione Sacramentali accepta, directe, vel indirecte, nutu, vel ſigno, vel quovis alio modo aliis revelent. Hæc ibi. Si vero ſecretum eis commiſſum non vergat in præjudicium communitatis, aut alterius perſonæ, & tale ſit quod abſque peccato celari poſſit; nullo modo tenentur, nec debent Prælato percipienti, illud revelare: ſi enim revelarent, peccarent frangendo fidem; nam lege naturæ, & promiſſione in Baptiſmo facta obligantur ad ſervandum ea, quæ ſunt fidei, & charitatis; qualia ſunt illa, quæ & nulli nocent, & ſub ſecreto fidei committuntur.

Item declaramus, quòd ſi Viſitatores, vel Prælati præcipiant Fratribus, ut quæcumque crimina à Fratribus commiſſa revelent, & crimen illud ſit omninò occultum, & nullo modo ad multorum notitiam pervenerit, ac tale ſit, ut nulli noceat niſi committenti ; ille, qui tale peccatum occultum ſcit, ad hoc ſolum mentem debet intendere, ut peccantis Fratris ſaluti proſpiciat, ſervato ordine correctionis fraternæ: ut ſcilicet prius eum ſecreto corripiat inter ſe, & ipſum ſolum, poſtea adhibeat duos, vel tres Fratres, & tandem ſi ſe non correxerit, dicat Eccleſiæ, id eſt Prælato. Et tale crimen occultum ante correctionem fraternam, non tenetur ſubditus Prælato præcipienti revelare, quia potiùs Deo, quam hominibus obedire oportet. Ille tamen qui ſcit tale crimen, ſi firmiter credit, quod ille correptus non ſe emendet, immò ex adverſo in ipſum indignetur, & præterea exiſtimet correctionem illius multo facilius eſſe futuram ex admonitione Prælati, qui pius, diſcretus, & ſpiritualis ſit, non habens indignationem, ſeu odium contra illum ſubditum: tunc poſſet etiam non accedente præcepto, crimen illud occultum ei tanquam Patri denunciare: & tunc non dicit Eccleſiæ, quia non dicit ei tanquam Prælato, & Judici; ſed ſicut perſonæ intendenti ad correctionem, & emendationem proximi, ad quam ſemper debet voluntatem intendere ille, qui denunciat. Secus

de-

denunciandn peccabit, quia facit contra præceptum Evangelii: Si autem peccatum Fratris, non ita ſit occultum quin aliquibus ſuſpicantibus innoteſcat multis, ex qua notitia multi ſcandalum ſumant; tale quidem peccatum non ſolum nocet committenti illud, ſed etiam multis. Et quoniam multitudinis bonum præfertur bono unius, debet Prælatus inquirere veritatem, ut vel per pœnam peccantis, vel ejus purgationem, & excuſationem, ſcandalum à multitudine auferatur. Et in tali caſu ſubditus, qui ſcit Fratris crimen, tenetur Prælato præcipienti obedire, peccatum illud ei manifeſtandn: ut docet Sanctus Thomas Quodlibeto primo, articulo 16. & 17.

(c) *Quod in tribus diebus continuis terminetur.*) Declaramus, quòd Viſitatores primum debent Priorum, Fratrumque exceſſus audire, atque illa, quæ eis manifeſtantur, ſi alicujus fuerint momenti, in ſcriptis redigere. Nec poteſt eis præfiniri tempus audiendi defectus hujuſmodi, ſed ſatis eſt, ut cum diligentia, & ſollicitudine Fratres audiantur ab eis, ut tempus inaniter non conteratur. Ut autem audierint Fratres, eos ſeorſim, vel in Capitulo debent corrigere, & hoc corrigendi officium poſt tres dies continuos terminare. Ea autem, quæ in ſua viſitatione corrigenda invenerint, debent Magiſtro, Generalis Capituli Definitoribus (ſi anno illo in eorum Provincia celebratur) verbo, vel ſcripto denunciare: ſi vero alibi celebretur, Priori Provinciali, & Definitoribus Provincialis Capituli denuntiabunt.

Caput XII.

De Prædicatoribus.

I.

(*a*) PRovideant diligentiſſime Priores, ne committant Prædicationis officium, niſi Fratribus ad hoc idoneis; ac moribus, & ſcientia approbatis; ne eorum inſufficientia, Prædicantium Ordo veniat in contemptum; & vergat in periculum animarum.

Statuimus autem, quod in qualibet Provincia à Præſidente, & Deffinitoribus inſtituantur aliqui viri docti, & zelum Religionis habentes; examinatores, & approbatores omnium eorum Prædicatorum, & Confeſſorum, quos non conſtat manifeſte eſſe doctos: ita quod nullus talium (niſi approbatus à duobus eorum in ſcriptis, vel declaratus à Deffinitoribus in ſcriptis, ſufficiens, & idoneus ad prædicandum, vel confeſſiones extraneorum audiendum,) prædicet popùlo, etiam in villulis; aut audiat confeſſiones extraneorum ſub pœna carceris: & nihilominus Præſidentes hoc permittentes ab officiis ſuis abſolvantur.

II.

NUllus aſſumatur ad Prædicationis officium extra clauſtrum, & Fratrum conſortium, infra viginti quinque annos: nec prædicet popùlo, (*b*) nec confeſſiones audiat extraneorum ſine licentia Prioris in Capitulo de conſilio Diſcretorum ſibi data. Illi vero, qui apti ſunt, cum in prædicationem exire debuerint, eis Socii dabuntur à Priore, ſecundùm quod moribus eorum & honeſtati judicaverit expedire. Qui accepta benedictione exeuntes, ubique (tanquam viri qui ſuam, & aliorum ſalutem procurare deſiderant) religioſe, & honeſte ſe habeant, ſicut viri Evangelici, ſui ſequentes veſtigia Salvatoris: cum Deo, vel de Deo, ſecum, vel cum proximis utiliter loquendo, vitabunt ſuſpicioſi comitatus familiaritatem. Placitis, & cauſis (niſi pro fidei negotiis) non interſint.

III.

CUM Fratres noſtri Diœceſim alicujus Epiſcopi ad prædicandum intraverint, primo (ſi poterunt) viſitabunt Epiſcopum, ut ſecundùm conſilium ejus in populo faciant fructum, quem facere intendunt. Et quandiu in ejus Epiſcopatu fuerint, ipſum devote obedientes erunt. Prædicare vero non audeat aliquis in Diœceſi illius Epiſcopi, qui ne prædicet, interdixerit ex cauſa rationabili: niſi litteras, & mandatum habeat Summi Pontificis. (*c*) Caveant etiam Fratres noſtri, ne (ponendo os in cœlum) in ſuis prædicationibus Religioſos, & Clericos ſcandalizent, ſed ea, quæ in ipſis emendanda viderint, obſecrando, ut patres, emendare procurent. (*d*) Socius autem datus Prædicatori, ipſi ut Priori ſuo obediat.

(a) *Provideant diligentiſſime Priores.*) Declaramus, quòd cum prædicationis officium in Eccleſia præcipuum ſit, multiſque privilegiis dotatum, ut habetur in cap. *Ex injuncto* extra *de Hæreticis*, & cap. primo & ſecundo, extra. *De Exceſſibus Prælatorum*: Prædicator in primis, ut digne prædicet, debet habere ardentem dilectionem, atque in omnibus ſuis ſtudiis, & operibus animarum ſalutem, & ad eam ſuas vires, intendere. Deinde foris debet præferre mores Religioſos, vitæque honeſtate, & Chriſtianæ pietatis exemplo populos ædificare. Tandem ſcientiâ, atque intelligentia ſacrarum ſcripturarum ſatis eruditus eſſe debet, & utilia potius, quam curioſa docere, ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit.

Item declaramus, quòd in Capitulo Bononien. 1564 ordinatum fuit, ut in exponendis, & examinandis Prædicatoribus, & Confeſſoribus, magna diligentia adhibeatur: & quod non niſi in matura ætate ad audiendas ſecularium confeſſiones aliquis exponatur; & quod juvenes non ſacerdotes ad prædicandum etiam in villulis non mittantur. Et Prælati qui contrarium permiſerint, gravius puniantur. Et idem fuit confirmatum Romæ 1566. & 1571. & Barcinonæ 1574. Et Romæ 1589. inter alias ordinationes authoritate Apoſtolica confirmatas, una eſt, in qua ſic decernitur: Ordinamus & ſub formali eodem præcepto, eademque cenſura (videlicet latæ ſententiæ) præcipimus; ut nullus titulo, vel officio Prædica-

dicatoris donetur, ſeu Prædicator inſtituatur; niſi ſaltem per completum triennium ſacram Theologiam audiverit, & à quinque deputatis examinatoribus (qui ipſum concionantem audiverint, & nedum de litteris, & moribus, ſed de ejuſdem ad prædicandum aptitudine judicium facere poſſint) idoneus fuerit judicatus, & approbatus. Cui ordinationi additum fuit, (quod & confirmatum fuit Romæ 1601. confirmat. 5. & Valliſoleti 1605. confirmat 3.) ut Prædicatores per vota ſecreta approbentur. Venetiis vero 1592. ordinat 12. ſtatutum fuit, ut in qualibet Provincia, Congregatione, ſive Vicaria teneantur Præſidentes illarum reſpective, de graviorum earumdem Patrum conſilio infra unum menſem ab harum Conſtitutionum publicatione, deputaſſe unum, vel plures Conventus, in quo, vel in quibus, à deſignandis Patribus idoneis erudiantur juvenes de prædicationis officio: præſertim ii, qui ad tale munus exequendũ ſunt aptiores; qui debito tempore ad Dei gloriam, ſaluremque animarum prædicantes, juſte ſibi nomen Prædicatorum vendicaturi videantur. Et nullus in poſterum Prædicatoris titulo donari poſſit, niſi confecerit curſum Artium, ſacramque Theologiam per triennium audiverit, caſibus conſcientiæ operam dederit, & in modo concionandi in aliquo Conventu ad id conſtituendo, judicio examinatorum per vota ſecreta ferenda in Generali ſtudio, non parum profecerit; & morum ſit denique religioſorum, ut virum decet Evangelicum. Similiter nullus admittatur ad ſecularium confeſſiones audiendas, niſi pariter à quinque examinatoribus (& ubi tot non ſuppetunt idonei Fratres, ſaltem à tribus) aptus atque idoneus fuerit judicatus. Præcipientes ipſis, Prædicatorum, ſive Confeſſorum examinatoribus reſpective, ſub eodem formali præcepto, eademque excommunicationis latæ ſententiæ pœna; ut per vota ſecreta ſua dantes ſuffragia, excluſo quolibet particulari affectu, ineptos excludant, & aptos admittant.

(b) *Nec confeſſiones audiat extraneorum.*) Declaramus, quòd ad confeſſionum audientiam nullus exponi debet, niſi ſit in vita, & moribus, & ſcientia approbatus, maturus, diſcretus, ſecurus, & in caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Epiſcopis reſervatis, ac etiam aliis ad ſalutem pertinentibus animarum, ſatis eruditus: ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1235. ordinat. 1. Pariſiis 1236. & ibidem 1239. Nec ſecularium confeſſiones, maxime mulierum, ante trigeſimum annum debent audire; ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1244. & Neapoli 1600. & niſi habeant ſpecialem licentiam ab Epiſcopo, & à ſuo Prælato: ſicut fuit ordinatum Budæ 1254. Nec ullo modo debent implicare ſe negotio caſuum de jure Ordinariis reſervatorum, vel quos præfati Ordinarii ex rationabili cauſa duxerint eſſe reſervandos; niſi ex eorum beneplacito, & licentia; ſicut fuit ordinatum Viennæ 1282.

Item declaramus felicis memoriæ Gregorium XIII. vivæ vocis oraculo, & etiam de conſilio Congregationis ſuper Concilium Tridentinum declaraſſe, ac ſtatuiſſe; facultate per *Mare magnum*, & per alia privilegia conceſſa, non poſſe Regulares abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis. Et Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium de ſpeciali mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VIII. jubet omnibus Confeſſariis, tam ſecularibus, quam Regularibus, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, & Societatis JEſu, ne quis eorum ſub prætextu quorumcumque privilegiorum à Sede Apoſtolica ductorum, quibuſcumque, etiam ſingularibus perſonis, ab ullo ex caſibus dubie, vel clare contentis in Bulla Cœnæ Domini, vel alias Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nec etiam à caſibus Ordinariis reſervatis, vel reſervandis quocunque caſu, niſi in mortis articulo, ſine nova licentia à Sede Apoſtolica, vel ab Ordinariis reſpective obtenta, abſolutionis beneficium impendere audeat. Quam licentiam à ſancta Sede Apoſtolica obtentam, teneantur Ordinariis oſtendere, etiam ſub pœna excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitationis ad audiendas confeſſiones, & ad quæcumque officia, & Prælaturas, ipſo facto incurrenda abſque alia declaratione &c. A quibus nonniſi à Romano Pontifice abſolutionem obtinere valeant, & quatenus opus ſit Sanctitas ſua tales facultates nullas eſſe voluit. Sed poſtea eadem Congregatio ſpeciali mandato ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VIII. ſimiliter vivæ vocis oraculo ſuper ea re habito, ipſum Decretum ita moderatur, & declarat etiam ſub eadem prohibitione: eos tantum comprehendi caſus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi conſueta continentur; ac præterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis Conſtitutionis Gregorii XIII. violationis clauſuræ Monialium ad malum finem, provocantium, & pugnantium in duello, juxta Decretum Concilii Tridentini, & Conſtitutionem Gregorii XIII. injicientium manus violentas in Clericus, *juxta Canonem. Si quis &c.* ac juris diſpoſitionem; Simoniæ realis ſcienter contractæ, ac etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus, quos ſibi Ordinarii locorum reſervarũnt, ac impoſterum reſervabunt. In quibus omnibus enumeratis caſibus dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitationis audiendi confeſſiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere. Et præterea declarat eos Sacerdotes, tam ſeculares, quam Regulares, qui aliquo privilegio in dicto Decreto expreſſo ſuffulti fuerint, poſſe juxta eorum privilegia, indulta, & facultates uſu ante idem Decretum receptas, & quæ ſub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum, & non aliter abſolvere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis: aliis vero Sacerdotibus talia privilegia non habentibus, nihil de novo concedit.

Item in Capit. Rom. 1569. admonit. 1. juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Pii V. debent omnes Provinciales facere, ut ex eorum mandato publicetur in Conventibus Bulla Cœnæ Domini, & omnes Confeſſarii penes ſe habeant exemplar illius, ejuſque tenorem fideliter obſervent: & ſi qui illam non habuerint, confeſſionum audientia priventur. Et Romæ 1571. confirmat. 13. id confirmatur, & additur, ut bis anno legatur coram toto Conventu, & in Sacriſtia affixa maneat. Et Barcinonæ 1574 confirmat. 11. & Venetiis 1592. ordinat. 1. ſtatuitur: ut in ſingulis Sacriſtiis loco patenti pendeant duæ tabellæ, in quarum una ſit Bulla Cœnæ Domini; in alia vero ſit nota caſuum Summo Pontifici, & Epiſcopis quovis modo reſervatorum Et Romæ 1608. ordinat. 21. ſtatuitur, ut cum in actu confeſſionis, vel proximo, pœnitens eleemoſynam dare voluerit, eam non accipiat Confeſſarius, ſed ei ſignificet reponendam eſſe in communi arca Eccleſiæ: & qui contra hoc fecerit, ipſo facto ſit privatus officio Confeſſarii per triennium, & idem confirmatur Pariſiis 1611.

Item declaramus in Capit Bononienſi 1564. ex Trident. Concil. ſic fuiſſe ſtatutum: Prælati Ordinis diligenter attendant omnia, quæ circa Reverendiſſ. Epiſcoporum obſervantiam à Sancta Synodo fuerunt ſtatuta. Et ſi expoſitos ad confeſſiones, aut promovendos ad Ordines velint exami-

minare, humiliter pareant; neque ipſis contradicentibus, etiam in Eccleſiis noſtris prædicare præſumant. Et ſi in aliquo horum durius aliqoando cum Fratribus ooſtris agcte videantur, æquo animo ſuſtineant: nec de ea re quæſtiones habeant, ut lites intentent. Cæterum ſi non ferenda gravamina interim occurrant, conſulatur Reverendiſſimus Generalis Magiſter, vel illius Provinciæ ſuperior Prælatus, & ſecundum eorum conſilium de opportuno remedio provideatur. Item declaramus in Capitulo Romæ 1612. admonit 2 ordinatum fuiſſe, ut Præſidentes noſtrorum locorum non permittant Clericos ſeculares habere conciones in Eccleſiis noſtris tempore tum Adventus, tum etiam Quadrageſimæ Similiter nec permittant Regulares alterius Ordinis, tempore, vel Adventus, vel Quadrageſimæ, vel infra annum regulariter habere conciones in Monaſteriis Fratrum, & multo minus Monialium.

(c) *Caveant etiam Fratres noſtri &c.*) Declaramus, quòd omnes Fratres noſtri, tum Priores, tum Prædicatores, tum etiam alii, erga Dominos, & Prælatos Eccleſiæ, & verbis, & factis debent obſervantiam habere, & quoad poſſunt lites in Clericos inferendas vitare: nec quæſtiones, aut cauſas contra eos agere, à quibos ſcandalum, & perturbatio poſſet oriri; ſicut fuit ordinatum in Capitulo Bononienſi 1252. & Viterbii 1268. ordinat. 2. & Florentiæ 1272. ordinat. 2. & Palentiæ 1291. & Pariſiis 1306. ordinat. ultima. Et cum cauſa ſervandi, vel oon ſervandi interdictum contingat, ut inter Fratres, & Clericos diſcordia, & diſſentio oriatur: debent Fratres omnes, integris Dei honore, & privilegiis Ordinis, matrici Eccleſiæ morem gerere: ſicut fuit ordinatum apud Cæſar-Auguſtam 1309. ordinat. 11.

(d) *Socius autem datus Prædicatori &c.*) Declaramus per hanc Conſtitutionem non dari aliquam juriſdictionem Prædicatori ſupra Socium, ſed ſolum intelligi Socium debere ei tamquam Superiori ſervire: atque in his, quæ ad perſonam, & ad officium pertinent, ſponte, ac libenter parere, & obedire, ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331.

I V.

STatuimus etiam, ne Fratres noſtri in prædicationibus ſuis (*e*) dari, vel colligi pecuniam admoneant pro domo, vel aliqua perſona ſpeciali. Nullus Frater audeat quæſtus facere; aut Bullas aliquas prædicare, niſi de licentia Magiſtri Ordinis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ſedentes pro tribunali proferimus in his ſcriptis; & ſub pœna privationis omnium bonorum eis ab Ordine conceſſorum, & communitati applicandorum.

(e) *Dari, vel colligi pecuniam &c.*) Declaramus, quòd cum Prædicatores debeant ſe tamquam veros Religioſos, & viros Apoſtolicos in omnibus exhibere, & nulli materiam ſcandali præbere, & abſtinere ſe ab omni ſuſpicione criminis: ideo nullo modo debent permittere, ut dum ipſi actu prædicant, pecuniæ, ſive pro Domo, ſive pro alia quacumqoe perſona colligantur: ne cupiditatis, & avaritiæ crimine notentur, & prædicationis officium contemnatur. Idem fuit ordinatum Pariſiis 1236. & proinde in multis Capitulis præſertim Saviliani 1439. ſub pœna excommunicationis fuit prohibitum omnibus Fratribus, prætextu cujuſcumqoe extranei quæſtus, & indulgentiæ prædicandæ, vagari extra ſuos Conventus: vel pretium, aut mercedem cauſa hujuſmodi prædicationum accipere; vel ad hoc Fratrem aliom inducere. Et nihilominus tales Divini verbi corruptores, qui labe cupiditatis, & quæſtuaria illuſione ſplendorem noſtræ Religionis offuſcant, officio prædicationis, & bonis ad uſum eis conceſſis, ſtatim privati ſint: & per annum ad carceres deputentur. Poterunt tamen Prædicatores Conventus, & Fratres Populo commendare, & eis paupertatem, & neceſſitatem illorum exponere: atque ut tempore opportuno eis eleemoſynas largiantur, hortari.

V.

STatuimus etiam, ut (*f*) nullus fiat Prædicator Generalis, antequam Theologiam audierit per tres annos, & niſi ſit maturus, & diſcretus ad negotia Ordinis pertractanda in Capitulis: & niſi in Provincia illa glorioſe prædicet; ita quod ſaltem per tres quadrageſimas in aliqua bona Civitate, ſeu terra, ſeu aliquibus bonis Civitatibus, ſeu terris prædicaverit. (*g*) Idem dicimus de Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis non inſtituendis qui ſufficienter in locis ſuæ Inquiſitionis neſciunt prædicare. Quod ſi ſecus factum fuerit, nullius ſit roboris, vel momenti.

(f) *Nullus fiat Prædicator Generalis.*) Declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinatum fuiſſe, ut Provincialis Capituli Deffinitores per ſe, vel per alios teneantur examinare eruditionem, tempus, & locum illius, qui petit ut fiat Prædicator Generalis: quantum ſcilicet, & ubi Theologiam audierit. Quod ſi tempus à Conſtitutionibus taxatum non compleverit, & idoneus minus reperiatur; illum præſenti ſtatuto à promotione prohibemos, & promotum de cætero tali privamus officio, & Salmanticæ 1551. dicitur: Ordinamus, ut in creandis Prædicatoribus Generalibus debitæ conditiones contentæ in Conſtitutionibus obſerventur; quibus & hanc addimus, quod ſit ætatis ſaltem triginta quinque annorum. Quod ſi contrarium fiat, vel factum fuerit, totum decernimus eſſe irritum, & inane Et Romæ 1589. aothoritate Apoſtolica ſub formali præcepto mandatum fuit, ut nullus poſtuletur Prædicator Generalis, qoi actus legitimos non fecerit, ac requiſitas conditiones non habuerit, locuſque vacaverit: & ſtantibus æqualibus meritis, & æquali idoneitate, antiquiores junioribus præferantur, in quorum petitionibus exprimi debet quot annis prædicaverint, & an, atque ubi vacet locus: ſecus petitiones illorum non admittantur. Item declaramus, quod Prædicatores Generales numerum Conventuum non poſſunt excedere, ut conſtitutio *infra* cap. 16. diſponit, & in Capitulo Veneto 1592. declarat. 5. fuit pariter ordinatum: ita ſane, ut in numero Conventuum, domus Vicariatuum non comprehendatur, ut habetur in Capitulo Romæ 1589. declarat. 2. Et ſi qui modo ultra prædictum numerum reperiuntur inſtituti, decernitur eos non eſſe Prædicatores Generales, ac eorum gratis,

&

Google

& privilegiis non poſſent. Hi tamen in decedentium locum gradatim ſuccedent ſecundum ordinem ſuarum inſtitutionum, ſemper tamen habitis requiſitis. Item Romæ 1537. ſic habetur: Ordinamus in toto Ordine, ut Lectores, & Baccalaurei, vel Præſentati fieri non poſſint Prædicatores Generales: & qui modo tales exiſtunt, volumus eos tali munere eſſe privatos: quemadmodum re ipſa, ac de facto privamus.

(g) *Idem dicimus de Inquiſitoribus.*) Declaramus, quòd Inquiſitoris officium non eſt committendum, niſi Fratribus maturis, Religioſis, diſcretis, eruditis, cuilibet negotio idoneis, atque ad tam ſalubre officium exercendum aptis, ſicut fuit ordinatum Argentinæ 1358. Inquiſitores autem, non exercentes actu Inquiſitionis officium, vel non actu occupantes ſe in illo, ſubjaceant poteſtati, & obedientiæ ſuorum Priorum Conventualium, quorum obedientias tenentur re ipſa adimplere eo modo, quo alii Fratres: atque etiam frequentare Chorum, & alia officia more cæterorum Fratrum exercere; nec debent à Conventu abſque licentia Prælatorum exire. Præſidentes etiam Conventuum tenentur ipſis Inquiſitoribus dare Socios diſcretos, providos, honeſtos, atque idoneos, ad eorum officia exequenda. Et Inquiſitores tenentur ſicut cæteri Fratres accedere ad Capitula, ſicut fuit ordinatum Bononiæ 1275. & 1285. Quod ſi quis Inquiſitor fuerit electus Prior, confirmari non poteſt, niſi Sacra Congregatio Sancti officii conſultatur. Item tenentur de perſonalibus, ſingulis annis reddere rationem ſuo Priori Conventuali, uti jam ſupra pag. 95. column. 1. dictum eſt.

CAPUT XIII.

De Itinerantibus.

I.

(*a*) EUntes ad Prædicationis officium exercendum, vel aliàs itinerantes: aurum, & argentum, pecuniam, aut munera (excepto victu, & neceſſariis indumentis, & libris) nec accipient, nec portabunt. Si quis autem aliquid acceperit de prædictis, teneatur Prælato ſuo cum redierit libere præſentare. Fratres autem non recipiant à mulieribus munuſcula, nec dent: maxime Confeſſores. Item (*b*) Fratres non ſint diſpenſatores alienarum rerum, nec pecuniarum: nec extraneorum depoſita recipiant, niſi librorum, aut paramentorum Eccleſiaſticorum.

(a) *Euntes ad Prædicationis officium exercendum, vel aliàs itinerantes, aurum, & argentum &c.*) Declaramus, hæc omnia ita eſſe intelligenda; ut non fiant ſine licentia Prælatorum, juxta id quod ſupra *cap. de graviori culpa* dictum eſt: ſicuti fuit declaratum Romæ 1558. & ibidem 1589. ſic fuit diſpoſitum. Admonemus omnes, & ſingulos Fratres ex Provinciis Indiarum advenientes, ut rationem ſemper habeant Apoſtolici Brevis editi à Pio IV. die 12. Auguſti Anno 1562 infra ſcripti tenoris *Mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, per contrafacientes eo ipſo incurrenda, quod nullus Frater, vel Religioſus cujuſvis dignitatis, gradus, vel conditionis exiſtat, ab Indiis, aliiſque partibus regrediens, pecunias ultra quam viatico ſuo veriſimiliter neceſſaria fuerint, aſportare præſumat: omneſque pecunias per eos aſportandas, antequam naves aſcendant Superiori ſuo in partibus illis exiſtenti denunciare, oſtendere, literaſque taxationis viatici hujuſmodi ab eo recipere teneantur.*

(b) *Fratres non ſint diſpenſatores alienarum rerum &c.*) Declaramus, quòd (ſicut jam ſupra in Prologo Conſt. pag. 31. inſinuatum eſt) Fratres non poſſunt ſuſcipere commiſſiones cauſarum, arbitria, ſive judicia, ſive executiones teſtamentorum, vel diſpenſationes aliarum rerum, niſi eis authoritate ſui Ordinis, vel alicujus Superioris commiſſa ſint, ut dicit Sanctus Thomas *quodlibeto* 3. quæſt. 6. art. 1. cum quo concordat gloſſa in cap. *Non dicatis* 10. qu. 1. ubi dicitur. *Religioſos non habere velle, neque nolle, niſi quando eis actus aliquis à lege, vel à Superiore permittitur.* Et de hac re fuerunt expreſſe prohibiti Fratres noſtri in Capitulo Pariſiis 1234. ordinat. 2. & Bononiæ 1252. ordinat 6. & Coloniæ 1301. & in multis aliis Capitulis. Atque hoc ideo, quia ex talibus odia, damna, & ſcandala Ordini, ac Fratribus oriri ſolent. Hac etiam re prohibentur de jure communi Religioſi omnes 16. quæſt 1. cap. *Monachi*, & cap. de præſentium; ubi dicit gloſſa, *Religioſum, niſi ex Superioris licentia judicem, vel arbitrum, vel Advocatum eſſe non poſſe.* Abbas autem, ſive Prælatus, bene hæc facere poteſt ſine licentià, ut ſentit *gloſſa* prima *in Clementina* Religioſis, & Bonifacius VIII. in privilegio concedit, ut Magiſter Ordinis, & Priores Provinciales, ac etiam dicti Ordinis Fratres inferiores, ex licentia eorum, ultimas voluntates, & teſtamenta quorumcunque, qui ab eis hæc requiſierint, ac eos deſignaverint, exequi poſſint, & debitæ executioni mandare. Item cum ex litigioſis, & arduis, ac per ſe odioſis cauſis frequenter perturbationes, ac ſcandala oriantur: volumus, ac diſtricte prohibemus aliquem Fratrem de cætero hujuſmodi cauſas aſſumere, neque matrimoniis procurandis, ſeu etiam magnis arduiſque negotiis pertractandis ullo modo implicari ſine Prioris Provincialis ſpeciali licentia. Contrarium autem facientes à Prioribus Provincialibus acrius, & ſeverius puniantur; ſicut fuit ordinatum apud Treverim 1266. Argentinæ 1307. & Metis 1313.

II.

PRædicatores, vel itinerantes, cum in via exiſtunt, officium ſuum dicant, prout ſciunt, & poſſunt: & ſint contenti officio Eccleſiarum, ad quas quandoque declinant. (*c*) Fratres autem viatores litteras teſtimoniales ſecum deferant, & in Conventibus ad quos declinaverint, de exceſſibus ſuis corrigantur. (*d*) In quacumque autem Provincia Fratres itinerantes deliquerint, Prior Provincialis, vel Conventualis, ſeu eorum Vicarii, Supprior, & Viſitator, & cæteri, in quorum terminis inventi fuerint; corrigendi ipſos ſicut Fratres ſuos liberam habeant facultatem. (*e*) Prior in Ordine, ſit Prior in via; niſi fortè Prædicatori adjungatur, vel cum egrediuntur, Prior aliter ordinaverit de eis.

(c) *Fratres autem viatores litteras teſtimoniales ſecum deferant*) Declaramus, quòd cum ex nimio, & inordinato Fratrum diſcurſu, diſpendia, & perturbationes, ac diſtractiones plurimæ oriantur, regularisque obſervantia plurimum relaxetur: Patres noſtri hujuſmodi diſcurſus inutiles, atque vagos compeſcendos, & ſubtrahendos curaverunt; atque id in multis Capitulis voluerunt, ſtatueruntque debere inviolabiliter obſervari. Et Priores Conventuales, eorumque Vicarii, Fratres eorum Conventibus aſſignatos, ultra terminos eorundem Conventuum, id eſt ultra dietam (ut declaratur in Capit. Romano 1569.) licentiare non audeant: niſi cauſa gravis infirmitatis ipſorum, vel ſuorum parentum, vel etiam evitandi grave ſcandalum Ordinis, vel propter evidentem neceſſitatem, vel utilitatem Conventuum, ſive etiam ſingularium Fratrum; & tunc ex diſcretorum conſilio talis licentia concedatur. Qui verò hujuſmodi licentiam obtinent, conſtitutionem de litteris teſtimonialibus deferendis, & præſentandis obſervent; in quibus & cauſa ipſius licentiæ generaliter, vel peculiariter, & terminus itineris exprimantur. Quicumque autem Prior, vel ejus Vicarius prædicta non ſervaſſe repertus fuerit, teneatur infra quindenam in pane, & aqua triduo abſtinere; ita ſanè ut talis pœnitentia ſit Conventui manifeſta: quam ſi (abſque cauſa infirmitatis) non peregerit, à Provinciali, vel ejus Vicario ſtatim, ut ipſi de exceſſu legitimè conſtabit, à ſuis officiis abſolvatur. Fratres vero, qui ad quoſcumque Conventus ſine hujuſmodi litteris teſtimonialibus porrexerint, à Prioribus, & Supprioribus eorundem Conventuum, ad quos pervenerint, noſtra authoritate ad unum annum voce priventur, & pœna gravioris culpæ eis imponatur: & Conventui de quo ſunt, quod talis pœna eis impoſita ſit, litteris peculiaribus ſignificare teneantur: & ſi hoc facere neglexerint, à ſuis officiis abſolvantur, & poſt abſolutionem ſint ipſo facto ad unum annum voce privati; ſicut fuit ordinatum Placentiæ 1310. & apud Carcaſſonam 1312. & apud Montem Peſulanum 1316. ordinat. 2. Et in Capitulo Romano 1558. ordinatum fuit, ut nullus Prior Provincialis, vel Conventualis, nullusque Præſidens ſub pœna gravioris culpæ Fratres recipiat fugitivos, & vagos ſine illorum Provincialis licentia: niſi quantum, non quidem ſpecies fictæ pietatis, ſed vera neceſſitas infirmitatis religioſam exigit charitatem. Item declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. ordinatum fuiſſe, ut ſi itinerantibus domos ſecularium adire, & in eis commorari opus fuerit; nunquam eis niſi cum Religioſo ſocio, & adire liceat, & commorari.

Et in Capit. Romano 1589. ordinatum fuit, ut Fratres exeuntes de terminis ſuorum Conventuum litteras teſtimoniales ſemper deferant, alioquin non recipiantur. Quod & fuit confirmatum Bononiæ 1564. ordinat. 3. & additum; quod Prælati litteras teſtimoniales Fratrum ad eos pervenientium legere teneantur. Similiter, quod nullus ſine ſui Prælati licentia à ſuo Conventu recedat, etiam cauſa eundi ad Superiorem, ſub pœna gravioris culpæ, quam tamdiu perſolvet, quamdiu extra Conventum ſine licentia fuerit commoratus. Et in Capitulo Romano 1580 ordinatum fuit, quod nullus Frater Ordinis noſtri, è ſuo Conventu, vel Provincia ſine dimiſſoriis litteris egrediatur; & quod Superiores, ad quos hujuſmodi Fratres ſine licentialibus litteris venerint, eos in carceribus includant, & penitus ad ſuas Provincias, ſuoſque Conventus redire compellant. Quod fuit confirmatum in ſequenti Capitulo Romano 1583. hoc inſuper addito; quod Præſidentes Conventuum ſub pœna abſolutionis ab officio tales fugitivos retinere non audeant. Et tandem Romæ 1589. ſic dicitur: Admonemus etiam, qualiter Sanctiſſimus D. N. Sixtus Papa V. ſua conſtitutione, & declaratione anno ſuperiori edita, prohibuit expreſſe, ne quis Regularis ex una Provincia ad aliam, ſive ex uno ad aliud ejusdem Provinciæ Monaſterium, Domum, vel locum ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus divertere poſſit: niſi à Superiore illius loci, ubi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis deferat, & exhibeat, vel niſi ita ſit cognitus, ut nulla omnino de ejus perſona dubitatio, vel ſuſpicio oriri poſſit. Et illi, qui hujuſmodi Regulares ſine licentia in ſcriptis advenientes etiam ob cauſam pietatis, vel hoſpitalitatis receperint, eo ipſo ab eodem Sanctiſſimo D. N. privantur, & in perpetuum privati declarantur voce activa, & paſſiva: necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcumque per eos obtentis, atque indigni, & inepti ſunt ad alia in poſterum obtinenda: præter id quod ſæpius in multis Capitulis ordinatum fuit, ne quis Frater adveniens ſine licentia, poſſit à Prælatis recipi, vel detineri, niſi in carceribus, ut punitus ad ſuum Conventum, & Provinciam remittatur. Quod quidem omnibus Prælatis, & Conventuum Præſidentibus ſub pœna abſolutionis ab officio mandatum fuit. Ordinamus prætetea mandantes omnibus Fratribus Ordinis noſtri ſub pœna gravioris culpæ, ne quis extra terminos ſuæ Provinciæ, vel Conventuum prædicet, aut in noſtris, aut in Eccleſiis alienis, & ne etiam quæſtum faciat, ſine licentia Magiſtri Ordinis, aut Patris Provincialis, aut Prioris locorum, in quorum terminis prædicare, aut quæſtum facere voluerit. Quæ ordinatio alias facta in Capitulo Avenionenſi 1561. & Bononienſi 1564. confirmata fuerat.

(d) *In quacumque autem Provincia Fratres itinerantes deliquerint &c.*) Declaramus, quòd Fratres viatores, & hoſpites, Præſidentibus Ordinis, ad quos perveniunt, ratione juriſdictionis ſubjiciuntur: qui & eorum malefacta non ſolum ibi, ſed etiam alibi commiſſa caſtigare, & punire poſſunt, & debent, quia in ſuo crimine plectitur quis, ubi invenitur, Can. *Ubi de crimine agi oportet*, lib. 1. ubi gloſſa allegat illud: *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Et de hoc habetur gloſſa 3. quæſt. 6. cap. 1. ſicut fuit declaratum, & in Capitulo Romano 1336. quod exiſtentes in pœna gravioris culpæ in una Provincia non poſſunt in alia abſolvi, etiamſi in illa fuerint aſſignati.

(e) *Prior in Ordine ſit prior in via.*) Declaramus, quod per hanc Conſtitutionem Priori in Ordine, (niſi Prælatus ſit) nulla datur in via ſupra ſuum ſocium juriſdictio, ſicut fuit declaratum Victoriæ 1331.

III.

(f) NUllus Frater vadat ad Curiam, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis: ſed mittatur nuntius ad Fratres; qui ſunt ibi, vel per aliquem alium (prout melius fieri poterit) negotium procuretur. (g) Prior Priorem ſupervenientem honoret: ſed & hoſpes per Civitatem ſine conſilio ejus non diſcurrat, nec moram faciat.

(f)

Digitized by Google

(f) *Nullus Frater vadat ad Curiam.*) Declaramus, in Capitulo Pariſienſi 1245. ſic fuiſſe ordinatum: Caveant diligentiſſime Fratres noſtri, ne quis eorum accedat ad Curiam ſine licentia Generalis Magiſtri: qui vero ex licentia ipſius iverint, vadant pedeſtres, ſecundum ſtatuta Ordinis; & litteras ſecum deferant, cauſas, & negotia, propter quæ vadunt plene continentes. Et in Capitulo Placentino 1310. ſic dicitur: Præcipit Magiſter Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ ex Definitorum conſilio, & aſſenſu: ut nullus Fratrum ad Curiam Romanam vadat, vel e ſuo Conventu cum intentione eundi ad Curiam iter capiat, etiam cauſa procurandi negotia Ordinis, abſque ipſius Generalis Magiſtri peculiari licentia. Quod ordinatum fuit in Capitulo Romano 1601. & ibidem 1608. denunc. 9. fuit denunciatum: felicis recordationis Clementem VIII. amplo Decreto Superioribus mandaſſe, ne permittant Fratrem quempiam Romam venire; niſi prius à Generali dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverit. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva ad biennium privatus exiſtat; ſubiturus etiam alias, arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant. Inter pœnas autem arbitrarias hanc idem Sanctiſſimus expreſſit, ut huiuſmodi Fratres in carceribus per ſex menſes detineantur; prohibetque hujusmodi pœnam poſſe ab eorum Superioribus remitti; cum earum diſpenſationem & relaxationem Sua Sanctitas ſibi reſervaverit. Similiter in Capitulo Placentino 1310. ordinat. 12. præcepit Magiſter Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ ex Definitorum conſilio; ut nullus Frater accedat ad Curias Regum, ſeu Dominorum, Legatorum, ſeu ſecularium Principum, Poteſtatum, vel Baronum ob cauſas litigioſas, & propter negotia quæcumque procuranda, quæ per ſe ſecularibus odioſa ſint; qui autem contra hoc feciſſe comprehenſus fuerit, privetur omni voce; & præterea pœnis aliis gravioribus puniatur: & hoc idem fuit ordinatum Carcaſſonæ 1312. ordinat. 13. & Bononiæ 1285.

Item Perpiniani 1327. & apud Claromontem 1339. declaratum fuit: quod quilibet Frater ad ſuum Provincialem ſine licentia ſui Prioris, vel ad Magiſtrum Ordinis ſine licentia ſui Provincialis accedens; niſi recto tramite, ſed ex adverſo ſolus vagando, & hinc & inde curſitando iter habeat, tanquam apoſtata judicandus, & in carcerem includendus eſt.

(g) *Prior Priorem ſupervenientem honoret, &c.*) Declaramus, quod tum Prior, tum alii Fratres, qui hoſpites ſunt, & peregrini, ſub juriſdictione, & obedientia illius Prioris ſunt, à quo in ſuo Conventu hoſpites recipiantur; atque adeo ejus ordinationibus, & mandatis ſunt ſubjecti; nec debent abſque illius licentia e Conventu exire, ſeu per villam, vel Civitatem pergere; ut Valentiæ 1596. confirmat. 5. ordinatum fuit, & Romæ 1601. confirmat. 3. confirmatum, ut hoſpites legi Depoſiti ita ſubjecti ſint; ut ſi poſt ſextum diem in Conventu aliquo moraturi ſunt, teneantur quamlibet ſummam pecuniarum in communi Depoſito illius Conventus reponere, nec ſine licentia Prælati illius, pro negotiis quibuslibet expendere. Debet etiam advenientem Priorem humane benigneque recipere, eumque præ cæteris honorifice tractare; quia qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt. Sed & ſi contingeret alienæ Provinciæ Priorem Provincialem in Refectorio comedere, abſente Præſidente Provinciæ, Prior Conventus debet illi dare locum nolæ: cum ille non ſit locus judicii, ſed dignitatis, unde & Abbatibus, & Epiſcopis datur, ſicut fuit declaratum in Capitulo Januenſi 1513.

Item in Capitulo Viennenſi 1282. ſic fuit ordinatum. Cum ex inſinuatione terminorum, & limitum aliorum Conventuum, & Provinciarum perturbationes, & ſcandala oriri ſoleant: Magiſter Ordinis ex conſenſu Definitorum Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, cæterisque Fratribus ſtricte injungi; ut limitationes factas inter unam Provinciam, & aliam, & inter Conventum & Conventum ſumma, & exacta diligentia obſervari ſtudeant: & Fratres quoties oppoſitum fecerint, toties pœnæ gravioris culpæ ſubjiciantur; & quidquid infra limites alterius Provinciæ, vel alterius Conventus acquiſierint, teneantur ſtatim Conventibus, in quorum præjudicium quæſtum fecerint, abſque ulla dilatione reſtituere. Et Treveris 1249. ſic dicitur: Stricte prohibemus Fratres unius Provinciæ audere infra terminos alterius Provinciæ quæſtum facere, vel ibidem (niſi forte tranſeundo, vel iter agendo) prædicare, abſque licentia Prioris Provincialis, vel Conventualis, ad quos ſpectant prædicti termini: quod ſi contrarium fecerint, gravius puniantur. Et hoc idem fuit confirmatum Romæ 1605. ordinat. 23.

IV.

(h) FRatres Minores, ſicut & noſtri charitative, & hilariter recipiantur; & ſecundùm facultatem Domus pie, & honeſte procurentur. Quicumque autem Prior Provincialis ſine licentia Magiſtri Ordinis, vel Frater alius quicumque, ſine licentia Prioris Provincialis (i) Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum receperit; (niſi per talem obedientiam cogatur, quam tranſgrediendo peccaret mortaliter) ipſum præſenti ſtatuto ſuffragiis, ſocietate, ac omnibus beneficiis Ordinis, tam in morte, quam in vita privamus.

(h) *Fratres Minores, ſicut & noſtri charitative, & hilariter recipiantur.*) Declaramus, quòd Priores, & Fratres noſtri omnes diligentiſſime curare debent, ut amorem maximum erga Fratres Minores ſemper, & ubique habeant, & corde conſervent, ore eos laudent, opere benigniſſimeque recipiant, humaniſſimeque tractent; & de pace cum eis habenda quantum poſſunt ſolliciti ſint, qui autem contrarium auſi fuerint, graviter puniantur. Et caveant Fratres, ut neque inter ſe, neque cum aliis quantumcumque familiaribus, de ipſis minus bene loquantur. Si qui vero amicitiæ, & familiaritatis ſpecimen præſeferentes, mala de prædictis Fratribus retulerint, Fratres noſtri non ſint faciles ad credendum: quin potius eos quantum poſſunt excuſare conentur. Quod ſi forte ipſi Fratres Minores de nobis male loquendo, nos quandoque provocaverint; tamen nullo modo publice cum eis contendamus, ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1236. & 1256. & Valentiæ 1647. ordinat. 18.

Item in Capitulo Mediolanenſi 1255. & Pariſienſi 1256. ordinat. 16. ſic fuit ordinatum: Fratres ſolliciti ſint, ut humaniter excipiant hoſpites, & charitative tractent, præſertim venientes ex Provinciis extraneis, quibus omnia, quæ eis opus fuerint, ut neceſſitates itineris poſtulabunt, provideant, & adminiſtrent; eiſque conſulant, & ferant auxilium, quod ad alios Conventus tranſire poſſint, maxime ex his locis, in quibus ſit tranſeundi difficultas.

(i) *Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum receperit*) Declaramus, quòd ſolus Magiſter Ordinis, & Prior Provincialis, non autem eorum Vicarii licentiam dare poſſunt recipiendi Epiſcopatum, non obſtante ordinat. Capit. Generalis Treverenſis 1289. declarat. 2. ubi etiam Vicariis Magiſtri Ordinis, & Priorum Provincialium tribuitur, quod poſſint dare licentiam recipiendi Epiſcopatum. Tamen hæc facultas, ex authoritate Apoſtolica ſolis Magiſtris Ordinis, & Prioribus Provincialibus fuit reſervata: prout Innocentius IV. Clemens IV. & Nicolaus IV in privilegio conceſſo Ordini noſtro hæc dicunt: *Prohibemus, ne quis Frater Ordinis veſtri, ſine ſpeciali licentia Magiſtri Ordinis, aut Provincialis, aut mandato Sedis Apoſtolicæ, electioni, aut poſtulationi ad quamcumque dignitatem extra Ordinem de ſe factæ audeat conſentire; decernentes irritum, & inane quidquid ſecus contigerit attentari.*

V.

(*k*) FRatres, noſtri Ordinis Epiſcopis, vel aliis quibuſcumque perſonis extra Ordinem aſſignatos, qui in jejuniis, & abſtinentiis, victu, & veſtitu ſtatuta Ordinis non ſervant; ſuffragiis, & beneficiis Ordinis tam in morte, quam in vita privamus: quouſque ſuper hujuſmodi exceſſu adeo digne ſatisfecerint, quod per Magiſtrum Ordinis, vel Provincialem ſuum ad hujuſmodi ſuffragia reſtitui mereantur.

(k) *Fratres, noſtri Ordinis Epiſcopis &c.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales in ſuis Provinciis debent Epiſcopus ex Ordine noſtro aſſumptos admonere, ut ſecundum Ordinis inſtituta, veſtibus, calceamentis, jejuniis, & abſtinentiis aliiſque rebus utantur, quæ Epiſcopali officio non inferunt impedimentum, alioquin eis non concedant Fratres in unquam Socii, & conceſſos revocent; ſicut fuit ordinatum in Capitulo apud Montem Peſſulanum 1247. ordinat. 2. Et in Capitulo Metis 1313. ſicut fuit ordinatum: Cum ex Fratrum Ordinis noſtri promotione ad incertos, & vagos titulos Epiſcopatuum, idem noſter Ordo in contemptum adducatur; diligenter caveant Priores Provinciales, ne propter cujusvis preces, & petitionem, alicui Fratri licentiam dare præſumant, Magiſtro Ordinis, vel Provinciali Capitulo inconſulto. Nec talibus Epiſcopis, vel aliis quibuscumque, ullos ex Ordine noſtro Socios niſi diſcretos, & maturos, moribuſque probatos concedant. Si qui autem Epiſcopi Ordinis noſtri inventi fuerint, qui minus honeſtè in detrimentum, & præjudicium Ordinis vivant; Socios eis aſſignatos ſtudeant, quamprimum ad Ordinem revocare.

Item Biſuntii 1353. ſic habetur. Declaramus, & denunciamus univerſis Fratribus noſtri Ordinis, Dominum Papam noſtrum publice, & manifeſte denunciaſſe, quod Capellani honoris Domini Papæ, aliorumque Prælatorum nullam exemptionem habent a Superioribus ſuis: ſed Magiſter Ordinis aliique Prælati poſſunt contra tales Capellanos procedere, illos corrigere, ad clauſtrum reducere, & ſi opus fuerit, arreſtare. Item dicimus de Fratribus, qui Regibus, Prælatis, Domicellis, atque aliis Eccleſiaſticis perſonis aſſignati ſunt; qui cum deliquerint, ac minus honeſte ſe geſſerint, à ſuis Prælatis pœna plectantur, & reducantur ad Ordinis diſciplinam: & in eorum locum eiſdem Eccleſiaſticis perſonis alii maturi, atque honeſti Fratres tribuantur. Et Bonifacius IX in privilegio Ordini conceſſo, ſic dicit: *Statuimus, & ordinamus ut omnes, & ſinguli Fratres Ordinis Prædicatorum Apoſtolicæ Sedis Capellani præſentes, & futuri, perinde ſuis Superioribus, eorumque correctioni in omnibus, & per omnia ſubjecti ſint; ac ſi prædictæ Sedis Capellani non eſſent; non obſtantibus exemptionibus, aliiſque quibuſcumque privilegiis, indulgentiis, gratiis, & litteris Apoſtolicis Capellanis dictæ Sedis conjunctim, vel diviſim ſub quavis forma, vel expreſſione verborum a dicta Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis.* Hæc ille. Et in Capitulo Bononienſi propter Concilium Tridentinum, ſic ſtatutum fuit: Nullus Fratrum noſtrorum alicujus Principis, vel Epiſcopi, vel Communitatis, ſive etiam cujuſvis alterius perſonæ obſequio ſe ſubjiciat, vel legendi ſive prædicandi officiu, ſine ſui Prælati licentià ſuas operas locet; ſecus tanquam inobediens, & proprietarius pœna plectatur. Neque cuiquam liceat abſque licentia Præſidentis recedere à Conventibus ſuis, etiam cauſa adeundi Superiorem, niſi cum ab illo fuerit evocatus. Quod ſi quis contra hoc fecerit tamdiu pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat, quamdiu ſine licentia extra Conventum fuerit commoratus. Illi vero, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur in quibus ſunt Conventus Ordinis noſtri, in ipſis dumtaxat habitent, ſecus omni gradu acquirendo habeantur indigni, & inſuper Prælato ejuſdem Conventus cauſa juſte cognita, pœna plectantur.

VI.

FRatres vero noſtri Ordinis, cum fuerint ad aliquam Eccleſiam, vel dignitatem extra Ordinem ad ſui inſtantiam à Sede Apoſtolica pronunciati, (*l*) ipſo facto ſint ab omni præſidentia, & officio intra noſtrum Ordinem ſibi commiſſo abſoluti; à quibus eoſdem tenore præſentium, abſolutos eſſe decernimus. Alij vero, qui ſine ſui inſtantia, ſunt ſimiliter pronunciati, niſi infra quatuor dies à notitia dictæ pronunciationis ſibi factæ, ipſi publice renunciaverint, & per publicum inſtrumentum; ſimili modo, ut præfertur abſoluti exiſtant. Præcipientes omnibus, & ſingulis Fratribus præſentibus, & futuris, quatenus nulli prædictorum obedire præſumant, vel audeant quoquo modo. Fratres noſtros beneficiatos, vel etiam habilitatos ſolummodo ad beneficia, inhabiles reddimus ad prælationem, ſeu ſuperioritatem in Ordine noſtro. Nec aliquis eorum paſſivam, vel activam vocem quomodolibet in Or-

dine

Digitized by Google

dine habere poſſit, niſi ante beneficio, & habilitationi renunciaverit: ita quod renunciatio ſit legitima acceptata inſtrumento teſtante. Renunciatio autem cum regreſſu, aut quacumque reſervatione fructuum, niſi hujuſmodi fructus mere & integraliter proveniant ad noſtrorum utilitatem Conventuum, & non tantum alicujus particularis perſonæ; non acceptetur, nec alicujus momenti habeatur.

(l) *Ipſo facto ſint ab omni præſidentia, & officio intra noſtrum Ordinem ſibi commiſſo, abſoluti.*) Declaramus, quòd non ſolum illi, qui ſive ad ſui, ſive ad aliorum inſtantiam pronunciantur deſignati ad aliquam dignitatem extra Ordinem, ſunt ipſo facto ab omni præſidentia & officio Ordinis abſoluti; verum etiam illi, qui per litteras Apoſtolicas, quodcumque Eccleſiaſticum beneficium, vel Capellaniam aliquam obtinuerint; nec activam, vel paſſivam vocem habere, nec in Conventibus reſidere, nec in eis cameras obtinere poſſunt ſine licentia Magiſtri Ordinis. Et idem dicimus de aliis provectis ad Eccleſias titulares, vel ad quaſcumque Eccleſiaſticas dignitates: ſicut Sixtus Papa Quartus in *Bulla aurea* declaravit. Item in alio Brevi ejusdem Papæ Sixti recepto in Cap. Peruſino 1478. ſic habetur: *Nos, qui & ſcandala amputare, & quietem dicti Ordinis Prædicatorum præſervare deſideramus: declaramus, quod Patres prædicti Ordinis ad beneficia habilitati, donec beneficia ſint conſecuti, activam tantum vocem in dicto Ordine habent: quamprimum vero aliquod beneficium obtinuerint, etiam activam vocem amittant, & neutra in dicto Ordine, uti poſſint, non obſtantibus quibuſcumque contrariis.* Hæc ille. Et in prædicto Capitulo ſic dicitur: Statuimus, & ordinamus, quod Fratres, qui licentiam habent exercendi Divina officia extra Ordinem, quamdiu extra Ordinem ſic exercuerint, nec cellam, nec activam, vel paſſivam vocem in Conventibus ejuſdem Ordinis habere poſſint. Nec Conventus ſit eis in aliqua re obligatus, niſi ſuffragiis in morte: & hoc idem fuit antea ordinatum Venetiis 1357.

Item in Capitulo Romano 1525. ſic ſtatutum fuit: Ordinamus, ut Fratres manentes extra Ordinem ſine Superiorum licentia, ſi poſtea ad eundem Ordinem, etiam ex Superiorum licentia redierint; non poſſint habere infra decennium aliquod prælationis, vel Vicariatus officium, ſine expreſſa licentia Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis in ſcriptis obtenta. Et in Capitulo Romano. 1508. ſic habetur. Fratres aliarum Provinciarum niſi per triennium fuerint in Provincia; aut alias habeantur cogniti, Conventibus, aut locis non præficiantur nec Magiſtri Novitiorum, nec Sacriſtæ fiant, nec ſimiles adminiſtrationes eis committantur. Et Romæ, 1553. ſic dicitur: Admonemus omnes, & ſingulos Fratres Ordinis noſtri, præſertim Prælatos, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus: ne eos, qui curata, aut non curata beneficia acceperint, retineant ad manendum in Domibus Ordinis: nec ad vocem activam, vel paſſivam abſque Magiſtri Ordinis diſpenſatione admittant, niſi prius re ipſa eiſdem beneficiis renunciaverint. Et iterum Romæ 1585. ſic habetur: Ordinamus, ut Fratres, qui quacumque de cauſa, & quomodocumque extra Conventum permanent, (præterquam ſi officio ſanctæ Inquiſitionis inſerviant) non cenſeantur in Conventibus aſſignati ad vocem quacumque ratione habendam: ſed omnino ab electionibus faciendis, ſicut dictum eſt, intelligantur excluſi; quod Romæ 1589. pariter confirmatum fuit.

VII.

PRæcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ac eorum Vicariis: quod nulli Fratri electo, ſeu poſtulato extra Ordinem ad quamcumque dignitatem, perſonatum, vel gradum infra dignitatem Epiſcopalem, licentiam concedant hujuſmodi electiones, ſeu poſtulationes acceptandi, vel alio quomodolibet proſequendi. Eodem præcepto prohibentes, ne Fratres aliqui propter licentiam ſibi datam contra prohibitionem hujuſmodi, præmiſſas electiones, ſeu poſtulationes aliquatenus, vel per ſe, vel per alium proſequantur. Si quis autem in præmiſſis ſecus fecerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto; quam ſententiam ferimus præſenti ſtatuto: & nihilominus (*m*) omnibus gratiis Ordinis ſit privatus; ad quas reſtitui non valeat, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

VIII.

(*n*) SI quis Frater noſtri Ordinis per ſe, vel per alium pro ſe, vel pro alio ordinationem de ſe, vel de alio factam, vel obedientiam ſibi, vel alii Fratri injunctam per quamcumque perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam quocumque modo procuraverit revocari: vel in aliqua Provincia, aut Conventu, aut officio, ſive etiam ſtudio generali poni, vel remanere, vel inde amoveri: ipſo facto ex vi præſentis ſtatuti in pœnam incidat gravioris culpæ; in qua, vel à qua cum tali diſpenſari non poſſit, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale.

(m) *Omnibus gratiis Ordinis ſit privatus.*) Declaramus, quòd privare Fratrem omnibus gratiis Ordinis, eſt ipſum privare Prioratu, Supprioratu, Lectura, Prædicatione generali, omnique gradu, & promotione, quæ in Ordine noſtro acquiri poteſt. Et volumus, atque ordinamus, ut talis Frater omnibus gratiis Ordinis ſic privatus, omni etiam voce privatus ſit: & bonis omnibus ad proprium uſum ei conceſſis; quæ ad Conventum illius applicanda erunt; ſicut fuit declaratum apud Narbonam 1354. & apud Rothomagum. 1361. ordinat. 3. Quæ quidem gratiæ non poſſunt reſtitui, niſi à Magiſtro Ordinis, vel à Generali Capitulo.

(n) *Si quis Frater noſtri Ordinis per ſe, vel per alium &c.*) Declaramus, quòd ſi quis Frater Ordinis noſtri per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio ordinationem de ſe, vel de alio factam, vel obedientiam ſibi, vel alteri Fratri impoſitam, quocumque modo per quamlibet perſonam extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutam revocari conſenſerit: vel in aliqua Provincia, ſeu Conventu, ſive etiam ſtudio generali poni, aut remanere, aut inde amoveri,

vel

vel cum perſonis extraneis commorari, vel in aliquo officio eſſe tentaverit; ipſo facto ex vi præſentis ſtatuti incidat in pœnam gravioris culpæ, à qua, vel in qua cum tali diſpenſari non poſſit, niſi à Magiſtro Ordinis, vel à Capitulo Generali. Talis autem quamdiu erit in hac pœnitentia, ſi Prædicator eſt prædicationis officium non exequatur, neque ad aliquod officium Eccleſiæ admitti debet, neque ei aliqua obedientia committatur, nec vocem habeat, niſi in ſui accuſatione: & ſi Sacerdos fuerit, vel Confeſſarius, his officiis non fungatur, atque adeo celebrare, & confeſſiones audire non poterit; ſed omnia debebit Sacerdotis officia prætermittere, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. Atque animadvertendum eſt, prædictam Conſtitutionem correctam fuiſſe apud Verdunum 1356. ſicut ſupra conſcripta eſt.

Item in Capitulo Lugdunenſi 1318. ordinat. 7. ſic dicitur: Cum Fratres aliqui in confuſionem Ordinis, & damnationem animarum ſuarum, correctionem de eis, vel aliis factam, ſive etiam faciendam impedire, & per perſonas extra obedientiam Ordinis conſtitutas aliis Fratribus gravamen facere contendant: volumus, & ordinamus, ut quicumque repertus fuerit eſſe talis, pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat, & omnibus gratiis Ordinis privatus ſit: quæ ei non poſſint reſtitui niſi à Magiſtro Ordinis, aut per Definitores Capituli Generalis. Et Romæ 1571. ordin. 9. ſic dicitur: Ordinamus ne Fratres Ordinis noſtri ad ſeculares cujuſcumque conditionis, aut dignitatis confugiant: vel ad evadendas pœnas à ſuis Prælatis impoſitas, vel ad rejiciendum aliquid quomodolibet ab eis mandatum, vel ad obtinendum quemcumque gradum, vel dignitatem. Declarantes præſenti ſtatuto Fratres noſtros eſſe inhabiles ad quaſcumque Ordinis dignitates, niſi à Magiſtro Ordinis fuerint reſtituti. Præcipientes inſuper Prælatis, ut Fratrem quemlibet hujuſmodi, tamquam præcepti transgreſſorem pœnæ gravioris culpæ ſubjiciant. Quod Bononiæ 1574. & Romæ 1580. confirmatum fuit.

Item declaramus in eodem Romano Capitulo 1580. publicatum fuiſſe Breve Gregorii XIII. in quo ipſe Summus Pontifex Prælatis omnibus Ordinis noſtri in virtute ſanctæ obedientiæ mandabat, ne ad inſtantiam, & petitionem quarumcumque perſonarum ſive ſecularium, ſive Eccleſiaſticarum extra eundem Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quamcumque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium; cuilibet dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant. Quinimmo quoſcumque dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta ſuarum Conſtitutionum hac via, & his mediis per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuo inhabiles declaravit. Quapropter in Capitulo Romano 1589. poſtquam Breve Gregorii ad verbum relatum eſt *in* §. *Quamobrem*, ſic habetur: Quamobrem ſingulos noſtri Ordinis Prælatos admonemus, ut ſcientes ſe non poſſe abſque peccato mortali quidquam ad ſecularium, vel perſonarum extra noſtrum Ordinem conſtitutarum inſtantiam concedere, abſtineant prorſus, neque id unquam faciant. Subditos vero pariter monemus, ut conſiderantes ſe inhabiles fieri ad munera omnia, caveant ne aliquid hoc modo procurent. Et quoniam ex hujuſmodi mendicatis ſuffragiis Religionis ruina patenter exoritur, ac ejuſdem ſtatus, atque tranquilitas ſummopere perturbatur, diſtributivæ juſtitiæ aditus intercluditur, ambitioni via aperitur, & demum indigni (utpote audaciores) virtute præditis, ac benemeritis in ſua ſe humilitate, ac modeſtia continentibus, interdum præferuntur, idcirco ad hujuſmodi abuſus tollendos, in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ ſub formali præcepto, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, hac una pro trina canonica admonitione præmiſſa, præcipimus, ne quiſquam directe, vel indirecte, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro aliis ejuſdem Ordinis Fratribus apud perſonas extra noſtrum Ordinem conſtitutas, & de noſtro Ordine non aſſumptas, gratiam aliquam, vel pœnarum remiſſionem à Prælatis noſtri Ordinis obtinendam procuret. Et ſub eodem formali præcepto eademque cenſura prohibemus, quemlibet hac de cauſa aliqua munera ſecularibus promittere, vel exhibere.

Item declaramus, quod cum à nonnullis dubitaretur, an ſub gratiarum nomine, quo Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione uſus fuerat, gradus, honores, dignitates, officia, & munia prædicti Ordinis comprehendantur, fel. recor. Clemens VIII. per alias ſimiles litteras datas *ad diem* 23. *Maji* priores Gregorii Conſtitutiones quoad omnia confirmavit: & quoad quoſcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, Prælaturas ejuſdem Ordinis perpetuo amplificavit, atque ampliandas eſſe decrevit. Et univerſis Ordinis Fratribus non ſolum in prædictis omnibus favorem ſecularium minime procurare, ſed ne quidem ſponte oblatum recipere: & ſimiliter ne propter hanc cauſam munera aliqua ſecularibus elargiri, vel exhibere audeant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in dictis Gregorii prædeceſſoris litteris contentis præcepit, interdixit, & expreſſe prohibuit. Item quæcumque contenta tum in Gregorii XIII. litteris, tum in illo § *Quamobrem*, Romani Capituli 1589. his pœnæ verbis in perpetuum confirmavit: *Nos Ordinis prædicti quieti, ac Religioſorum illius ſaluti opportunius conſulere, aliaſque in præmiſſis providere volentes, ad litterarum præfatarum, necnon Decreti Capituli Generalis ejuſdem Ordinis, in executionem earumdem litterarum facti quod incipit*: Quamobrem, ſingulos noſtri Ordinis Prælatos admonemus &c. *veriores, & totos tenores præſentibus pro expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, motu proprio, ex certaque noſtra ſcientia, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, litteras, ac Decretum hujuſmodi, ac in eis contenta Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, & illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque, ac ſingulos tam juris, quam facti, & alios defectus, ſi qui in eis intervenerint, ſupplemus.* Tandem Sanctiſſimus D. N. Paulus Papa V. in alia Conſtitutione *ad diem* 7. *Januarii* 1608. motu proprio, & ex certa ſcientia prædictas Gregorii & Clementis litteras atque etiam in eis contenta in perpetuum confirmavit, & approbavit, & perpetuæ firmitatis robur adjecit. Quam poſtea Pauli. V. Conſtitutionem, Patres Ordinis noſtri in Actis Romani Capituli 1608. inſertam eſſe voluerunt.

CAP. XIV.

Caput XIV.

De Studentibus.

I.

(*a*) Quoniam circa ſtudentes diligens eſt adhibenda cautela, aliquem ſpecialem Fratrem habeant, ſine cujus licentia non ſcribant quaternos, nec audiant lectiones: & quæ eirca eos in ſtudiis corrigenda viderit corrigat; & ſi vires ejus excedant, Prælato proponat. In libris Gentilium, & Philoſophorum non ſtudeant, & ſi ad horam inſpiciant. (*b*) Sæculares ſententias non addiſcant, neque artes, qoas liberales vocant; niſi aliquando circa aliquos Magiſter Ordinis, vel Capitulum Generale, vel Prior Provincialis, vel Capitulum Provinciale voluerit aliter diſpenſare, (*c*) ſed tantum libros Theologicos, tam juvenes, quam alii legant. Ipſi vero in ſtudio taliter ſint intenti, ut de die, de nocte, in Domo, in itinere legant aliquid, vel meditentur; & quidquid poterunt retinere cordetenus nitantur.

(a) *Quoniam circa ſtudentes diligens eſt adhibenda cautela &c.*) Declaramus, quòd ſtudium ſacrarum ſcientiarum Religioni noſtræ quam maxime congruit. Imprimis, propter illud quod vitæ contemplativæ proprium eſt: nam contemplatio ordinatur ad rerum Divinarum conſiderationem, quæ recte ſtudio dirigitur. Etenim ſtudium liberat contemplantem à periculis, quæ ſunt errores: io quibus ſæpe verſantur ii, qui contemplantur, cum tamen Scripturas ſacras ignorent. Quapropter Greg. lib. Moralium dicit: *Nonnulli dum plus exquirunt contemplando quam capiant, uſque ad perverſa dogmata erumpunt.* Secundo, ſtudium Religioni noſtræ neceſſarium eſt, quoniam ipſa eſt inſtituta ad tradendum aliis contemplata per doctrinam; quæ ſaue res fieri non poteſt ſine ſtudio ſcripturarum, earumque contemplatione. Quare Hieronymus ep. 16. quæſt 1. dicit: *Multo tempore diſcas, quod poſtea poſſis docere: ne ſis miles antequam tyro, & Magiſter antequam diſcipulus.* Et Apoſtolus de Epiſcopo, ad quem pertinent actus hujusmodi, dicit: *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Quamobrem diſtinct. 38. dicitur: *Ignorantia qua mater eſt cunctorum errorum, à cunctis vitanda eſt, & maxime ab his qui officium docendi in populo ſuſceperunt.* Tertio litterarum ſtudium Religiooi noſtræ convenit, quoad illud, quod ei cum omnibus Religionibus eſt commune: valet enim primo ad profligandam carnis laſciviam; quapropter Hieronymus inquit: *Ama ſtudia litterarum, & carnis vitia non amabis*, de conſecratione *diſtinctione* 5. cap. Nunquam Deinde valet ad comprimendam, atque reſtringendam divitiarum cupiditatem; quia ut dicit Philoſophus: *Melius eſt philoſophari, quam ditari.* Ac proinde Hieronymus: *Crates ille Thebanus, cum ad philoſophandum pergeret, magnum auri pondus abjecit* 12. quæſt 2. capit. Gloria. Tandem valet ad exequendom ea, de quibus erudimur. Quare Aug. dixit: *Qua perverſitas eſt illi lectioni nolle obtemperare, qui vult ei continuo vacare.* *A ſacra etiam Scriptura docentur homines de modo, atque ordine obediendi*, ut habetur 8. quæſt. 1. capit. Sciendum.

(b) *Sæculares ſcientias non addiſcant.*) Declaramus, quòd quamvis liceat Fratribus noſtris ſtudere ſcientiis ſecularibus, non tamen diu in illis verſari debent, & omne ætatis ſuæ tempus conſumere, ſed potius ſcripturarum ſtudio, atque eis quibus conſulere poſſunt ſaluti animarum, debent ſe aſſidue, ac ſollicite exercere; à curioſitate, & inani gloria cavendo, atque ex illis non ſibi ſolum, ſed etiam aliis ad bene, ſancteque vivendum documenta capere, ſicut fuit in plurimis Capitulis ordinatum.

Admonemus etiam, ne per ſpeciem bonarum, ut ferunt humanarum artium, & exculrioris, atque ornatioris linguæ, libros maxime à Canone prohibitos legant: ex quibus corruptos mores, & dogmata perverſa facile poſſunt imbibere, ſicut fuit ordinatum Romæ 1569. & 1571. & confirmatum Barcinonæ 1574. Verum poſtea quoad Hebraicam, & Græcam linguam, Romæ 1608. ordin. 9 ſic juſtis de cauſis fuit diſpoſitum. Ordinamus, ut poſt ſex menſes à præſentium notitia, Priores Provinciales ſinguli in ſuis Provinciis, teneantur ſtudium linguarum, præſertim Hebraicæ, & Græcæ inſtituere, perquirendo doctiſſimos harum artium Præceptores: quos ſi in Ordine habere nequiverint, ex ſeculo accerſant, diſcipuliſque præficiant; decernendo illis annua ſtipendia, ex communibus ſumptibus ſuorum Conventuum. Et hoc idem poſtea non ſolum ordinatum Pariſiis 1611. denunc. 3. verum etiam à SS. D. N. Paulo V. Apoſtolica authoritate ſtatutum fuit.

(c) *Sed tantum libros Theologicos &c.*) Declaramus, in S. Concil Trident. Seſſ. 4. editum fuiſſe Decret ad hanc ſpectans Conſtitutionem, his verbis: SS. *Synodus ad coercenda petulantia ingenia, decernit; ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, S. Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia (cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione S. Scripturarum) aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam S. Scripturam interpretari audeat: etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent; qui contra fecerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à juribus ſtatutis puniantur.* Et Romæ 1569. habetur: Diſtricte præcipimus ſub pœna privationis cujuſcumque gradus, ultra pœnas à jure ſtatutas: ne quis Magiſter, aut Regens, aut Lector, aut quivis noſtri Ordinis, audeat aſſerere, vel defendere publice, vel privatim, ullum articulum pugnantem cum Decretis Sacri Concilii Tridentini; cum aſſertionibus ad dogmata fidei, vel ad bonos mores attinentibus: præſertim vero cum Canone illo de ſacramentali Confeſſione, ante ſumptionem Sacratiſſimi Corporis Chriſti neceſſario præmittenda, etiamſi aliquem ex noſtris Doctoribus inſigniorıbus, nempe Durandum, Cajetanum, ſeu quamvis alium patrocinatorem habuerit. Quod quidem confirmatum fuit Romæ 1571 confirmat. 5. & Barcinonæ 1574. Inſuper prohibemus Fratres omnes recitare, aut confirmare ſingularem aliquam opinionem oppoſitam communi Doctorum ſententiæ, in his quæ ad fidem, aut ad honeſtos mores pertinere noſcuntur; niſi reprobando, ac ſtatim objectionibus reſpondendo. Qui autem in hoc deliquerint, à Priore Provinciali,

vel ab ejus Vicario in pœnam ſtudio atque officio Lectoratus priventur; ſicut fuit ordinatum apud Cæſarauguſtam 1309 ordinat 3. & Metis 1313. ordinat. 8. & apud Ciſtericum 1329. Præterea diſtincte injungimus Lectoribus omnibus, & Sublectoribus, ut præſtantiſſimam noſtri Angelici Doctoris Sancti Thomæ doctrinam ſemper legant, diſcant, & doceant: & juxta eam omnia quæſita, & diſputata determinent, & deffiniant, ſuoſque diſcipulos in ipſa erudiant, & faciant ut ſtudentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Eſt enim excellentiſſima hæc doctrina, ſana præ cæteris, culta à doctoribus viris, Ordini noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac denique Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata. Lectores ergo atque ſtudentes eam in lectionibus atque diſputationibus non prætermittant, ſed in ea verſentur, eamque explicent & exhibeant: ipſi denique in fine ſuarum diſputationum, rationibus contrariis ſolutis, & fractis, firmiſſime adhæreant, ſtricte prohibentes ne Fratres legendo, determinando, reſpondendo, aſſerere audeant ex propria ſententia oppoſitum ejus, quod communi omnium judicio creditur aſſertum eſſe à Sanctiſſ. Præceptore.

Item in Capitulo apud Carcaſſonam 1342. ſic fuit ordinatum: Cum præclariſſima Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis Doctrina, in toto Orbe terrarum tanquam lux ſolis eluceat, & ut firmiſſima, ac ſolidiſſima doctrinarum omnium, à Sede Apoſtolica, & à principalibus Eccleſiæ Doctoribus, cum teſtimonio Epiſcopi, atque Univerſitatis Pariſienſis honorifice approbata fuerit, & Divinis laudibus ornata: imponimus Lectoribus, & Studentibus, ut ſpretis, & poſtpoſitis vanis, & curioſis, ac frivolis doctrinis, quarum plurimæ à veritate abducunt, ejuſdem ſanctiſſimi Doctoris doctrinæ omnino dent operam, & aſſidue ſtudeant, juxta quam quæſtiones omnes, & dubia determinent. Item in Capitulo Salmanticen. 1551. ordinatum fuit, in lectionibus Theologicis legatur totus artic. S. Thomæ, & ex eo declaretur, & manifeſtetur veritas. Quod Pariſiis 1611. confirmatum, & ampliatum fuit, ita tamen, ut ordinatum fuerit, articulum Sancti Doctoris legendum eſſe non compendioſe, & confuſe, ſed diſtincte, & articulate eſſe declarandum, & exponendum; rationem habendo non ſententiæ ſolum, ſed etiam ordinis, atque connexionis textuum, & curando, ut diſcipuli hæc eadem omnia faciant, & memoriæ mandent, atque de eis in diſputationibus, & collationibus illos informent. Et Romæ 1553. & 1558. & 1569. ordinat. 5. & 1571. confirmat. 6. Avenione 1561. confirmat. 5. & Bononiæ 1564. additum fuit, ut quicumque à ſolida doctrina S. Thomæ receſſerit, & vel verbo, vel ſcripto aliquid contrarium dixerit, officio Lectoratus, & quocumque alio gradu, & dignitate in perpetuum privatus ſit, & eiſdem pœnis plectendus eſt quicunque aliquid contra S. Thomæ doctrinam prædicaverit; ſicut fuit ordinatum Valentiæ 1596. admonit. 1.

II.

CUret Prior Provincialis, *(d)* ſi habuerit aliquos utiles ad ſtudendum, qui poſſunt in brevi apti eſſe ad regendum, mittere ad ſtudendum ad loca ubi viget ſtudium, *(e)* extra ſuas Provincias, de Deffinitorum Capituli Provincialis, vel majoris partis eorum conſilio, & aſſenſu. Si vero aliquem miſſorum ſtudentium infra ſex menſes à tempore celebrati Capituli mori contigerit, vel alias legitime impediri, Prior Provincialis loco illius poſſit alium ſubrogare. Et in aliis, illi, ad quos mittuntur, non audeant eos occupare, neque ad Provinciam ſuam remittere, niſi fuerint revocati. *(f)* Poſtquam autem in aliquo ſtudio per tres annos, ad plus, fuerint commorati, ipſo facto ſint ab ipſo ſtudio abſoluti: niſi de Magiſtri Ordinis licentia ſpeciali. Et hoc idem circa ſtudentes ejuſdem Provinciæ obſervetur.

(d) *Si habuerit aliquos utiles ad ſtudendum.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales debent diligenter exquirere juvenes ad ſtudium aptos, qui brevi tempore poſſint proficere; & eos Conventibus, in quibus vigent ſtudia, aſſignare. Et Fratres non mittantur ad Studia Generalia, niſi qui bonis moribus præditi, atque ad proficiendum apti ſint: & juvenibus ad ſtudium aptis non permittantur inanes vagationes extra Domum, & aliæ vagationes, quæ eis in ſtudio impedimentum inferunt. Nec concedatur illis licentia exeundi è Monaſterio, niſi ob maximam neceſſitatem: quæ ſi contingat detur eis Socius cum quo pergant, ſicut fuit ordinatum Valliſoleti 1605. Nequaquam autem moleſti, atque inepti Fratres mittantur ad ſtudia: & ſi quos tales miſerint, ſine dilatione ſtudeant revocare. Nec imperiti Fratres, ut ſtudentes in aliquo Conventu aſſignentur: ne ſtudii locum aliis eripiant, ſicut fuit ordinatum Metis 1251. ordinat. 7. Valencenis 1259. & apud Peſtum 1273. ordinat. 1. & Lugduni 1274. ordinat. 5. ac demum Pariſiis 1279. ordinat. 2.

(e) *Extra ſuas Provincias.*) Declaramus, quod Fratres miſſi ad Studia Generalia extra ſuas Provincias, ex illis Conventibus ſunt, ex quibus erant, antequam recederent. Fratres vero qui conſtituuntur comites peregrinorum, ad eos Conventus, & ad illas Provincias pertinent, ex quibus Superiorum juſſu profecti ſunt, atque ibi vocem habent, ſicut fuit declaratum Ferrariæ 1362. & Januæ 1513. & Neapoli. 1515.

(f) *Poſtquam autem in aliquo ſtudio per tres annos &c.*) Declaramus, quod ille ſtudens, qui ex ea Provincia eſt, in qua eſt ſtudium, poſt triennii ſpatium, præſcriptum ei à Conſtitutionibus noſtris, remanet Conventualis in ipſo Conventu in quo fuit ſtudens: at vero ſtudens ex alia Provincia poſt elapſum ſuum triennium, remanet Conventualis illius Conventus, in quo manebat tunc, cum in ſtudio fuit aſſignatus; ſicut Perpiniani 1427. & Peruſii 1478. declaratum fuit. Item declaramus in Capitulo Romano 1571. fuiſſe Lectoribus præfinitum tempus Dialecticæ, Philoſophiæ, ac Metaphyſicæ legendæ. Et Valliſoleti 1605. ſic fuit ſtatutum: Confirmamus, quòd ſtudii tempus formalium ſtudentium ſit triennium expletum: quo elapſo non poſſint amplius in eodem ſtudio permanere; ut detur locus aliis, ſicut iſta Conſtitutio poſtulare videtur. Sin autem ſine legitima cauſa extra Conventum, cui ad ſtudendum fuit aſſignatus, ultrà quatuor menſes fuerit commoratus, ad Conventum ſuum remittatur omnino; ſicut fuit ordinatum Romæ 1530.

III.

TRes Fratres tantùm mittantur Pariſios, ad ſtudendum de Provincia: exceptis Provinciis, Hiſpaniæ, Toloſanæ, Provincia S. Dominici, Teutoniæ, Lombardiæ, Saxoniæ, Dalmaciæ, Daciæ, Poloniæ, Græciæ, Terræ Sanctæ, Aragoniæ, Bohemiæ, Provinciæ: de quarum qualibet duo tantum mittantur. Quælibet autem Provincia (exceptis Græciæ, Daciæ, Terræ ſanctæ) provideat, ut ſemper in Conventu aliquo idoneo ſit Generale Studium: & ad illum locum quilibet Prior Provincialis poteſtatem habeat mittendi duos Fratres idoneos ad ſtudendum. (g) Quod ſi in aliqua dictarum Provinciarum Lector ſufficiens pro tali ſtudio non fuerit, Magiſter Ordinis de Lectore provideat competenti.

IV.

STatuimus autem, ut quælibet Provincia Fratribus ſuis miſſis ad ſtudium ad minùs in tribus libris Theologiæ teneatur providere: videlicet in Biblia, Hiſtoriis, & Sententiis, & ipſi in his tàm in textu, quam in gloſſis, præcipuè ſtudeant diligenter, & intendant. Item nullus faciat ſcribi libros de rebus Domus, niſi ad communem utilitatem. Nulli etiam certus uſus librorum concedatur, nec dedignetur à quocumque auferantur, nec in cujus cuſtodia dimittantur. In diebus Dominicis, & in Feſtis præcipuis, à quaternis ſcribendis ſe contineant.

(g) *Quod ſi in aliqua dictarum Provinciarum Lector ſufficiens pro tali ſtudio non fuerit.*) Declaramus, quòd cum ex ſtudiorum profectu dignitas Ordinis, & animarum utilitas propagetur. Priores Provinciales, & Conventuales debent dare operam quantum poſſunt, ut ſtudium ſemper vigeat, & ſtudentes diligentiſſimi ſint in lectionibus audiendis, nec à Gymnaſio abſint, niſi ex rationabili cauſa, & ex peculiari licentia. Et Lectores legant textum S. Thomæ, diſputent eſſiduè, & continuent lectiones: qui verò in his reperti fuerint negligentes, merita pœna plectantur. Curent autem inprimis Prælati, ne Fratres propter ſtudium artium, ſacræ Theologiæ ſtudium omittant: & ſi in aliqua Provincia non ſit copia Lectorum, Fratres, & præcipue juvenes, bonis moribus ornati, & ad ſtudium apti, mittantur ad loca in quibus Lectorum copia ſuppetat. Nec Lectores iis officiis, & negotiis occupentur, quibus impediantur. Et ſi non invenerint Lectores, qui ſint idonei ad lectiones publice habendas, ſaltem inveniant qui vel ſacræ Scripturæ, vel Summæ Caſuum, vel alicujus hujuſmodi rei privatas lectiones habeant, ne Fratres marceſcant otio, & tempus inaniter perdant. Volumus autem, ut in Studiis tàm Generalibus quam particularibus, aliqui Lectores, qui ſint præ cæteris ad legendum magis idonei, nequaquam in officio regiminis occupentur: donec per aliquot annos Lectoratus officium exercuerint. Lectores autem actu legentes nullam habeant libertatem recedendi à Refectorio, ſed volumus, ut Priores pro ipſorum laboribus, poſſint aliquando cum eis in abſtinentiis diſpenſare. Et hæc omnia ſupradicta ordinata fuerunt in noſtris Capitulis, Bonon. 1240. Valencenen. 1259. apud Montem Peſulanum 1265. Mediolani 1278. Pariſiis 1279. & Londonis 1314. Tandem Romæ 1553. & 1558. fuit ordinatum, & Avenione 1561. Bononiæ 1564. & iterum Romæ 1569. fuit confirmatum: ut ſi Lectores quarumcumque facultatum, etiam Caſuum Conſcientiæ, lectiones reipſa, quacunque de cauſa prætermittant, aut à doctrina Sancti Thomæ recedant, munere legendi omnino priventur.

Item declaramus, in Capitulo Bononienſi 1564. ordinatum fuiſſe, ut in Conventibus, in quibus ſtudia majora non vigent, habeatur Lectio de Caſibus Conſcientiæ. Ubi autem non vigent ſtudia Theologiæ, habenda eſt lectio de Caſibus ex Summa Cajetani, vel ſimilis huic; ſicut fuit ordinatum Romæ 1671. & Barcinonæ 1574. Ad quam ſanè lectionem convenire debent Sacerdotes omnes, & Confeſſarii, præterquam Graduati, & Lectores; ſicut fuit ordinatum Romæ 1580. & hujuſmodi lectiones ternæ per ſingulas hebdomadas eſſe debent, ubi hoc commode fieri poterit. Ubi vero ob Fratrum paucitatem fieri non poterit, curent Superiores, ut pro lectione Fratres ſimul commorantes aliquem Conſcientiæ Caſum inter ſe conferant, ut fuit ordinatum Romæ 1569. & confirmatum 1571. & Barcinonæ 1574., & iterum Romæ 1601.

Item declaramus, in Capitulo Romano 1569. declarat. 6. ſic fuiſſe ordinatum: Quoniam ſæpiſſime, ea quæ ad ſtudium pertinent, vocantur in controverſiam inter Prælatos, & ejus officiales ſtudii, neceſſarium eſſe duximus declarare, quid ad Regentis, quid ad Baccalaurei, quid ad Magiſtri Studentium ſpectet officia: eo præcipue quod de nullis iſtis officiis quidquam ordinaverint Conſtitutiones noſtræ, neque in Ordinario Religionis ulla fiat mentio de eis.

Et primo declaramus, quòd in omnibus Univerſitatibus noſtri Ordinis, Regens eſt caput Studii: & non modo ſtudentes cujuſcunque facultatis, ſed etiam omnes alii officiales ſtudii, & Lectores, ſubditi ſunt ei in omnibus illis rebus, quæ ad ſtudium pertinent, cujuſmodi ſunt lectiones, diſputationes publicæ, circuli quotidiani, Caſus Conſcientiæ, & quicunque alii actus litterarii.

Item declaramus, maxime pertinere ad eum terminare, reſolvere, & definire quaslibet quæſtiones in diſputationibus propoſitas, ſilentium imponendo omnibus: hac lege ut poſt datam ab eo reſolutionem, nulli omnino, exceptis RR. Provincialibus, liceat quidquam in medium adducere. Item declaramus Regentes habere præcipuam Theologiæ lectionem, aliiſque Lectoribus præſcribere debere quid legere debeant: ipſe vero legat hora, qua maluerit, eiuſque lectioni teneantur intereſſe non ſolum ſtudentes formales, ſed etiam dantes operam Metaphyſicæ. Alii autem Lectores legant horis ab ipſo Regente conſtitutis. Declaramus etiam, ad ipſum primario pertinere illa omnia, quæ de Magiſtro Studentium, tum in Conſtitutionibus, tum in Ordinario Religionis, *Capite de Officio Magiſtri Studentium*, ſcripta ſunt. Cum autem ei in Generali, vel Provinciali Capitulo diſputandum eſt, in ejus libertate omnino ſit poſitum, hunc, vel alium ſibi eligere in reſpondentem.

Deinde declaramus, ſecundum locum in ſtudiis (quantum attinet ad litteraria exercitia) Baccalaureum, ſive ſecundum Lectorem Theologiæ tenere; præterquam in illis Univerſitatibus, in quibus ſunt duo, vel plures Regentes: volumus enim in ipſis ita ſe Regentes habere, ut alter alterum juxta ſuum ordinem, & omnes Baccalaureum, ſive ſecundum Lectorem Theologiæ antecedant. Et proinde abſentibus tum primario, tum aliis omnibus Regentibus, ad Baccalaureum ſpectat, omnia Regentis munia modo jam dicto obire. Præterea declaramus tertium locum pertinere ad Magiſtrum Studentium, quoad prædictas litterarias exercitationes. Præter illa vero, quæ de ipſo in locis commemoratis dicta ſunt, declaramus, ad eum peculiariter ſpectare concluſiones in quotidianis circulis diſputandas proponere, & reſpondentibus aſſiſtere; Caſus Conſcientiæ opportunis temporibus, ac dubia ſuper Epiſtolas, & Evangelia proponere, ac rationes adducere pro utraque parte, ipſi Regenti ultima determinatione relicta. Debet etiam ex Regentis conſilio ſcribere litteras dimiſſorias Studentibus, poſtquam ſuum ſtudium expleverint; curando, ut illis Regens, & Baccalaureus una ſecum ſubſcribant. Inſuper declaramus eundem Magiſtrum Studentium exemptum eſſe à ſequela Chori, ſicut alii Regentes, tametſi nulla lectio legenda ad ipſum pertineat. Debet etiam habere librum Regiſtri, in quo præſcribat continuate ſeriem Officialium, atque ſtudentium omnium, eorumque receptiones & remiſſiones: nec non ordinationes editas, circa ſtudium. Et hæc omnia confirmata fuerunt Romæ 1571. Barcinonæ 1574. & iterum Romæ 1580. ubi fuit additum: quod quamvis præcipuo Prælato Conventus, primus locus in ſedendo conveniat, in proponendis tamen, examinandis, recipiendis, & nominandis Studentibus convenit ipſi Regenti, cui etiam à Definitorio commemorati Capituli hoc fuit conceſſum, & tributum.

Item declaramus Romæ 1571. ordinat. 4. ordinatum fuiſſe, ut Regentes, Baccalaurei, Magiſtri Studentium, aliique Lectores, illi fiant, non qui ſunt majores natu, ſed qui ad diſcipulos edocendos ſunt aptiores: nec pro his officiis ad determinatum tempus ſunt aſſignandi, ita ut illi in primis, qui in hoc docendi munere fuerint egregii, etiam Prælaturæ cauſa, à ſtudio non removeantur. Et hoc fuit confirmatum Barcinonæ 1574. Romæ 1580. & iterum Romæ 1589. In quo ultimo Capitulo ſub pœna excommunicationis præceptum fuit, ut omni peculiari affectu depoſito, non niſi idonei ad hæc exercenda litterarum officia eligantur. Item declaramus Neapoli 1600. fuiſſe ordinatum, ut nullus fiat Magiſter Studentium, qui non legerit curſum Artium, & ad legendam Theologiam idoneus per examinationem præviam non fuerit judicatus. Ad legendum autem Logicam, Philoſophiam, & Metaphyſicam, nullus admittatur, niſi per tres annos eaſdem diſciplinas audierit, & per tres alios curſum Theologiæ confecerit, atque inſuper à Theologiæ Lectoribus, & Magiſtro Studentium aptus ad tale officium fuerit judicatus.

Item declaramus Barcinonæ 1564. fuiſſe ordinatum, ut nullus admittatur ad legendam Theologiam, niſi prius artibus ſtuduerit, curſu non interpolato ſed continuato, ab ipſa Dialectica ducto exordio. Item declaramus, quod tempus habendarum lectionum, Romæ 1571. ſic fuit ſtatutum: Ordinamus, quod ſaltem decem menſes quotannis ad lectiones habendas conſtituantur: & neque ſtudentes, neque Lectores ad prædicandum mittantur; ſed in ſtudiis omne tempus conſumant, niſi quandoque aliter ipſe Prior Provincialis judicaverit. Quod etiam fuit confirmatum Barcinonæ 1574. Et Valliſoleti 1605. fuit ordinatum, ut nulla ratione intermittantur lectiones, & litterariæ exercitationes, à Feſto Sanctæ Crucis, uſque ad Feſtum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, exceptis hebdomada ante Adventum, & duabus hebdomadibus ante Quadrageſimam: dummodo eo etiam tempore ſingulis diebus una lectio habeatur. A Dominica autem in Ramis Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis, ceſſare poterunt omnia. Et Romæ 1601. & Valliſoleti 1605. fuit ordinatum, ut Lectores Artium tempore Quadrageſimæ non poſſint concionari: ita ut ob conciones habendas conſuetæ lectiones omittantur; & quod ambo Theologiæ Lectores eodem tempore concionibus non dent operam, ſed ſemper alter eorum, ſit qui in legendi munus incumbat. Item in utroque Capitulo ordinatum fuit, ut quotidie lectionum omnium quæ habentur, concluſiones fiant, (quæ Circuli vulgari nomine appellari ſolent) niſi actus magis principalis impedimentum afferat.

V.

BOna Fratris defuncti, quod ad illa, quæ ab aliqua Provincia, vel Conventu habuit, ſint illius: quæ vero aliter acquiſivit, ſint. Conventus, cujus eſt filius; ſi in alio Conventu non eſt aſſignatus in perpetuum, ſed ad tempus propter ſtudium, vel officium aliquod. Quæ vero hæreditario jure obtinuerit, vel ei obvenerunt, erunt Conventus ſui originalis; (*b*) etiam ſi alterius Conventus factus ſit filius. (*i*) Si vero eſt aſſignatus in aliquo Conventu ſimpliciter, ac pro tali ibidem præſentialiter receptus: & Conventus ille conſuevit (prout tenetur) providere talibus de toto victu, veſtitu, & aliis hujuſmodi, tam tempore ſanitatis, quam infirmitatis: divident hæc taliter acquiſita mobilia, æquis portionibus, inter Conventum in quo eſt aſſignatus, & Conventum cujus eſt filius. Alioquin quarta pars tantum erit Conventus, in quo ſimpliciter eſt aſſignatus; immobilia vero non hæreditario jure obvenientia, ſemper erunt Conventus, cujus eſt filius.

VI.

IN utroque autem caſu (ſive aſſignetur ſimpliciter, ſive ad tempus) Conventus cui aſſignatus fuerit, & ipſe eidem Conventui ad ſuffragia teneatur. Si autem ex quo alii Provinciæ aſſignatus fuerit, ipſum mori contingat, (*k*) antequam certo Conventui deputetur; Prior ejuſdem Provinciæ provideat eidem de Conventu, qui ſibi ad ſuffragia teneatur, ne conſuetis defunctorum ſubſidiis defraudetur.

(h) *Etiam ſi alterius Conventus factus ſit filius.*) Declaramus, in Capitulo Romano 1542. ordinatum fuiſſe, ne filiationes intra eandem Provinciam ex uno Conventu in alium transferantur; niſi præcedente conſenſu Provincialis, & majoris partis Capituli ejuſdem Conventus. Et in Capitulo Romæ 1553. ordinatum fuit, ut non fiant niſi ex conſenſu majoris partis omnium in Conventu præſentium Fratrum nativorum utriuſque Conventus reſpectivè, congregatorum ſimul in Capitulo: & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, præterquam in Provinciis Græciæ, Terræ Sanctæ, & cæteris deſolatis. Et hoc fuit confirmatum Romæ 1558. & fuit additum: quod hujuſmodi translationes filiationum non fiant niſi ex conſenſu Provincialis. Idem habetur Avenione 1561. Bononiæ 1564. Et poſtea Romæ 1580. ſic dicitur: Ordinamus, quod in poſterum non fiant in Ordine noſtro translationes filiationum ex uno Conventu in alium, niſi per vota ſecreta. Nolumus autem Prælatos poſſe recipi tanquam filios in illis Conventibus, quorum ſunt Prælati, quamdiu funguntur prælationis officio etiam ſi habuerint omnia vota. Quod Venetiis 1592. fuit confirmatum, declarando, hanc ordinationem vim ſuam habere etiam apud Vicarios Domorum. Tandem Romæ 1601. ordinat. 29. ex Clementis VIII. Decreto, hujuſmodi filiationum tranſlationes fuerunt omnino prohibitæ.

(i) *Si vero eſt aſſignatus.*) Declaramus, quod hæc recens Conſtitutio in hoc uſu verſatur; quod ſi quis Frater in aliquo Conventu ſimpliciter aſſignatus ſit, bona omnia poſt ejus mortem apud ipſum inventa, quæ vivens ab alio Conventu non habuit, in duas partes dividantur: quarum altera datur Conventui originali illius, altera vero Conventui, in quo moritur aſſignatus. Et Barcinonæ 1574. ſic ſtatutum fuit: Declaramus, & declarando omnino præcipimus, ut in diſtributione bonorum defuncti Fratris, ſervetur Conſtitutio: videlicet, ſi contingat, ut aliquis non ſimpliciter, ſed ad tempus tantum cauſa ſtudii, vel alicujus officii aſſignatus moriatur; ex vi Conſtitutionum Diſtinctione 2. Cap. 14. bona ejus ſint illius Conventus, cujus erat filius: ut ſæpe contingit de Fratribus, qui ex ſuo originali Conventu, vel ex alio, in quo ſunt ſimpliciter aſſignati, ad Prioratus aſſumuntur. Declarantes, quod ſi quis profeſſus Conventus, fiat poſtea ex conceſſione Magiſtri Ordinis filius alterius Conventus; bona immobilia ad Ordinem ſpectantia per talem Fratrem, debent ad primum Conventum pertinere. Bona vero mobilia erunt ſecundi Conventus, ad quem aggregatus eſt, ſi in eo aſſignatus moriatur; ſicut fuit ordinatum Peruſii 1478. ordinat. 11. Si quis autem Frater unius Provinciæ moriatur in alia Provincia, dimidia pars bonorum, quæ ibi acquiſivit, pertinebunt ad eam Provinciam, in qua moritur: dimidia vero ad ſuum Conventum originalem, niſi Magiſter Ordinis aliter ordinaverit; ſicut fuit declaratum Venetiis 1387. Et in Capitulo Romano 1530. facta fuit infraſcripta declaratio circa acquiſitionem bonorum à Fratribus defunctis relictorum: quod ſerventur Conſtitutiones in his, de quibus ipſæ plane, & aperte loquuntur; quemadmodum de his qui ſunt aſſignati in Conventibus, & Provinciis. De his autem qui commorantur extra Conventum, nullam habentes aſſignationem à Provinciali, aut ſunt extra Ordinem; omnino declaramus, dimidiam partem ſuorum poſt eorum mortem ad Magiſtrum Ordinis, dimidiam vero ad Provincialem pertinere.

(k) *Antequam certo Conventui deputetur.*) Declaramus, quòd ſi quis Frater, vel verbo, vel ſcripto, alicui Conventui aſſignetur dicendo: Ex nunc, prout ex tunc, ſive præſentem, ſive abſentem, aſſigno tali Conventui; ſtatim valet aſſignatio, & Frater ille ad hunc modum aſſignatus, & ejus bona ad illum Conventum pertinent, cui ſic aſſignatus eſt; non autem ad illum cui prius aſſignatus fuerat: ſive ipſe antequam recedat à priore illo Conventu, ſive in itinere, ſive intra Provinciam, ſive extra illam moriatur. Si vero aſſignetur alicui Conventui juxta communem formam, dicendo videlicet: Tenore præſentium deputo, atque etiam aſſigno tali Conventui: tunc non valet aſſignatio, donec literæ exhibitæ fuerint aſſignato. Et propterea ſi mors ei contigat antequam in ejus manus pervenerint, ſpectabunt bona illius ad Conventum, in quo prius erat Conventualis: non ad alium, cui fuit poſtea aſſignatus; ſicut fuit declaratum apud Toloſam anno Domini 1328.

VII.

(*l*) CIrca eos autem, qui ſtudent, taliter diſpenſetur à Prælato: ne propter officium, vel aliud, de facili à ſtudio retrahantur, vel impediantur. (*m*) Locus vero proprius ſecundum quod Magiſtro Studentium videbitur, ſtatuatur; in quo poſt diſputationem, aut Veſperas, vel etiam alio tempore, prout vacaverit, ad dubitationes, vel quæſtiones proponendas, vel collationes faciendas, ipſo præſente conveniant. Et uno quærente, ſive proponente, alii taceant: ne loquentem impediant. Si quis autem inhoneſte, vel confuſe, vel clamoſe, vel proterve quærens, vel proponens, vel reſpondens, offenderit; ſtatim ab eo, qui tunc inter eos præeſt, corripiatur. Cellæ, quibus Magiſtro Studentium expedire videbitur, aſſignentur. (*n*) Quod ſi quis infructuoſus in Studio inveniatur, cella ejus detur alteri, & ipſe in aliis officiis occupetur. In cellis vero ſcribere, legere, orare, dormire, & etiam de nocte vigilare ad lumen poſſunt, qui volunt propter Studium.

(l) *Circa eos autem, qui ſtudent, taliter diſpenſetur à Prælato.*) Declaramus, quod Præſidentes eorum Conventuum, in quibus eſt ſtudium, ſtudentes omnes, qui ad eos mittuntur, debent benigne recipere, & liberaliter, humaniterque eos tractare: & gratias omnes, immunitates, & privilegia à Conſtitutionibus, vel à Magiſtris Ordinis, ſive à Generalibus, vel à Provincialibus Capitulis eis conceſſa, vel in poſterum concedenda; eiſdem cum omni integritate ſervare: alioquin à Provincialibus, vel Viſitatoribus debita pœna plectantur; ſicut fuit ordinatum Romæ 1292. & Viennæ 1282. & Cæſarauguſtæ 1309. & Metis 1313. Declaramus, quod etiam Studentes Generalium Studiorum, diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnioribus, ſub officio Toto Duplici celebratis, tenentur ad Chorum accedere: atque ibi Horas Canonicas perſolvere, & Miſſam Conventualem decantare; niſi tamen ipſi iiſdem diebus in actibus ſcholaſticis exerceantur. Ad Completorium vero, & ad Miſſam quotidie debent accedere.

Item etiam ſemel in Anno ad hebdomadariam, & ad lectionem menſæ notandi ſunt. Et ut Studentes non diſtrahantur à ſtudio, non poſſunt Præſidentes Conventuum Fratribus ſtudio aſſignatis, dare licentiam egrediendi extra terminos ſuorum Conventuum, ſine Prioris Provincialis, vel ejus Vicarii peculiari licentia; ſicut fuit declaratum Argentinæ 1307. Paduæ 1308. & Cæſarauguſtæ 1309.

(m) *Locus vero proprius, ſecundum quod Magiſtro Studentium videbitur ſtatuatur.*) Declaramus, quòd Magiſter Studentium, frequenter Studentes præcipue juniores, convocare debet, eoſque examinare ſaltem ſemel in hebdomada circa quæſtiones, & lectiones illas, quæ eis per hebdomadam fuerint explicatæ. Studentes autem cujuſcumque facultatis, teneantur aſſidue ſequi ſcholas, & diſputationes, collationes, tum publicas, tum privatas: repetitiones, aliaſque ſtudiorum exercitationes non omittere; ſed in his omnibus diligentiſſime verſari. Qui in aliquo fuerint negligentes, à Magiſtro Studentium accuſentur, & à Prælatis æqua pœna plectantur. Debent etiam Viſitatores in ſuis Viſitationibus diligenter inquirere, quid, & quas lectiones in anno legerint, & quoties diſputaverint, & an Priores ſtudium propagaverint, & quomodo in ſtudia Fratres incubuerint: & hæc omnia nunciare debent Priori Provinciali, ut eos, qui negligenter ſe geſſerint, graviter puniat; ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1265. Januæ 1305. & Metis 1313.

(n) *Quod ſi aliquis infructuoſus in ſtudio inveniatur.*) Declaramus, quòd Priores Provinciales non debent ad ſtudium mittere Fratres inſolentes, & moleſtos; ſed modeſtos potius, & Religioſos. Eos autem, quos invenerint in prædictis erraſſe, atque in ſtudiis non profeciſſe; teneantur à ſtudio revocare, ſicut fuit ordinatum Pariſiis 1256. apud Peſtum 1273. ordinat. 1. Cadurci 1319. & Carcaſſonæ 1342.

VIII.

(*o*) NUllus fiat publicus Doctor, nec diſputet, niſi de licentia Prioris Provincialis, & Deffinitorum Capituli Provincialis. Nec aliquis habilitetur, ſeu aſſignetur in aliqua Univerſitate ad legendum pro forma, & gradu Magiſterii in Theologia; niſi ſit ſufficiens ad Lecturam hujuſmodi ſolemniter perficiendam. Nec aliquis fiat Magiſter in Theologia (Romæ 1542.) qui non ſit ætatis ad minus triginta annorum, & niſi ſit ſufficiens ad hoc, ut ſit Regens in aliquo ſtudio Generali, ubi viget in veritate ſtudium Theologiæ. (*p*) Judicetur autem ſufficientia hæc (niſi ſit manifeſta) per examinatores, qui abſolute referant: eſt vel non eſt judicio noſtro ſufficiens ad legendum ſolemniter ſententias; vel ut ſit Regens in ſtudio, ubi in veritate viget ſtudium Theologiæ. Et nihilominus (*q*) per ſuæ Provinciæ Provinciale Capitulum, vel illius Definitorium ſit expoſitus: (*r*) & à Magiſtro Ordinis, vel Capitulo Generali tantummodo aſſignari, vel licentiari poſſit.

IX.

SI quis autem abſque dictæ ſufficientiæ judicio Baccalaureatus, vel Magiſterii in Theologia gradum, etiam cum licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis aſſecutus fuerit, pro non Baccalaureo, vel Magiſtro habeatur in noſtro Ordine in omnibus, & per omnia. Dantes facultatem cuilibet Deffinitorio, conſcio notorie de inſufficientia promoti ſibi ſubditi, abſque judicio, vel examine ſuæ ſufficientiæ hic ſtatuto; quod declarent ipſum pro non promoto in noſtro Ordine habendum. Poterit tamen Magiſter Ordinis; ſi aliquem talem aſſignatum impediri contigerit; loco ejus illum deputare, cujus actus valeant pro forma, & gradus Magiſterii: dummodò per ſequens Capitulum Generale fuerint approbati.

(o) *Nullus fiat publicus Doctor, nec diſputet, niſi de licentia Prioris Provincialis.*) Declaramus, quòd Conſtitutio publicum Doctorem ſtatuit eſſe illum, qui eſt principalis Lector: hujuſmodi autem principales Lectores non debent Lectoratum cujuſcumque facultatis obtinere; niſi à Priore Provinciali, & à Definitoribus idonei ad tale officium fuerint judicati. Et debent quotidie, vel ſaltem quaternas in ſingulis hebdomadibus lectiones habere, niſi forte legitime fuerint impediti: alias omnibus gratiis Lectorum ſint eo ipſo privati, ſicut fuit ordinatum Narbonæ 1394. ordinat. 3.

(p) *Judicetur autem ſufficentia hæc,* (niſi ſit manifeſta,) *per examinatores.*) Declaramus, quòd in qualibet Provincia, & Congregatione ſeu Vicaria Ordinis noſtri, debent à Provinciali, vel à Vicario ex conſilio Patrum (quorum omnium conſcientias oneramus) inſtitui judices docti, & Dei timore affecti; qui promovendos ad gradus examinare debeant, ſicut fuit declaratum Romæ 1546.

Item declaramus, quòd nullus promoveri poteſt ad aliquem gradum, vel officium, utpote Prædicaturæ, Lectoratus, Magiſterii Studentium, Baccalaureatus, Magiſterii ſacræ Theologiæ, niſi prius genuflectens coram Provinciali, vel Præſidente Conventus fidei Profeſſionem fecerit: juxta Bullam Pii Papæ IV., & Capitulum Valliſoleti 1605. ordinat. 4. De cujus fidei profeſſione fidem per litteras authenticas debet recipere: & ſi ſecus factum fuerit, collatio illius gradus vel officii nulla erit, ſicut fuit ordinatum Neapoli 1600. ordinat. 2.

(q) *Per ſua Provincia Provinciale Capitulum, vel illius Deffinitorium ſit expoſitus.*) Declaramus, in Capitulo Romano 1580. fuiſſe ordinatum, ut nullus promoveatur deinceps ad Magiſterium ſacræ Theologiæ, vel ad Baccalaureatum, niſi ſuæ Provinciæ petitionem habeat: qua etiam habita, non niſi rigoroſa examinatione per quinque examinatores, & per vota ſecreta, ad gradus hujuſmodi admittatur. Quod fuit confirmatum Romæ 1583. & 1589. & fuit additum; quod ſi ſecus ex quacumque cauſa fiat, tanquam non factum habeatur. Et quod qui falſo petendo Provinciæ nomine gradum quemcumque obtinuerint, cum vere Provincia non petierit: inhabiles fiant ad nunquam hujuſmodi gradum obti-

obtinendum. Petitio autem non ſolum à Provinciali, ſed etiam à Definitorio fieri debet. Et in eodem Capitulo Romano 1589. fuit ordinatum, ut in Graduatorum, vel Prædicatorum Generalium petitionibus, ſemper exprimatur, quibus in locis, & quot annos illi qui petuntur, lectioni, aut prædicationi operam dederint. Et declaratum fuit, ut quotieſcumque litteræ patentes pro Magiſterio conceduntur, ſemper clauſula illa generalis (ſalvis ſuæ Provinciæ juribus) intelligenda eſt, etiam ſi in ipſis litteris non exprimatur: ita ut generales clauſulæ, quæ videntur facere in oppoſitum, nulli ſuffragari debeant: niſi fiat peculiaris mentio de privilegioſa derogatione pro illa vice. Et Romæ 1601. ordinatum fuit, ut ſi conceſſæ fuerint alicui litteræ patentes, ſubreptitiæ, teſtificantes eum legiſſe, vel egiſſe alia hujuſmodi, & earum vigore litterarum gradum aliquem fuerit conſecutus, talis gradus à Provinciali Capitulo non admittatur. Et hoc idem fuerit etiam ordinatum de Prædicatoribus Generalibus, atque amplificatum etiam ad eos qui falſam informationem Generali Capitulo, vel Magiſtro Ordinis exhibuerint; quos ſuis officiis privari, & ad ea inhabiles declarari debere decretum eſt. Quæ ſane ordinatio fuit confirmata Valliſoleti 1605., & Romæ 1608. Et Valentiæ 1569. fuit confirmatum, id qud de promovendis ad gradus dictum eſt: ſed Valliſoleti 1605. explicatum eſt, non eſſe intelligendum de Baccalaureis, & Magiſtris, qui ſua legendi munera exercuerint, ad tempus præſcriptum à Conſtitutionibus noſtris. Item declaramus Romæ 1571. ordinatum fuiſſe, ut in quolibet Conventu, ubi viget Studium Generale, Magiſtri omnes, etiam actu non legentes, votum habeant in receptione ſtudentium formalium, vel quorumcumque aliorum Fratrum, qui in ſtudia admittuntur; tum & in remiſſione eorumdem ſtudentium, quando eos ad ſuos Conventus reverti oportuerit; quod fuit confirmatum Barcinonæ 1574. cum hac tamen conditione, quòd eorum examinationi, diſputationique interſint.

(r) *Et à Magiſtro Ordinis, vel Capitulo Generali tantummodò aſſignari, vel licentiari poſſit.*) Declaramus, quòd licet Prior Provincialis, vel Provinciale Capitulum poſſit Fratres omnes aſſignare, & aliquos ad legendam Theologiam conſtituere; etiam tanquam Lectores principales noſtrorum Conventuum, in quibus non viget Studium Generale, (dummodo non ut Magiſtri legant, vel doceant;) non tamen poſſunt Fratrem aliquem reddere habilem ad gradum Baccalaureatus, aut ad legendam Theologiam pro gradu, & forma Magiſterii: quoniam hujus rei poteſtas in Definitoribus Generalibus conſtituta eſt. Neque habilitas hujuſmodi debet concedi alicui, qui ſaltem per tres annos Theolog. in aliqua Univerſitate non ſtuduerit, & per quatuor annos artes non legerit: ſicut fuit declaratum Romæ 1546. & 1583. Avenione 1561. & Bononiæ 1564. & tandem à Provinciali Capitulo non fuerit expoſitus Capitulo Generali. Poſtquam autem legerit, & actus Baccalaureatus pro gradu, & forma Magiſterii perfecerit; non poterit fieri habilis ad Magiſterii gradum, ipſumque Magiſterium ſuſcipere, niſi ejus Lecturam, ac ſcholaſticos actus, quos per quatuor annos exercuit, Generale Capitulum, vel Magiſter Ordinis approbaverit. Oppoſitum vero faciens eo ipſo eſt excommunicatus, atque officiis & gratiis Ordinis, & cunctis exemptionibus in perpetuum privatus. Neque cum eo poteſt diſpenſari, niſi per Generale Capitulum: non obſtantibus privilegiis, gratiis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie quibuſvis Fratribus, Provinciis ſeu locis, conceſſis, aut concedendis ſub quavis forma, & expreſſione verborum: quemadmodum Bonifacius IX. decernit in Bulla. Et ſicut pariter ordinatum fuit Londonis 1263. Coloniæ 1428. Venetiis 1437. Saviliani 1439. apud Montem Peſulanum 1456. Peruſii 1478. Romæ 1481. & Cenomani 1491. in quibus locis ſic dicitur: Ordinamus, quod nullus Frater promoveatur, vel fiat habilis ad Baccalaureatum, ſive ad legendum pro forma, & gradu Magiſterii: niſi prius à Definitoribus Capituli Provincialis ſuæ Provinciæ tanquam idoneus, Generali Capitulo fuerit exhibitus. Et poſtquam Lecturam ſuam, alioſque actus ſupra jam poſitos perfecerit, non poſſit ſuſcipere Magiſterium, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, qui Lecturam ejus approbaverit. Declarantes eſſe irritum, & inane quidquid in contrarium fuerit attentatum.

X.

Neque aliquis Magiſtretur in Theologia, (ſ) niſi prius actus exercuerit pro forma, & gradu prædicti Magiſterii, per quatuor annos ad minus (t) in aliqua Univerſitate: oppoſitum autem faciens eo ipſo ſit excommunicatus, atque omnibus gratiis, & officiis Ordinis, & exemptionibus perpetuo ſit privatus: nec ſecum diſpenſari valeat, niſi per Capitulum Generale. Nullus Frater noſtrorum legat in Prophetis, vel in Pſalmis alium ſenſum litteralem, niſi quem Sancti PP. approbant, & confirmant. (u) libri Ordinis, vel Fratrum non vendantur, niſi pretium eorum in alios libros, vel ſcripta convertatur.

(ſ) *Niſi prius actus exercuerit.*) Declaramus, in Capitulo Romano 1546. ordinat. 9. ordinatum fuiſſe, ut nullus promoveatur ad Magiſterium, niſi per quatuor annos Sententias legerit, & in Generali, aut Provinciali Capitulo Theologicas concluſiones publice defenderit; exceptis his, qui ſua ſcholaſtica munera exercent in Studio Pariſienſi. Quod fuit confirmatum Romæ 1558. confirmat 13. & fuit additum, quod Sententias per illos quatuor annos debet legere in aliqua ex deſignatis Univerſitatibus, Studio Lovanienſi excepto: in quo, ſicut & in Pariſienſi, promovendi ad gradus conſueta exercitia ab Univerſitate ſtatuta ſervare debebunt.

(t) *In aliqua Univerſitate.*) Declaramus, quòd in Capit. Salmaticenſi 1551. & ſubinde Romæ 1553. & 1558. & Avenione 1561. determinatæ fuerunt Univerſitates, in quibus actus Scholaſtici modo explicati exercendi ſunt; & extra quas in eiſdem actibus ſe exercentes, ad gradus non ſunt admittendi. Sunt autem infraſcriptæ.

In primis Conventus noſter Pariſienſis.

In Provincia Hiſpaniæ Conventus Salmantinus, Valliſoletanus, Segovienſis, & de Tajanos. Item Collegium ſancti Gregorii Valliſoleti, & Complutenſe, & Collegium Toletanum Sancti Petri Martyris erectum in Univerſitatem, Romæ 1583.

In Provincia Toloſana Conventus Burdigalenſis.

In Provincia Franciæ, Conventus Bituricenſis, & Rhemenſis.

In

In Provincia utriuſque Lombardiæ, Conventus Bononienſis.

In Provincia Romana, Conventus Peruſinus, & Collegium Romanum.

In Provincia Regni, Conventus Neapolitanus Sancti Dominici.

In Provincia Theutoniæ, Conventus Colonienſis, Romæ 1553.

In Provincia Provinciæ, Conventus Aquenſis.

In Provincia Aragoniæ, Conventus Barcinonenſis, Valentinus, Cæſarauguſtanus, Luchentinus, & Ilerdenſis, & Conventus Sancti Dominici in Inſula Majoricarum, (dummodo in eo ſint Lectiones, una Artium, & duæ Sacræ Theologiæ, Romæ 1571.) & Conventus Calatajubii Sancti Petri Martyris, Romæ 1580. Collegia Dertuſenſe, Oriolæ, & Sancti Vincentii Cæſarauguſtanum.

In Provincia Dalmatiæ, Conventus Jadrenſis.

In Provincia Trinacriæ, Conventus Sancti Dominici de Panormo, & Conventus Sancti Dominici de Meſſana.

In Provincia Portugalliæ, Conventus Ulyſſiponenſis, & de Bello, & Eborenſis, & Conimbricenſis.

In Provincia Bethicæ, Conventus Cordubenſis, Hiſpalenſis & Giennenſis.

In Provincia inferioris Germaniæ, Conventus Lovanienſis & Duacenſis.

In Provincia Sancti Thomæ, Conventus Andienſis.

In Provincia utriuſque Calabriæ, Conventus Conſentinus.

In Provincia Sanctæ Crucis Indiarum, Conventus Civitatis Sancti Dominici.

In Provincia Sancti Jacobi de Mexico, Conventus Civitatis Angelorum.

In Provincia Sancti Joannis Baptiſtæ de Perù, Conventus Civitatis Regum, & Conventus de Cuzco, Neapoli 1600 & Conventus Sancti Dominici Civitatis de la Plata, Romæ 1608

In Provincia Sancti Dominici Venetiarum, Conventus Patavinus

In Provincia S. Petri Martyris, Conventus S. Euſtorgii de Mediolano.

In Provincia Sancti Antonini de Novo Regno, Conventus Sanctæ Mariæ de Roſario, Civitatis de Sancta Fe, Romæ 1580. & Conventus S. Dominici de Jonia

In Provincia Sancti Laurentii de Chile, Conventus Sanctæ Mariæ de Roſario Civitatis ſancti Jacobi.

In Provincia Sancti Petri Martyris de Guaxaca, Conventus Sancti Dominici de Oaxaca.

In Provincia Aprutina, Conventus Aquilanus.

In Provincia Occitana, Conventus Toloſanus, & Aveninnenſis

In Provincia Ruſſiæ, Conventus Leopolienſis

In Congregatione Callicana, Coaventus Nannetenſis.

Denunciamus autem ſcholaſticos actus ſive lecturas extra hos Conventus, nequaquam in poſterum alicui ſuffragari ad gradum Magiſterii conſequendum; ſalva tamen Apoſtolica conceſſione, facta aliis Univerſitatibus quibuſcumque.

Et quia poſt prædllegata Capitula, plures aliæ fuerunt erectæ Univerſitates per ſubſequentia alia Capitula Generalia; contigitque, quod aliquæ ex iis Provinciis noviter inſtitutis, & erectis fuerunt incorporatæ, & unitæ; proinde unaquæque Provincia gaudeat in qualibet Univerſitate deſignata, juribus, & privilegiis, juxta conſuetudinem, & praxim cujuſcumque Provinciæ reſpective.

(☛ *Libri Ordinis, vel Fratrum non vendantur, niſi pretium eorum in alios libros, vel ſcripta convertatur.*) Declaramus, quòd cum Ordo noſter propter prædicationis officium, & propter ſalutem animarum fuerit ab initio principaliter inſtitutus; illis nos diligenter, ac ſollicite procurare debemus, quæ noſcuntur ad propagationem ſtudiorum, & profectum ſacræ ſcientiæ pertinere. Quoniam vero librorum copia, & ad hoc plurimum confert, & ad profectum incitat ſtudioſos: ideo Frater Aymericus Generalis quondam Magiſter Ordinis, in Capitulo Generali Patavii celebrato 1308. ordinat. 15. ex Definitorum conſilio, atque decreto, præcepit omnibus Prioribus, Supprioribus, Vicariis, & Fratribus univerſis: ut libros, qui per mortem Fratrum, vel titulo donationis, aut legati; ſive quocumque alio modo ad Conventum pervenerint, vendere, diſtrahere, alienare, pignorare, dare, vel concedere alicui ſimpliciter ad vitam nequaquam præſumant: ſed ad communem pertineant Bibliothecam: niſi forte Conventus tales libros duplicatos haberet, vel judicio Prioris, Supprioris, aut eorum Vicarii, ac Lectoris, & Bibliothecarii; communi Fratrum commodo, minus utiles viderentur. In quibus caſibus vendi quidem poterunt: ſed eadem obligatione præcepti teneantur illorum pretium commutare libris utilioribus, ac melioribus, vel ad celebrationem Divinorum officiorum, vel ad ſimilia Bibliothecæ commoda. Verum ſi quidam libelli, vel quaterni, ſive commentarii eſſent non magni pretii, & parvæ æſtimationis: poterunt à Priore ex dictorum conſilio, aliquibus Fratribus magis indigentibus, ad uſum concedi. Et eodem præcepto prohibuit Fratribus omnibus, ne vendant Theologicos libros perſonis extra Ordinem conſtitutis, ſine rationabili cauſa & Prioris Provincialis expreſſa licentia; qui autem contrarium fecerint à Superioribus acri plectantur pœna, donec totum prædictorum librorum pretium, ſine fraude reddiderint Conventibus, ad quos prædicti Fratres, & libri pertinent.

Item declaramus, quod libri ex communi Bibliotheca non poſſint extrahi ſine Superioris licentia, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: ſicut fuit ordinatum Valliſoleti 1605. confirmat. 10. Et in Capitulo Romano 1608. confirmat. 5 ſtatutum fuit, ut in poſterum nullus liber typis excudi poſſit, niſi prius examinatus, atque approbatus fuerit à duobus, vel tribus Patribus in unaquaque Provincia à Provinciali, & Definitoribus Capituli Provincialis conſtituendis: quibus ſub formali præcepto mandatur, ut totum librum diligenter perlegant, & examinent, atque perquirant, gravine, an abjecta ſcriptionis forma, & an de magni, an parvi momenti re, ipſe liber compoſitus ſit. Declarantes non ſufficere, ut nihil contra fidem, aut bonos mores in ipſo contineatur, ſed talis eſſe debet, qui decori, atque honori Religionis noſtræ eſſe poſſit. Nec liber ſic quilibet examinatus, & approbatus imprimi poſſit in Italia, antequam Romam mittatur ad Magiſtrum Ordinis, vel ejus Vicarium, ut ab eorum altero pariter approbetur: mandando ſub formali præcepto, ne in libro, poſtquam examinatus, correctus, & approbatus fuerit eo modo quo ſupradictum eſt poſſit addi quidquam, vel detrahi, niſi illud iterum examinatoribus, & Superiori, quod ab eis approbetur, vel reprobetur, iterum oſtendatur. Et in Concilio Trident *ſeſſion. 4. de editione, & uſu ſacrorum librorum*, ſic dicitur: *Nulli liceat imprimere ſeu imprimi facere quoſvis libros, de rebus ſacris ſine nomine authoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud*

ſe

ſe retinere, niſi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario ſub pœna anathematis, & pœnis in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis, appoſitis. Et ſi Regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem hujuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcriptó eos communicaat, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores: & qui eos habuerint, vel elegerint, niſi prodiderint authores, pro authoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi autheatice appareat: idque totum, hoc eſt, & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

XI.

(*x*) NUlla ſcripta facta vel compilata à Fratribus aliquatenus publicentur: niſi per Fratres peritos, quibus Magiſter Ordiois, vel Prior Provincialis commiſerit, diligenter fuerint examinata. Fratres extra Conventus, quorum ſunt filii aſſignati ad tempus, (id eſt ad exercitium, ſeu officium certo tempore durans, & determinato) completo illo certo tempore, (ex quo ſunt abſoluti ab aſſignatione) intelligantur aſſignati in Conventibus, quorum ſunt filii, niſi Superior eos aliter aſſignaverit. Aſſignati autem ſimpliciter, nunquam iotelligantur aſſignati in Conventibus, quorum ſunt filii, niſi reaſſignentur. (*y*) Nullus ordinetur in Subdiaconum, niſi ſciat Grammaticam, ita quod ſciat latioe loqui, & ſcribere abſque falſa latioitate: & ſi eſt Subdiaconus, non fiat Diaconus, ſi eſt Diaconus, non fiat Sacerdos. Prælatus autem quilibet exponens aliter aliquem, abſolvatur in pœnam ab officio, & per trieonium omni officio Ordinis privetur.

(*x*) *Nulla ſcripta facta, vel compilata à Fratribus aliquatenus publicentur &c.*) Declaramus, quòd in Capitulo Metis 1313. ordinat 9. ſic fuit declaratum: Inhibemus Fratribus ſtrictiſſime, ne tractatus, compilationes, ſeu commentarios editos, vel edendos, quovis modo extra Ordinem publicentur: quouſque ab eis, quibus Magiſter Ordinis id commiſerit, diligenter examinata fuerint, & correcta. Qui autem contrarium fecerint, debita pœna plectantur; juxta id, quod etiam apud Treverim fuit ordinatum 1266. ordin. 6.

(*y*) *Nullus ordinetur in Subdiaconum &c.*) Declaramus in Capitulo Lugdunenſi 1536. innovatum fuiſſe: quòd nullus Frater promoveatur ad ſacros Ordines juxta ſeriem Conſtitutionum noſtrarum, niſi ex conſenſu R. P. Provincialis: qui nullum debet promovere, niſi omnia certa habeat de ætate, moribus, & eruditione Grammaticæ, & niſi à Priore, & Patrum conſilio exponatur, & præſentetur. In Capitulo quoque Januenſi 1513. ordinat. 3. ſtatutum fuit, ut quilibet promotus ad ſacros Ordines, litteras habeat teſtimoniales, ſive ab ordinario Epiſcopo, ſive à Præſidente loci, ubi eſt ordinatus, acceptas, cum ſubſcriptionibus teſtium, qui ordinationi interfuerunt; quas ſi non habuerit, non permittatur exequi ſuſceptos Ordines. Et in Capitulo Bononienſi 1564. præceptum fuit, omnia decreta communia Concilii Tridentini de ætate, vita, & moribus ordinandorum firmiter obſervari: & fuit additum; ut nemo poſt ſuſceptionem Minorum Ordinum, ante elapſum annum ad majores promoveantur. Nec Subdiaconus intra ſpatium alterius anni ad Diaconatum aſcendat, niſi ſit Miniſtrorum neceſſitas, quæ Patrum conſilio judicetur ſufficiens cauſa ut aliter fiat: & ordinaturo Epiſcopo etiam referatur, & renuncietur: Item Barcinonæ 1574. ordinat. 18. fuit ordinatum, & Romæ 1580. confirmatum, quod Priores non poſſint mittere juvenes ad ſacros Ordines, niſi cantandi facultatem juxta Religionis formam calluerint. Et Romæ 1589. ordinat. 2. authoritate Apoſtolica Prælatis omnibus ſub formali præcepto, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præceptum fuit: ne quempiam mittant ad Ordines niſi probatæ vitæ, & bonorum morum, & litteris ſatis eruditus ſit, & præſertim, niſi clarè, & diſtinctè legere ſciat, & ea, quæ legit benè intelligat. Quicumquè verò alias ſacros Ordines ſuſceperunt, & diſtinctè legere neſciunt; decreto illo interdicuntur, & prohibentur in ipſis Ordinibus miniſtrare, quouſque didicerint: Prælatiſque ſub pœna abſolutionis ab officio eo ipſo incurrenda, mandatur, ne eos interim miniſtrare permittant. Verùm poſtea in Capitulo Veneto 1592 eadem Apoſtolica Authoritate ſic ſtatuitur: Declaramus, ab illa ſecunda ordinatione facta in Capitulo Romano 1589. ablatam eſſe excommunicationem: oneramus tamen conſcientias Prælatorum, ut nonniſi Fratres eruditos, & bonis moribus præditos dimittant ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Item in eodem Capitulo Romano 1589. ſub eodem formali præcepto, eademque cenſura Prælatis præcipitur: ut nullum dimittant ad Ordines, niſi prius per litteras fidem facientes, legitimè illis conſtiterit, eum legitima eſſe ætate: juxta decreta ſacri Concilii Tridentini. Si autem poſt publicationem Conſtitutionis SS. D. N. Sixti V. contra male promotos, aliquos ante legitimam ætatem ad Ordines acceſſiſſe repererint, eos in cenſuras, & pœnas in eadem Conſtitutione ſtatutas incidiſſe declarent.

Caput XV.

De Converſis.

I.

(*a*) EOdem tempore ſurgant Converſi, quo & alii Fratres, & eodem modo inclinent. Cum ſurrexerint ad Matutinas dicaot Pater noſter, & Credo io Deum: quod faciendum eſt ante primam; & poſt Completorium. In Matutinis dicto Pater noſter, & Credo in Deum, erigant ſe dicendo: Domine labia mea aperies &c. Pro Matutinis in profeſtis diebus, dicant viginti octo Pater noſter, & in fine tantummodo dicant Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. quo dicto dicant: Per Dominum noſtrum &c. dicendo: Benedicamus Domino &c. In Veſperis vero quatuordecim Pater noſter, in aliis horis ſeptem Pater noſter dicaot.

II.

IN feſtis autem novem lectionum, in Matutinis (*b*) quadraginta Pater noſter dicant: & hoc ſub ſilentio in Eccleſia, vel ubicumque fuerint. Loco Pretioſa, tria Pater noſter dicant. Pro benedictione menſæ, Pater noſter. Gloria Patri, &c. Poſt menſam pro gratiis, tria Pater noſter, Gloria Patri, &c. vel Miſerere mei Deus, qui ſciunt. (*c*) Indumenta tot habeant, quot cæteri Fratres, præter cappas: loco quarum habeant ſcapularia longa, & lata uſque ad juncturam inter pugnum, & brachium; quæ etiam non ſint alba ſicut & tunicæ, ſed ſimilis coloris cappis Clericorum.

III.

POſſunt & brevia griſei coloris habere ſcapularia, ad menſuram ſcapulariorum noſtrorum. De jejuniis, cibis, abſtinentiis, culpis, & aliis omnibus, ſic ſe habeant ſicut & Clerici: in labore tamen cum eis Prælatus poterit diſpenſare. Soli non vadant, ſed cum Socio Clerico, vel Converſo; Pſalteria non habeant, nec etiam aliquos alios libellos.

(a) *Eodem tempore ſurgant Converſi, quo & alii Fratres.*) Declaramus, quòd Fratres Converſi, quoties recitant *Pater noſter* perſolvendo etiam in ſuo modo Canonicas Horas, toties *Ave Maria* recitare tenentur; ſicut fuit declaratum apud Treverim 1266. non tamen tenentur Fratres Converſi perſolvere Horas Canonicas, quamvis profeſſi ſint, & ex eleemoſynis vivant: quia ad temporales, & corporales exercitationes recipiuntur, ut in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo. Quapropter ſufficiet eis recitare *Pater noſter*, & Miſſam audire: ad Completorium tamen vel ſaltem ad ſalutationem Beatiſſimæ Virginis, niſi magna eos neceſſitas excuſaverit, quotidie debent accedere Corrigendi etiam ſunt quando propter ſuas privatas devotiones opera communia & publicas exercitationes prætermittunt. Quare in Capitulo Florentino 1284 ordinat. 7. & Pariſiis 1286. ordinat. 6. ſic fuit ordinatum: Né Converſi torpeſcant otio, monemus Priores, eorumque Vicarios, ut curam adhibeant, quod in coquina, & ubique in omnibus externis occupationibus teneantur occupati: & cogantur addiſcere artem aliquam factivam Conventibus utilem; ſicut fuit ordinatum apud Toloſam 1372.

(b) *Quadraginta Pater noſter dicant.*) Declaramus, in Capitulo Salmanticenſi. 1551. authoritate Apoſtolica ſic fuiſſe ſtatutum: Vt à tanta obligatione recitandi *Pater noſter*, ſubleventur Converſi, tùm Fratres, tùm Sorores, qui potius ad corporalia munia prò communi utilitate ſuſtinenda, quam ad alia officia exequenda recipiuntur; ſtatuimus; ut ad Matutinas loco viginti octo, vel quadraginta *Pater noſter*, ſingulis diebus ſive trium ſive novem lectionum ſufficiant viginti quatuor: pro Veſperis duodecim, ad cæteras Horas ſeptem *Pater noſter* ſicut uſque modo ſervatum eſt. Pro Pſalterio vero propter ſuffragia mortuorum, prò quingentis *Pater noſter*, recitentur centum quinquaginta: & pro Pſalmis Pœnitentialibus ubi centum habeant, ſufficiant viginti quinque. Et ad hunc modum Conſtitutiones in Cap. *de Suffragiis mortuorum, & de Converſis* reformetur. Atque hæc ab omnibus obſervanda ſunt, ac ſi haberent tria Capitula Generalia; nam ex authoritate Apoſtolica habent vim, & robur perpetuæ Conſtitutionis. Curent autem quam diligentiſſime Priores, & Præſidentes, ut gravem aliquem, & optimum Clericum ſtatuant Converſorum Magiſtrum: qui eos religioſa pietate, inprimis vero humilitate, ac obedientia imbuat; quod confirmatum fuit Valliſoleti 1605. confirm. 42.

(c) *Indumenta tot habeant, quot cæteri Fratres.*) Declaramus, quòd Fratres Converſi tunicas albas, & ſcapularia nigra nequaquam vero alba, habere debent: ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit, & præcipue apud Montem Peſſulanum 1294. ordinat. 8. Debent etiam Fratres Converſi recipi in Capitulo Clericorum, ubi ſine cantu recitandus eſt Hymnus; *Veni Creator Spiritus:* nec poſſunt fieri Clerici ſine licentia Magiſtri Ordinis. Quod ſi quis eorum Clericus fiat, debet ſuum tenere locum infra omnes, qui priuſquam ipſe Clericalem Habitum ſuſceperunt; ut fuit ordinatum Biſuntii 1303. ordinat. 10. Si quis autem eſſet nobilis Laicus, litterarum ignarus, qui propter ſuam claritatem reciperetur ad Habitum Clericalem: iſte, non ad perſolvendas horas Canonicas, ſed ad recitanda *Pater noſter* teneretur; nec poſſet eligere, neque eligi, neque frui gratiis Clericorum, præſertim ſi ei prænunciatum ſit non obligari officiis Clericorum. Quomodo autem Converſi admittendi non ſint ad Habitum Clericorum; & quomodo etiamſi admittantur fieri non debeant Sacerdotes: & tametſi fiant, à quo tempore vocem in electionibus poſſint habere, dictum eſt ſupra Cap. *de Recipiendis* pag. 74. & 196. Si quis autem Frater Clericus eſſet facinoroſus, & ad Clericorum officia ineptus; poſſet à ſuo Prælato (culpa id poſtulante) Habitu privari, & gratiis Clericorum, & fieri Converſus; dummodo ad ſacros Ordines non eſſet jam promotus; ſicut fuit ordinatum Biſuntii 1303. & Narbonæ 1394.

Ordinationes, & Admonitiones factæ in Capitulo Generali ad Perpinianum celebrato, Anno Domini 1327.

CAPUT XVI.

De certis detractionibus, & ſingularitatibus vitandis.

I.

(*a*) QUicumque in publica prædicatione, vel in communi coram ſecularium multitudine, ullo tempore ſummum Pontificem diffamaverit, vel ipſius proceſſus & facta, vel irreverentiam notabilem fecerit, carcerali cuſtodiæ mancipetur; nec inde liberetur, niſi per Capitulum Generale, & cogatur (ſi commode fieri poterit) in publico revocare. Qui autem in privato poſtquam per teſtes

legi-

legitimos coſtiterit, vel judicialiter confeſſus fuerit; pœna gravioris culpæ puniatur: & niſi per Provinciale Capitulum, vel per Priorem Provincialem, de maturo conſilio diſcretorum cum eo minime diſpenſeur.

II.

EAndem pœnam incurrat, quicumque Præſidens vel Frater Conventus, vel Provinciæ, qui renunciaverit alicui privilegio notro Ordini conceſſo, abſque Generalis Capituli aſſenſu; Sine cujus aſſenſu omem hujus modi renunciationem qualtercumque factam nullius voluмus eſſe roboris, vel momenti. In quo ſimiliter caſu ſimilem pœnam incurrant, quicumque Præſidentes aut Fratres, ſive Conventus, qui ſine cauſa legitima, & urgente litigaverint, aut appellaverint, contra Diœceſanos quoſcunque. Idem fiat de falſo accuſatore, vel teſte legitime convicto, vel judicialiter confeſſo, in materia prædicta. Prælati vero, qui in corrigendo hujuſmodi tranſgreſſores, inventi fuerint negligentes, per Generale, vel Provinciale Capitulum à ſuis officiis abſolvantur in pœnam; & præter hoc pœnis aliis gravius puniantur.

(a) *Quicunque in publica prædicatione &c.*) Declaramus, quòd cum ex favore, & gratia Prælatorum Ordo noſter ſummopere ſuam augeat & dignitatem, & utilitatem; valde illos venerari, colere, & officioſe obſervare debemus, & nequaquam eis unquam detrahere, aut lites, vel controverſias illis inferre; ſed è contra ut eorum famam cuſtodiamus, ac tueamur diligentiſſime curandum eſt. Populum etiam in eorum obedientiam, ac reverentiam debemus inducere, & nequaquam Laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu avertere, ſicut in pluribus Capitulis ordinatum fuit. Qui autem oppoſitum fecerint, pœna gravioris culpæ debent puniri. Et ſi ſummo Pontifici publice detraxerint, debent carceri mancipari.

III.

ITem quicunque in noſtro Ordine inventi fuerint, (*b*) ſingularem vitam quocumque modo vitioſam ducentes, & contra communem modum vivendi diu ab Ordine approbatum: primo moneantur, & ſi admoniti correcti non fuerint, ſeparentur, & in diverſis Conventibus ponantur. Et ſi in eadem perſiſtant, per Priorem Provincialem, vel Provinciale Capitulum carcerali cuſtodiæ mancipentur. Item quicumque crimen commiſerit, pro quo in ſeculo pœna mortis deberet plecti, in carcerem retrudatur; pœnis aliis macerandus ibidem, plus, & minus ſecundum delicti, & perſonæ qualitatem, & circumſtantias alias alleviantes, vel etiam aggravantes: & niſi per Generale Capitulum non poſſit ab ipſo carcere liberari. Quod ſi ſecundo recidivaverit, carceri perpetuo mancipetur.

(b) *Singularem vitam quocunque modo vitioſam ducentes.*) Declaramus, quod illi dicuntur ſingularem, & vitioſam vitam ducere, qui mercaturas exercent; qui arti Alchimiæ ſtudent, & dant operam; qui aleis, & taxillis ludunt; qui concubinas tenent; qui Monaſteria ſine licentia intrant; Habitum Religionis noſtræ dimittunt, vel occultant; qui venationibus, & aliis exercitiis hujuſmodi frequenter incumbunt, quæ Religioſis ſunt prohibita; tales enim ſunt carceri mancipandi; ſicut in multis Capitulis ordinatum fuit.

IV.

ITem volumus, quod ordinatio Capituli Burdigalenſis 1342. de mutationibus Fratrum ſervetur, quæ eſt infraſcripti tenoris: Cum electiones noſtræ maxime liberæ eſſe debeant, & omni nota coactionis carere: diſtricte injungimus Prioribus Provincialibus, & quibuſcumque Vicariis: quod (*c*) infra menſem ante electiones quaſcumque, novas aſſignationes, & mutationes Fratrum non faciant in Conventibus, in quibus electiones hujuſmodi fuerint celebrandæ, niſi pro officio Lectoratus, vel Prioratus, vel gravi ſcandalo evitando; (*d*) vel niſi in Provinciali Capitulo, vel in loco ipſius Provincialis Capituli, ſicut in aliquibus Provinciis eſt conſuetum. Quod ſi contrarium factum fuerit, hujuſmodi aſſignationes, vel mutationes (quoad privationes vocis in Conventu; de quo fiunt ipſæ mutationes, & quoad ipſam vocem in Conventu, ubi fiunt aſſignationes) ſuum non ſortiantur effectum. Priores autem Provinciales, qui in hoc inventi fuerint exceſſiſſe, per Magiſtrum Ordinis, vel Definitores Generalis Capituli (cum legitime conſtiterit) à ſuis officiis in pœnam abſolvantur. Vicarii vero omni officio Ordinis uſque ad tres annos ſint privati. Nec Fratres poſſint privari vocibus eodem tempore, niſi ob cauſas in Capitulo de graviori culpa contentas.

(c) *Infra menſem ante electiones quaſcumque, novas aſſignationes, vel mutationes non faciant.*) Declaramus, quòd ut ſupra dictum eſt Cap. 2. *de Electione Prioris Conventualis* pag. 199. ex Conſtitutione Clementis VIII. duobus menſibus ante tempus electionis, novæ aſſignationes, ac mutationes fieri non poſſunt. Cum autem tempus electionis ſit menſis, qui incipit à die, quo nota fuit carentia Prioris, ſequitur, ut per duos alios menſes., antequam iſte menſis electionis incipiat, tales mutationes; & aſſignationes fieri non poſſunt. Viennæ etiam 1282. & Burdigalæ 1287. & Bononiæ 1315. ordinatum fuit, ne à die, quo fuit nota carentia Prioris Provincialis, uſque ad completum menſem, quod eſt tempus conſtitutum ad eandem electionem, aſſignationes & mutationes Fratrum non poſſint fieri.

Item declaramus, quod ab anno 1504. quo per Bullam Julii Papæ II. Priores tum Provinciales, tum Conventuales, redacti ſunt ad determinatum tempus, & jam in toto fere Ordine, hæc Bulla recepta eſt: ac proinde cum certo ſciri poſſit tempus vocationis, ſeu abſolutionis cujuſcumque Prioris, fieri non poſſunt novæ Fratrum aſſignationes infra duos menſes eandem abſolutionem, ſeu vocationem antecedentes, ut ſupra dictum eſt. Et de hoc admoniti fuerunt RR. Provinciales in Capitulo Romano 1601. ex Clementis VIII. Conſtitutione.

(d) *Vel niſi in Provinciali Capitulo &c.*) Declaramus, prædictam clauſulam ita intelligi, quod infra decem dies à Conſtitutione conceſſos propter Capituli celebrationem, tales Fratrum mutationes, & aſſignationes poſſunt fieri. Ante principium vero Capituli, vel poſt ejus finem, mutationes hujuſmodi fieri non poſſunt. Quare ſi Provincialis, vel ejus Vicarius Generalis ultra illos dies poſt actorum publicationem quamlibet faciat mutationem, ipſa nullam habebit vim, neque ullum conſequetur effectum, ut fuit declaratum Brugis 1369. & Venetiis 1357.

V.

ITem ordinamus, & diſtricte prohibemus, ne fiat aliquis Prædicator Generalis, niſi maturus, & diſcretus; & ſufficientis litteraturæ; & qui convenienter ſciat proponere verbum Dei, & qui ſit idoneus ad negotia Ordinis pertractanda: (*e*) nec numerum Conventuum Provinciarum excedant. Et non fiat aliquis in aliqua Provincia habente numerum exceſſivum, donec ad dictum numerum ſint redacti, Magiſtris in Theologia, & illius dumtaxat exceptis, qui ratione antiquitatis, vel infirmitatis ad Capitula Provincialia venire non poſſunt. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

(c) *Nec numerum Conventuum Provinciarum excedant.*) Declaramus, quòd hæc Conſtitutio cum dicit Prædicatores Generales non debere excedere numerum Conventuum: nomine Conventuum, Vicariatus, & loca Ordinis non comprehenduntur; ſicut fuit declaratum Romæ 1589. declaration. 3. & confirmetum Venetiis 1592. declarat. 5. & Romæ 1612. confirmat. 3.

VI.

ITem, quod arceantur Priores, qui male aſſociant Fratres: debet enim ſaltem alter illorum eſſe claræ famæ, & ſufficientis ætatis, & de lingua patriæ, ubi hoc commode poterit obſervari. Item, quod (*f*) Fratres quando recedunt de Capitulis, per Superiores combinentur; ne vagando diſcurrant, ſed directe ad ſuos vadant Conventus. Sciant omnes Fratres Ordinis noſtri, quod omnes Conſtitutiones prædictæ vim Conſtitutionum noſtrarum habent authoritate Summi Pontificis, non obſtante quod non habeant, niſi præſens Capitulum Generale, & omnes in fine Conſtitutionum noſtrarum integre conſcribantur.

(f) *Fratres quando recedunt a Capitulis, per Superiores combinentur: ne vagado diſcurrant.*) Declaramus, quòd cum inutilis vagatio Fratrum perturbationes Ordini, ſcandala proximis afferat; & ex mala Fratrum conſocietate diſſolutiones, & inſolentiæ oriantur, & creſcant: decernimus, quod nemo omnium Fratrum, ſine licentia Magiſtri Ordinis ad Generale Capitulum, & ſine licentia Prioris Provincialis ad Capitulum Provinciale poteſt accedee; ſub pœna privationis activæ, & paſſivæ vocis per unum annum. Quando vero è Capitulis, vel è Conventibus redeunt, debent Superores prudenter, & diſcrete alterum cum altero conſociare; & Fratres ad hunc modum conſocati, non ſe ſeparent, ita ut mutuo ſe videre non poſſint, ſed contra ſimul ambulantes ut ſibi dare poſſint mutuum teſtimonium in quocumque loco, vel de quocunque negotio. Et ſi quos tranſgreſſores invenerint, debent acrius, & ſeverius corrigere, & punire. Debent etiam ipſi viatores litteras teſtimoniales deferre, & Præſidentibus Conventuum ad quos declinaverint, exhibere: vel Præſidentes ipſi ab illis exigere, legere, & diligenter inſpicere. Si autem eas non habuerint, viatores acri pœna plectuntur: & voce per unum annum priventur: ſicut fuit ordinatum apud Montem Peſulanum 1294. Treverim 1289. Placentiam 1310. & iterum apud Montem Peſulanum anno Domini 1316.

Caput XVII.

De Capitulo Biennali, vel Triennali.

COnſtitutio nova facta eſt, in Capit. Generali Florentino, celebrato 1374. de Capitulo biennali, vel triennali, authoritate Gregorii Papæ XI. vim Conſtitutionis habens, licet non fuerit, niſi unum Capitulum Generale. Ideoque in Conſtitutionibus noſtris, cura Reverendiſſ. P. Fr. Vincentii Bandelli Generalis Magiſtri editis, hoc Capit. 17. fuit inſertum: at quia in Capitulo Generali Avenione celebrato 1561. confirmat. 2. hoc Capit. deleri poſſe declaratum fuerat; in editione Conſtitutionum noſtrarum, Barcinonæ facta 1620. fuit omnino ſuppreſſum. Cæterum Patres noſtri in Capitulo Generali Romæ celebrato 1629. declarat. 2. ſanciverunt, ut hoc Capit. quod in Conſtitutionibus noſtris Barcinonæ impreſſis omiſſum fuerat, in iiſdem Conſtitutionibus reſtitueretur: hacque declaratione fulti, illud in hac Romana editione reſtituimus.

I.

(*a*) STatuimus, ſeu præſenti ſtatuto decernimus; quod Magiſter Ordinis, ſeu vices ejus gerens, & Deffinitores Capituli Generalis, ſicut poſſunt ex cauſa legitima quoad locum mutare Capitulum; ita etiam quoad tempus prolongando, vel accelerando illud: ita dumtaxat: quod neque acceleratio fieri poſſit infra annum prius aſſignati Capituli, neque prolongatio ejuſdem ultra triennium, niſi Magiſtri vocatio contingeret in Feſto, vel poſt Feſtum Beati Michaelis in tertio anno triennalis Capituli, prout inferius explicatur.

Au-

Authoritatem aotem accelerandi, vel proloogaodi Capitulum, cuicumque Vlcario concedi poſſe ſimpliciter prohibemus : adjicientes, quod qoaodocumque imminente biennali Capitulo, Ordinem Magiſtro carere cootigerit ; oulla mutatio quoad tempus fieri poſſit niſi Magiſtri vocatio cootingat io Feſto, vel poſt Feſtum B. Michaelis, in ſecundo anno : quia tuoc ſuperſederi debet illo anno à Capitulo Generali. Si vero anoo primo imminentis trienoalis Capituli, Ordo Magiſtro caruerit : tunc accelerabitur Capitulum ; Ita quod ioter vocationem Magiſtri, & Capitulum electioni, niſi uoum Pentecoſtes intervenire oon poſſit. Alias ſi poſt uoum annum computandum à Vigilia Pentecoſtes excluſive, Magiſtri vocatio contiogat, nulla mutatio Capituli quoad tempus fiat : oiſi contingeret ultimo anno io Feſto, vel poſt Feſtum Beati Michaelis ; quia tuoc ſuperſederi etiam debet à Cap. Gener. ut expreſſum eſt de Capitulo bieonali.

(a) *Statuimus, ſeu præſenti Statuto decernimus &c.*) Declaramus, quòd ante iſtud Statutum celebrabatur Capitulum Generale quolibet anno, ne poterat ultra annum prolongari : niſi contigiſſet poſt Feſtum S. Michaelis, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoveri. Poſt vero iſtud Statutum, uſque ad Annum 1396. perſeveravit prima conſuetudo, & ex tunc cœperunt Capitula Generalia eſſe biennalia, vel triennalia, eo modo, quo hic fuit ſtatutum & ordinatum

II.

IMmineote autem biennali, vel triennali Capitulo, (*b*) noo eligatur Definitor Generalis Capituli, nec ei Socius aſſignetur : oiſi in anno ultimo quo ſcilicet celebrandum eſt Capitulum Generale. Et (*c*) qui una vice electus fuerit ad prædictam Definitionem, ad eandem eligi immediate ſequenti vice oon poſſit. (*d*) Siogulis anois nihilominus poſt Feſtum Peotecoſtes, fiant Capitula Provincialia, niſi per Magiſtrum ordinis in aliquibus Proviociis ex cauſa ad biennium fueriot prolongata. In quibus etiam fiant ſcrutinia de Proviocialibus, deferenda per Definitores, vel Socios eorum, aut per Socium Provincialis io anoo Provincialium ad Capitulum Generale ; qui Definitores duabus vicibus, & Provinciales tertia vice definient, conſtituent, & tractabuot. Recitabontur ioſuper obitus Fratrum, poſt præcedens Capitulum Defunctorum, & fiet pro eis communis abſolutio, ut moris eſt.

(b) *Non eligatur Definitor Capituli Generalis, niſi in anno ultimo.*) Declaramus, quòd ſi aliquis Frater eligatur in Definitorem Capituli Generalis in aliquo Capitulo Provinciali, & poſtea per mortem, vel amotionem Magiſtri Ordinis, vel ex alia cauſa Generale Capitulum prolongetur ; non poterit virtute talis electionis in Capitulo Generali definire : ſed oportebit aliam electionem in ultimo anno Generalis Capituli celebrandi facere.

(c) *Qui una vice ad prædictam Definitionem electus fuerit, ad eandem eligi immediate ſequenti vice non poſſit.*) Declaramus, quòd cum per tria Capitula Generalia continua, in quibus Priores Provinciales una vice, & Definitores duabus vicibus habent definire, poſſit fieri Conſtitutio ; non poteſt unus, & idem Frater in illis tribus Capitulis continuis, plus, quam una vice definire : & propter hoc in hoc Statuto dicitur ; quod ille, qui una vice ad prædictam Definitionem electus fuerit, ad eandem eligi immediate ſequenti vice non poſſit. Et dato, quod inter primam electionem Definitoris, & ſecundam electionem mediaret Definitio Provincialium ; adhuc ille, qui in prima electione fuit electus, non poterit in ſecunda eligi. Et poterit ſecunda electio dici immediate ſequens ad primam ; quia inter ipſam, & primam nulla alia electio Definitoris mediat : cum Definitio Provincialium non fit per electionem. Sive ergo inter duas electiones Definitorum, nulla alia Definitio media cadat, ſive cadat media Definitio Provincialium : non poterit ille, qui eſt electus in prima, poſtea eligi in ſecunda.

(d) *Singulis annis nihilominus poſt Feſtum Pentecoſtes fiant Capitula Provincialia.*) Declaramus, quòd quando in initio Ordinis fiebant Capitula Generalia ſingulis annis, tunc etiam quolibet anno celebrabatur Capitulum Provinciale : de quo plura declarata fuere ſupra Capit 7. hujus diſt. 2. quæque ad declarationem hujus Textus ſufficiunt.

Caput XVIII.

Conſtitutiones D. Bonifacii Papæ IX.

I.

DEnonciamus D. Bonifacium Papam IX. Anno 1402. quinto Kalend. Maij, Pontificatus ſui Aono XIII. Conſtitutiooe edidiſſe, quæ per noſtrum Ordlnem nequeunt immutari, tenoris infraſcripti. (*a*) Authoritate Apoſtolica, tenore præſeotium, perpetua, & irrefragabili Conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus : quod de cæteto perpetuis futuris temporibus, nullus ex Fratribus Ordiois Prædicatorum, abſque licentia, ſeu aſſignatione Capituli Geoeralis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis ad legendum pro forma, ſeu ad honorem Magiſterii in Theologia promoveri, vel grado hujoſmodi Magiſterii fungi poſſit, aut debeat, niſi per dictum Capitulum fuerit approbatus vel promotus.

II.

COntrarium vero faciens eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat. Et ſi per Capitulum prædictum reproba-

tus extiterit, pro non Magiſtro habeatur: Conſtitutionibus Apoſtolicis; ac ſtatutis, conſuetudinibuſque Provinciarum, & locorum dicti Ordinis, nec non privilegiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſvis Fratribus, Provinciis, ſeu locis, conceſſis, ſeu factis; aut concedendis, vel faciendis; ſub quavis forma, & expreſſione verborum (etiamſi de eis de verbo ad verbum habenda eſſet in præſentibus mentio ſpecialis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

(a) *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetua, & irrefragabili Conſtitutione ſancimus &c.*) Declaramus, à Sede Apoſtolica ſtatutum, atque ordinatum fuiſſe, ut nullus Frater Ordinis noſtri Baccalaureatus gradum poſſit aſſumere, niſi à Generali Capitulo ad illum aſſumendum fuerit promotus, & expoſitus, nec pariter gradum Magiſterii aſſumere poſſit, niſi ejus lectura ab eodem Capitulo fuerit approbata, & ipſe ad Magiſterium aſſumendum fuerit expoſitus, & promotus. Et ſi ſecus factum fuerit, talium aſſumptio graduum ſit irrita, & inanis, atque aſſumentes eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Et hæc conſtitutio à noſtris Capitulis Generalibus approbata fuit, & renovata etiam Venetiis 1437. Perusii 1478. Romæ 1481. & Cenomanis 1491.

III.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod (*b*) quorumcumque Mendicantium Ordinum Fratres, hujuſmodi Prædicatorum Ordinis Fratres, aut Sorores ſubjectas eiſdem, in ipſorum, aut dictorum aliorum Ordinum Fratres, aut Sorores (etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum ſuper hoc hactenus forſan conceſſarum, vel in poſterum concedendarum, etiam quod ad parem, vel arctiorem tranſire poſſint Ordinem continentium, niſi in eiſdem de Ordinibus, ex quibus recedunt, & ad quos accedunt, & ad quos transferendi ſe licentiam obtinuerint, necnon de præſentibus, & earum toto tenore, ſpecialis, & expreſſa mentio habeatur) recipere non poſſint, aut debeant.

IV.

QUodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubjectis, aliquem, vel aliquam ex Fratribus, ac Sororibus hujuſmodi coram quocumque judice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacumque cauſa convenire, ſeu facere conveniri: nec à correctione quacumque, ſeu alias ab aliquo Prælato, ſeu Fratre dicti Ordinis, quavis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere (niſi prius coram Conventuali, ſeu Provinciali Priore, ſeu Magiſtro, & ſucceſſive in Generali Capitulo dicti ordinis, cauſam, vel querelam ſuam propoſuerit verbo, vel in ſcriptis) poſſit, aut debeat.

V.

QUodque Ordinis Prædicatorum contra ordinis Minorum, nec ejuſdem ordinis Minorum Fratres, Inquiſitores hæreticæ pravitatis pro tempore exiſtentes, contra hujuſmodi ordinis Prædicatorum Fratres, aut etiam dicti ordinis Prædicatorum Fratres Inquiſitores, ſine licentia Magiſtri, aut Provincialium Priorum contra ipſorum Confratres ejuſdem Ordinis inquirere nequaquam poſſint, aut debeant. Sed ſi quid Prædicatores contra Minorum, & Minores Fratres Inquiſitores contra Prædicatorum Ordinis Fratres prædictos de pravitate hujuſmodi perſenſerint, id ad Sedem Apoſtolicam, vel præfatorum Fratrum Superiores deferre teneatur. Item, quod prædictus Magiſter, & alii Præſidentes in dicto Ordine, ad quos pertinuerint pro tempore in correctionibus Fratrum ejuſdem Ordinis, juris Ordine poſtpoſito ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti procedere libere poſſint, & valeant; eis authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus.

(b) *Quorumcumque Mendicantium Ordinum Fratres.*) Declaramus, in hac Conſtitutione Mendicantes eſſe intelligendos illos Religioſos, qui etſi poſſeſſiones habent in communi, non tamen poſſunt ſine mendicitate acquirere neceſſaria ad victum & veſtitum; aliaque neceſſaria ad vitam ſufficienter procurare. Quare in Capitulo Valencenis 1337. ſic dicitur: declaramus, quod noſtra Conſtitutio Religioſos Mendicantes intelligit, non ſolum illos, qui poſſeſſiones non habent: ſed etiam eos, qui etſi poſſeſſiones habeant, tamen propter earum exiguitatem conſueverunt communiter mendicare.

VI.

ITem nullus ſecularis, vel Regularis, aliquod Monaſterium Sororum Prædicatorum Ordini ſubjectarum (niſi in quantum earum Conſtitutiones, & Statuta id patiantur, vel de Sedis Apoſtolicæ, aut Magiſtri dicti Ordinis licentia ſpeciali) intrare; aut aliquæ Sorores hujuſmodi exire inde quoquomodo præſumant. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiæ (à qua præterquam per Sedem, vel Magiſtrum memoratos aut aliquem ex dicti Ordinis Fratribus, cui Magiſter prædictus id commiſerit, (*c*) abſolvi non poſſint) volumus ſubjacere.

Item

VII.

ITem ſtatuimus, volumus, atque ordinamus quod omnes, & ſinguli Religioſi quorumcumque etiam Mendicantium Ordioum dictæ Sedis Capellani, qui ſunt, & eront, perinde eorum Superioribus & correctioni ipſorum in omnibus, & per omoia ſint ſubjecti, ac ſi prædictæ ſedis Capellani non eſſent. Non obſtantibus exemptionibus, ac aliis qoibuſcumque Privilegiis, Indulgentils, gratiis, & litteris Apoſtolicis Capellanis dictæ ſedis, vel aliis coojunctim, vel diviſim ſub quavis forma, vel expreſſione verborum à dicta ſede conceſſis, vel inpoſterum concedendis: etiamſi de illis de verbo ad verbum, & de ipſorum Capellanorum nominibus, & çogoominibus propriis, plena, & expreſſa mentio præſentibus ſit habenda, quæ (quoad hoc) ipſis io oullo volumus ſuffragari.

(c) *Abſolvi non poſſint.*) Declaramus, qodd quicumque habent per Sedem Apoſtolicam generalem licentiam abſolvendi quoſcumque, à qoibuſcumque caſibus, ex vi talis facultatis Fratres Ordiois noſtri nequaquam poſſunt abſolvere; ſicut idem Bonifacius declaravit in Bulla, & ſi quis intra clauſuram Monaſterii alicujus, curæ, & regimini Ordinis commiſſi repertus fuerit; poterit per dicti Ordinis Præſidentes, ſeu ex eorum mandato capi, & carcerari, & pœna plecti, ſecundum eorum arbitrium, & qualitatem delicti: ſicut idem Bonifacius in commemorata Bulla declaravit. Et ſi quis ſecularis, vel Regularis in aliquod prædictorum ſuorom Monaſteriorum intrare, vel Sorores aliquæ inde exire ſine licentia Magiſtri Ordinis auſi fuerint; ipſo facto ſententiam excommonicationis incurrunt: à qua non niſi per Papam, vel Magiſtrum Ordinis, vel ab aliquo Fratre, cui prædictus Magiſter facultatem conceſſerit, abſolvi poſſint.

CAPUT XIX.

Conſtitutio D. Alexandri Papa VI. de Electione Magiſtri Ordinis.

I.

(*a*) DEounciamus, quod Dominus Alexander Papa VI. in Capitulo Generali Romæ celebrato Anno Domini 1501. Statutum, & Cooſtitutionem fecit infraſcripti tenoris, quæ tunc acceptata, & ſervata fuit. Volomos, & aotboritate Apoſtolica per præſentes perpetuis fututis temporibus ſtatuimus, & ordinamus: quod modetnus Vicatius veſtri Ordinis per nos inſtitutus, & quilibet alius in ſimili caſu futuris temporibus per Sedem Apoſtolicam inſtituendus, ſicut primum locum in ipſo Capitulo, & ubique tenet, ita & in electione ipſius Generalis Magiſtri primam vocem habeat: & cum duobus Provincialibus in dicto Capitulo exiſtentibus, qui diutius poſt expreſſam profeſſiooem Habitum veſtri Ordinis portaveruot; ad inquirendum, & cooſcribendum vota electorum ad baocum ſcrutioii electionis prædictæ, ſedere debeat. Et hoc idem in quolibet Vicario Generali veſtri Ordinis, quem futuris tempotibus continget ſecundum Conſtitutiooes veſtri Ordinis inſtitui, volumus, & otdinamus debere obſervari; non obſtantibus Conſtitutionibus prædicti Ordiois, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſcumque aliis in contrarium facientibus.

(a) *Denunciamus, quod Dominus Alexander Papa VI.*) Declaramus, hanc Domini Alexandri Cooſtitutiooem in Generali Capitulo Romæ 1539. authoritate Domini Pauli III. nullum apud Ordinem noſtrum obtinuiſſe locum: & ab eo tempore, & deinceps in Magiſtri Ordinis electione, neque fuiſſe receptam, neque ſervatam; quamquam de hoc nullæ authenticæ litteræ Apoſtolicæ extent.

Finis Conſtitutionum Fratrum Ordinis Prædicatorum, cum Declarationibus ſuis jam olim ordinatis, ac emendatis per bo. me. P. F. Vincentium Bandellum, & Fr. Vincentium Juſtinianum ejuſdem Ord. Magiſtros Generales: nunc vero plurimis acceſſionibus locupletarum, authoritate Reverendiſſ. P. F. Seraphini Sicei Papienſis S. T. Profeſſ. & ejuſdem Ord. Gener. Magiſtri, etiam accedente Decreto, & approbatione Capituli Gen. Ulyſſiponæ celebrati, An. 1618. in quo RR. PP. Definitores omnes ſubſcripſerunt in bunc modum.

Approbamus has Conſtitutiones, & Gloſſas, Nos

Fr. Petrus de Herrera, Magiſter & Definitor Hiſpaniæ.
Fr. Joannes Tourne, Magiſter & Definitor Toloſanus.
Fr. Guillelmus Dudouyt, Magiſter & Definitor Franciæ.
Fr. Joannes Michael de Bononia, Magiſter & Definitor Lombardiæ.
Fr. Michael Arrigus, Magiſter & Definitor Provinciæ Romanæ.
Fr. Ambroſius de Cardova, Magiſter & Definitor Regni.
Fr. Jo. Baptiſta de Capriata, Magiſter Provincialis, & Definitor Angliæ.
Fr. Jo. Bertram, Præſentatus & Definitor Aragoniæ.
Fr. Franciſcus Papa, Magiſter & Definitor Trinacriæ.
Fr. Vincentius Pereyra, Magiſter & Definitor Portugalliæ.

Fr. Jo-

Fr. Joannes de los Angelos, Magiſter & Definitor Betbicæ.
Fr. Jacobus de Rocourt, Magiſter & Deſinitor Germaniæ inferioris.
Fr. Franciſcus Sproverius à Monte alto, Magiſter & Definitor Calabriæ.
Fr. Ludovicus Barroſo, Magiſter & Definitor Mexicanus.
Fr. Raynaldus Poiſſon, Magiſter & Definitor Occitaniæ.
Fr. Baltbaſar Verdugo, Prædicator Generalis & Definitor de Cbile.
Fr. Arcbangelus de Dominicis, Lector, Prædicator Generalis, & Definitor Provinciæ S. Catbarinæ Senenſis.
Fr. Gabriel Drobobicenſis, Magiſter & Definitor Ruſſiæ.

INCIPIUNT
CONSTITUTIONES
SORORUM ORD. PRÆDICATORUM.

PROLOGUS.

QUonlam ex præcepto regulæ jubentur Sorores habere cor oonum, & aoimam unam in Domino: juſtum eſt, ut quæ ſub una Regula, & unius profeſſionis voto vivunt, uniformes in obſervantia caoonicæ Religionis ioveniantur: quatenus unitatem quæ ioterius ſervanda eſt in cordibus, foveat, & repræſentet uniformitas exterius ſervata ln moribus. Quod profectò eò competeotius, & plenius poterit obſervari, ſi ea quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata: ſi omnibus qualiter ſit vivendum ſcriptora teſte ionoteſcat; ſi mutare, vel addere, vel miouere nulli quidquam propriâ voluntate liceat: ne ſi minima negligant, paulatim defluant. Ad hoc tamen in Conventu ſuo quæ præeſt, diſpeoſandi cum Sororibus habeat poteſtatem, cum ſibi aliquando videbitur expedire: niſi io his in quibus Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, vel eorum Vicarii ex cauſa aliter ordinarent. Prioriſſa etiam utatur diſpenſationibus, ſicut & aliæ Sorores. Ut igitur unitati, & paci Sororum provideremus, librum iſtum quem Conſtitutionom appellamus, diligenter conſcripſimus, per certa Capitula infraſcripta diſtinctum, ut quod quæretur, facilius inveniatur. Declaramos autem, quod Cooſtitutiones non obligent Sorores ad culpam, ſed ad pœnam tantum, niſi propter præceptom, vel contemptum.

SERIES CAPITULORUM.

I. *De Officie Eccleſia.*
II. *De Inclinationibus.*
III. *De Suffragiis mortuorum.*
IV. *De Jejuniis.*
V. *De Cibo.*
VI. *De Collatione.*
VII. *De Infirmis.*
VIII. *De Minutione.*
IX. *De Lectis.*
X. *De Veſtitu.*
XI. *De Communitate rerum.*
XII. *De Communione, & lavatura capitum, & tonſura.*
XIII. *De Silentio.*
XIV. *De Recipiendis.*
XV. *De Novitiabus, & earum inſtructione.*
XVI. *De Modo faciendi Profeſſionem.*
XVII. *De levi Culpa.*
XVIII. *De media Culpa.*
XIX. *De gravi Culpa.*
XX. *De graviori Culpa.*
XXI. *De graviſſima Culpa.*
XXII. *De Apoſtatis.*
XXIII. *De Electione Prioriſſa.*
XXIV. *De Modo eligendi.*
XXV. *De Inſtitutione Supprioriſſa.*
XXVI. *De Cicatricibus.*
XXVII. *De Cellaria.*
XXVIII. *De Labore.*
XXIX. *De Ædificiis.*
XXX. *De Ingreſſu, & egreſſu domorum.*
XXXI. *De Capitulo.*
XXXII. *De Conceſſione domorum.*

CAP. I.

Caput I.

De Officio Eccleſiæ.

AUdito primo ſigno ſurgant Sorores com matura feſtinatione, religioſè, & honeſtè ſe præparando : & ſtando dicant in Dormitorio Officium de Beata Virgine, quando pro tempore eſt dicendum; una incipiente, & dicente unum verſum, aliis vero reſpondentibus, & dicentibus alium verſum. Matutinas autem, & omnes Horas Canonicas ſimul audiant Sorores, niſi cum aliquibus ex cauſa legitima fuerit diſpenſatum. Horæ Canonicæ omnes in Eccleſia tractim, & diſtinctè taliter dicantur, ne Sorores devotionem amittant, & alia quæ facere habent minime impediantur. Quod ita dicimus eſſe faciendum, ut io medio verſus metrum cum pauſa ſervetur, oon protrahendo vocem in paoſa, vel in fine verſus. Hoe tamen magis, & minus pro tempore obſervetur. Horæ verò de Beata Virgine, ante Horas Canooicas dicantur in Eccleſia, excepto duntaxat Completorio, quod nonniſi poſt officium de tempore, vel de feſto quocumque minoris ſolemoitatis, juxta diſpoſitionem Kalendarii, dicitur. Tempore quo bis reficiuntur Sorores legatur ante Completorium in Eccleſia: *Sorores ſobrie* &c. Poſtea dicto ab ea, quæ præeſt *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & facta eonfeſſione, dictoque Completorio, Hebdomadaria aquam aſpergat benedictam: poſteà dicatur *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Poſt Completorium autem (receptis pro tempore diſciplinis), coocedatur Sororibus ſpatium mediæ horæ ad clepſidram, ut ſacris meditationibus, & orationi mentali vacare poſſint : ſimiliter, & poſt Matutinas dum de nocte dieuntur. Si verò Matutinum in ſero dicatur, prædicta mentalis oratio medietati horæ commeoſuranda, fiat de manè ante Horas Canonicas. Facto autem ſigno omnes egrediantur ab Eccleſia, & intrent locum dormitionis. Aliquis autem loeus ſtatuatur, in quo ad prævidendum officium divinum Sorores eonveniant tempore opportuno, præſente Prioriſſa, vel alia cui commiſerit.

Caput II.

De Inclinationibus.

FInitis Matutinis de Beata Virgine, cum Sorores in Chorum venerint, inclioent anre Altare profundè; & eùm ad ſedes ſuas venerint, facto ſigno ab ea qoæ præeſt, flexis genibus, vel inclinatæ pro fundè protempore dicant *Pater noſter*, & *Credo in Deum:* & iterum facto ſigno ab ea quæ ptæeſt, ſurgant. Horâ itaque devotè inceptâ, verſæ ad Altare, muniant ſe ſigno Crucis, & ad *Gloria Patri*, inclinet Chorus contra Chorum profundè, vel proſternant ſe pro tempore, uſque ad *ſicut erat*. Hoc etiam faciendum eſt qooties *Pater noſter*, & *Credo in Deum* dicuntur : niſi Miſſa, & ante lectiones, & gratiarum actiones, in quibos inclinandum eſt ſolum ad *Pater noſter*, & ad orationem *Retribuere*.

Idem etiam faciendum eſt ad *primam collectam in Miſſa*, & ad *Poſtcommunionem* & ſimiliter ad *Orationem*, *pro Eccleſia*, & io ſingulis horis ad Collectam, & ad *Gloria Patri*, quotieſcumque io incboatione horæ dicitur. Ad omnia autem alia *Gloria Patri*, & ad extremos verſus hymnorum, & ad penultimum verſum Cantiei *Benedicite*, inclinent uſque ad genoa: & quando cantatur *Gloria in excelſis*, ad *Suſcipe deprecationem noſtram*, & item in benedictione lectionis, & io capitulo ad orationem, *Sancta Maria*.

Item quando *nomen JEſu* in Collecta, & in Præfatione, vel in Antiphona *Salve*, vel in *Gloria in excelſis* nominatur. Quando autem *nomen JEſu* alias nominatur in Choro, Sorores eidem reverentiam faciant, capite cum devotione inelinato.

Item in omni Oratione, quando *nomen Domini noſtri JESU Chriſti*, & *Beata Virginis*, & *Beati Dominici*, nominatur, & etiam quando *nomen Beata Virginis* nominatur ad Antiphonam *Salve Regina*, & in Miſſa in Præfatione, & ad *Gratias agamus &c.* Sorores in Choro inclinent profundè uſque ad genua. Horâ itaque prædicto modo devotè inceptâ, poſtquam ad *Gloria*, poſt *Venite* inclinaverint uſque ad genua; ſtet Chorus contra Chorum: deinde ad primum Pſalmum ſedeat unos Chorus, & ad ſeeundum ſimiliter ſtet, & ſedeat alter Chorus, & ſic alternent uſque ad *Laudate Dominum de cælis*, & ſic faciant ad omnes Horas. Finitis autem lectionibus in Matutinis, (dum in verbis dicuntor) illa quæ legit, inter pulpirum quod eſt in medio Chori, & gradus Altaris inclinationem faciat, vel proſternat ſe pro tempore. Si verò Matutinæ in Cantu perſolvuntur, quælibet ex Sororibus, finitâ Lectione quam cantavit, faciat inclinationem, vel proſtrationem, modo quo ſupra dictum eſt. Porrò ad *Salve ſancta parens*, & ad *Salve* poſt Completorium ad illa verba nimirum *Eja ergo advocata noſtra* uſque ad *poſt hoc exilium oſtende*, maneant Sorores genuflexæ, verſo vultu ad Altare. Idem faciant ad illa verba invitatorii, *Venite adoremus*, & *procidamus ante Deum*: poſt expletum verò hunc verſum, illæ quæ caotant, vel reci-

citant Invitatorium, reverenter inclinent. Similiter ad *Veni Sancte Spiritus*, ad *Veni Creator Spiritus* in die Pentecoſtes, & per totam hebdomadam, ad *Ex Maria Virgine, & Homo factus eſt*, ad illa verba Hymni de Paſſione, *O Crux ave &c.* ad verba Evangelii: *Verbum Caro factum eſt*, & in die Epiphaniæ ad *& procidentes adoraverunt eum*: ad Verſum Hymni Corporis Chriſti *Tantum ergo Sacramentum*: ad *Te ergo quæſumus* in Cantico *Te Deum*: in proceſſione Dominicæ Ramis Palmarum, ad verba *Ave Rex &c.* in die Paraſceves ad *Sanctus Deus*, ad *Sub tuum præſidium*, ad *Ave Maris ſtella*, ad *Veni Creator Spiritus* in Miſſa de Spiritu Sancto, ac demum in Hymno Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis ad illa verba: *Adſumus & nos cernui &c.* Similiter in Hymno, *Chriſte qui lux es*, ad verſum *quos ſanguine mercatus es* genua flectant.

In ferialibus quoque diebus jaceant proſtratæ à *Sanctus*, uſque ad *Agnus*.

In Feſtis verò Trium, vel Novem Lectionum, jaceant proſtratæ ab elevatione Corporis Chriſti, uſque ad *Pater noſter*. Non tamen faciant iiſdem Feſtis ſimiles proſtrationes ad Horas Canonicas, quas faciunt ferialibus diebus. Quando Prælatus vel illa quæ præeſt injunxerit aliquam communem orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere, vel dicere injunxerit. Si autem aliquam obedientiam, vel officium, vel miniſterium aliquod cuivis injunxerit, humiliter ſe proſternens, ſuſcipiat quod ei injunctum fuerit. Quando etiam Sororibus quidpiam veſtimenti tribuitur, inclinantes *Benedictus Deus in donis ſuis*, dicant.

Caput III.

De Suffragiis mortuorum.

A Feſto S. Dionyſii uſque ad Adventum, pro Anniverſario Fratrum, & Sororum, familiarium, & receptorum per litteras ad beneficia Ordinis, litteratæ Sorores Pſalterium, non litteratæ quingenta *Pater noſter*, dicant.

Idem faciat quælibet Soror pro Sorore defuncta ſui Conventus. Et idem fiat pro Magiſtro Ordinis, & pro Priore Provinciali defunctis.

Idem etiam pro Viſitatore earum, ſi dum intendit viſitationi Monaſterii, eum mori contigerit.

Idem etiam fiat pro Procuratore Ordinis, ſi in Curia Romana in procurationis officio decedat. Quælibet litterata pro Fratribus, & Sororibus noſtris defunctis, triginta vicibus ſeptem Pſalmos Pœnitentiales dicat in anno. Non litterata triginta vicibus centum *Pater noſter*. In Anno quatuor Anniverſaria fiant. Anniverſarium Patrum, & Matrum, tertia die poſt Purificationem Beatæ Mariæ. Anniverſarium benefactorum, & familiarum die craſtina poſt Octavam Beati Auguſtini. Annverſarium verò Fratrum, & Sororum, in craſtino Beato Dionifii. Anniverſarium demum omnium ſepultorum in cœmiteriis noſtris, ubique fiat prima die vacante poſt octavam Viſitationis Beatæ Mariæ. *Porrò circa hæc Anniverſaria ſervetur illa Rubrica, quæ in Breviariis, & Diurnis noviter impreſſis, ad diem* 10. *Novembris adſcripta eſt.*

Caput IV.

De Jejuniis.

A Paſchate uſque ad feſtum ſanctæ Crucis, reficiuntur bis Sorores, exceptis diebus Rogationum, & ſextis feriis, & vigiliâ Pentecoſtes, & jejuniis Quatuor Temporum, vigiliâ ſancti Joannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, & Beati Dominici Patris Noſtri, Laurentii, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & Bartholomæi, ac Nativitatis Beatæ Virginis. A feſto autem ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha continuum teneant jejunium, & Nona dicta comedant: exceptis diebus Dominicis (niſi diſpenſatio fiat interdum, & ex cauſa.) In toto autem Adventu, & Quadrageſima, & jejuniis Quatuor temporum, & in vigilia Aſcenſionis, & Pentecoſtes, ſancti Joannis Baptiſtæ, Petri, & Pauli, Jacobi, & Beati Dominici Patris noſtri, in vigilia ſancti Laurentii, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Bartholomæi, & Nativitatis Beatæ Virginis, Matthæi, Simonis & Judæ, & Omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & omnibus ſextis feriis, Quadrageſimali utantur cibo: niſi in locis in quibus in dictis ſextis feriis aliter comederetur, vel niſi præcipuum feſtum fuerit, vel niſi cum aliqua ex cauſa diſpenſetur. Quando autem feſtum habens vigiliam, in qua ſecundùm Ordinem jejunandum eſt evenerit in ſecunda feria; ejus vigilia præcedenti ſabbato jejunetur, contraria conſuetudine non obſtante. Feria II. & III. poſt Quinquageſimam, Quadrageſimali utantur cibo, & jejunent. In Paraſceve verò per totum diem in pane, & aqua abſtinebunt.

Caput V.

De Cibo.

HOra competenti ante prandium, vel cœnam, à Sacriſtiſſa paucis ictibus campana pulſetur, ut Sorores venire ad refectionem non tardent. Poſtmodum pulſe-

ſetur cimbalum ſi cibus ſit paratus, aliòquin non pulſetur donec paratus ſit. Congregatis Sororibus in atrium Refectorii, illa quæ præeſt, incipiat Pſal. *De profundis*: illa dicente unum verſum, aliis verò omnibus reſpondentibus, & dicentibus alium Verſum; in fine tandem ſubjungatur Oratio *Abſolve*. Ablutis verò manibus nolam Refectorii quæ præeſt pulſet, & tunc Sorores ingrediantur; quibus ingreſſis dicat *Benedicite* quæ dicit verſiculos: & Conventus proſequatur benedictionem. Servitrices autem in deportandis pictantiis incipiant ab inferioribus uſque ad menſam Prioriſſæ aſcendentes. Nulla Soror à prima menſa remaneat niſi ſervitrices, & niſi de licentia, & ex cauſa. Quotquot autem remanſerint comedant in ſecunda, ita quod tertiam facere non oporteat. Nulla fiat pictantia ſervitricibus, vel miniſtris, quæ non fit Conventui: niſi ſint infirmæ vel minutæ. Soror non mittat Sorori pictantiam, excepta Prioriſſa; ſed ſibi datam dare poteſt à dextris, vel à ſiniſtris tantum. Prioriſſa comedat in Refectorio, & cibariis conventus ſit contenta: ſimiliter, & Infirmariæ, & aliæ quæ miniſtrant in officio quocumque, niſi cùm aliquibus Prioriſſa diſpenſaverit ob aliquam cauſam. Pulmenta ſint in Conventu ſine carnibus, præterquam in infirmariis. Singulis diebus ſi fieri poteſt & expedierit, duo cocta pulmenta habeant Sorores. Poterit autem Prioriſſa ſuperaddere prout opus eſſe judicaverit, & facultas permiſerit. Si quæ juxtà ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de communi, requirat à miniſtra. Si quæ aliquam de Sororibus ſerviendo, vel comedendo in aliquo offenderit, ſurgentibus Sororibus veniam petat; & facto ſigno ab ea quæ præeſt, redeat ad locum ſuum.

CAPUT VI.

De Collatione.

TEmpore jejunii hora competenti Sacriſtiſſa ad collationem ſignum faciat: poſteà Refectoraria cimbalum pulſet. Deindè Sororibus venientibus in Refectorium, ad ſignum illius quæ præeſt, legat lectrix præmiſſo *Jube Domne benedicere*, & ſequatur benedictio: *Noctem quietam &c.* facto rurſus ſigno ab ea quæ præeſt, & dicto *Benedicite* à lectrice, dataque benedictione ab hebdomadaria, *Largitor omnium &c.* infra lectionem poterunt bibere quæ voluerint. Finita lectione dicat quæ præeſt, *Adjutorium &c.* Et tunc cum ſilentio intrent Sorores Eccleſiam. Quæcumque extra horam bibere voluerit, licentiam petat, & unam ſociam accipiat.

Cum tamen intrare Eccleſiam facta Collatione non ſit amplius in uſu, ſatius eſt ut Sorores ſervent illam conſuetudinem quoad hæc, quæ pro nunc in Monaſteriis obſervari ſolet.

CAPUT VII.

De Infirmis.

CIrca Infirmas caveat ne ſit negligens Prioriſſa: ſic enim procurandæ ſunt Infirmæ, ut citiùs releventur, ſicut dicit in Regula Beatus Auguſtinus. Poterunt autem quædam veſci carnibus, prout earum gravior exigit infirmitas vel debilitas; ſecundùm quod Prioriſſæ viſum fuerit. Si quæ verò talem infirmitatem habuerit, quæ nec eam debilitet multum, nec comedendi turbet appetitum; talis nec ſupra culcitram jaceat, nec conſuetudinaria frangat jejunia, nec cibos Refectorii mutet. In domo non ſint niſi duo loca, in quibus comedant debiles & infirmæ, unus carnium, & alius aliorum ciborum: niſi ſit evidens neceſſitas vel urgens infirmitas. Si autem Prioriſſam infirmari contigerit, in infirmaria cum aliis procuretur.

CAPUT VIII.

De Minutione.

MInutio quater in anno fiat. Prima in menſe Septembri: ſecunda poſt Natale: tertia poſt Paſcha: quarta circa feſtum Beati Joannis Baptiſtæ. Præter has minutiones nulla ſibi minuat, niſi diſcretio Prioriſſæ propter aliquam cauſam (prævio Medici conſilio, & exploratâ neceſſitatis veritate) judicaverit alicui aliter eſſe faciendum. Minutæ verò extra Refectorium comedant cum ſilentio: & ſecundùm quod facultas permiſerit commodiùs procurentur. Cauſâ verò minutionis non comedant carnes.

CAPUT IX.

De Lectis.

SUper culcitras non dormiant Sorores, niſi in infirmaria: ſuper ſtramina, & laneos ſaccones dormire licebit. Quæ autem culcitras petierint, jejunent una die in pane & aqua. Cum tunica, & velo, & capitegio, & cinctæ dormiant: & etiam cum caligis in regionibus in quibus mulieres portare caligas conſueverunt. Nulla quæ in communi tolerari poſſit, habeat ſpecialem locum ad jacendum; niſi fortè propter rerum cuſtodiam, cum neceſſitas hoc requirat. In quo caſu non minus quam tres jaceant in loco prædicto.

Caput X.

De Veſtitu.

VEſtes laneas honeſtas, & non notabiliter prætioſas deferant Sorores: & in mantellis vilitas potius obſervetur. Lineis non utantur ad carnes. Pelliceum verò inter duas tunicas habere poſſunt, quod aliquantulum brevius ſit tunicis. Linteamina autem non habeantur, niſi forte Prioriſſa in infirmaria cum aliqua propter gravem infirmitatem judicaverit diſpenſandum. Pelliceis, & coopertoriis ſilveſtribus Sorores non utantur. Tunicæ uſque ad talos, ſcapularia verò ſine quibus non vadant, ſint tunicis breviora. Soccos, pepla, & capitegia, & vela habeant ut neceſsè fuerit, & facultas permiſerit: chirothecas autem non habeant.

Caput XI.

De Communitate rerum.

OMnes Sorores ſingulis annis, vel pluries ſi eis dictum fuerit, omnia ſibi commiſſa Prioriſſæ ſuæ exponant pariter & exhibeant; ejus diſpoſitioni omnia relinquendo. Nulla etiam ſcyphum, vel vas aliquod, vel aliquid hujuſmodi ſibi appropriet. Item nulla habeat arcam vel aliquid quod cum clave firmetur, exceptis illis quæ propter officium ſuum non poſſunt non habere. Item nulla mittat vel recipiat ſine licentia litteras, vel ſchedulam ſcriptam etiam ſine ſigillo, nec ètiam ſcriptum aliquod in tabulis, vel in cera, niſi Magiſter Ordinis, vel Priori Provinciali, vel Vicario aut Prioriſſæ oſtendat: Prioriſſa etiam cum duabus Sororibus quas elegerit, cum ſibi expedire videbitur, Sororibus abſentibus ſcrutetur ſingulos lectos Sororum. Et ſi inveniant ibi aliquid quod Soror ſine licentia Prioriſſæ habeat, illud accipiat, & eam condignè puniat. Item ſine licentia, & expreſſione perſonarum quibuſcumque viris nihil dent, nec ab ipſis recipiant. Quæcumque autem contra fecerit, furti judicio condemnetur.

Caput XII.

De Communione, & lavatura capitum, & tonſura.

COmmunio poterit fieri in anno quindecim vicibus, in terminis, in quibus viſum fuerit Fratribus curam Sororum gerentibus: dummodo ad præparandum ſe poſſint habere copiam Confeſſorum. In Capitulo tamen Generali Barcinonen. Anno 1574. ordinatùm eſt, ut Communio Generalis fiat qualibet Dominicâ Adventus, & Quadrageſimæ: aliis autem temporibus de quindena in quindenam fieri poterit. Septem vicibus in anno poterunt lavari capita, & tonderi capilli Sororum. Sit autem tonſura non modica, ut decet religioſas perſonas.

Caput XIII.

De Silentio.

SIlentium teneant Sorores in Oratorio, in Clauſtro, in Dormitorio, in Refectorio. Alibi verò loqui poterunt de licentia ſpeciali, prout, & quando fuerit eis conceſſum. Si quæ tamen ſubmiſsè aliquid, & breviter de neceſſariis protulerit, non teneatur de ſilentii fractione. Omnes autem Sorores ubique in Menſa ſilentium teneant, tàm Prioriſſa, quàm aliæ: exceptâ unâ quæ major fuerit inter eas, vel alia cui pro ſe loqui commiſerit, & tunc taceat. Nulla autem aliarum ibidem loquatur, niſi de neceſſariis menſæ, & hoc per unicam orationem, vel dictionem breviter, & ſubmiſsè. Si vero hoc ſilentium fregerit ex propoſito, vel licentiam loquendi dederit, in uno prandio aquam tantùm bibat, & unam diſciplinam in Capitulo accipiat coram omnibus ſine diſpenſatione, exceptis infirmis decumbentibus. Caveat autem Prioriſſa, ne ſit facilis ad dandas licentias loquendi ſine cauſa rationabili. Quatuor de Sororibus magis Religioſis, & diſcretis aſſignentur, ſine quarum una vel duabus, vel Prioriſſa, vel Supprioriſſa nulla licentietur ire ad feneſtram locutorii ſecularium. Nec aliquid loquatur ibi Soror niſi in auditu Sociæ, vel Sociarum. Iſta autem Socia, vel Sociæ debent accuſare eam cum qua mittuntur, ſi verbo, vel geſtu, vel aliter in aliquo notaverint reprehenſibilem. Prioriſſa autem, & Supprioriſſa cum aliquibus in prædicto locutorio non loquantur, niſi in præſentia alicujus quatuor prædictarum, vel alicujus antiquarum Sororum. Nulli detur licentia loquendi in locutorio ſecularium cum extraneis, aut intrandi locutorium illud; quamdiu horæ, vel Miſſa dicuntur, vel quando Conventus dormit, vel comedit niſi ex cauſa valdè neceſſaria. Ad feneſtras confeſſionum nulla loquatur de aliis quàm de confeſſione ſcienter, & ex propoſito, niſi fortè de pertinentibus ad officium Eccleſiæ cum exterioribus, & hoc de licentia, & ſubmiſsè. Nulla confiteatur alicui ſeculari, vel alicui cujuſcumque alterius Religionis etiam Fratri, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis; vel illius cui ſuper hoc ſecundùm certam formam aliquis ho-

rum

rum commiſerit poteſtatem. Item ad rotam nulla loquatur, niſi alia, vel illæ, quæ propter aliquod officium ſunt ipſi rotæ deputatæ: & illæ etiam non loquantur ibi, niſi de pertinentibus ad officium prædictum. Pro prima fractione ſilentii ex deliberatione commiſſa extra menſam, dicat Soror Pſalmum *Miſerere mei Deus*: & pro ſecunda recipiat in Capitulo diſciplinam coram omnibus, pro tertia ſedeat ſemel in terra, & hoc in prandio non in cœna: computatio tamen iſta, inter duo capitula fiat. Prioriſſa tamen poteſt dare aliquas licentias generales loquendi Cellariæ, coquinariis, ſive aliis officialibus, prout ratione officiorum viſum fuerit expedire.

Caput XIV.

De Recipiendis.

NUlla notabiliter juvenis recipiatur in Sororem. Non recipiatur etiam aliqua, niſi cum diligenti examinatione facta ſeorſim de moribus, & vita, & viribus corporalibus, & induſtria animi: & utrum ſit conjugata, & non per Eccleſiam ſeparata à viro. Examinetur etiam diligentiùs utrum ſit gravida: & ſi non poſſit de hoc certitudo haberi expectandum eſt donec certitudo habeatur. Item inquiratur utrum ſit ſerva, vel ratiociniis obligata, vel alterius profeſſionis, vel occultam habeat infirmitatem, vel alia impedimenta propter quæ non expediat eam recipi. Hæc autem examinatio à Prioriſſa, & à duabus Sororibus diſcretis de conſenſu Capituli ad hoc electis, fieri debet. Cum autem recipienda adducta fuerit in Capitulum, proſternat ſe in medio. Interrogata verò ab ea quæ præeſt? *Quid quærat*: reſpondeat: *Miſericordiam Dei, & veſtram.* Qua ad juſſum illius quæ præeſt erecta, exponat ei auſteritatem Ordinis, propoſitum ejus requirens, Quod ſi reſpondeat ſe proponere cuncta ſervare, dicat poſt cætera: *Dominus qui incepit ipſe perficiat*, & Conventus reſpondeat, *Amen*: Tunc depoſitis ſecularibus veſtibus, & Religioſis indutis, in ſocietatem Sororum in Capitulo recipiatur. Verumtamen antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittat, & obedientiam, ac profeſſionem faciat; tempus probationis aſſignetur. Probationis verò tempus ſtatuimus unius anni, vel eo amplius; prout illi qui præeſt, de prudentum conſilio videbitur expedire: ut & ipſa auſteritates Ordinis, & Sorores mores ipſius experiantur. Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, penſatis facultatibus domus, quæ pro tempore fuerint, aliquem certum numerum Sororum ſtatuat: ultrà quem non recipiatur aliqua in Sororem, niſi talis eſſet perſona, quæ ſine gravi damno, vel ſcandalo recuſari non poſſet. Et tunc non niſi de conſilio Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis recipiatur. Nulla etiam fiat promiſſio de Sorore aliqua recipienda, antequam locus vacaverit. Licebit quoque aliquas recipere intus in Sorores Converſas, ubi hoc expediens videbitur: in numero tamen moderato, prout earum officiis, & adjutoriis aliæ Sorores indigebunt. Hæ autem dicant in profeſtis diebus pro Matutinis 28. *Pater noſter*, in Feſtis autem Novem Lectionum 40. pro Veſperis 14. pro qualibet aliarum horarum ſeptem. Loco *Pretioſa*, tria: pro benedictione menſæ unum: poſt menſam pro gratiis, tria. In jejuniis, & vigiliis, & aliis quæ earum ſtatui competunt, ſe aliis conformabunt.

Caput XV.

De Novitiabus, & earum inſtructione.

PRioriſſa Novitiabus Magiſtram diligentem in ipſarum inſtructione præponat, quæ eas de Ordine doceat: in Eccleſia, & ubicumque negligenter ſe habuerint, verbo, ſigno, quantum poterit ſtudeat emendare; neceſſaria prout poteſt debet eis procurare. De apertis negligentiis cùm ante eam petierint veniam, pœnitentiam dare, vel eas in Capitulo proclamare. Humilitatem cordis, & corporis doceat eas habere, frequenter, purè, & diſcretè confiteri, ſine proprio vivere, propriam voluntatem deſerere: pro voluntate majorum, obedientiam in omnibus voluntariè obſervare. Quomodo ubique, & in omnibus ſe habere debeant, ipſas debet inſtruere; quòd locum ubi fuerint poſitæ ubique teneant. Qualiter ſe ad cameras contineant, ut oculos ſublimes non habeant. Quomodo, vel quid orent, & quam ſilenter, ut aliis rugitum non faciant. Quomodo in Capitulo, vel ubicumque reprehenſæ fuerint ab ea quæ præeſt, venia ſit facienda: & quod ſi quæ Sororem ſuam aliquo modo ſcandalizaverit, ad pedes ejus proſtrata veniam petat. Inſtruendæ etiam ſunt Novitiæ, ut cum nemine contendere præſumant, & quod in omnibus Magiſtræ ſuæ obediant. In proceſſione Sociam ſibi collateralem attendant; nec loquantur locis, & temporibus interdictis, nec aliàs ſine licentia: & quòd neminem penitùs judicent: ſed ſi quæ ab aliqua fieri videtint; *licet mala, bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta, ſæpe enim humanum fallitur judicium.* Et quod non loquantur de abſente niſi quæ bona ſunt: quod diſciplinas fre-

frequenter ſuſcipiant, & cum duabus manibus bibant, & ſedendo: quod libros, veſtes, & res alias Monaſterii cuſtodiant diligenter. Et quod ſi quid petitum fuerit ab una earum quæ præeſt, & negaverit, non petatur ab alia; niſi negatione priore expoſita: ſed nec ſi à majore petierint, & negaverit: vadant ad majorem. Item confeſſiones Novitiarum ante profeſſionem recipiantur, & diligenter de modo confeſſionis, & in aliis inſtruantur, & omnia alia ad pedes Prioriſſæ ponant. Item Novitiæ, & aliæ Sorores quæ aptæ ſunt, in Pſalmodia, & officio divino ſtudeant diligenter: præter Converſas, quibus ſufficiat ut ſciant vel addiſcant ea, quæ debent pro horis dicere. Omnes verò in aliquo labore addiſcendo, vel exercendo uceupentur. Item Novitiæ non interſint Capitulo de culpis, ſed in principio ſe accuſent: vel Magiſtra earum, extra Capitulum culpas earum audiat, & ipſas quantum poterit diligenter in moribus inſtruat, & charitativè corripiat.

Caput XVI.

De modo faciendi profeſſionem.

Modus faciendi profeſſionem talis eſt. Ego Soror N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & tibi Sorori N. Prioriſſæ talis Conventus; vice Fratris N. Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Succeſſorum ejus: ſecundùm Regulam Beati Auguſtini, & inſtitutiones Sororum quarum cura prædicto Ordini eſt commiſſa: quòd ero tibi obediens, aliiſque Prioriſſis meis uſque ad mortem. Novitiarum autem veſtes in earum Profeſſione benedicantur hoc modo. ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* ℟. *Et ſalutare tuum da nobis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* Oremus. *Domine JEſu Chriſte, qui tegimen noſtra mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſa largitatis tua abundantiam; ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentia, & immortalitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris; ut qua hoc uſa fuerit, te induere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta. Ad profeſſionem nulla recipiatur infra 16. annos completos, juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 2. de Regular. Cap. 12. Nolumus etiam quòd aliquæ Sorores benedicantur, cùm Beatus Pater Dominicus hoc ordinaſſe dicatur, circa illas quæ fuerunt tempore ſuo. Et hujuſmodi benedictio ſoleat eſſe aliquibus occaſio, ut ſuper alias ſe extollant.

Caput XVII.

De levi Culpa.

Levis culpa eſt, ſi quæ mox ut ſignum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura feſtinatione ſe præparaverit; ut ad locum pro quo fit ſignum veniat tempeſtivè. Si quæ deſignatum ſibi legendi, vel cantandi officium, non attentè compleverit; vel Reſponſorium, vel Antiphonam, vel aliud inceptura Chorum turbaverit. Si quæ malè legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe coram omnibus humiliaverit. Si liber in quo legendum eſt in collatione, vel in Capitulo, vel in Eccleſia, cujuſquam negligentiâ defuerit. Similis culpa eſt, ſi quæ ad menſam, vel collationem, vel ſermonem, vel Capitulum, vel ad Horas in Eccleſia, vel ad laboratorium commune citò non venerit; vel ad lectionem menſæ notata ad benedictionem ſe tardè obtulerit. Si quæ in dormitorio, vel alibi in Conventu aliquem tumultum fecerit, vel orantes, vel legentes, vel laborantes in aliquo inquietaverit. Si pannus ad involvendum Calicem, vel Patenam, vel Corporale, vel Stola, vel Manipulus, vel ſimilia, per negligentiam cujuſquam in terram ceciderit: vel ſi veſtes ſuas ſuo tempore, & loco ſtatuto, honeſtè, & ordinatè aliqua non repoſuerit. Item levis culpa eſt ſi quæ cereum, vel aliquod utenſilium perdiderit, vel fregerit, vel aliquod veſtimentorum ſuorum deterioraverit, vel amiſerit. Si quæ in officio, vel ſermone, vel laboratorio dormitaverit, vel oculos vagos habens per clauſtrum, vel domum ad vanitates ſæpè direxerit. Si quæ verbis otioſis vacaverit, vel diſſolutè riſerit, vel alias ad ridendum concitaverit: vel in aliquo geſtu, vel motu, vel ſtatu, vel habitu, vel verbo reprehenſibilis apparuerit. Pro his unus Pſalmus, vel plures ſecundùm quantitatem exceſſuum, prout videbitur Capitulum tenenti injungatur.

Caput XVIII.

De media Culpa.

Media culpa eſt, ſi quæ ad *Gloria primi Pſalmi* non adfuerit, & in medio Chori non ſatisfecerit, vel in vigilia Annunciationis, vel Nativitatis Domini in principio Capituli non adfuerit: ut pronunciatis exordiis noſtræ ſalutis, & redemptionis gratias agat corde, & corpore Redemptori noſtro. Similis culpa eſt, ſi quæ in Choro non intenta divino Officio, vagis oculis, & motu irreligioſo levitatem mentis oſtenderit. Si quæ lectionem tempore ſtatuto non prædixerit: vel aliud

lege-

legere, vel cantate præſumpſerit, quam quod ordinatom eſt. Si quæ in Choro riſerit, vel alias tidere fecerit; vel in Conventu diſſolutiouem aliquam fecerit. Item media culpa eſt, ſi quæ à Capitulo, vel ſermone, vel collatione, vel refectione communi, vel laboratorio, vel hora aliqua ax cauſa minùs rationabili remanſerit. Si quæ commune mandatum dimiſerit. Si quid cibi, potus, abſque benedictione aliqua ſumpſerit. Similis culpa eſt, ſi quæ eam à qua proclamata eſt eadem die quaſi vindicando ſe proclamaverit, vel clamans io proclamatiooe ſua jurgium fecerit. Si quæ (ut loquendo fieri ſolet) cum juramento aliquid affirmaverit, vel negaverit: vel vaniloquium dixerit. Si quæ Sororem proprio nomine, omiſſo hoc uomine (Soror) vocare in uſu habuerit. Pro hujuſmodi culpis Pſalmi, diſciplinæ, & veniæ ſecundùm diſcretiooem tenentis Capitulum impouantut, quaotitate culparum penſata.

Caput XIX.

De gravi Culpa.

GRavis culpa eſt, ſi quæ cum aliqua lites habuerit, vel iuhoueſtè coutenderit. Si quæ aliqoi opprobtium dixerit, vel culpam pro qua ſatisfecit improperavetit. Si quæ in proclamatione jurgium fecerit, vel in illam à qua proclamata eſt, vel quamlibet aliam maledicta, ſeu verba inordinata, vel injurioſa malitioſè invexetit. Simllis culpa eſt, ſi quæ diſcordias inter Sorotes ſeminaverit: vel detraxetit, ſeu ſuſurratrix inventa ſuerit. Si quæ mala de Sororibus, vel domo malitioſè evomuerit: vel culpam ſuam, aot alterius protervè defenderit. Si quæ mendacium ſcienter di-, etit: ſi quæ pto victu, vel veſtitu, vel qualibet alia re murmuraverit. Si quæ ſilentiom uou tenere, io conſuetudinem duxerit. Item gravis culpa eſt, ſi quæ carnes abſque licentia, & neceſſitate comederit: vel jejunia ſtatuta ſregerit. Si quæ in aliquem oculum fixerit, vel turpem ſermonem protulerit. Si quæ res aliquas alii deputatas, quamvis non animo retinendi, ſiue licentia acceperit: vel à Capitulo, vel ſermone, vel communi dormitiooe ſine caoſa aliqua, & licentia remanſerit. Pro hujuſmodi culpis, & ſimilibua injungantur tres dies in pane, & aqua, & tres diſciplinæ, vel plures in Capitulo coram omnibua recipiendæ: & Pſalmi, & veniæ prout ſecuodùm exceſſus majores, vel minores videbitur eſſe juſtum.

Caput XX.

De graviori Culpa.

GRavior culpa eſt, ſi quæ per coutumaciam, vel manifeſtam rebellionem ſuis majoribus inobediens extiterit: vel cum eia proterve contendere auſa ſuerit. Si quæ aliam malitioſè percuſſerit. Si quæ res aliquas aliis conceſſas, vel de communi (animo celandi) acceperit, vel proptium habuerit. Similis culpa eſt, ſi quæ munuſcula, vel alias res ſine licentia dederit, vel receperit, vel receptas celaverit. Si quæ litte as, vel aliqua in ſctipto aliquo ſine licentia miſerit, vel receperit, vel legerit: vel ſibi legi fecerit. Si quæ aliquid iuhooeſtum domus, Sororum, vel ſecretum aliquod extraneo cuiquam tevelaverit: vel aliquod quodcumque crimen capitale commiſetit. Pro hujuſmodi culpia quæ rea fuerit, veniam petens, ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proſerat: & denudata uſque ad ciogulum vapulet ad pedes ſingularum, primo Prioriſſæ, deindè utriuſque lateris ſedentium, & ſit omnium noviſſima in Conventu. In Refectorio quoque ad communem menſam non comedat cum aliis, ſed in medio Refectorii ſupet nudam terram: & ptovideatut ei groſſior panis, & aqua, niſi quæ præeſt ei per miſericotdiam aliquid impendat, nec teliquiæ prandii ſui cum aliis miſceantur. Ad Canonicas Horas, & ad gratias poſt comeſtionem, ante oſtium Eccleſiæ tranſeuntibos Sororibus proſtrata jaceat; dum intrant, & exeuot. Nulla verò audeat ſe conjuugere ei, vel aliquid maudare. Talis quamdiu erit in bac pœuitentia, non communicet, nou veniat ad oſculum pacis, nec notetur ad aliquod officium in Eccleſia: nec ulla ei committatut obedieutia. Prioriſſa verò ne in deſperationem labi poſſit, mittat ad eam quæ eſt in tali pœnitentia Sorotes: quæ illam moneant ad pœnitentiam, provocent ad patientiam, foveant per compaſſionem, hortentur ad ſatisfactionem, adjuvent per ſuam interceſſionem. Quibus & ſuffragetur totus Conveutos, ſi apparuerit in ea debita humilitas: nec renuat quæ præeſt cum ea facere miſericordiam; & ſi videbitur ei, denuò vapulet modo ſupradicto. Eodem modo debet pœnitere, ſi quæ (quod abſit) iu peccatum carnis lapſa fuerit: quod gravius cæteris puniti cenſemus, & pluſquam alia abominamur. Potetit autem ei quæ talia ſuerit velum nigrum auſerri, quamdiu fuerit in hac pœnitentia. Si verò hujuſmodi peccatum occultum ſuerit, diſquiſitione ſecreta ſecuudùm tempus, & perſonam, condignam agat pœnitentiam. Si verò aliquæ per conſpirationem vel conjutationem, vel malitioſam concordiam adverſus Prioriſſam, vel Superiotes ſuos manifeſtè ſe etexeriut, ſupradicto modo pœniteant: & de cætero in tota vita ſua extremum locum ſui Ordiois teneant; & vocem in Capitulo niſi in ſui

accu-

accuſatione non habeant, neque eis aliqua obedientia injungatur. Si quæ tamen non malitioſe, ſed in veritate adverſus Prioriſſam aliquid habuerit quod tolerari non debeat nec deceat: prius inter ſe cum omni humilitate, & charitate, de ſua correctione eam admoneat. Quod ſi frequenter admonita corrigere ſe neglexerit, aut contempſerit: Priori Provinciali, vel ejus Vicario ſignificetur.

Caput XXI.

De graviſſima Culpa.

Graviſſima culpa eſt incorrigibilitas illius, quæ nec culpas timet admittere, & pœnam recuſat ferre. Si quæ igitur talis inventa fuerit, exuta Habitu Sororum, & earum ſocietate privata, recludatur in loco ſeparato, ac ſegregato ab aliis: & utatur cibis qui pro graviori culpa ſuperius ſunt expreſſi. Ad correctionem autem talium, habeantur aliqua loca apta: in quibus non ſolum prædictæ incorrigibiles; ſed etiam contagioſæ, & ſuſpectæ probabiliter, de nocumento inferendo in perſonis, vel rebus, vel de fuga, poterunt recludi. Pro culpis vero aliquibus minoribus iſtis, poterit interdum injungi aliquibus, ut in eiſdem locis morentur ad tempus ſequeſtratæ: ſecundùm quod videbitur expedire.

Caput XXII.

De Apoſtatis.

Si quæ in apoſtaſia, vel fuga deprehenſa, invita deducta fuerit: pœnam quæ ſupra determinata eſt pro incorrigibili, ſuſtinebit. Si quæ verò fugitiva voluntariè redierit petens miſericordiam, nullatenus recipiatur in perpetuum, maximè ſi de lapſu carnis commiſſo ſuſpecta fuerit: niſi prius Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis ſuper hoc conſulatur; & niſi ab illis, quid in hoc caſu faciendum ſit plenè reſolutum fuerit. Cùm autem fuerit recipienda, denudata uſque ad cingulum cum virgis in Capitulum veniat, & proſtrata veniam petat: & pœnis omnibus ſupradictis de graviori culpa, vel lapſu carnis, vel conſpiratione ſubjiciatur. Receptura tamen de miſericordiis ibi taxatis plùs vel minus, citius vel tardius, ſecundum exigentiam exceſſus præcedentis, & ſignorum pœnitentiæ ſubſequentis.

Caput XXIII.

De Electione Prioriſſæ.

Prioriſſa eligi debet à Sororibus illis, quæ jam annos duodecim à profeſſione ſua expleverunt, juxta ordinationes Capitulorum Generalium, confirmatas à Gregorio XV. Summo Pontifice per Breve quod incipit: *Expone nobis &c. Datum Romæ apud S. Petrum die 6. Aprilis* 1523. & etiam juxta præſcriptum Concilii Tridentini ſeſſ. 25. de Regular. Cap. 6. ubi dicitur: ut in Prioriſſam non eligatur quadragenaria minor, & niſi habuerit à Profeſſione annos duodecim; quorum octo poſt Profeſſionem expreſſam, laudabiliter tranſacti eſſe debent. Quod ſi in aliquo Monaſterio non inveniatur perſona tantæ ætatis: in tali caſu, cum conſenſu Superioris eligatur aliqua alia ex Sororibus ejuſdem Monaſterii dummodo tamen habeat ætatis annos triginta completos, & à Profeſſione annos 12. pariter completos: in qua annorum duodena, demonſtrari debent ſaltem quinque honeſte, & religioſè exacti.

Porrò Conventus qui confirmationem electæ Prioriſſæ petierit, ſcribat numerum, & ſimul nomina illarum Sororum, quæ in electione nominatæ fuerunt: & tunc Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, vel quicumque alius, à prænominatis ad hoc ſpecialiter deputatus, legitimè electam confirmabit. Sorores Electrices vacante officio Prioriſſæ, habent tempus præfixum unius menſis quo ad electionem accedere poſſunt: ſi verò infra illud ſpatium menſis unius electionem non fecerint; devolvitur omnis authoritas ad Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Provincialem, providendi de Prioriſſa huic, vel illi Monaſterio.

Caput XXIV.

De Modo eligendi Prioriſſam.

Modus eligendi Canonicè Prioriſſas, juxta tenorem Conſtitutionis Bonifacii VIII. hic antiquitus ſervabatur: ut nimirum, vel per communem inſpirationem, vel compromiſſionem Prioriſſa eligeretur: jam verò nunc inhærendo Decreto Sacri Concilii Tridentini, electio fieri debet in hac forma, quæ ſequitur.

Poſtquam Supprioriſſa cum conſenſu Vocalium diem faciendæ electionis determinaverit, omnes Sorores vocem in electione habentes Sacra Communione refici debent: juxta ordinationem Capituli Generalis Romæ 1580. celebrati. Superior verò illarum, cum aliis duobus Patribus, qui & Scrutatorum munus ſubire debebunt, ad Crates Locutorii convenient (abſque eo tamen ut Monaſterium ingredi audeant) ibique collocati, juxta præſcriptum Concilii Tridentini & declarationem Sacræ Congregationis Concilii, recipient uniuſcujuſque Sororum Electricum vota, ab ipſis per involutas ſche-

ſchedulas porrecta, & in aliquo vaſe ſeu urna ad hoc præparata recepta: in quibus ſchedulis exprimi debet nomen Prioriſſæ quæ eligitur, his verbis præciſè: Ego Soror N. eligo talem N. in Prioriſſam hujus Monaſterii: nec ultra hoc apponi debet nomen, vel ſignum aliquod, per quod poſſit deveniri in cognitionem eligentis. In reponendis vero hujuſmodi ſchedulis Vocalium, prima debet eſſe Supprioriſſa, & ſic deinceps aliæ Sorores conſequenter, ſecundùm ordinem profeſſionis illarum. Quod ſi aliqua ex Vocalibus infirma fuerit, ac proinde ad locum electionis venire nequiverit: tenebitur Supprioriſſa cum duabus aliis Sororibus antiquioribus, Cameram decumbentis accedere; ab eaque ſchedulam involutam (uti ſupra dictum eſt) recipere: quæ una cum aliis ſchedulis Sororum Electricum commiſceri, atque per manus Scrutatorum in urna eadem reponi debebit.

Poſtquam verò omnium Electricum vota in toto fuerint recepta, PP. Scrutatores ſchedulas illas involutas in menſam effundere, numerare, atque cum numero Vocalium conferre tenebuntur. Quod ſi numerus earum non fuerit æqualis numero eligentium, ſtatim omnes comburantur, abſque eo quod legantur, vel explicentur: adque faciendam denuo electionem procedatur. Idem fieri debet, ſi nulla ex illis quæ in electione nominatur, habuerit duo vota ultra medietatẽ: rurſus enim nova electio inſtituenda erit. Vbi vero inventum fuerit, electam quamcumque habere duo vota ſaltem ultrà medietatem: ille, qui inter Scrutatores major fuerit, ſcrutinium publicabit; factoque Decreto ſcrutinium Electionis ad Confirmatorem tranſmittetur.

CAPUT XXV.

De Inſtitutione Supprioriſſæ.

PRioriſſa de conſilio diſcretarum Sororum, & Prioris Provincialis, vel Vicarii ejus inſtituat Supprioriſſam. Cujus officium erit, habere diligentiam, & curam circa Conventum, & in aliis quantum Prioriſſa aſſignaverit ei, vel permiſerit. In quotidianis verò Capitulis non proclametur, niſi aliquando pro magno exceſſu: ſecundùm quod Prioriſſæ viſum fuerit. Eadem autem Supprioriſſa, mortuâ Prioriſſâ vel amotâ, vices ejus plenariè obtineat: quouſque Prioriſſa fuerit electa, & confirmata: & niſi Magiſter Ordinis, vel Prior Provincialis, vel ejus Vicarius aliter ordinaverit.

CAPUT XXVI.

De Cicatricibus.

PRioriſſa duas Sorores diſcretas aſſignet & ordinet Ordinis zelatrices, quæ ſint ſollicitæ, & intentæ, circa geſtus, & facta Sororum. Poſt Completorium, & de die etiam interdum, clauſtrum, & alias officinas circumeant: & ſi quam minùs religioſè in aliquo ſe habentem invenerint; eam debebunt in Capitulo proclamare. Viſitatorem quoque tempore viſitationis, de ſtatu Religionis quomodo ſervetur, vel non ſervetur, plene informare tenebuntur.

CAPUT XXVII.

De Cellaria.

CEllariam Sorores habeant unam de majoribus, & diſcretioribus Domus: quæ per ſe, & Socias ſibi aſſignatas, ex conſilio Prioriſſæ, & Supprioriſſæ, fideliter & devotè bona temporalia procuret: quæ pecunias, pannos, frumentum, vinum, vel aliquid hujuſmodi ſine licentia generali, vel ſpeciali dare non præſumat. Cellaria coram Prioriſſa, & Supprioriſſa, & tribus de maturioribus Sororibus ad hoc aſſignatis à Conventu, computationem faciat quolibet menſe receptorum, & expenſarum. Semel autem in anno, vel ampliùs ſi viſum fuerit, coram Priore Provinciali, vel ejus Vicario computatio fiat: & ſtatus Domus exponatur. Poſſeſſiones ſine conſenſu Conventus alienari, vel minui non poſſunt, ſed obſervanda ſunt in hoc paſſu Decreta Summorum Pontificum; tum & Decretum Sacræ Congregationis Concilii, factum cum conſenſu Urbani Octavi Summi Pontificis, ſub die 7. Septembris 1624.

CAPUT XXVIII.

De Labore.

QUia otioſitas inimica eſt animæ, & mater, ac nutrix vitiorum, nulla Sororum ſit otioſa: ſed diligenter obſervetur, ut exceptis illis horis, & temporibus, quibus orationi, vel officio, vel aliæ occupationi neceſſariæ debent intendere, operibus manuum ad utilitatem communem omnes attentè inſiſtant prout fuerit ordinatum. Cum Sororibus autem quamdiu ſunt in labore, Prioriſſa, vel Supprioriſſa, vel aliqua alia ad hoc à Prioriſſa aſſignata ſit præſens. Laborent autem cum ſilentio: nec ulla recedat à communi laboratorio, ſine licentia, & neceſſitate. Quæ autem ſic exierit, expleta neceſſitate redeat.

Caput XXIX.

De Ædificiis.

Ædificia Sororum ſint humilia, curioſitate, vel ſuperfluitate non notanda: & apponatur cura diligens, ut ordinentur officinæ, proùt meliùs fieri poterit pro Religione ſervanda. Ante omnia detur opera, quod clauſura ſit valde alta, & fortis: ita ut egrediendi, vel ingrediendi per clauſuram, opportunitas nulla detur. Non ſit autem in clauſura Sororum, niſi unum oſtium forte, & bonum, quod cum duabus clavibus, vel pluribus, quantitate, & forma differentibus claudatur; cum una interius, & cum alia exterius. Interior autem cuſtodiatur exterius vel intus, ſecundùm diſpoſitionem Prioris Provincialis, vel Vicarii ejus: exterior verò intus ſecundum diſpoſitionem Prioriſſæ, & Monaſterii. Aptetur autem in aliquo loco convenienti ipſius clauſuræ, in muro inſeparabiliter ipſi adhærenti, aliquod inſtrumentum rotundum, quod Rotam vocamus: per quod ita poſſint res neceſſariæ dari, & accipi; quod dantes & accipientes] nullatenus poſſint ſe videre. In Eccleſia vero in aliquo loco intermedio inter Sorores, & exteriores, aptetur aliqua feneſtra ferrata competentis magnitudinis, in qua fient ſermones. Similiter fiant in aliquo loco apto duæ feneſtræ parvulæ ferratæ, ad confeſſiones audiendas. Poterit etiam haberi aliquod locutorium ad loquendum cum extraneis in aliquo loco convenienti, ubi aptetur feneſtra ferrata ſimili modo, ſicut dictum eſt de feneſtra majori in Eccleſia. Vel in ipſa Eccleſia ad prædictam feneſtram majorem, fieri poterunt locutiones cum extraneis, ubi hujuſmodi locutorium non habetur. Porrò omnes ſupradictæ feneſtræ, vel feneſtrellæ ferratæ, ſic diſponi debent, vel per duplicationem ferraturæ, vel per acutos clavos; quod inter exteriores, & interiores, nullus poſſit intervenire contactus. Item omnes feneſtræ, vel feneſtrellæ, & etiam rotæ, debent interius habere oſtia lignea bona, cum clavibus diligenter firmanda. Præter prædictas feneſtras nulla alia habeatur: niſi fortè cauſa loquendi; una alia ſimilis feneſtrellæ confeſſionum, in loco competenti, de licentia Magiſtri Ordinis, vel Prioris Provincialis concedatur.

Caput XXX.

De ingreſſu, & egreſſu Domorum.

Circa ingreſſum, & egreſſum Domorum Sororum, ſummam adhibere volentes cautelam: interdicimus ſub pœna anathematis, ne unquam aliqua Sororum egrediatur clauſuram, niſi propter periculum ignis, vel ruinæ, vel latronum, vel malefactorum, aut ſimilium eventuum, qui ſolent vergere in periculum mortis: niſi forte de licentia Magiſtri Ordinis, ex cauſa aliqua transferri contigerit aliquam ad aliam Domum faciendam, vel factam. Jam vero B. Pius V. per Breve quod incipit: *Decori, & honeſtati. Datum Romæ apud S. Petrum die prima Februarii Anno* 1570. in tribus tantummodo caſibùs permittit egreſſum Sororibus ex Monaſterio. Nimirum propter vehemens incendium ſi fortè exoriatur: ſecundo propter lepram, ſi aliquæ ex Sororibus ea afficerentur: ac tertio demum propter morbum contagioſum epidemiæ. Priùs tamen hæ infirmitates à viris peritis probe agnoſci, ac teſtimonio in ſcriptis dato ab iiſdem confirmari debent, antequam egreſſus extra clauſuram concedatur. Et per hanc Conſtitutionem præallegatam, abrogantur omnes anteriores conceſſiones, factæ à Summis Pontificibus Benedicto XII. Vrbano IV. Julio II. tùm ab ipſo Concil. Trident. juxta declarationem Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium, factam die 22. Septembris 1617.

Similiter Gregorius XIII. per Breve quod incipit: *Ubi gratiæ, & indulta &c.* Datum *Romæ apud Sanctum Petrum die* 13. *Junii* 1575. revocat, & annihilat omnes licentias datas antehac ad ingrediendum Monaſteria Monialium Comitiſſis, Marchioniſſis, & Principiſſis, aliiſque omnibus viris & fœminis; ipſiſque prohibet ſub pœna Excommunicationis, ne prætextu hujuſmodi conceſſionum, ac licentiarum, Monaſteria ingredi præſumant.

Licitum nihilominùs eſt Magiſtro Ordinis, vel Priori Provinciali ſub tempus Viſitationis ingredi Monaſteria Sororum, una vice dumtaxàt in anno: ita tamen ut ſi unus ex illis Monaſterium viſitando ingrediatur, alter eodem anno ingredi non poſſit; juxtà tenorem Bullæ ab Alexandro VII. editæ, quæ incipit: *Fidei Sacrarum Virginum &c.* ubi hoc etiam cavetur: ut Magiſter Ordinis cum duobus Sociis, jam verò Provincialis; nonniſi cum uno Socio Monaſteria ingrediantur. Et Gregoriis XIII. in quadam Conſtitutione, quæ incipit: *Dubiis quæ emergunt.* Data *Romæ apud S. Petrum die* 23. *Decembris* 1581. Superioribus Regularium facultatem concedit ingrediendi Monaſteria Monialium, in caſu ſcilicet neceſſitatis: ſi verò aliquis extra omnem neceſſitatem ingrediatur, pœnam Excommunicationis, ac privationem officii ſupra eundem decernit.

Quando

Quando autem aliquis prædictorum ingreditur, Prioriſſa cum tribus antiquioribus eum ſemper comitetur: aliæ verò non diſcurrant, ſed ſint in Capitulo, vel in Eccleſia, vel in alio loco honeſto omnes: præter illas quæ neceſſariò occupantur in aliquibus officiis, donec regreſſus fuerit extra domum. Nulla loquatur cum aliquo ingredientium ſeorſim ab aliis: niſi forſan occaſionaliter cum aliquo prædictorum; qui poſſunt, & debent intrare, & hoc de licentia: exceptis Prioriſſa, & tribus Sororibus ad hoc deputatis. Prioriſſa, cum prædictis tribus Sororibus ſimul ſtent, & ſimul vadant binæ, & binæ. Loquatur autem cum illis, quos ex aliqua cauſa contigerit ingredi, de expedientibus breviter, & ſuccinctè. Item ſi oporteat infra terminos Sororum aliqua opera fieri neceſſaria, poterunt intrare operarii aliqui de licentia Prioris Provincialis, vel Vicarii: & tunc Prioriſſa, & Supprioriſſa, & Procuratrix, vel aliæ tres de Sororibus antiquioribus, & maturis, ad hoc deputatæ, operariis loqui poterunt; ita tamen quòd una ab aliis duabus audiatur, aliæ verò nullo modo loquantur eis, nec etiam ad eos accedant. Item ſi aliquam ita infirmari contigerit, quod ad locum conſuetum Confeſſionis, ac Communionis venire non poſſit: ſi deſideret confiteri, tenebitur Confeſſarius ad Cameram infirmæ venire, aſſociatus à Prioriſſa, & duabus aliis Sororibus antiquioribus: & intereà dum infirma confitebitur. Socius Confeſſarii cum eo Monaſterium ingreſſus, manebit penes Prioriſſam, & illas duas Sorores ſupradictas, in loco remotiori, dummodo tamen Confeſſarium infirmæ aſſiſtentem commodè videre poſſit juxtà Bullam Alexandri VII. ſuperius relatam. Si verò eam etiam communicare oportuerit, Sacerdos inſuperpelliceo cum ſtola Corpus Chriſti deferens reverenter, præcedentibus eum duabus Sororibus cum cereis, & una cum aqua benedicta, & alia campanulam deferente: aſſociantibus nihilominus aliquibus de maturioribus Sororibus, ad infirmariam vadat, & infirmam communicet; prout in Ordinario continetur. Si autem aliqua Soror infirmetur in tantum, quòd eam injungi oporteat: tunc Sacerdos indutus, ut ſupra de communione dictum eſt, oleum ſacræ Unctionis deferat; & una Sorore Crucem portante, præcedentibus duabus cum cereis ad infirmariam vadat, & totus Conventus eum perſonaliter antecedat. Intrans autem Sacerdos infirmariam dicat: *Pax huic Domui*: & cætera fiant, ſicut notatum eſt in Ordinario: ita tamen quòd abſterſiones cum ſtupis, fiant vel à Prioriſſa, vel ab aliqua Sorore cui injunxerit. Cavendum eſt autem ne de facili multiplicentur ingreſſus, modo cauſa Communionis, modo cauſa Unctionis, ſine magna neceſſitate, ſed ſimul fiat utrumque. Cum autem ſimul communicari, & inungi aliquam oportuerit: Soror aliqua Crucem portet, & Frater, ac Socius ſacram deferant Unctionem, & primò fiat Communio, deindè Unctio, & in iſto caſu ſemper remaneant Conventus in infirmaria, uſque ad completionem Officii. Porrò ubi copia miniſtrorum ſupradictorum non habetur in promptu, vel propter aliquam neceſſitatem feſtinare oporteat; omiſſa Miniſtrorum aſſiſtentia, omnique alio apparatu ac ſolemnitate, fiant omnia eo modo, quo melius perfici poterunt.

CAPUT XXXI.

De Capitulo quotidiano.

Finitis Matutinis teneatur Capitulum, vel poſt Primam, vel poſt Tertiam, & Miſſam, ſi Miſſa poſt Primam dicatur: aliquando etiam poterit intermitti, ſi Prioriſſæ videbitur. Ingreſſo Conventu Capitulum, Lectrix pronunciet lunam, & quæ de Kalendario pronuncianda ſunt: & Hebdomadaria proſequatur *Pretioſa*, &c. Deinde Sororibus reſidentibus, Lectrix pronunciet Lectionem de Conſtitutionibus, vel de Evangelio pro tempore, præmiſſo *Jube Domne &c.* & Hebdomadaria ſubjungat benedictionem, *Regularibus diſciplinis &c.* vel *Divinum auxilium &c.* pro tempore. Et facta abſolutione pro defunctis, dicat quæ tenet Capitulum, *Benedicite*: & reſponſo, *Dominus*, inclinent omnes. Deinde recitatis beneficiis, & recommendatis recommendandis orationibus omnium, ac dicto à Prioriſſa, *Retribuere dignare &c.* dictis etiam à Conventu Pſalmis: *Ad te levavi*, & *De profundis &c. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.* ſubſequentibus etiam tribus Verſiculis: *Oremus pro Domino Papa &c. Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas. Requieſcant in pace*, ab Hebdomadaria dicendis, cum his tribus Collectis: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia &c. Prætende &c. Fidelium Deus &c.* ſedeant Sorores. Tunc quæ præeſt poterit dicere breviter ſi quid ad honeſtatem, & correctionem Sororum viderit expedire. Poſt hæc dicat quæ præeſt: *Faciant venias ſuas, quæ ſe reas exiſtimant.* Continuo quæ ſe reas intellexerint, proſtratæ veniam petant. Deinde auditis primò Novitiabus (ſi in Capitulo fuerint audiendæ) & egreſſis, aliæ ſurgentes humiliter confiteantur culpas ſuas: & quarum culpa talis eſt, quæ digna ſit correctione, præparent

rent ſe ad correctionem, quam tenens Capitulum faciat, vel illa cui injunxerit. In Capitulo verò Sorores niſi duabus de cauſis non loquantur: ſcilicet culpam ſuam, vel aliarum dicendo ſimpliciter, & Prælatis ſuis tantum ad interrogata reſpondendo. Unâ etiam ſtante, & loquente, nulla loquatur. Nulla faciat proclamationem, ex ſola ſuſpicione. Item nulla accuſet de auditu, niſi perſonam à qua audierit, dicat. Similiter quælibet caveat ne malum quod audierit de alia, alteri conferat, niſi dicat à quo audierit. Auditis culpis dicatur Pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes &c.* cum ℣. *Oſtende nobis Domine &c.* & *Domine exaudi &c.* & Collecta *Actiones noſtras &c.* In fine dicat Prioriſſa: *Adjutorium noſtrum &c.* & ſic ſolvitur Capitulum. Cùm non tenetur Capitulum de culpis, pronuncianda ſunt ea quæ ſunt de Kalendario, & deinde *Pretioſa*, ſive in Choro, ſive in Capitulo modo ſupradicto; exceptis recitationibus beneficiorum, & orationibus annexis.

Caput XXXII.

De conceſſione Domorum.

Inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliqua ſcienter det operam directè, vel indirectè, quòd aliqua Domus Sororum conſtruatur, vel conſtructa Ordini Fratrum Prædicatorum committatur: niſi priùs ſuper hoc habeatur conſenſus Capituli Generalis. Eâdem diſtrictione ordinamus, ne unquam in aliquo caſu, Domus aliqua recipiatur ſub curam ipſius Ordinis, niſi cum ſufficienti proviſione in bonis temporalibus pro neceſſitatibus Sororum. Nulli etiam libellus iſte tradatur ad tranſcribendum, vel videndum, ſine licentia Magiſtri ordinis, vel Prioris Provincialis.

Hic finiuntur Conſtitutiones Sororum Ordinis Fratrum Prædicatorum.

INCIPIT TRACTATUS

De initio & fundatione Regulæ, ſeu formæ vel modi vivendi, Fratrum & Sororum de Militia JESU Chriſti, de Pœnitentia Beati Dominici.

TRactatum compilare intendo, ſuper informatione, & approbatione Regulæ, ſeu formæ vel modi vivendi Fratrum, & Sororum de Militia JEſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici Fundatoris Ordinis Prædicatorum: per diverſos Summos Pontifices approbatum, maximè per Papam Gregorium IX. Honorium IV. Joannem XXII. Bonifacium IX. Innocentium VII. & Eugenium IV. ſicut habetur diffusè in legenda Beatæ Catharinæ de Senis cap. 8. quam compoſuit Reverendiſſimus Pater Frater Raymundus de Capua, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis 22. & Magiſter Thomas de Firmo ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis 24. tranſtulit in vulgari Regulam de Militia JEſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici. Item invenitur quidam liber in quo eſt Regula ſecundùm quam vivebant tempore Militiæ actualis contra hæreticos, qui liber eſt in Conventu Ferrarienſi, & Veneto Ordinis Prædicatorum, & eſt talis: *Pateat univerſis fidelibus, qualiter ego Frater Thomas de Senis, una cum Reverendo Patre, & Magiſtro Fratre Bartholomæo de Senis, ambo de Ordine Prædicatorum, Anno Domini* 1422. *Venetiis exiſtentes, & quantum valuimus diligentius inquirentes de Regula, ſive ſtatu Fratrum & Sororum de Militia JEſu Chriſti, de pœnitentia Beati Dominici: invenimus quantùm ad initium ejuſdem Regulæ taliter ſe habere ſicut patet in legenda Beatæ Catharinæ de Senis ſupradicta, capitulo* 8. *ubi ſic dicitur:* Cunctis volentibus legere notum facio: prout legi pariter, & audivi à fide dignis, in diverſis Italiæ partibus, geſtaque Beatiſſimi Patris Noſtri Dominici teſtantur. Ipſe glorioſus fidei Catholicæ pugil, ac Chriſti athleta Beatus Dominicus, ſicut totus zelator boni ſtatus Eccleſiæ militantis; per ſe, ac per ſuos Fratres, tàm in Toloſa, quàm in Lombardia, hæreticos triumphaliter debellavit: ita ut ſicut fuit tempore ſuæ Canonizationis coram Summo Pontifice Gregorio IX. probatum legitimè, centum millia hæreticorum, & ultrà converſi fuerunt tantùm in Lombardia, tàm doctrina, quàm miraculis ejus. Nam ita venenoſa doctrina hæreticorum infecerat mentes hominum, quòd ferè omnia jura Eccleſiarum erant per laicos occupata: qui ea poſſidebant quaſi jure hæreditario. Ex quo cogebantur Pontifices mendicare, nec ullam habebant potentiam, per quam poſſent errori reſiſtere: nec etiam Clericos, aut pauperes valebant ſecundùm ſui officii debitum nutriendo juvare. Unde in multis partibus

tibus etiam Italiæ regnabat iſta iniquitas: quod ſanctus Pater Dominiens zelotypa mente cernens, & ſuſtinere non valens, qui pro ſe ſuiſque ſequacibus extremam elegerat paupertatem; cœpit pro divitiis recuperandis Eccleſiæ, decertare. Advocans igitur aliquos laicos Deum timentes, & ſibi præcipua devotione affectos, & notos: cœpit tractate de ordinando quandam ſanctam Militiam, quæ haberet jura Eccleſiarum recuperare ſimul, & defenſare, nec oon & reſiſtere fideliter hæreticæ pravitati. Nam illos quos voluntarios reperit ſie induxit, quòd juramentum præſtabant ſibi, cunctaque dicta ſunt facere juxta virea: & propter hoe paratos exponere tàm perſonam, quàm illa quæ poſſidebant. Ut autem à conjugibus in hoc opere ſancto impediri non poſſent, faciebat conjuges, ſeu uxores corum jorare, quod viros noo impedirent, ſed potius juvarent, juxta modum eooperarentur eis in omnibus ſibi poſſibilibus, & Sanctus Pater Dominicus promittebat utrique parti eopulæ ſervanti boc, vitam æternam. Vocavit autem eos Fratres de Militia JEſu Chriſti. Verum nt per aliquod ſaltem ſignum ſecernerentur ab aliis Laicis, & aliquid ſupererogatorii operis adderent ultrà eonſnetudinem aliorum: dedit eis colorem habitus proprii; ut ſcilicet, tàm viri, quàm mulieres quacumque ſignra veſtium uterentur, album tamen ſemper portarent, & nigrum: ita quòd uterque color exterius appareret ad innoeentiæ, & humilitatis indieium. Inſuper aſſignavit eis qoendam taxatum numerum Dominicæ orationis, & ſalutationis Angelicæ, quem pro qualibet hora canonica deberent quotidiè orando perſicere, ut à Divino ſervitio non vacarent. Poſtquam Beatus Pater Dominicus ita benè ordinavit, migravit ad Dominum. Crebreſcentibus ejus miraeulis, Apoſtolicæ Sedis Pontiſex Gregorios IX. ipſum catalogo Sanctorum annotans, honorandum, & adorandnm exhibuit univerſis. Fratres hi, & Sorores dicti de Militia JEſu Cbriſti, volentes ordinatori ſuo jam glorioſo ſingularem reddere gloriam, & honorem: decreverunt poſt mortem ejus mutare nomen, & vocari Fratres de pœnitentia Beati Dominici. Induxit eo ſatis ad hæe, quia Beatiſſimi Patris meritis, atque miraculis, necnon, & Fratrum ſuorum laborioſâ doctrinâ, jam peſtis bæretica penè defecerat; & neceſſaria non videbatur multum amplius pugna exterior; ſed reſtabat tantùm, ut per pœnitentiam cum hoſte interiori pugnarent, propter quod etiam nomen pœnitentiæ ſingulariter elegerunt. Demùm creſcente quotidiè turba prædictorum fidelium, inter quos velut matutinum aſtrum reſplenduit Martyr, & Virgo Beatus Petrus, qui occiſus plures hoſtium conculcavit, quam vivens: deleta eſt quaſi totaliter tutba vulpeculatum demoliri cupientinm vineam Domini Sabaoth; redditaque fuit pax (faeiente Domino) Eccleſiæ Sanctæ Dei. Quamobrem cauſa illius Militiæ ceſſavit ex toto, ac per conſequens, & effectus. Verùm decedentibus bujuſmodi ſtatus viris, ſœminæ remanentes propter religioſam vitam, quam eum viris tenuerant, amplius nubere non audebant: ſed ſtatum quem ſervaverant; eontinuabant uſque ad mortem. Hoc cernentes aliæ non hujus inſtituti vidnæ, quæ decteverant viduitatem ſervare: cœperunt dictas Sorores de pœnitentia Beati Dominici velle ſequi, & earum obſervantiam pro remedio ſuorum peccatorum imitari. Undè paulatim creſcentes in diverſis Italiæ partibus, coegerunt Ftatres Prædicatorea ibidem morantes, ad informandum eas de modo vivendi qui à Beato Dominico fuerat inſtitutus. Quia verò modus ille ſeriptus non erat, quidam ſanctæ memoriæ Pater, qui totius Ordinis curam gerebat, vocatus Frater Munio, natione Hiſpanus, modum illum vivendi redegit io ſeriptis: quem bodie habent, & vulgariter Regulam vocant, quamvis Regula propriè dici non debeat, quia nec ſtatus de ſe propriè dicitur regularis, ex quo tria vota in qualibet Religione principalia non ineludit. Hæc ibi. Porrò oumero, & merito prædictorum Fratrum, Sotorumque ſtatu creſcente, felicis memoriæ D. Gregorius Papa IX. io privilegio quod ineipit: *Egrediens bæreticorum &c.* Fratribns Militiæ JEſu Chriſti directo, perſonas, & bona Fratrum de Militia prædicta ſub Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit: prohibens nihilominus, ne quis ex ipſis aliquem capere, rapinis, & injuſtis collectis, & exactionibus fatigare, vel ad aliqua illicita juramenta aut injuſta prælia cogere, aut aliàs injuſtè moleſtare præſumat; inſuper omnibus io vera pœnitentia perſiſtentibus, qui mortis periculum pro Fide Catholica ſubierint, peccatorum omnium indulgentiam elargitur. Similiter D. Honorius Papa IV. ſentieos odorem bonæ famæ ipſarum, conceſſit eis per Bullam, quod tempore interdicti poſſent in Eeeleſiis Fratrum Prædicatorum audire Divina: ut patet in ejus privilegio quod incipit: *Congruum exiſtimantes &c.* Inſuper D. Joannes XXII. Papa, poſtquam promulgaverat Clementinam, quæ Beghinas pariter, & Begardos excommunicatos deelaraverat: per Bullam ſuam, quæ incipit: *Cùm de mulieribus &c.* illam decretalem de Sororibus de pœnitentia Beati Dominici per Italiam conſtitutis, non debere intelligi declaravit: nec per ipſam, ſtatui earum fuiſſe quomodolibet derogatum denunciavit. Præreteæ D. Bonifacius in ſua obedientia Papa IX. nuncupatus, per privilegium quod incipit: *Humilibus &*

honeſtis &c. Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici ditectum, concedit, quod pœnitentiam ſalutarem, & Sacramentum Euchariſtiæ à Fratribus Ordinis Prædicatorum, niſi in feſto Reſurrectionis, ſuſcipere valeant. Idem quoque in alio privilegio, quod *Mare magnum* Boniſacii appellatur & incipit: *Sacræ Religionis &c.* quod tempore generalis interdicti Divinis intereſſe, & Eccleſiaſtica poſſint recipere Sacramenta ab ipſis Fratribus, humanitèr conceſſit. Item D. Innocentius in ſua obedientia Papa VII. nominatus, prædictorum Fratrum, & Sororum Regulam, ſive vivendi modum Apoſtolica authoritate confirmavit: in Bulla quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ &c.* Dominus quoque Eugenius Papa IV. præfatam Regulam, ſive modum vivendi una cum prædicti Innocentii confirmatione ſimiliter approbavit, ut in ejus Bulla patet, quæ incipit: *Proviſionis noſtræ &c.* Cæterum D. Sixtus Papa IV. in privilegio quod *Mare magnum* appellatur, concedit dictis Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici: quod non ſolùm in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum, ſed etiam ubicumque poſſunt Fratres celebrare, poſſunt Divina audire, non ſulùm ipſi, & ipſæ, ſed etiam earum procuratores, & earum negotia gerentes, utriuſque ſexus. Item in privilegio quod *Bulla aurea* nominatur, idem Pontifex concedit: quod loca, Monaſteria, Prioriſſæ, & Procuratores Fratrum, & Sororum, gaudeant eiſdem privilegiis, quibus & Fratres Ordinis Prædicatorum. Idem quoque Pontifex ad requiſitionem Reverendiſſimi Magiſtri Leonardi de Peruſio olim totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, per Bullam quæ incipit: *Sacroſancta &c.* ſub excommunicationis pœna inhibuit omnibus communitatibus, & poteſtatibus Civitatum, & quibuſcumque officialibus ſecularibus locorum: ne præſumant aliqua gravamina libertati Eccleſiaſticæ contraria, Fratribus, & Sororibus de pœnitentia Beati Dominici, continentibus, & conjugatis, ſecundùm Regulam, & inſtituta Regularia Ordinis viventibus, irrogare; ſi tamen propter hanc libertatem obtinendam habitum non ſuſceperint. Bulla plumbea, & Bononiæ. Præterea D. Alexander Papa VI. ad requiſitionem Reverendi Patris Fratris Sebaſtiani de Brixia Congregationis Lombardiæ Generalis Vicarii, per Breve Apoſtolicum quod incipit: *Conſiderantes uberes &c.* concedit quod Fratres, & Sorores de pœnitentia Beati Dominici omni tempore poſſunt recipere Eccleſiaſtica Sacramenta, & etiam in Feſto Reſurrectionis, & in mortis articulo; cujuſvis licentia ſuper hoc minimè requiſita, ſed tantùm Prioris Domus, & Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ Ordinis Prædicatorum. Omnia ſupraſcripta privilegia habentur authentica in libro privilegiorum Ordinis, Impreſſo Romæ 1555. Inſuper varii, & diverſi Eccleſiarum Prælati videlicet Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, prædicto Ordini, & Fratribus, ac Sororibus præfatis, varias indulgentias conceſſere; quæ omnia enarrare longum eſſet. Hic igitur eſt Ordo à Beatiſſimo Dominico inſtitutus, de quo prodiit, & ſi non tempore, dignitate tamen primaria,glorioſa & Beata Catharina de Senis, JEſu Chriſti ſponſa dilectiſſima: cujus geſta miranda Reverendiſſimus Pater Frater Raymundus de Capua olim totius Prædicatorum Ordinis Generalis Magiſter, ejuſque Confeſſor, conſcripſit: quam Dominus Papa Pius II. in die Apoſtolorum Petri, & Pauli, Catalogo Sanctorum adſcripſit, ejuſque Feſtum prima Dominica Maji celebrari inſtituit; cujus Bulla plumbea in Conventu Sancti Dominici de Brixia conſervatur. Floruerunt inſuper in dicto Ordine aliæ innumerabiles Sorores magnæ perfectionis, & ſanctitatis: videlicet B. Angela de ſancto Severino, Beata Anna de Camerino, Beata Daniela de Benevento, Beata Margarita de Civitate Caſtelli, quæ virginitatem uſque ad mortem conſervans, multis claruit miraculis. Beata Joanna de Urbe veteri, ornatiſſima Virgo, & miraculis clara, Beata Helena de Piſis, Beata Maria de Venetiis, quæ pluribus virtutibus ornata extitit, de qua legenda compilata fuit. Beata Maragarita Soror Ducis Sabaudiæ, uxor quondam Marchionis Montis Ferrati, quæ in Conventu Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Alba Ordinis Prædicatorum ſepulta jacet, Beata Sibilina de Papia, cujus corpus etiam integrum conſpicitur in Conventu S. Thomæ Papiæ Ordinis Prædicatorum. Fuerunt & aliæ innumerabiles, quas enarrare longum foret: exiſtunt etiam in præſentiarum multæ aliæ magnæ ſanctitatis, & perfectionis mulieres, in diverſis Italiæ partibus. Hæc omnia ſcripta ſunt, ut omnibus pateat quantùm Deus glorioſus hunc Ordinem clarum, venerandumque fidelibus eſſe voluerit, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

IN-

INCIPIT COPIA

Confirmationis Regulæ Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum, per D. Innocentium Papam VII. & D. Eugenium Papam IV. confirmatæ.

EUGENIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt quòd nos tenorem quarumdam litterarum Innocentii in ſua obedientia (de qua partes infraſcriptæ tunc erant) VII. nuncupati, in ipſius regeſtro repertum pro eo: quòd ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum, ac dilectarum filiarum Sororum Ordinis Fratrum Prædicatorum de pœnitentia S. Dominici nuncupatorum, in Civitate noſtra Eugubina degentium petitio continebat; ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis ſe aſſerunt indigere: de regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad Fratrum, & Sororum prædictorum inſtantiam petentibus annotari fecimus, quæ talis eſt:

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,
Ad futuram rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ providentia circumſpecta, perſonas ſub regulari obſervantia vacantes aſſiduè ſtudio piæ vitæ, benigno favore proſequitur: & ea quæ pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo providè ordinata ſunt; ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare. Sanè petitio pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Prædicatorum, qui quidem Fratres, & Sorores de pœnitentia Sancti Dominici nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat: quod ipſi quandam Regulam, ſive religiosè vivendi formam, in qua nonnulla honeſta, & rationabilia, ac regulari diſciplinæ congruentia ſtatuta, & ordinata fore noſcuntur; hactenùs laudabiliter obſervarunt, prout & obſervant. Quòdque licet Ordo, ac Fratres hujuſmodi, & Sorores, variis per Sedem Apoſtolicam ſint privilegiis communiti; tamen pro ſolidiori eorum ſubſiſtentia, & ut clementia Altiſſimi operante, de virtute in virtutem gradientes devotiorem reddere valeant Domino famulatum: deſiderant hujuſmodi Regulam, ſeu vivendi formam per Sedem eandem approbari. Quare pro parte Fratrum, & Sororum eorundem nobis fuit humilitèr ſupplicatum: ut Regulæ, ſive vivendi formæ hujuſmodi, robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere, illamque per dictos Fratres, ac Sorores præſentes, & poſteros in perpetuum obſervari mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, Venerabilis Fratris noſtri Angeli Epiſcopi Hoſtienſis (cui examinationem eorundem commiſimus per ipſum faciendam, & quod ea quæ per illam reperiret, nobis referre curaret) relatione plenaria, & fideli fuimus clariùs informati: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, regulam, ſive vivendi formam, quam per ſingula ejus capitula clare, & diſtincte de verbo ad verbum præſentibus facimus annotari, necnon ſtatuta, & ordinationes prædictas ratas habentes, & gratas; illas authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: & nihilominus Regulam, ſeu vivendi formam eandem per ipſos Fratres, & Sorores præſentes, & poſteros volumus, & mandamus perpetuis temporibus inviolabiliter obſervari. Tenor verò Regulæ, ſeu vivendi formæ hujuſmodi, ſequitur, & eſt talis:

CAPUT I.

De recipiendis, & eorum conditione.

IN primis, ut hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione perſonarum bene diſpoſitarum utimùm noſcitur dependere: volumus & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem hujus fraternitatis, niſi per Magiſtrum, ſive Directorem, & per Priorem dictæ Fraternitatis, vel de ipſorum licentia, ac etiam de aſſenſu majoris partis

ris Fratrum profeſſorum Fraternitatis ejuſdem illius loci. Præmiſſa tamen diligenti examinatione ſi ſit honeſtæ vitæ, & bonæ famæ, ac de hæreſi nullatenus ſuſpectus; quinimmo tanquam ſancti Dominici ſingularis in Domino filius, ſic veritatis Catholicæ fidei juxta ſuum modulum æmulator, ac zelator præcipuus. Qui etiam antequam Habitum Religionis recipiat, de alienis ſi quæ habuerit, ſatisfaciat ad plenum: & proximis reconciliari, nec non paratum, ſive conditum teſtamentum tenere ſtudeat; juxtà conſilium, & ordinationem Confeſſoris diſcreti. Et eadem examinatio fiat de mulieribus ingreſſum hujus Ordinis petentibus: habentibus tamen viros, non pateat ingreſſus ad conſortium dictæ Fraternitatis, niſi de virorum ſuorum licentia, & conſenſu, de quo conſenſu fiat publicum inſtrumentum. Idem quoad hoc ſervari volentes in viris uxores habentibus: niſi obſtaret in ipſis, vel altero ipſorum cauſa, quæ legitima judicaretur conſilio diſcretorum.

Caput II.

De Habitu Fratrum, & Sororum.

OMnes autem tam Fratres, quam Sorores dictæ fraternitatis, induantur panno albo, & nigro: qui nec in colore, nec in valore nimiam pretioſitatem prætendat, ſicut decet honeſtatem ſervorum Chriſti. Mantellum ſit de nigro, & Fratrum Capucia ſimiliter ſint de nigro: tunicæ vero ſint de albo; quarum manicæ protendantur uſque ad pugnum, & ſint clauſæ. Corrigias de corio tantum habeant, quibus Sorores cingantur ſub tunica. In burſis, & calceamentis, & cæteris omnem mundanam reſecent vanitatem. Vela Sororum, & bindæ ſint alba de panno lineo vel canapino.

Caput III.

De Benedictione Veſtium, ſive Habitus, & de modo recipiendi ad hunc Ordinem.

REcipiatur autem recipiendus in loco Capituli Fraternitatis, vel ante Altare Eccleſiæ Fratrum Ordinis Prædicatorum illius loci, à Magiſtro ſive Directore ſupradicto, vel ejus Vicario. Qui Magiſter aſſiſtente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi præſentibus aliquibus aliis Fratribus Prædicatoribus, & Priore Fraternitatis, vel ejus vices gerente, cum aliis de Fraternitate, benedicet primo habitum ejus qui debet recipi, hoc modo videlicer: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam &c. Dominus vobiſcum.* Oremus: *Domine JEſu Chriſte, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es &c.* ut habetur ſupra Diſtinct. 1. pag. 51. Poſtea verò tali Habitu benedicto, & per receptum ſeorſim induto, atque ad gradus Altaris reverſo, & ante Magiſtrum genuflexo, dicet: *Veni Creator Spiritus*, & Fratres qui ei aſſiſtunt, ipſum proſequantur uſque ad finem. Deinde dicatur, *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon Pater noſter, &c. Emitte ſpiritum tuum &c. Salvum fac ſervum tuum &c. Dominus vobiſcum.* Oremus: *Deus qui corda &c.* & *Prætende Domine &c.* Et reſponſo *Amen*, aſpergatur ſic indutus à Magiſtro aqua benedicta. Deinde omnes Fratres Fraternitatis ipſum recipiant ad oſculum pacis, & eodem modo ante Altare recipiantur mulieres quemadmodum eſt de Fratribus ſupra dictum.

Caput IV.

De Profeſſione, ſeu modo profitendi.

COmpleto anno vel ante, ſi Magiſtro, & Priori ſupradictis, vel cui commiſerint, & etiam majori parti Fratrum profeſſorum Fraternitatis viſus fuerit idoneus, ad profeſſionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo videlicet: *Ad honorem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & Beatæ Mariæ Virginis, & B. Dominici. Ego N. coram vobis N. Magiſtro, & Priore Fratrum Ordinis de pœnitentia B. Dominici talis loci, profiteor me velle de cætero vivere ſecundùm Regulam, & formam Fratrum, & Sororum ejuſdem Ordinis de pœnitentia beati Dominici uſque ad mortem.* Mulieres verò eodem modo profiteantur coram Magiſtro ſupradicto, & Priorissa, vel cui commiſerit.

Caput V.

De permanentia in hoc Statu.

STatuimus autem, ut nullus Frater, nec Soror hujus Fraternitatis, & Ordinis, poſt talem ſupradictam profeſſionem, de hoc Ordine egredi valeat: nec eiſdem ad ſeculum reverti liceat, ſed bene poſſint liberè tranſire ad unam de approbatis Religionibus, tria vota ſolemnia profitentibus.

Caput VI.

De Horis Canonicis dicendis.

FRatres, & Sorores dicant quotidiè omnes horas Canonicas, niſi infirmitate impediantur. Pro Matutinis dicant viginti octo *Pater noſter*: prò Veſperis quatuor-

tuordecim, pro qualibet aliarum horarum ſeptem. Ad honorem verò Beatæ Mariæ ſemper Virginis, pro qualibet hora ſuperius nominata, tot *Ave Maria*, quot *Pater noſter*, dicere teneantur. Pro benedictione autem menſæ dicant unum *Pater noſter*. Cum verò ſurgunt à menſa, dicant ſimiliter unum *Pater noſter*. Pro gratiarum actione, vel Pſalmum *Miſerere mei Deus*, vel Pſalmum *Laudate*, qui ſciunt. Omnes etiam qui ſciunt Symbolum Apoſtolorum, videlicet *Credo in Deum*, dicant illud ſemel in principio Matutinarum: & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem ſciunt, & dicunt horas Canonicas quemadmodum faciunt Clerici, prædicta *Pater noſter*, & *Ave Maria* dicere minimè teneantur.

CAPUT VII.

De ſurgendo ad Matutinas.

AD Matutinas Dominicis diebus, & feſtivis, à feſto Omnium Sanctorum uſque ad Feſtum Reſurrectionis Dominicæ omnes ſurgant. In Adventu, & Quadrageſima ſurgant etiam omni nocte. Qui verò occupantur quotidiano opere manuali, horas ſuas dicere poterunt de manè uſque ad Veſperas excluſivè. De ſerò verò Veſperas, & Completorium ſimul dicant.

CAPUT VIII.

De Confeſſione, & Communione.

OMnes quater in anno ad minùs videlicet in feſto Nativitatis Domini, Reſurrectionis ipſius, Pentecoſtes, & in feſto Aſſumptionis, aut Nativitatis Beatæ Virginis peccata ſua confiteantur diligenter, & Euchariſtiæ devotè ſtudeant recipere Sacramentum; niſi forſan ex aliqua cauſa rationabili alicui ex ipſis eſſet à ſuis Confeſſoribus interdictum. Qui autem ex devotione ſua ſæpius voluerint communicare infra annum, petitâ à ſuo Prælato licentiâ, & obtentâ, devotionem ſuam cum Dei benedictione poterunt executioni mandare.

CAPUT IX.

De Silentio in Eccleſia obſervando.

IN Eccleſia dum celebrantur Miſſæ, vel cantatur Divinum Officium, ſeu actualiter ibidem proponitur verbum DEI, omnes ſilentium ſervare ſtudeant: & orationi, ac Divino Officio diligenter intendant; niſi ex aliqua ſpeciali, & occurrente neceſſitate aliquid ſilenter loquantur.

CAPUT X.

De reverentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis, & Eccleſiis eorundem.

FRatres, & Sorores Eccleſias quarum Parochiani, & Parochianæ exiſtunt, juxta Canonicas ſanctiones, & bonos mores, & cum omni devotione ſtudeant viſitare: & Eccleſiarum ſuarum Prælatos, videlicet Epiſcopos, & inferiores ſummè revereantur; ipſorumque jura abſque omni diminutione, & fideliter eis ſolvant. Et hoc tam in decimis, quàm in oblationibus aliàs quomodolibet conſuetis.

CAPUT XI.

De Jejuniis.

A Dominica prima Adventus, uſque ad Nativitatem Domini, quotidie tàm Fratres quàm Sorores jejunent, ſimiliter à Dominica in Quadrageſima, uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini idem obſervent. Ferias autem ſextas jejunabunt omni tempore, & jejunia omnia ab Eccleſia inſtituta. Qui autem voluerint amplius jejunare ſeu auſteritates alias facere, poterunt; habitâ licentiâ à Prælato ſuo, vel de conſilio Confeſſoris diſcreti.

CAPUT XII.

De Cibo.

FRatres, & Sorores hujus Fraternitatis, uti poterunt carnibus diebus Dominicis, tertia, & quinta feria: cæteris verò diebus abſtineant, niſi ſint infirmi, aut multum debiles, vel minuti; vel niſi præcipuum feſtum fuerit illa die, aut quia eſſent in itinere conſtituti.

CAPUT XIII.

De diſcurſu Fratrum, & Sororum.

VAgos, curioſoſque diſcurſus per civitatem non faciant: Sorores verò ſolæ non diſcurrant, maximè juniores. Ad nuptias, choreas, ſive ad diſſoluta, & mundana convivia, ſive ad vana ſpectacula, nullo modo accedant. De civitate verò, ſeu caſtro ubi habitant, non exeant etiam causâ peregrinationis, abſque licentia ſpeciali Prælati, vel Magiſtri Fraternitatis jam dictæ.

CAPUT XIV.

De armis à Fratribus non ferendis.

INvaſionis, ſeu impugnationis arma ſecum Fratres non deferant: niſi propter defenſionem fidei Chriſtianæ, aut aliâ rationabili cauſâ, & de ſuorum Prælatorum licentiâ.

Caput XV.

De Infirmis viſitandis, & procurandis.

DEputentur per Priorem duo ex Fratribus, qui cum quempiam ex eiſdem noverint infirmari, ipſum quàm citiùs potuerint, charitativè ſtudeant viſitare: & ſtatim à principio ad recipiendam pœnitentiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta eundem efficaciter adhortentur; & ſi neceſſe fuerit miniſterium corporale (prout commodè poterunt) eidem ſtudeant adhibere. Si verò fuerit pauper, neceſſaria de bonis propriis, vel communibus (prout facultas permiſerit) ſibi miniſtrare procurent. Et idem faciant Sorores, circa Sorores ſuas infirmas.

Caput XVI.

De obitu Fratrum, & Sororum, & Suffragiis eorum.

QUando continget aliquem ex Fratribus ex hac luce migrare, cæteris Confratribus qui ſunt in eadem civitate vel caſtro, nuncietur: ut procurent defuncti exequiis perſonaliter intereſſe; à quibus non recedant, donec corpus fuerit traditum ſepulturæ. Hoc idem circa Sorores decedentes volumus obſervari. Præterea infra octo dies poſt ipſius defuncti ſepulturam immediate ſequentes, quilibet Frater, & Soror dicat pro anima ejus: Sacerdotes unam Miſſem; ſciens verò Pſalterium, Pſalmos quinquaginta: illiterati verò centum *Pater noſter* dicant, addendo in fine cujuslibet, *Requiem æternam*, &c. Et præter hæc quilibet infra annum pro Fratrum, & Sororum, tam vivorum, quam defunctorum ſalute, tres Miſſas faciat celebrari: qui verò ſciunt Pſalterium, illud dicant, & cæteri quingenta *Pater noſter* dicere teneantur.

Caput XVII.

De inſtitutione Prioris, & Prioriſſæ.

PRiore Fraternitatis mortuo, vel amoto, Magiſter ſive Director Fraternitatis cum conſilio antiquorum de Fraternitate, inſtituat Priorem. Singulis autem annis infra Octavas Paſchæ, vel alio tempore, ſupradictus Magiſter habeat conſilium cum antiquioribus de Fraternitate ſuper amotione, vel confirmatione Prioris: & ſic Priorem confirmare, vel amovere poterit, ſecundùm quod ipſe cum præfatis judicaverit expedire. Conſimiliter etiam de conſilio dicti Magiſtri, & aliquorum de Fraternitate magis antiquorum, poterit Prior Fraternitatis ordinare de Suppriore, vel Vicario Fraternitatis, & etiam poſtmodum confirmare, vel amovere, ſecundùm quod eiſdem viſum fuerit expedire. Qui Supprior, vel Vicarius tantam poteſtatem habeat, quantam Prior ſibi concedet. Et hæc eadem forma in inſtitutione Prioriſſæ, & Supprioriſſæ ſimili modo obſervetur.

Caput XVIII.

De Officio Prioris, & Prioriſſæ.

PRioris officium erit cum omni diligentia ſervare in ſe quæ in Regula ſcripta ſunt, & ſollicitam dare operam, ut ab aliis Confratribus obſerventur. Si quos vero viderit tranſgredientes, aut etiam negligentes, charitative corripiat, & emendet: vel ſi magis ſibi videbitur expediens, Fraternitatis Magiſtro, & Directori, ut corrigat, poterit intimare. Prioriſſæ etiam erit officium, ſollicite Eccleſiam viſitare, cæteras etiam Sorores excitare ad obſervantiam regularem: diligenter etiam per ſe ipſam, & alias quibus imponet obſervare, quod in inceſſu, ſtatu, habitu, nihil per aliquam Conſororem fiat, quod cujuſquam merito turbare poſſit aſpectum. Præcipuè autem attendat ne Sorores cum quocumque viro cujuſcumque conditionis exiſtat, familiaritatem contrahant, maximè juniores: niſi forſan talis vir Sorori illi ſit conjunctus tertio ad ſummum conſanguinitatis gradu: ſitque præterea & bonæ vitæ, & famæ integerrimæ.

Caput XIX.

De Correctione Fratrum, & Sororum.

SI quis notatus fuerit de aliqua familiaritate ſuſpecta, & ter admonitus per Prælatum, ſe non emendaverit; excludatur ad tempus à Capitulo, & conſortio cæterorum Confratrum. Quod ſi nec ſic ſe correxerit, tunc de Fratrum conſilio diſcretorum, de ipſorum penitùs conſortio publice excludatur: nec admittatur de cætero, niſi Confratribus omnibus videatur eſſe correctus.

Item ſi quis Confratri, vel alteri cuicumque opprobrium dixerit, quod ſonare infamiam videatur; aut ex ira quemquam percuſſerit, vel ad locum prohibitum ire præſumpſerit, ſeu inobedientiam quamcumque commiſerit, aut etiam Prælato mendacium ex induſtria dixiſſe deprehenſus fuerit: abſtinentia panis, & aquæ, vel excluſione à Capitulo, aut etiam à conſortio aliorum Fratrum, plùs, vel minùs ſecundùm conditionem perſonæ, & exigentiam delicti graviùs, vel leviùs corrigatur.

Item

Item ſi quis crimen mortale commiſerit, talis de conſilio majuris partis Fratrum profeſſorum Fraternitatis illius loci ſecundùm exigentiam culpæ, & conditionem perſonæ, graviùs, vel leviùs puniatur; ſic tamen quod ſit cæteris in exemplum. Quam punitionem ſi ferre recuſaverit, de conſilio diſcretorum de iſto Ordine expellatur. Circa Sororum verò correctionem, illud idem volumus per omnia obſervari.

Caput XX.

De Congregatione Fratrum, & Sororum, & inſtitutione Magiſtri, ſive Directoris eorundem.

IN quolibet autem menſe ſemel certâ die, & horâ per ſupradictum Magiſtrum, vel ejus Vicarium deputandis, ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum conveniant Fratres omnes Ordinis Fraternitatis, Dei verbum, & etiam Miſſam, ſi hora competens fuerit, pariter audituri. Et tunc per ipſum Magiſtrum ipſis legatur Regula iſta, & exponatur: & tunc de agendis Fratres informet, & negligentes corrigat, & emendet, prout ſecundùm Deum, & iſtam Regulam, ſeu vivendi formulam viderit expedire. In cujuslibet etiam menſis prima ſexta feria, Sorores ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum conveniant, ſimiliter Dei verbum, & Miſſam communiter audituræ: quibus etiam legatur Regula iſta, & exponatur; de ſuiſque exceſſibus corrigantur per Magiſtrum deputatum eiſdem. Volumus autem quòd in qualibet Civitate, & Caſtro ubi fuerint Fratres, & Sorores hujuſmodi, habeant in Magiſtrum, & Directorem, aliquem idoneum Fratrem Sacerdotem de Ordine Prædicatorum: quem poſtulaverint à Generali Magiſtro, vel Provinciali illius Provinciæ dicti Ordinis Prædicatorum; aut quem ipſi Generalis Magiſter, ſeu Provincialis per ſe alium eiſdem concedere, & aſſignare decreverit. Volentes inſuper, & ſtatuentes univerſos Fratres, & Sorores hujuſmodi de pœnitentia Beati Dominici ubicumque exiſtant, directioni, & correctioni ipſius Generalis Magiſtri Ordinis antedicti, & Prioris Provincialis illius Provinciæ ejuſdem Ordinis, pro eorundem ampliori conſervatione, & promotione totaliter ſubjacere quantum ad illa videlicet, quæ eorundem vivèndi modum, & formulam concernere dignoſcuntur.

Caput XXI.

De diſpenſatione facienda rationabili cauſa concurrente.

PPrior Fraternitatis cum Fratribus ſuis, & Prioriſſa cum ſuis Sororibus, Magiſter autem, & Director eis deputatus cum utriſque in abſtinentiis, jejuniis, & auſteritatibus aliis in ſupradictis Capitulis contentis, ex cauſa legitima, & rationabili, cùm expedire viderint, poterunt diſpenſare.

Caput XXII.

De obligatione hujus Regulæ, & vivendi Formulæ.

DEmum, quemadmodum in Conſtitutionibus Ordinis Fratrum Prædicatorum continetur, ita volumus, & ordinamus: quòd in iſta Regula, ſeu vivendi formula habeatur; videlicet, quòd præter Divina, & Eccleſiæ præcepta, atque ſtatuta in ea contenta, in reliquis hujuſmodi Regulæ Conſtitutionibus, ſive Ordinationibus Fratres, & Sorores ad culpam nullatenùs obligentur, ſed ſolum ad pœnam. Quam cùm à Prælato, vel Magiſtro continget ex quavis tranſgreſſione imponi, per tranſgreſſorem humiliter, & prompte ſuſcipiatur, & ſimiliter opere perficiatur, cooperante gratia Domini, & Redemptoris noſtri JEſu Chriſti. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, vi. Kal Julii. Pontificatus noſtri anno I.

Cæterùm ut earundem litterarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica authoritate decernimus; ut illud idem robur eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat; quæ haberent originales litteræ ſupradictæ: & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quocumque, vel ubicumque, ſive in judicio, ſive alibi, ut fuerit exhibitus, vel oſtenſus; & ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1489. Pridie Idus Maji Pontificatus Noſtri Anno IX.

RUBRICA SPECIALIS

De modo, & ordine recipiendi Fratres, & Sorores de Pœnitentia Beati Dominici, ad Habitum prædicti Ordinis, qui communiter obſervatur.

EST ſciendum, quod poſtquam homo recipiendus, fuerit diligenter examinatus ab ipſis Fratribus de pœnitentia beati Dominici profeſſis, & à Magiſtro ipſorum receptus, & acceptatus, ſecundùm quòd in Regula, & in expoſitione ejuſdem quantùm ad Fratres apparet: tunc ſive in die Capituli ordinarii, quod fit quolibet menſe ſemel, ſive in alia die ad hoc per ipſum Magiſtrum inſtituta; congregatis Fratribus aliis de Ordine Prædicatorum cum ipſo Magiſtro, ſeu Directore, ac aliis quibuſcumque honeſtis viris adeſſe volentibus, apud Eccleſiam Fratrum Prædicatorum, & ante Altare conſtitutis: ſive de mane, ſive alia decenti hora, ſecundùm quòd opportunitas ipſa requiret, idem Magiſter prædictus, vel alter Pater ſui Ordinis, cui ipſe commiſerit, locabitur ante Altaris medium, cum facie verſa ad Fratres, & perſonas alias circumſtantes, & Habitu illius qui debet indui ſuper dextra Altaris polito, & duobus etiam cereis accenſis ſuper Altare poſitis. Et ipſe induendus venire debet ad gradus Altaris, ante præſentiam dicti Magiſtri; & cùm ſic venerit, debet genuflectere, & Magiſtro interrogante. *Quid petis:* debet manibus cancellatis devotè, & humiliter reſpondere: *Miſericordiam Dei, & veſtram*, ſive in Latino, ſive in vulgari ſermone. Ipſe verò Magiſter, illud quod pro tunc dicendum judicaverit, dicet. Et ubi induendus ſumpto Habitu debeat immediatè, aut modicum poſt profiteri, (prout in quarto Capitulo ſupradictæ Regulæ, & expoſitione ipſius quoad Fratres apparet) benedicet Habitum induendi ſecundùm quod habetur in tertio Cap. Regulæ, dicendo in bona voce, videlicet: ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* ℟. *Et ſalutare tuum da nobis:* Et Magiſter. *Dominus Vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Et Magiſter. *Oremus: Domine JEſu Chriſte, qui tegumen noſtra mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſa largitatis tua abundantiam; ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentia, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere ✠ digneris, ut qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Quo facto Magiſter aſpergat Habitum, & etiam ipſum induere debentem Habitum, aqua benedicta. Et ſic induendus illum devotè ſuſcipiens, depoſitis ſecularibus veſtibus, à Magiſtro ipſo Habitu induetur. Et dum Magiſter eundem ſic ſtantem ante ſe genibus flexis induit, mittendo ei clamydem nigram, ſive induendo ipſum clamyde nigra, dicet: *Veni Creator Spiritus.* Et Fratres aſſiſtentes, & alii Clerici, ſi qui adeſſent, vertendo ſe verſus Altare proſequentes Hymnum, dicent in bona voce Hymnum: *Veni Creator Spiritus.* Et conſimiliter Magiſter cum receptum induerit vertet ſe ad Altare genuflectendo, proſequendo, atque dicendo cum eis: *Mentes tuorum viſita, imple ſuperna gratia, qua tu creaſti pectora.* Quo primo verſu dicto, ſurgere debent omnes, & Magiſter debet ſtare, & vertere ſe ad circumſtantes: alii verò contra ſe invicem, & ſic dictum Hymnum pariter complere debent. Quo finito, Magiſter dicet: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter*, cum Fratribus voce ſubmiſſa. Et conſequenter in bona voce ſicut ſupra dicet: *Et ne nos inducas in tentationem.* Et Frater ſive Fratres, & ſi qui Clerici fuerint aſſiſtentes reſpondebunt: *Sed libera nos à malo.* Et Magiſter. ℣. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem terra.* ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere; & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Pratende Domine famulo tuo dexteram cæleſtis auxilii ut te toto corde perquirat, & qua dignè poſtulat aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Deinde Magiſter aſpergat Fratrem noviter indutum aquâ benedictâ. Qui tamen Magiſter in caſu quo plores eſſent induendi, debet in ſupradictis orationibus, & locutionibus ſemper uti numero plurali, & non ſingulari. Deinde ubi videbitur Magiſtro, & Fratribus, quòd Frater indutus tunc ad profeſſionem recipiatur: poterit tunc profiteri ſecundùm quod in quarto Capitulo Regulæ, & in expoſitione ejuſdem quantum ad Fratres pertinet, continetur hoc modo. Quòd Magiſtro porrigente manus ſuas profiteri volenti, & ipſo profitente mittente manus ſuas in manibus Magiſtri, ad majorem ſuæ profeſſionis firmitatem, dicat tunc in bona voce intelligibili, & expreſſa: *Ad honorem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatiſſima Virginis Maria, & Beati Dominici: Ego Frater N. coram vobis Fratre N. Magiſtro, & coram vobis Priore, aut Suppriore, ſeu Vicario Fratrum Ordinis de pœnitentia Sancti Dominici talis loci, facio profeſſionem, & promitto me velle vivere de caterò ſecundum formam, & Regulam ejuſdem Ordinis de pœnitentia Beati Dominici uſque ad mortem.* Vel potiùs fiat in vulgari pro majori evidentia.

Finis Regula Tertii Ord. Prædicatorum.

IN-

INDULGENTIÆ REGULARIBUS CONCESSÆ.

SAnctiſſimus D. N. Paulus PP. V. per literas datas Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Maji MDCV. Pootificatus Anno 1. quarum initium eſt: *Romanus Pontifex &c.* omnes Indulgentias, Religionibus conceſſas abrogavit, & aooullavit: atque de novo conceſſit perſonis Religioſis ſequentes gratias: quas declaravit pertinere tantum ad eos qui intra clauſtra degunt, aut extra cum licentia Superiorum, legitimâ cauſâ conceſſâ. Primo recipientibus Habirum Religionis cauſa profitendi in Ordine, ſi eodem die verè pœnitentes, & confeſſi ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam indulgentiam conceſſit. Item Novitio pœnitenti, & confeſſo, ſacra Commuoione ſuſcepta, qui expleto anno probationis Religionem profeſſus fuerit, ſimiliter plenariam indulgentiam. Item quilibet Religioſus intra clauſtra vivens, in principali feſto ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus, aut celebrans, ſi preces fuderit pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Rom. Pont. ſalute, Sanct. Rom. Eccl. exaltatione ſimilitèr plenariam. In articulo mortis verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel ſi id nequierit, contritus, ſi nomen IEſu ore, vel corde iovocaverit devote, etiam plenariam indulgentiam. Promotus ritè ad Presbyteratum, confeſſus, primam Miſſam celebrans, & Religioſi eodem die Communione refecti, aut celebrantes, qui Miſſæ interfuerint, plenariam indulgentiam. Qui de licentia Superiorum per decem dies à negotiis alieni in cella morabuntur, aut ab aliorum cooverſarione ſeparati operam dederint lectionl librorum ad ſpiritus devotionem ioduceotium: addeotes meditationes, & conſiderationes myſteriorum fidei, divinorum beneficiorum, quatuor noviſſimorum, paſſionis Domini, orationum jaculatorium, aut vocalium ſaltem duabus horis per dies ſingulos, & noctes; facieodo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem, aut ordinariam, & communicantes, aut celebrantes, quoties his exercitiis vacarint, plenariam Indulgentiam. Item viſitantes ſuas ipſorum Eccleſias, & oraotes pro Chriſtianorum Principum concordia; conſequentur eaſdem indulgeorias, quas conſequuntur viſitantes Eccleſias Urbis Romæ, & extra eam perinde, ac ſi perſonaliter in diebus ſtatiooum illas viſitarent. Item recitantes quinqoies *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria* ante Altare ipſarum Eccleſiarum quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas. Itinerantes de licentia Superiorum, aut degentes extra claoſtra tamquam Prædicatores, aut Lectores, eadem conſequentur, recitantes prædicta aote quodcunque Altare. Qui per menſem iotegrum ſiogulis diebus per dimidiam horam orationi mentali vocaverint, & ultima Dominica illius menſis cooſeſſi, ac Communione refecti fuerint, ſexaginta anoos, & totidem quadragenas. Qui pœnitentes proprias culpas, & imperfectiones in Capitulo confitebunrur, & ſpecialiter communicantes, & exercitium virtutis facieotes, tres annos, & totidem quadragenas. Quoties de licentia Papæ, & ſuorum ſuperiorum miſſi fuerint in ditiones infidelium, aut hæreticorum, aut etiam Catholicorum ad docendum, & prædicandum pro eorum ſalute; ſi Confeſſione, & Communione ſe ad tantum opus præparaverint, quando itineri ſe accingent, plenariam iodulgentiam, & iterum quando Provincias illas ingredientur plenariam ſimiliter conſequentur. Item ſi Prælatus in viſitatione generali oratiooem quadraginta horarum iodixerit, quilibet Religioſus, qui per duas horas interfuerit etiam diverſo tempore, & oraverit pro Chriſtianorum Principum &c. Confeſſus, & Communicatus, plenariam Indulgentiam cooſequetur.

Omnes iſtæ Indulgentiæ conceſſæ intelliguntur omnibus Monialibus io clauſula viventibus. Etiam Ordinariis locorum ſubjectis.

INCIPIT LIBER

De Inſtructione Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum,

A Reverendiſſimo P. Fr. HUMBERTO Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis, editus.

PROLOGUS.

Religiones approbatæ, ſicut in Conſtitutionibus ferè omnium Religionum diligenter perlectis vidimus, diſtinxerunt antiquitùs, officia tradentes in ſcriptis quid cuilibet competeret Officiali: ut dum hæc ſciret quilibet, nullus alterius occuparet officium, nequè ſuum negligenter; & ſic ordinatiùs, & completiùs fierent univerſa. Porrò in Ordine noſtro ſunt Officiales quidam, qui habent ordinariè curas pertinentes ad animas, differentes ſecundùm plus, & minùs: ut Magiſter Ordinis, Prior Provincialis, & Prior Conventualis. Alii ſunt qui habent hujuſmodi curam ex commiſſione: ut Supprior, Magiſter Novitiorum, Magiſter Converſorum, & Corrector familiæ. Ex horum quatuor, primus habet univerſalem in Conventu, alii vero particularem circa determinatas perſonas. Alii ſunt circa cultum Divinum, ut Cantor, Succentor, Sacriſta: alii circa ſtudium, ut Lector, Magiſter ſtudentium, Librarius, Procurator librorum, & ſcriptorum. Alii ſunt circa cuſtodiam diverſarum rerum, quæ indigent cuſtodia: ut Examinatores recipiendorum, circa cuſtodiam ingreſſus Circator, circa cuſtodiam Religionis Zelator, Cuſtos Dormitorii circa Dormitorium, & Portarius circa portam, Depoſitarius circa res depoſitas. Alii circa varias neceſſitates Fratrum: & horum quidam ſunt generales, Procurator, Conſiliarii, Eleemoſynarius; quidam particulares, & horum quidam ſunt circa neceſſitates quotidianas, ut circa Conventum Refectorarius, ſervitor menſæ, lector in menſa, & corrector in menſa, quorum primi deſerviunt neceſſitatibus corporalibus, alii duo ſpiritualibus. Et circa infirmos Infirmarius, & infirmorum Cuſtos, & circa hoſpites, receptor hoſpitum: & his omnibus, ſcilicet Conventui, infirmis, & hoſpitibus deſerviens, coquinarius, & cuſtos cellarii. Alii circa indumenta, ut veſtiarius, ſartor, ſutor: alii circa opera Domus, ut præſectus operum; alii circa culturam horti, ut hortulanus. Sunt igitur in univerſum, quadraginta ſeptem genera officialium apud nos, ſcilicet: Magiſter Ordinis, Prior Provincialis, Prior Conventualis, Supprior, Magiſter Novitiorum, Magiſter Converſorum, Corrector familiæ, Cantor, Succentor, Sacriſta, Lector, Magiſter ſtudentium, Librarius, Curam gerens de ſcriptis, Examinator, Circator, Cuſtos Dormitorii, Portarius, Depoſitarius, Procurator, Eleemoſynarius, Refectorarius; ſervitor menſæ, Lector in menſa: Corrector in menſa: Infirmarius, Cuſtos infirmorum. Receptor hoſpitum, Coquinarius, Cuſtos cellarii, Veſtiarius, Sartor, Sutor, Præfectus operum, Hortulanus. Sunt inſuper alii, quibus Ordo non indiget continuè, ſed in caſibus, & ad tempus, ut ſunt Deffinitor Generalis Capituli, & Socius ejus, Elector Magiſtri Ordinis, Elector Prioris Provincialis, Definitor Capituli Provincialis, Viſitator, Prædicator generalis, & Socius Prioris Conventualis ad Capitulum, & Confeſſor. Similiter præter hos ſunt alii quorum officia patent ex Ordinario: ut Hebdomadarius, & Miniſtri Altaris, Lector Kalendarum, & alii qui in tabula ſcribi ſolent. Item cùm ſunt aliqui Fratres qui ſciunt artes aliquas mechanicas, ut ſuere, ſcribere, radere, dolare, & hujuſmodi, debent hoc facere, proùt eis injungitur: ſed hæc non computantur inter officia. Item ubi paucitas eſt Fratrum, ſolent plura officia injungi uni & tunc ipſius intereſt omnia quæ pertinent ad illa exequi. Videtur autem tàm ex ratione, quàm ex conſuetudinibus noſtris, quod ea quæ Religiones prædictæ ſuper hujuſmodi ediderunt, poſſunt apud nos diſtingui, & aſſignari modo prædicto.

Iſta quæ ſcripta ſunt de Officiis Ordinis, non ſunt ſcripta ad hoc, quod inferant aliquam neceſſitatem: ſed ad hoc tantùm, ut Fratres quibus imponuntur aliqua officia, & non ſunt in illis plene inſtructi, poſſint hic reſpicere ſi velint; & ſi aliquid ibi invenitur, quod eis rationabile videatur, poſſunt acceptare ſi volunt: alioquin in nullo tenentur ex vi hujuſmodi ſcripturæ; propter quod dicunt Inſtructiones.

SERIES CAPITULORUM.

I. *De Officio Magiſtri Ordinis.*
II. *De Officio Prioris Provincialis.*
III. *De Officio Prioris Conventualis.*
IV. *De Officio Supprioris.*
V. *De Officio Magiſtri Novitiorum.*
VI. *De Officio Magiſtri Converſorum.*
VII. *De Officio Correctionis familiæ.*
VIII. *De Officio Cantoris.*
IX. *De Officio Succentoris.*
X. *De Officio Sacriſtæ.*
XI. *De Officio Lectoris.*
XII. *De Officio Magiſtri Studentium.*
XIII. *De Officio Librarii.*
XIV. *De Officio Examinatorum.*
XV. *De Officio Circatoris.*
XVI. *De Officio Cuſtodis Dormitorii.*
XVII. *De Officio Portarii.*
XVIII. *De Officio Depoſitariorum.*
XIX. *De Officio Procuratoris.*
XX. *De Officio Conſiliariorum.*
XXI. *De Officio Eleemoſinarii.*
XXII. *De Officio Refectorarii.*
XXIII. *De Officio Servitoris menſæ.*
XXIV. *De Officio Lectoris menſæ.*
XXV. *De Officio Correctoris in menſa.*
XXVI. *De Officio Infirmarii.*
XXVII. *De Officio Servitoris Infirmorum.*
XXVIII. *De Officio Receptoris hoſpitum*
XXIX. *De Officio Coquinarii.*
XXX. *De Officio Cuſtodis Cellaris.*
XXXI. *De Officio Veſtiarii.*
XXXII. *De Officio Sartoris.*
XXXIII. *De Officio Sutoris.*
XXXIV. *De Officio Præfecti operum.*
XXXV. *De Officio Hortulani.*
XXXVI. *De quibuſdam communibus, ad Officiales multos ſpectantibus.*
XXXVII. *De Officio Definitoris Capituli Generalis.*
XXXVIII. *De Officio Socii Definitoris Capituli Generalis.*
XXXIX. *De Officio Electoris Magiſtri Ordinis.*
XL. *De Officio Electoris Prioris Provincialis.*
XLI. *De Officio Definitoris Capituli Provincialis.*
XLII. *De Officio Viſitatoris.*
XLIII. *De Officio Prædicatoris Generalis.*
XLIV. *De Officio Socii Prioris Conventualis ad Capitulum Provinciale.*
XLV. *De Officio Confeſſoris.*
XLVI. *De Officio Prædicatoris communis*

CAPUT I.

De Officio Magiſtri Ordinis.

Circa Ordinem in Genere.

MAgiſtri Ordinis Officium eſt, de toto Ordine ſibi commiſſo gerere aſſiduam ſolicitudinem: paupertatis, humilitatis, & omnium obſervantiarum Ordinis, totiuſque ſanctitatis quantum poſſibile eſt naturæ ſuæ, præ omnibus in ſe monſtrare indicia; ut non ſolùm præſentes Fratres exemplo ædificet, ſed etiam abſentes fama reficiat. Fratres præſentes verbis, abſentes verò litteris promovere ad omne bonum: & Deo, ac Beatæ Virgini, & Beato Dominico recommendare in orationibus Fratres, & Ordinem inceſſanter, & ad hoc etiam bonorum ſuffragia procurare. Debet quoque habere ſecum Regulam, Conſtitutiones, Privilegiorum Ordinis tranſumpta, admonitiones Capitulorum Generalium, Breviarium, & Miſſale bene correcta: & hoc ſcire bene, & Fratribus ſuper his ſatisfacere. Item ipſius intereſt pro poſſe laborare, ut interſit Capitulo Generali.

Circa Capitulum Generale.

IN Vigilia Pentecoſtes poſt Primam, prælectis in Capitulo Kalendis, & tabula, faciendus eſt ſermo aliquis brevis de pertinentibus ad Religionem, & ſtatum Fratrum ab ipſo, vel ab eo cui ipſe injunxerit ad hoc idoneo: & poſtmodum admonitiones, circa ea quæ pertinent ad inſtans Capitulum. Orationes quoque aliquæ vel Miſſæ pro ipſo Capitulo ſunt Fratribus injungendæ. Poteſt etiam dare licentias aliquas generales durante Capitulo, vel de loquendo, vel de aliis ſecundùm quod viderit expedire. Ipſius etiam eſt congregare tunc Definitores, & in Definitionibus minùs exercitatos dirigere: de Conſtitutionibus confirmatis, vel inchoatis, & de aliis actis præteriti Capituli, cùm neceſſe fuerit, rationes quæ moverunt Definitores, reddere. Summa quoque cura eſt ei adhibenda, ut Conſtitutiones utiles pro Ordine procedant, aliæ verò non: & idem circa admonitiones, & alia agenda in Capitulo faciendum. Et circa hujuſmodi tunc providendum eſt ei, & frequenter per totum Capitulum cogitandum. Litteræ generales aliquæ de aliqua conſolatione, & utili exhortatione ad Fratres omnes, & Sorores, tunc ſunt ab eo tranſmittendæ: & tàm tempeſtivè promulgandæ cum indulgentiis, ſi quæ novæ fuerint, vel litteræ Papales, vel alia præter acta per Ordinem mittenda; quod ante Definitionem poſſint omnia à Fratribus tranſcribi. Curandum quoque eſt ei, quod acta modo debito, & decenter formentur, & quod omnia fiant in Capitulo ordinatè. Committere etiam alicui debet, quòd habeat curam de litteris, de beneficiis concedendis, alii vel aliis, de legendis illis quæ fuerint tranſcribenda. Omnibus etiam qui ſcribunt ei, ſive Fratribus, ſive extraneis de aliquo quod requirat reſcriptum; per litteram decentem reſcribendum eſt rationabiliter, & prout poterit gratioſè, & ut pleniùs expediantur litteræ, debet ſibi de pluribus providere dictatoribus idoneis, tunc habendis. In tenendo quoque Capitulum curandum eſt ſibi quòd diſſolutiones non fiant, quòd in loquendo, & in aliis, modus, & forma ſcripta ſervetur, quod proclamationes iniquæ, vel indiſcretæ, doloſæ, & frivolæ reprimantur, quòd abſentes etiam leviter non infamentur, & hujuſmodi multa. In terminatione verò Capituli, in ipſo Capitulo poteſt præfigere terminum, infra quem recedant Fratres: ſi timetur de mora Fratrum, & Domus gravamine. Denunciare quoque quò proponant iter dirigere, ut ſciant Fratres ubique ubi poterit inveniri, ſi eo indiguerint: & tam

præ-

præſentium, quàm abſentium Fratrum orationibus ſe recommendare. Et his factis ad abſolutionem ibidem faciendam eſt procedendum.

Circa Provincias verò debet habere curam magnam, quòd bonos Provinciales habeant, cùm ex ipſis pro magna parte dependeat bonus ſtatus Ordinis in Provinciis. Et ideo debet interdùm electoribus Priorum Provincialium litteras ad hoc pertinentes dirigere: interdùm etiam concedere eiſdem, quòd poſſint eligere de aliis Provinciis; interdùm etiam circa perſonam eligendam eos dirigere; cum autem electio devoluta fuerit ad eum, cum diligenti diſcuſſione prout utiliùs poterit providere. Item pro communi bono Provinciæ debet quandoque ſpeciales litteras ſpecialibus Provinciis mittere, ſecundùm exigentiam negotiorum, & temporis: vel Viſitatores interdum ſecundum formam taxatam cum diſcretione, cum major fuerit neceſſitas, (præcipuè cum conſilium Definitorum in hoc concurreret) deſtinare. Item Provinciis magis deſolatis, vel minùs ſufficientibus ſibi, debet eſſe favorabilior in concedendis Fratribus utilibus, & idoneis, ſive ad legendum, ſive ad prædicandum, ſive ad alia Ordinis negotia peragenda: vel in collocando Fratres de illis Provinciis alibi ad proficiendum in hujuſmodi gradibus, per quos poſſint utilitèr revelari. Suum eſt etiam transferre Fratres de Provincia ad Provinciam; pro utilitate vel Ordinis, vel Fratrum transferendorum, vel Provinciæ, à qua, vel ad quam translatio hujuſmodi fuerit facienda. Contentiones quoque, ſi quæ fuerint inter Provincias debet dirimere, & à mutuis injuriis conſervare eaſdem. Per Fratres venientes ad Capitula, & alias cum commode poterit, de ſtatu Provinciarum debet inquirere diligenter: & ad habendam notitiam qualemcunque de regimine earum, ut Acta Capitulorum Provincialium ad ſe deferantur ad Capitula generalia, ſi voluerit, mandare.

Circa Conventus.

Intereſt etiam ipſius, ut ad Conventus ad quos non declinat, interdum litteras mittat conſolatorias, ſi ſint in tribulationibus; vel de concordia, ſi ſint inter ſe diſcordes, vel aliàs ſecundùm quod exigunt cauſæ variæ emergentes: vel eòam mittat Viſitatores ſecundùm formam taxatam, ſi major neceſſitas, & Prioris Provincialis carentia, vel abſentia, vel negligentia, & ſufficientia hæc requirant. Sanè cum declinat ad Conventum aliquem in tranſitu, ſemper debet intrare Capitulum, & ibidem Fratribus congregatis recommendandos recommendare Fratrum orationibus, & cauſam ſui tranſitus (niſi ſit res ſecreta, referare eiſdem.) Niſi verò arcta neceſſitas ipſum feſtinare compellat, non debet, ſi audivit aliqua notabilia ibidem corrigenda, ipſa incorrecta dimittere. Si vero non audivit nihilominus, vel in Capitulo, vel coram ſenioribus aliquibus debet ſe offerre ad corrigendum, ſi aliqua videntur ſuam correctionem requirere. Quod ſi videatur ei, ut iſtis intendat, debet ſeorſim ſummatim illa, quæ eos movent, prælibare: & tunc ſic ei viſum fuerit, poſtea Capitulum, vel quoad omnia, vel quoad illos caſus tenere. Ante receſſum autem ſuum, debet cum omnibus in Refectorio, ſi fieri poteſt comedere, & in Capitulo aliquem ſermonem, vel collationem, vel admonitiones aliquas proponere Fratribus, tam Clericis, quàm Laicis, ſecundùm exigentiam ſtatus eorum: & in fine conſuetam abſolutionem facere generalem; & ſe ſpecialitèr, & negotia ſi quæ grandia habet, tunc temporis Fratrum orationibus recommendare. Cum verò moram trahit in aliquo Conventu, debet tàm frequenter, quàm diligenter tenere Capitulum: & cùm non tenet, interdùm tam utiles, & tam efficaces admonitiones proponere; quòd ex ejus mora non ſolum in ejus præſentia, ſed etiam poſt receſſum ſequatur in eadem Domo evidens Religionis augmentum. Melius quoque eſt, ut neceſſitatés ſuas de communi proviſione Conventus, vèl aliquibus amicis Ordinis manifeſtè recipiat, quàm quòd aliquid fiat circa hoc per modum occultum, vel ab aliquo Fratre ſingulariter procuretur. Cavendum eſt autem ei diligenter, nè reddat oneroſum ſe in expenſis, aut in ſervitiis, quæ Fratribus aliis fieri non conſueverunt, aut faſtu aliquo tamquam non ſit unus illorum, aut in ſerviendo nimias fieri ſibi reverentias: ſed potiùs laboret, ut ſocietas ſua non ſolum Fratribus, ſed etiam familiæ (cum qua etiam habenda eſt ei aliqua Religioſa collatio) ſit amabilis, & accepta. Non decet etiam ut extrà Domum facile comedat, vel inter ſeculares diſcurrat. Cùm autem eum ire oportuerit inter ſeculares, cum ſocietate moderata ire eum convenit, ne nimis magna ſocietas attribuatur pompæ, vel nimis modica apud imperitos pariat contemptum. Sed in hoc tamen ſecundùm conditiones Regionum eſt temperandum. Fratres quoque qui occaſione ejus ſuperveniunt, ne ex eorum mora Domus gravetur, debet breviter expedire, & licentiare curialiter commorantes ſine cauſa.

Circa Fratres.

AD ipſum quoque pertinet majorum Fratrum exceſſus viriliter corrigere; minoribus verò ſe talem exhibere, quod ad illum non timeant accedère. Dignos honore pro meritis, vel aliis conditionibus decenter honorare, irreligioſos, & malè viventes à ſua gratia, & familiaritate ad correctionem repellere. Laborantibus laudabiliter, & fructuosè pro Ordine ſe gratum oſtendere: infirmis corpore, ſeu mente piè condeſcendere, protervorum, contumacium duritiem frangere. Novitiis tentatis, & afflictis, dulces conſolationes impertire, petitiones Fratrum rationabiles libentèr exaudire; cùm verò repellendæ fuerint, cauſas quare recipi non debeant prudentèr explicare; querelantium de aliis, cauſa diligenter audita, quod juſtum fuerit ordinare. Diſſolutiones notabiles coram ſe nunquam ſuſtinere, de utilibus, vel de confeſſione loqui ſecum volentibus facilè locum dare. Fratres omnes advenientes (niſi ſit certum quòd inordinate vadant) cum læto vultu, & ad oſculum pacis ſemper recipere: diſcuſſa verò cauſa itineris, eoſdem ſecundùm merita tractare. Recedentes ad partes remotas cum oſculo licentiare; abſolutionem generalem ſi petierint, eis conferre; & ſe per eos Fratribus ad quos declinaverint recommendare, & ſalutare eoſdem. Apoſtatis, & ejectis ad ſe confugientibus audientiam præbere, ipſiſque auditis ſcribere eorum Prioribus Provincialibus, & Conventualibus: & ſecundùm eorum relationem, quod viſum fuerit expedire. In ſimilibus, & diſſimilibus ſe ſingulorum utilitatibus ſecundùm diverſos ſtatus eorum, coaptare.

Circa Curiam Romanam.

CUria Romana viſitanda eſt à Magiſtro tàm pro ipſius reverentia, quàm Ordinis utilitate, temporibus opportunis: ubi ſi eam turbatam invenerit in aliquo contra Ordinem, vel Fratres aliquos, debet ad ſedandam ipſam ſollicitè laborare. Indulgentias, conceſſiones etiam verbo ſolo, utiles Ordini quas poterit, impetrare, D. Papæ, & Cardinalium, & aliorum Curialium benevolentiam erga Ordinem

cap-

captare, negotia magna ſi quæ habet Ordo, pro viribus promovere, Cappellanis, & Pœnitentiariis Fratribus, & ſi qui ſunt alii in Societate Curialium, tenere Capitulum, & ipſos diligenter corrigere: apponere etiam diligentiam, quòd inde cautè removeantur, ſi qui fuerint minùs apti, & quòd pauci ſint ibidem in ſocietate alicujus Curialium, & quòd qui fuerint, tales ſint, quod ex eorum mora in Curia honor ſequatur Ordinis, & utilitas animarum. Providendum eſt etiam ab ipſo, quòd in Conventibus Civitatum, ubi Curia fuerit, ſemper ſint ſive de ipſa Provincia, ſive de aliis, Fratres perſonati diſcretione, & honeſtate pollentes: & præcipuè Prior, & Lector ſufficientes, & famoſi. Conſtituendus ſemper ab ipſo aliquis Frater in Curia litteratus, diſcretus, & zelator Ordinis, honeſtæ, & amabilis converſationis inter ſeculares; firmus in amore ſtatus Ordinis, & perſonatus: qui ſit ibidem Generalis Ordinis Procurator, habens ſuper hoc ſuas litteras cum diſcretione formatas. Cui etiam committenda eſt poteſtas aliqua ſuper Apoſtatas Ordinis, & ſuper Fratres ad Curiam inordinatè venientes.: & etiam ſuper illos, qui ordinatè veniunt; ut cum conſilio ſuo procedant, & circa alia quædam, prout viſum fuerit expedire. Et de expenſis ei neceſſariis, debet cum Definitoribus Generalis Capituli, vel per ſe, ſi commodè poterit, quod expedierit ordinare: & licentias ei dare, quæ ad exequendum ſuum officium utiles reputantur.

Circa Nationes.

LIcet autem de omni fructu animarum per Ordinem faciendo ſit ei multum curandum, tamen ſpecialiorem curam, & zelum ferventiorem habere debet circa Barbaras nationes, & Paganos, Saracenos, Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos, & hujuſmodi qui ſunt extra Eccleſiam: ut per Ordinis laborem, & ſollicitudinem in viam dirigantur ſalutis, & Chriſti in eis gloria dilatetur. Et ideò curandùm eſt ei, ut ſemper in Ordine ſint aliqui tractatus contra errores eorum in quibus Fratres exercere ſe valeant competenter: & ut aliqui idonei inſudent in locis idoneis ad linguas Arabicam, Græcam, & Barbaras addiſcendas. Et in Provinciis, quæ ſunt ad hujuſmodi fructum faciendum aptiores, debet ſuper hoc excitare Fratres: & non quoſcumque, ſed qui circa fructum hujuſmodi fervent, & aliter ſunt idonei, ad hujuſmodi negotia deputare.

Circa Extraneos.

CUM aliqui extranei voluerint Magiſtrum viſitare, non debet eſſe ad eum difficilis acceſſus: ſed ſine mora in loco opportuno, vel exeundo ad eos, vel ipſis introductis ad eum, ſui debet præſentiam exhibere acceptabilem; affabiliter omnes recipere, & ſecundùm conditiones eorum plùs vel minùs honorare. Si verò petitiones aliquas faciunt, ſi commodè fieri poteſt, debet omnibus libenter ſatisfacere: vel ſi non poſſunt exaudiri, de impotentia tali ſunt eis rationabiles cauſæ aſſignandæ. Caveat autem omnino ne incivile aliquid in eo inveniatur, & det operam quantùm poteſt, ut nullus ſcandalizatus ab eo recedat. Circa legationes, & alios nuncios ad ſe miſſos, ſic ſe debet habere urbanè in loquendo, & in neceſſitatibus eis providere faciendo: ita quòd recedentes occaſionem habeant bona loquendi de eo. Cum Religioſis tractandum eſt ei de ſanctitate, cum ſecularibus ſunt ei verba ſalutaria verbis ſecularibus immiſcenda. Nulli qui manifeſtè non ſit indignus, negare debet in propria perſona gratiam hoſpitalitatis, aut eleemoſynas quæ fieri conſueverunt in Ordine. Benefactoribus, & amicis Ordinis ſpecialibus, dignæ ſunt gratiæ reddendæ, & in amore Ordinis ſunt per ejus diligentiam confirmandi. Ipſi autem aliundè venientes (cum eos tales cognoverit) ſunt cum omni devotione ſuſcipiendi, & omnis humanitas tàm in hoſpitalitate, quàm in aliis quæ non decuerint, eſt eis ab ipſo exhibenda. Prælati per quorum Diœceſes tranſit, & præcipuè ſub quibus morantur Fratres, ſunt ab eo viſitandi; & ſi quas habent erga Fratres turbationes, pro poſſe conandum eſt ei ipſos pacificare, & Fratribus gratiam eorum acquirere; aut in ipſa continuandâ (ſi habent) eos ſolidare. Magnates, ſive ſint Principes ſeculares, ſive perſonæ Eccleſiaſticæ, quos non expedit per Fratres quoslibet, vel argui, temporè opportuno cum diſcretione, & modeſtia charitativè de ſalute ſua debet etiam commonere. Ad pacem Fratrum Minorum cuſtodiendam diligentiam debitam debet adhibere, ipſoſque viſitare; aut ſi non poteſt per ſe, per Fratres ad eos miſſos excuſare. In viſitatione verò cum opportunitas fuerit, collationem efficacem aliquam eis facere, eoſque cum omni devotione recipere, & tractare: pedeſque eorum perſonaliter interdùm lavare, & exceſſus Fratrum contra eos, ſine dilatione dignè corrigere. Providendum autem eſt ei, quod omnes cum quibus eum eſſe contigit, antequam recedant ab ipſo aliquam ædificationem in verbo, vel in facto reportent. Ad trahendum quoque ad Ordinem perſonas idoneas, curam debet apponere diligentem.

Circa Divinum Officium.

NOn convenit Magiſtro libenter ſe abſentare à Divino Officio, & maximè à Completorio: niſi forte propter impotentiam corporalem, aut ſi habeat occupationes circa majores utilitates. Cùm autem præſens fuerit in Choro, debet primum locum in dextro Choro tenere: tempore communionis abſolutionem in Capitulo facere, & Miſſam celebrare Conventualem, Fratribus infirmis, ubi præſens eſt ſacram miniſtrare Communionem, & extremam Unctionem: & ſepelire Defunctos, recipere Novitios, recipere ad beneficia, recipere Legatos, & Magnates in Conventibus in quibus fuerit; in magnis ſolemnitatibus facere Officia, & alias Conventuales Miſſas interdum, cum requiſitus fuerit à Cantore celebrare. Extra Chorum verò cum majori maturitate, & diligentia quàm ab aliis communiter conſuevit fieri, eſt officium dicendum ab ipſo, & celebrandum frequenter. Officium quoque mortuorum, non debet ab eo prætermitti.

Circa Menſam.

CUM comedit in Conventu, non eſt ei ſuſtinendum quòd ei ſingularitates notabiles fiant; cùm vero habet unde poſſit aliquibus aliquid mittere, illi ſunt potiùs eligendi, quibus cedit ad conſolationem; ut ſunt Novitii, vel tentati & hujuſmodi, vel qui ſunt magis indigentes, ut debiles, vel infirmi, vel qui pro aliqua ratione ſunt honorandi, ut qui fuerunt nobiles, vel divites in ſeculo, vel ſunt in Ordine Lectores, & ſimiles. Protrahenda eſt ab ipſo comedendo ſic menſa curialiter, ut qui moroſiùs comedunt, comeſtionem interrumpere non cogantur: nec ſignum facere debet quouſque videat, quòd comeſtio communiter ſit completa. Quòd ſi quis morâ notabili faciat alios plus debito expectare, per ſervitorem poteſt ipſum priuſquàm ſignum faciat, ut finem faciat commovere. Cùm autem extra Refectorium comedit in hoſpitio, vel in infirmitorio, cavendum eſt ei, ne occaſione ipſius ſuperfluitates fiant inconſuetæ, & maximè ſi adſunt extranei. Nec damna

eſt loquendi licentia paſſim, ſed modò uni modò pluribus, modò omnibus, modò nulli ſecundùm diverſas circumſtantias ſecum comedentiū: præcipuè verò cum interſint extranei, cautè ſunt hujuſmodi licentiæ dandæ. Intereſt autem valdè ipſius aliqua verba ædificatoria, & ſpiritualis conſolationis interferere comeſtioni, & frequenter lectionem aliquam in menſa, in parte, vel in toto habere: niſi pro reverentia perſonæ excellentis quæ adſit intermittatur; aut de ejus beneplacito fieri procuretur.

Circa Cameram.

CUM autem Camera ſit ei conceſſa propter certas utilitates Ordinis, attendendum eſt ei, ne redundet in damnum Ordinis talis conceſſio: quod fieret, ſi fierent ibi diſſolutiones; ſi protenderentur vigiliæ ultrà ſignum; ſi fierent ibi comeſtiones, vel potationes, niſi tempore ſuæ infirmitatis; ſi permitteret fieri ibidem faſtum aliquem in lecto, aut in aliquo apparatu. Et ideò ſunt hæc ab ipſo, & familia coercenda. Nunquam etiam dormire debet in Camera, ſine duobus Sociis, & lumine.

Circa Itinera.

IN itinere conſtituto; ut tempus utiliter expendatur, ſunt ei cum Sociis aliqui Pſalmi, & Orationes devote dicendæ, aliquæ ſalutares collationes habendæ: ſed cum tali moderamine, ne vertantur in tædium grave Fratribus, quibus non moleſtum, ſed jucundum debet ſe Socium exhibere. Adjungentes ſe quoque ei debent ab eo, vel Sociis ſemper aliqua ſalutis monita reportare. Cùm opportunitas occurrerit, non eſt omittendum quin per eum, vel Socios prædicatio fiat. Illi autem qui cauſa Conſilii, vel loquendi de ſalute ad eum, acceſſerint, benignè ſunt audiendi, & cum favore dimittendi. Quamvis autem Fratres viatores non debeat facile à ſua Societate repellere; tamen cavendum eſt ei, ne ex multitudine Fratrum concurrentium, vel ex ſuperfluitate expenſarum, quam cohibere poſſit, graventur hoſpites, & ſine utilitate eorum tranſeat. Et de ſalute animæ eſt cum habitantibus collatio ſemper habenda, & ad beneficia Ordinis ſunt interdùm recipiendi; & laborandum, ut nihil fiat, in quo male ædificentur, & quod bonus odor, & gratia apud eos remaneat poſt receſſum.

Circa Litteras.

LItteræ ineptæ nunquam ab eo ſunt mittendæ, ſed decenter formatæ, plus vel minus ſecundùm exigentiam materiæ, vel perſonarum, quibus dirigendæ ſunt. Et ideo ſunt omnes ante ſigillationem ſolicite reſpiciendæ. Scribentibus, diligenter eſt reſcribendum. Verba pungitiva ſunt in ejus litteris ſemper devitanda, & inferenda lenitiva, & gratioſa: dandaque eſt ei opera, ut fructum quem verbis facere non poteſt, litteris compleat apud abſentes, ſive Fratres, ſive extraneos in variis caſibus emergentibus, prout fuerit opportunum. Non ſunt etiam litteræ paſſim dandæ, ſive de beneficiis Ordinis, ſive de precibus, ſive de teſtimonio, & ſimilibus: ſed cum multa cautela, & deliberatione; Fratribus, & aliis qui ſcribunt, ſcribere non omittat.

Circa Poteſtatem.

LIcet autem Magiſter habeat plenam, & generalem poteſtatem in Ordine, tamen numquam eſt ei utendum hujuſmodi plenitudine poteſtatis, ubi cauſa rationabilis non occurrerit. Specialiter vero eſt cavendum ei ne in temporalibus gravet Provincias, vel Conventus, vel Fratrem aliquem: utpote libros, vel paramenta unius alteri concedendo, onus pecuniæ alicui ſolvendæ imponendo, & ſimilia, ſine cauſa rationabili evidenti. Officia inferiorum non debet ſibi aſſumere libenter, niſi cauſa urgente. Licentias, quæ per alios expediri poſſunt raro dare debet, ſed potiùs Fratres ad Prælatos ſuos mittere pro iis. Et quas dederit, quæ ſecretum non requirant, Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus, prout magis convenit ſignificare debet. In concedendo verò licentiam alicui Fratri confitendi alii, quam Prælato ſuo debet habere cautelam, ſciens quod hujuſmodi confeſſiones interdum in grave periculum Ordinis redundant. Item in licentiando aliquem ab Ordine, cavendum eſt ei, quòd nihil faciat niſi quod liceat, & quod expediat, & quod ſalutem Fratris non negligat propter onus. Cùm autem fuerit faciendum, ſic provideatur, quod habeat locum, ad quem tranſeat antequam recedat, quod evagationi periculoſæ non exponatur. Circa diſpenſationem, & licentias, quæ ſibi reſervantur, ut de ſtudio in liberalibus artibus, de eundo ad Curiam, vel quæ non conſueverunt fieri per aliquem de facili, ut de ingreſſu mulierum in clauſtra, & ſimilia: talem mediocritatem tenere debet, quod propter nimiam ejus duritiem circa hoc major fructus non impediatur; vel grave ſcandalum generetur, & rurſus ex nimia facilitate periculoſa diſſolutio in Ordinem inducatur. Circa ſe vero quantùm valetudo permittit, ipſi parum diſpenſationibus eſt utendum: & cùm neceſſitas requirit aliud, hujuſmodi neceſſitas eſt opportuno tempore inſinuanda Fratribus, ut non ſcandalizentur in ipſo.

Circa Socios.

ELigendi ſunt à Magiſtro Socii Deum timentes, Ordinis zelatores, diſcretione pollentes, religioſæ, & amabilis converſationis, corpore potentes, qui inter Fratres ſe ſicut unus cæterorum gerentes, nihil in hoc Officio quærant niſi ſolam Ordinis utilitatem. Horum enim commune erit officium, quæ viderint in eo corrigenda, interdum cum humilitate, & modeſtia ei dicere; interdum quæ in aliis ſciverint, vel audiverint emendanda, eidem tempore ſuo referre, agenda ei ad memoriam reducere, & circa eadem ipſum ſollicitare. Secreta quæ ad ipſum veniunt ſub diſtricto ſilentio cuſtodire. Si quæ gravia, vel periculoſa Ordini multum ſciverint in eo, Definitoribus, vel aliis qui prodeſſe poſſunt, & non obeſſe, tempore ſuo non tacere. Fratres cum eo loqui volentes, etiam in hoc timidos ad eum adducere. Advenientes ad eum ſive Fratres, ſive alios extraneos benignè recipere, & ad eum ipſos introducere, vel ad ipſos eum evocare. Ipſorum negotia ſi quæ habent ſollicitè promovere, & curam habere, quod charitativè tractentur à Fratribus in hoſpitalitate, & hujuſmodi, cum fuerit faciendum. Dare operam ad pacificandum eos, quos turbatos viderint occaſione repulſarum petitionum, vel alia de cauſa erga Magiſtrum; & quòd in pace recedant, & cum gratia. Cùm ſenſerint murmur de factis aliquibus Magiſtri, eidem charitativè narrare debent: & murmurantes pro poſſe reddendo rationes de factis, vel quas fortè ignorant, ſedare. Contra neminem ipſum provocare, niſi fortè cauſa correctionis, prout neceſſe fuerit. Horum unus debet eſſe Converſus, cujus erit officium ſpeciale cuſtodire ſigillum, ſigillare litteras, & pertinentia ad hæc in promptu habere: libros Magiſtri, & veſtes aliquas cùm fuerit neceſſe, portare in via, & circa neceſſitates ejus corporales ſollicitudinem gerere, & ſuſtinere labores. Alius debet eſſe Notarius competens, qui magis debet laborare ad notandum ſententiosè, & breviter, quàm

ador-

adornata verba multiplicare. Cùm Magiſter commiſerit ei litteras ſibi miſſas, debet eidem legere, & ſenſum ei referre ſummatim, & plenè: & notare diligenter ad quas litteras, vel ad quos articulos ſit reſpondendum. Si aliquod ſecretum in eis contineri advertit, ſtatim ſuperſedere debet à legendo, & reportare Magiſtro. Congregationibus, & ſimilibus perſonis, & pro magnis negotiis, decentes litteras facere, & de littera magis legibili, & meliori. Litteras de beneficiis, & alias quæ committuntur aliis ſcribendæ, vel faciendæ, ante ſigillationem debet inſpicere, ut videat ſi ſint debito modo formatæ, & ſcriptæ. Poteſt, & præter iſtos (ſi viſum fuerit) tertium aſſumere Socium, virum conſilii, & litterarum, cum quo poſſit habere conſilium, vel de ſcripturis conferre: modò in via, modò in Domo, & in iis quibus ſibi ſtudendum eſt, ipſum adjutorem habere; vel aliqua ſibi agenda, ei interdùm committere, cùm viderit expedire. Præter ſupradicta verò ſunt alia quædam ſcripta in Regula, & in Conſtitutionibus, & ordinario, aut in uſu. Alia verò quædam quæ dicere in ſingulis caſibus eſt magis rationis benè diſpoſitæ, vel unctionis, quàm hominis: veluti nihil ſubitò negare, vel concedere, non de facili aliquid in futurum promittere, quorundam conſiliis interdum acquieſcere, quorundam non; de nocte Deo, de die proximis vacare, benignè omnes audire, & ſimilia quæ ſunt ei ſollicitè peragenda. Quod ſimiliter intelligendum eſt de aliis Officialibus infra ſcriptis.

CAPUT II.

De Officio Prioris Provincialis.

Circa principium regiminis.

Officium Prioris Provincialis eſt, circa principium regiminis ſui cum timore, & tremore incedere; per orationem ad Deum concurrere; frequenter orationes aliorum ſibi ſollicite procurare, pro poteſtate committenda ſupra ſe in confeſſione, ad Magiſtrum recurrere: novitates nullas citò inducere, quouſque magis per experientiam, quàm per aliquam ſapientiam ſit edoctus: mutationes paucas facere, quouſque de ſtatu Provinciæ, Conventuum, & Fratrum notitiam habeat pleniorem: Fratrum Deum timentium, & Religionem zelantium, & ampliori diſcretione pollentium magis conſiliis adhærere: notam fovendi partem aliquam, ſi fortè inter aliquos reputetur, declinare pro poſſe; & cavere ne ex amore privato, vel familiaritate, aliquid faciat non faciendum, aut facere videatur. Item ad ipſius pertinet officium diligenter conſiderare, quæ de Officio Magiſtri ſunt prædicta, & ea quæ dicuntur infra de Officio Prioris Conventualis, & ea quæ de illis competunt ſibi, ſecundùm ſtatum ſuum: & cum his, quæ continentur in præſenti nota de officio ſuo, quod debet ſtudioſè perlegere, & opere adimplere. Laudabilia quæ in anteceſſoribus ſuis fuerunt, prudenter inquirere, & inventa pro viribus obſervare: & per eorum Socios laude dignos inſtrui in officio humiliter, & devotè. Item ipſius eſt in Choro ſiniſtro ſtare, & quod Officium Divinum dicatur reverenter, & devotè, & ſecundùm modum Ordinis, tàm in Choro, quàm extra, diligentiam apponere: & de Cantoribus competentibus, prout poteſt Conventibus providere. Item intereſt ſua, cum Magiſter præſens non eſt, celebrare Miſſam in majoribus ſolemnitatibus, & miniſtrare Sacramenta decedentibus; & hujuſmodi, quæ ſupra dicta ſunt de Magiſtro Ordinis.

Circa commune bonum Provinciæ.

Item ad ipſum pertinet commune bonum Provinciæ procurare ſollicitè, ſive apud Magiſtrum, ſive in Capitulis Generalibus, & Provincialibus. Item de iis quæ videntur corigenda, vel facienda, quæ per ſe non poteſt commodè expedire, memorialia facere, & ipſa Capitulorum tempore promovere. Item in emergentibus neceſſitatibus Fratrum, in diverſis locis conſilium dare, ſive per recurſum ad Curiam Romanam, ſive aliis modis, prout variæ neceſſitates exigunt; ad communem pacem Provinciæ dare operam efficacem. Partes ſi quæ ſunt pro viribus auferre, inſtruendo unitatem, & concordiam ponendo; querelas, ſi quæ ſunt inter Conventus de terminis, vel aliis quibuſcumque, citò terminare. Conventus novos, qui evidenter reputantur utiles procurare, de minùs neceſſariis non curare. Regulam, Conſtitutiones, Privilegia, Acta Capitulorum, Litteras Magiſtri benè correctas ſecum portare, & ad exemplar ſuum ubique per Conventus facere ſcribi, quæ non habentur: quæ verò habentur perlegi, & corrigi diligenter, & interdùm facere legi, ubi viderit expedire. Infirma Fratrum, vel Conventuum aliquorum ſine cauſa rationabili numquam debet aliis recitare. Quòd Fratres ubique pacem habeant erga Clerum, & Populum, & Prælatos, & alios, laborare. Quòd metas privilegiorum, vel conceſſionum, quæ habuit à Prælatis in confeſſionibus audiendis, vel abſolutionibus, & diſpenſationibus, & hujuſmodi, Fratres non tranſgrediantur; & quòd ad hæc exequenda non ponantur Fratres niſi ſufficientes, monere, & cavere. Diſcurſus Fratrum reſtringere, nec permittere, quòd diſcurrant propter negotia quæ poſſunt per litteras expediri.

Circa Conventus.

Item circa Conventus debet apponere curam quam poteſt, ut habeant omnes Priores idoneos: & ut in quolibet ſit Lector, & aliquis, vel aliqui gratioſi Prædicatores; ſimiliter aliquis, vel aliqui viri conſilii. Et ubi non poterunt haberi tot Lectores, quot ſunt Conventus; ſaltem ſit aliqua lectio, vel de ſumma Caſuum, de textu Sancti Thomæ, de Artibus, vel de Hiſtoriis, vel de aliqua alia ſumma, & hujuſmodi. Conventus autem deſolatos, & pauperes, & remotiores, magis debet habere cordi, & plus cavere ab eorum gravamine, & eis magis ſubvenire in quibus poteſt.; ſive in Fratribus concedendis, ſive in aliis; & ad ſubveniendum eis, Conventus alios, & Fratres animare, eoſdem quoque per litteras conſolari frequentiùs, & excitare in bonum. In miſſione verò novorum Conventuum, ſic ſollicitè providere debet de Fratribus Religione claris; quòd à principio Religionis rigor in illis ſervetur, & fructus animarum cum ipſis perveniat ad totam viciniam, & honor Ordinis, & fama in illis partibus dilatetur.

Circa Priores.

Item circa abſolutiones Priorum qui boni reputantur, non debet eſſe facilis, nec propter eorum inſtantiam, nec Fratrum aliorum importunitatem. Magis autem debet eos animare ad oneris ſuſtinentiam propter Deum, & Ordinem, eoſque fovere, & adjuvare in quibus bono modo poteſt: eoſque moleſtantes comprimere, pacemque eis prout poſſibile eſt procurare. Priores verò minùs idoneos facilè debet abſolvere, cùm ſperatur quòd meliores poſſunt haberi; & quandoque etiam ſuper eos aliquibus aliquam poteſtatem tradere, vel in recreationibus recipiendis, vel hujuſmodi, cùm cauſa rationabilis hoc requirit.

Circà Fratres.

ITem ipſius eſt de Fratribus periculoſis, & diſſolutis, ſollicitè ordinare, quòd non ponantur in locis diſſolutis, in quibus minus viget diſciplina: ſed in domibus, in quibus melius cuſtodiri poſſint, & corrigi. Et quantum fieri licet, conditiones eorum Prioribus ad quos mittuntur, notificare debet. Et cùm transferuntur de loco ad locum, providere, ut benè aſſocientur, & certum tempus habeant pro itinere taxatum. Qui autem peſtiferi fuerint inventi ſecundùm quòd graviores eorum culpæ requirunt, graviùs, vel per carceres, vel percuſſiones, vel per ejectiones à Fratrum ſocietate, vel aliter puniantur. Perturbatores Conventuum, aut Priorum aliò transferre, colligationes in malum, per diſperſionem diſſolvere. Talem ſe debet omnibus exhibere, quò ad confitendum eidem non timeant accedere. Extra Capitulum quoque Fratribus aliquibus interdùm charitativas facere exhortationes, prout ſtatum eorum viderit indigere. Diligenter quoque debet ubique advertere, qui & quot ſint in quolibet Conventu, qui ſint apti ad proficiendum in ſtudio; & hujuſmodi ſi ſint benè morigerati, ad ſtudium promovare: vel ad ſtudia meliora mittendo, vel in ipſis domibus propriis libertates aliquas concedendo, vel occupationibus aliquibus eximendo; inſuper de libris eiſdem providendo. Et eos etiam, de quibus eſt bona ſpes, quòd poſſint eſſe utiles ad Prioratus, & officia Ordinis magis neceſſaria, in ſcientia, & hujuſmodi promovere. In recipiendis verò Converſis pluribus, vel qui non noverint officia, in quibus poſſint Ordini deſervire, & etiam Clericis minùs idoneis, dignam debet adhibere cautelam.

Circa Viſitationem.

ITem viſitare frequenter Provinciam debet prout poteſt, & frequentiùs Domos quæ plus indigent. Cum autem non poteſt in propria perſona, debet interdum cum neceſſè fuerit, per alios Fratres diſcretos, & acceptos Fratribus hoc ſupplere; taxata eis per litteras diſcretè poteſtate. Cum autem de Provincia recedit, ſemper relinquere Vicarium, vel Vicarios per diverſas partes Provinciæ: & interdum etiam cùm præſens eſt in Provincia in aliquibus locis magis remotis, Vicarium, vel Vicarios inſtituere; poteſtate eis taxatâ ſemper per litteras, & expreſſâ. Item cùm Viſitatores aſſignati à Capitulo Provinciali viſitare non poſſunt, pro eis Viſitatores idoneos ſubſtituere. Porrò in viſitatione tantum debet in qualibet domo morari, quòd diligenter, & plene, quod requirit viſitatio valeat exercere. Epiſcopum loci, Fratres Minores, & alios amicos Ordinis viſitare, vel cum ipſis eum viſitantibus competentem collocutionem, & collationem habere. Populo, Clero, & Religioſis (ubi hoc expedierit) prædicare: ſcandala, & turbationes ſi quas invenerit erga aliquos Religioſos, Prælatos, Clerum, & alios, ſedare curabit. Cum Fratribus in Refectorio, in Officiis divinis, & in Dormitorio aliquo tempore intereſſe. Fratribus tàm Clericis, quam Laicis ſui copiam facere, ſive de confeſſione, ſive de quibuſcumque aliis loqui voluerint cum eo, ſive in Capitulo, ſive extra. Collationes Fratrum audire, ut de profectu eorum aliquid in ſtudio eorum advertere poſſit. Salſem ſemel audire computationem domus, & ſtatum, quoad temporalia. Auſcultare infirmos, puſillanimes, & tentatos, & Novitios ſingularibus collationibus conſolari; Novitiis Converſis aliquas privatas collationes facere. Familiam ubicumque ſuperfluam invenerit, removere. Si quæ majoris ponderis ordinare voluerit, priùs diſcretorum conſilium convocere. Et quantùm poteſt fieri rationabiliter dare operam, ut omnes in pace, & conſolatione relinquat. Et ſic inter eos in illo tantillo tempore ſtudeat converſari, quod plùs eos exemplis, quam verbis ædificet, & informet.

Circa Capitulum Provinciale.

ITem ad locum Capituli Provincialis debet aliquantulum tempeſtivius aliis venire, ut cum Fratribus domus tractet, ſi expedierit, de aliquibus ad Capitulum pertinentibus: & ut Fratres, qui quandoque citiùs veniunt pro aliquibus negotiis, expediat. Item intereſt ſua tunc temporis litteras ſibi miſſas per ſe, vel per Secretarium reſpicere, & ea ad quæ reſpondendum eſt notare: & quæ ſine Capitulo poteſt facere citò expedire. Ea verò, quorum reſponſio ex Capitulo dependet, in memorialibus ponere, vel ipſas litteras diſtinctè pro diverſis Conventibus ad confuſionem cavendam in diverſis locis ſervare, & quàm citò poterit expedire: illas verò quæ reſponſionem non requirunt, ſtatim diſcerpere. Item providere debet, quòd Acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri, & ſi quæ aliæ litteræ, vel ſcripta emanaverint à Capitulo Generali per Provinciam habendo, legantur ante electionem Definitorum: & ordinetur quòd certo loco, & certo tempore conveniant, qui habent tranſcribere, & per aliquem, vel aliquos legantur, & ad ſcribendum neceſſaria ibidem miniſtrentur de domo; ita quòd ante Definitionem Capituli omnia hujuſmodi ſint tranſcripta, & tunc Acta Capituli, & ſi quæ alia mittenda ſunt in ſcriptis per Provinciam, ſunt ab eodem Capitulo celeriter ſecundùm modum eundem ſcribenda. Item non debet dare licentias veniendi ad Capitulum ſine cauſis rationabilibus, & qui aliter veniunt, condigne cum conſilio Definitorum in ipſo Capitulo confundere debet, & punire: vel ſegregando à Capitulo, vel ſtatim remittendo, vel alias prout major exceſſus eorum exigerit. Ordinare etiam debet quòd nimis tempeſtivè non veniant, & quòd non nimis morentur qui venire tenentur. Item Definitores minus expertos in aliquibus dirigere, & de conditionibus perſonarum, quarum notitiam non habent, (cùm de eis agitur) inſtruere eoſdem quantùm commodè, & licitè poteſt, & Ordinis utilitas sequirit. Item dare operam quòd paucæ mutationes Fratrum fiant, & quæ fiunt, non fiant ſine cauſa valde rationabili: cum ex hujuſmodi mutationibus frequenter inconvenientia multa oriantur. Item cavendum eſt ei, ne in ſuis agendis ſit ita favorabilis majoribus Conventibus, & perſonis contra minores (quibus magis eſt ſubveniendum) quod inde ſcandalum apud eos, & turbatio ſubſequatur. Ordinandum eſt etiam ab eo, quòd Fratres qui tunc mittuntur de Conventu ad Conventum, certam, & bonam ſocietatem, & tempus ad viam habeant arripiendam, & conſumandam. Eo modo expedit tunc ordinare propter diſcurſus evitandos, quod Conventus qui carent Prioribus habeant poteſtatem eligendi, prout ſibi viſum fuerit aliunde: & confirmare in domo, vel vicino Conventu aliquo interdùm, & pronunciare, quod ad eum nulli Fratres mittantur pro hujuſmodi, & ſimilibus, quæ per garziones, & litteras valeant expediri.

CAP. III.

Caput III.

De Officio Prioris Conventualis.

Circa ſe ipſum.

Officium Prioris Conventualis eſt diligenter notare ea, quæ de ſupradictis Officiis Magiſtri, & Prioris Provincialis ſibi competunt, ſecundùm ſuum ſtatum, & ea adimplere. Item pro Religione primo, & pro ſtudio ſecundo, pluſquam pro aliis quibuſcumque zelare. Item non tantum extra domum morari, quod ea quæ ſunt intus agenda negligat; nec tantum intus reſidère, quod fructus quos poteſt extra facere, damnoſe perdat. Item amore quietis, Fratrum, & Ordinis negotia non negligere, & rurſus propter nimiam occupationem circa curam ad alios, nimis à ſe exire. Item circa occupationes odioſas, & devotionem hominum ad Ordinem ſuffocantes, (ut ſunt viſitationes, & correctiones poteſtativæ Monaſteriorum, receptiones arbitriorum, & ſimilia,) ſe de facili non implicare. Circa fructum vero animarum, qui fit per prædicationes, per charitativas admonitiones, per conſilia, per confeſſiones, per paces, & hujuſmodi, quæ magis decent Ordinem, & ſpiritum magis ſapiunt, libenter intendere debet ſpiritualibus quoque exercitiis intra clauſtrum, ut ſunt ſcholæ, collationes, ſermones, Officium divinum, & hujuſmodi, libenter intereſſe. Circa coquinam verò, veſtiariam, vel hortum, vel ædificia, & hujuſmodi quotidianas anguſtias, & minoris valoris, quæ per alios Officiales exerceri ſolent, occupari raro. Item ipſius intereſt in abſentia Magiſtri, vel Prioris Provincialis, vel de eorum mandato (ſi præſentes exiſtunt) recipere Novitios. In magnis ſolemnitatibus facere officium. ſepelire Fratres, infirmis miniſtrare Sacramenta, & alia ſimilia, quæ ſupra dicta ſunt in officio Magiſtri. Non autem debet de facili unquam deeſſe à Completorio. Cum autem eſt in Choro, ſtare in dextra parte debet.

Circa Majores.

Item ad ipſum pertinet, Magiſtrum, vel Priorem Provincialem, Viſitatorem, & omnes Majores ſuos cum debita reverentia ſuſcipere, & tractare: ſtatum ſui Conventus cum quæſierint, vel experierint, fideliter eis exponere, eorum mandata, & ordinationes, & Capitulorum Generalium, & Provincialium devote ſuſcipere, memoriæ commendare, Fratribus frequenter exponere, & ut plenarie obſerventur operam dare. Utilitatem quoque Domus, & Fratrum ſuorum ſollicite procurare, gravia ſi quæ ſibi imponuntur ab eis, ſine murmure portare, eos pro ſua abſolutione, vel aliis negotiis, non graviter moleſtare: repulſam petitionum ſuarum patienter ſuſtinere, & cauſam quare hoc fiat ab eis rationabilem eſſe (licet neſciat) ſupponere; & in ſuis anguſtiis de multitudine negotiorum, & impotentia ſatisfaciendi omnibus, eis potiùs compati, quam de repulſa hujuſmodi indignari. Pro eis quoque orare, & alios frequenter inducere ad hoc ipſum. Si quæ in eis corrigenda viderit, vel de aliquo quocumque tractare cum eis habuerit, cum digna humilitate loqui debet eiſdem.

Circa Conventum.

Item ipſius intereſt Conventui in victu, & in veſtitu, & infirmitatibus, & aliis neceſſitatibus, prout poteſt, commoditatem procurare. In Refectorio, in communi minutione, & raſura, & ubique libenter eſſe cum Conventu. Singularitates in cibo, vel extraordinariis comeſtionibus, & hujuſmodi, cavere. In veſtium pretio ſequi communitatem, tàm in ſe, quàm in aliis. Singulares proviſiones in neceſſariis nulli concedere, ſed de communi omnia providere, nunquam apud ſe, vel alium, niſi communem cuſtodem, & nonniſi pro libris pecuniam habere, ſuperfluitates in hoſpitio, & infirmitorio, & horum frequentationes præter neceſſarias, reſtringere; & in diſpenſationibus circa corporalia ſe non facilem exhibere. Ipſos quoque Fratres in ſpiritualibus debet in Capitulo informare, ad omne bonum ſanctis exhortationibus animare, magis in dulcedine ſpiritus, quàm per potentiam pertractare. Curandum eſt ei multum de pace Conventus conſervanda prout fieri poteſt: nec facilè deviandum eſt ei à concordia ipſius, vel voluntate, vel conſilio, vel petitione. Debet quoque ab ipſo aſſignatos habere Fratres, qui audiant computationem, & ſtatum Domus ſciant, & de quorum conſilio in ædificiis procedatur. Diſpenſationes verò in jejuniis, in abſtinentiis cum toto Conventu, nunquam ſunt faciendæ, etſi perſonis aliquibus ſit interdùm meritò indulgendum. Debita magna contrahere, vel emptiones, vel venditiones magnas, vel alia magna facere non debet, ſine conſenſu Conventus, vel Conſiliariorum: qui ex parte Conventus ad hoc fuerint aſſignati, & quibus ſuper his fuerit commiſſa poteſtas. Cùm autem accedit ad Capitulum, vel aliàs longè; debet ſemper Vicarium relinquere, ſive Suppriorem, ſive alium utilem, & idoneum pro Religione: & prout fieri poteſt acceptum communitati Fratrum. Debet autem ei poteſtatem taxare, & in iis quæ videntur utilia inſtruere diligenter. Item cùm egreditur è civitate, ſemper Suppriori, vel pluribus, cauſam viæ quò vadat ſignificare, & interdum ipſi Conventui, ſi major ratio hoc requirit.

Circa Officiales.

Item ad officium ejus pertinet Officiales idoneos cum conſilio Fratrum diſcretorum, vel conſtituere, vel abſolvere: ipſos verò conſtitutos in ſuis officiis diligenter informare, & poteſtatem quam eos habere voluerit taxare, & ſi expediens viderit in ſcriptis eiſdem tradere: licentias quoque aliquas generales dare pro loquendo; vel de remanendo ab horis aliquibus, vel aliis quibuſdam, quæ ad exequendum officia ſua neceſſaria reputantur. Non licet autem ei aliqua officia ad manum ſuam tenere, nec de ipſis ſe multum intromittere; ſed potiùs officialium negligentias corrigere, & in eis quæ facienda fuerint, ipſos frequenter ſollicitare, & inſtruere. Fratres verò ipſos perturbantes corripere, reprimere, & pacem eis Fratrum procurare. Cavere etiam ne occaſione officiorum, ea quæ ſunt Ordinis negligant Officiales, aut omittant; niſi quantùm propter officium compelluntur, vel de licentia rationabiliter eis permiſſum fuerit, aut conceſſum.

Circa varietates Fratrum ſuorum.

Item ipſius eſt cognoſcere tàm interius, quam exterius varias conditiones, & complexiones & diſpenſationes Fratrum ſuorum, & non eodem modo tractare omnes: & coaptare ſe (quantùm ratio, & Religio permittit) ſingulis, ſecundùm eorum diſpoſitionem; & abſque peccato debet aliorum infirmitates, & defectus tàm morum, quam corporum portare. Aliorum proterviam, & contumaciam humiliare, puſillanimes roborare, deſolatos, & triſtes conſolari, naturaliter impatientes ad horam ſuſtinere: vitioſos debet corrigere, de Societate Fratrum ejicere contagioſos, ferventiores plùs debito refrænare: periculoſos ſollicitè cuſtodire, ipſoſque ſi contingat interdùm

dùm exire, aſſociare caute; juvenes de facili non exponere: maturos, & idoneos ad fructum faciendum, non permittere otio de facili torpere: inutiles ad fructum animarum, circa negotia, & officia domus occupare. Cùm autem tempus exirerit, quòd Fratres ad prædicandum, vel quærendum neceſſaria fuerint diſpergendi; eſt ei de hoc tractandum cum Fratribùs ſenioribus, & diſcretis. Summoperè verò illi, qui apti ſunt ad magna, vel officia Prioratuum, vel Lectoratuum, dare opportunitatem ad proficiendum in ſtudio: & ad hoc etiam compellere ipſos cùm fuerint negligentes. Sic agendo in ſimilibus, & diſſimilibus, modò privatè, modò publicè, modò dure, modò blandè, modò verbis, modò diſciplinis, modò pœnis, modò recreationibus, modò per ſe, modò per alios Fratres diſcretos agendo, modò licentias negando, modò concedendo dare debet ſingulorum, & Ordinis profectibus operam efficacem. In trahendis verò, & recipiendis Noviniis, tantam debet in Deo habere fiduciam: quòd nunquam propter onus domus, aut expenſas in veſtibus, ſi pauperes fuerint, repellat aliquos, qui ad Ordinem idonei reputantur. Nec rurſum debet ita eſſe facilis, quòd Ordo oneretur perſonis inutilibus, & veniat in contemptum. Nullum quoque debet licentiare ab Ordine, abſque Magiſtri, vel Prioris Provincialis licentia ſpeciali.

Circa Fratres aliorum Conventuum.

ITem Fratribus, & Conventibus vicinis, debet ſe ſavorabilem, ſi eo in aliquo indiguerint, exhibere: eis piè in eorum neceſſitatibus, in quibus poterit ſubvenire, bona aliqua procurare. Advenientes Fratres charitativè ſuſcipere, & tractare: & ſecundùm quòd eorum ſtatus requirit plus, vel minùs honorare. Quando verò de aliis Provinciis venerint lætiùs eos videre, & in proviſione eorum, quibus indiguerint, ut ſunt ſotulares, naulum, vel veſtes interdùm, & hujuſmodi: antequam cogantur petere, prævenire, & ipſos commodiùs recreare. Cavendum eſt tamen ne curialitatis cauſa ad hoſpites, Fratres ad hoc ſe extendant, ut in hoſpitio nimis ſine neceſſitate rationabili detineantur: vel quòd ibidem diſſolutiones fiant, vel quæ ſunt Religionis diſſipentur: quin potiùs ad Capitulum evocandi ſunt, & corrigendi charitativè, & ad ea ſervanda, quæ ſunt Ordinis inducendi, & ſi neceſſe fuerit, compellendi.

Circa Extraneos.

ITem laborandum eſt ipſi, ad amicos Ordini conſervandos, & multiplicandos, & habendam gratiam Prælatorum, Magnatum, Sacerdotum, Cleri, & Nobilium, & ſi fieri poteſt, omnium aliorum. Proinde debet omnes affabiliter recipere, eos etiam in ſuis negotiis honeſtis libenter per Fratres, & per ſe juvare, illorum aliquos magis interdùm viſitare, ad hoſpitalitatem aliquos magis familiares recipere, & invitare: & Fratribus eis notis aliquas licentias ſuper hoc cùm expedierit dare. In hoc tamen cavendum eſt, ne ſuperfluitates aliquæ, quæ paupertatem noſtram non decent, pro eis fiant: & ne ad tantam recipiantur familiaritatem, quòd infirma noſtra videntes minùs appretient, quòd antè in reverentia habebant. Providendum eſt ei cum diſcretione, qui inducantur in hoſpitium, & qui in refectorium, & quòd quando comedunt in hoſpitio pauci Fratres, aut interdùm nulli, cum eis comedant: cum autem in refectorio deputandi ſunt Fratres, qui eos aſſocient intrando, & exeundo, & eos collocent in ſuis locis. Hoc proviſo, quòd in menſa Prioris non ponantur paſſim perſonæ minores, nec mutetur ordo deferendi ſcutellas, niſi pro magnis perſonis, ficut ſunt Epiſcopi, Comites, & majores his: & nihilominùs ultima ſcutella feratur tunc Priori, & pro hujuſmodi perſonis, & non minoribus, in refectorio remaneat ad gratias. Alii verò in Eccleſiam ſequantur Fratres, vel alii Fratres ducant eos ad capitulum, vel ad locutorium: & ibi redditis gratiis, ducantur ad lotionem manuum in lavatorio. Majoribus verò, qui remanent in refectorio, miniſtretur ibi aqua ad lotionem prædictam poſt gratias, & poſtà ſecundùm morem patriæ, tam hi, quam alii prædicti ducendi ſunt ad hoſpitium, ad bibendum, vel ad capitulum ad loquendum: & quocunque ducentur habenda ſunt cum eis verba ſancta, & ædificatoria. Inſtruendi ſunt quoque ab eo ſervientes, & Fratres, ad quos ſupradicta pertinebunt, circa prædicta, & alia facienda: & providendum eſt, quod tales ſervitores tunc ponantur, qui omnia expedite faciant, & decenter. Cavendum eſt autem ne in menſa Prioris collocentur niſi perſonæ dignæ reverentiæ: nec etiam omnes hujuſmodi immediatè juxtà eum collocentur, niſi magna reverentia hoc exquirat: quod etiam ſtrictiùs ſervandum eſt circa Priorem Provincialem, & Magiſtrum, cum in illa menſa fuerint. Non debet autem cedere Magiſter loco ſuo, qui eſt ante campanam, niſi pro Rege, vel Cardinali, vel Legato, vel Epiſcopo, vel Electo. Pro Abbatibus vero, & Majoribus, ut ſunt Cluniacenſes, Ciſtercienſes, & ſimiles: Archidiaconis, & Decanis, Magiſter poteſt aliquantulum cedere, ita quod campana ſit inter utrumque. Priores vero Provinciales, vel Conventuales pro minoribus cauſis poſſunt cedere, primo, vel ſecundo modo: ita tamen, quod non ſine rationabili, & decenti cauſa.

Circa fructum animarum.

ITem ad officium ejus pertinet ſcire clare, & plene, & cum neſcit diligenter certificari ab aliis, cujuſmodi poteſtatem habeat Ordo in confeſſionibus audiendis, in prædicationibus, in diſpenſationibus, & in abſolutionibus circa Fratres, & aliis multis. Scire etiam cujuſmodi poteſtatem habeat ipſe ab Epiſcopo ſuo, vel Epiſcopis vicinis, circa confeſſiones, & abſolutiones tam pro ſe, quam pro aliis Fratribus: & quid in hujuſmodi poteſt committere Fratribus, & quid non. Et cavere debet ne ultra poteſtatem, quæ habetur, fiat aliquid à quocumque. Procurandum etiam eſt ipſi, quid, & quantùm, & quibus expediat in hujuſmodi committere Fratribus. Ipſos vero, qui novi ſunt Sacerdotes, vel etiam antiqui minùs inſtructi circa iſta, inſtrui diligenter, ne circa ſalutem animarum oberrent. Et licet quantùm rationabiliter fieri poteſt ſit ei zelandum pro animarum ſalute, tamen magis expedit pro Ordine, & Fratribus, quod minor potiùs fiat fructus, quam cum fructu multo fiant Fratres occaſio periculi, vel ſcandali; dum minùs idonei laxantur indiſcrete ad prædicandum, ad conſilia danda, & ad confeſſiones audiendas, & ſimilia.

Circa temporalia.

IN procurandis quoque temporalibus, ſive per ſe, ſive per Fratres, cavendum eſt ei quantum fieri poteſt, ne graventur homines notabiliter, & ne fiant quæſtus inhoneſti. Cogitandum quoque eſt ei, quod hujuſmodi ſic acquiſita, cum timore Dei, & parcitate congrua ex-

expendantur: ne propter negligentiam cuſtodiendi depereant, vel prodige conſumantur. In ædificiis vero nulla curioſitas, ſed ſola Fratrum commoditas eſt attendenda qualiſcumque, & Religionis opportunitas eſt ei quærenda. Et quia Fratres laici propter Fratrum, & Religionis ſervitia corporalia conceſſi ſunt in Ordine, non ſunt recipiendi, nec procurandi, niſi quibus neceſſario indigeant Fratres; et attendendum eſt ei, quod qui erunt in domo, omnes utiliter occupentur.

Circa familiam.

FAmilia quoque noniſi neceſſaria, & de cujus honeſtate, & fidelitate firma præſumptio habeatur, nullatenus eſt habenda. Circa quam providendum eſt etiam, ut ipſi habeant Fratrem inſtructorem, & correctorem, ut per ejus diligentiam apud Fratres proficiant in his, quæ pertinent ad ſalutem animarum ſuarum. Provideatur autem, quod non ſit notabilis in laicitia, vel ætate, vel pulchritudine, vel ornatu. Cum etiam recipiuntur, fiat eis proteſtatio, quòd Fratres nolunt eis tenere in aliquo, quin Fratres poſſint eos quandocumque voluerint, etiam ſine mercede licentiare, vel expellere: ſi ſibi à mortalibus peccatis non caverent, vel bona domus diſſiperent, quamdiù eſſent cum eis. Providendum eſt tamen ipſi, quòd illi, qui laudabiliter Fratribus ſerviunt, non fraudentur juſtà retributione: etiamſi Fratres ex pacto eis non teneantur: & quando incurrent infirmitates, vel impotentiam in ſervitio Fratrum, non expellantur, ſed charitativè cum illis agatur.

Caput IV.

De Officio Supprioris.

Circa Priores, & Majores.

OFficium Supprioris eſt, cùm inſtitutus fuit quærere diligenter à Priore, & retinere memoriter, cujuſmodi poteſtatem vult eum habere, ſive in præſentia, ſive in abſentia ſua, & non ultrà ſe extendere. Aliquando etiam eadem, quæ dicta ſunt de officio Prioris inſpicere, & notare quid ſibi convenire poſſit, ſive ratione officii Suppriorarus, ſive ratione Vicariæ, cùm Vicarius Prioris relinquitur, & illa cùm illis, quæ Conſtitutiones ſibi concedunt facere ſollicitè. Item ipſius eſt conſervare memoritèr mandata, & ordinationes Prioris Conventualis, Viſitatoris, Prioris Provincialis, Capitulorum Generalium, & Provincialium: & dare operam, quòd à Fratribus plenariè compleantur. Item ipſius eſt Priorem fideliter adjuvare: querulosorum, & turbantium alios, non ſe receptorem exhibere; & de his, quorum curam ei injunxit Prior, ut hoſpitum, vel infirmorum, & hujuſmodi, ſollicitè ſervare, vel curare. Ad ipſum etiam pertinet pacem Prioris erga Conventum, quantùm poteſt, procurare: & in factis ejus, quæ turbant aliquos, quantùm conſcientia permittit, ipſum apud alios excuſare: pro his quoque, quæ utilia ſunt Conventui, ſive corporalia, ſive ſpiritualia, apud ipſum intercedere; & gravamina, ſi quæ facit, eidem ipſi charitative oſtendere, & quandocumque occurrerit occaſiò inter Priorem, & Conventum, fidelis mediator eſſe. Ideo enim Supprior eſt, & ſuper alios, ut ſit mediator eorum. Ipſi etiam Priori debet majora quando emergunt reſervare, & quæ corrigere non valet ei denunciare, & de his, quæ agenda ſunt, vel corrigenda frequenter cum eo tractare. Item notabilia, quæ emerſerint in abſentia Prioris, debet eidem cum venerit referre, licet fuerint correcta, & circa ea, quæ fuerint facienda ab ipſo, cum fuerit oblitus, vel negligens, aut occupatus aliis, ipſum debet ſollicitare. Item ipſius intereſt ſpecialiter Viſitatorii, & Provinciali ſtatum Domus, & Fratrum, & Prioris enarrare fideliter: & ſuper his ſcribere Priori, vel Capitulo Provinciali, vel Generali interdum, cùm major neceſſitas hoc requirit.

Circa Conventum.

ITem ipſius officium eſt de Conventu magnam, & ſpecialem curam habere, & quaſi continue cum ipſo eſſe. Cum autem propter proceſſionem, vel funus, vel alios caſus emergentes fuerit convocandus Conventus, debet de convocando ipſo, & de ducendo, & reducendo diligentem curam habere. Providere etiam debet, quod non nimis citò, vel nimis tarde, ſed debito modo ſurgat; quod ſigna, quæ ipſum convocant, debito modo fiant: quod nunquam inutiliter moretur aliquid exſpectando: quod hora debita comedat, & intret dormitorium, quod nunquam ſine rationabili cauſa extraordinarie congregetur, & omnia fiant decenter, & ornate. Cùm autem in abſentia Prioris tractatur de Priore in Conventu, vel de aliquo; ſive tempore quo tractatur de mittendo ad Capitulum, ſive alio; debet ipſum regere, & inordinationes, & inſolentias, ſi quæ emerſerint, cohibere. Si autem aliqua ordinantur, quæ Priorem, & alios, qui non adſunt, non expediat ſcire, poteſt imponere, quod illud non reveletur. Hebdomadam etiam ſuam, ubi non eſt multitudo Fratrum nimia, debet in Conventu, ſuo tempore facere, & in Conventu ubique in ſiniſtro Choro primum locum habere: & in abſentia majorum ſigna facere in Choro, & in fine Horarum *Fidelium* dicere; & in abſentia Prioris, quæ dicta ſunt ſupra de Priore, ſupplere pro eo. Item debet habere curam, quod ſigillum Conventus cuſtodiatur: & quod nihil ſigilletur cum illo, niſi negotia Conventus.

Circa Religionem.

ITem ad ipſum pertinet, quòd Religio in Domu plenè ſervetur, & diſtrictè. Et ideò curare debet, & apud Priorem laborare, quòd habeantur in Domo bene correcta, & bene legibilia, Regula, Conſtitutiones, litteræ Magiſtri, Acta Capitulorum, & præcipuè admonitiones: & quod totum officium Eccleſiæ diligenter ſervetur. Ut autem per oblivionem non negligantur, debet ordinare communicato conſilio Prioris, ſi præſens fuerit, quod interdum cum plures Fratres interſunt, legantur Conſtitutiones, & litteræ prædictæ, aliæque Rubricæ de officiis, quorum notitia frequentiùs indigent Fratres. Debet etiam laborare, quod habeantur in domo vitæ Patrum, & liber Collationum, & hujuſmodi libri, ex quorum lectione proficiunt Fratres in Religione; & præcipuè juvenes ſollicitare, quod in hujuſmodi partem ſtudii ponant: & ordinare, quod in Refectorio in ſerò legatur: Item ipſius eſt advertere defectus, & offenſas, quas faciunt Fratres in quocunque officio in Conventu, vel qui aliquid de Religione omittunt, vel in aliquo reprehenſibiliter gerunt ſe: & ipſos quandoque extra Capitulum, quandoque in Capitulo accuſare, & corrigere. Item ſi dubietas de aliquo pertinente ad officium, vel Religionem inter Fratres oriatur, certitudinem debet habere à majoribus: & quod diffinitum fuerit, facere obſervare. Manifeſtos quoque errores, & inordinatos, qui fiunt publicè in Conventu ſtatim corrigere, maximè in abſentia majorum.

Circa

Circa Vacationem Prioratus.

ITem ipſius intereſt, vacante Prioratu, ad tractandum de Priore creando convocare Conventum, & cum conſilio Fratrum diem ad electionem Prioris aſſignare: abſentes vocandos vocare, ac dare operam, quòd bonus Prior eligatur. Ad Priorem Provincialem mittere garziones pro hujuſmodi negotio, vel alios, cum neceſſe fuerit, & à miſſione Fratrum quantum commode fieri poteſt, abſtinere. Item ad eum pertinet apponere curam, quòd Prior citò habeatur, & interim Conventum in bono ſtatu cuſtodiat: quòd pauca immutet, quòd nihil magnum interim attentet, niſi fortè magna neceſſitas, vel evidens utilitas hoc expoſcat, & conſilium magnum concurrat. Debet quoque Priorem cum aliunde venerit, vel ſtatum Domus, vel Fratrum ignoraverit, ſollicitè in hujuſmodi inſtruere, prout viderit expedire. Ipſique prout poterit, ſolatio eſſe, onera ipſius, circa primordia maximè, fideliter ferendo.

CAPUT V.

De Officio Magiſtri Novitiorum.

Circa ſe ipſum.

Officium Magiſtri Novitiorum eſt in primis inquirere à Priore, quam poteſtatem velit eum habere ſuper Novitios in confeſſione, & dandis licentiis de loquendo, & hujuſmodi: & in providendo eis in neceſſitatibus, quoad veſtes, quoad jejunia, & aliis hujuſmodi. Item quas licentias Generales vult ei dare ratione officii quoad perſonam ſuam, ſive de loquendo cum omnibus, ſive cum ſolis Novitiis: vel de intrando officinas, vel de remanendo ab horis interdum, & cavere ne licentias petat, vel recipiat, niſi quas rationabiliter reputat ſibi neceſſarias propter officium ſuum, & quod ipſis ad aliud non abutatur. Item diligentiam magnem apponere debet circa Novitios, ſciens quòd tota ſpes eorum Religionis, dependet ex informatione eorum primitiva. Se quoque eis ita amabilem debet reddere, quod ſit eis ex hoc occaſio libentiùs in Ordine remanendi. Item reſpicienda ſunt ab eo diligenter ea, quæ habentur in Conſtitutionibus ad eum ſpectantia, & complenda.

Circa ingreſſum Novitiorum.

ITem cùm aliquis debet ingredi, ducendus eſt ab eo in aliquem locum extra capitulum idoneum antequam intret Capitulum; & ibidem debet dicere aliqua verba ei conſolatoria, & inquirere de his, quæ in capitulo publicè ſunt inquirenda. Et ſi invenerit in eo aliquid de impedimentis, debet hoc notificare illi, qui habet eum recipere, antequam ulterius procedatur: & fiat tunc, quod ei videbitur faciendum. Si verò nihil talium invenerit, nihilominùs debet ei dicere, quòd hæc inquirentur ab eo in capitulo, & quomodò debeat reſpondere. Item ibidem debet eum inſtruere, quomodò ſit venia facienda in capitulo, deindè in choro, & ſi viderit expedire ei, ipſe Magiſter faciat, vel ab alio Fratre faciat fieri coram illo, ut melius ſic addiſcat. Item debet eum inſtruere quid debeat facere, vel reſpondere in capitulo, ad ea, quæ dicentur ei, ſecundùm quod ſcriptum eſt in Conſtitutionibus: & quid poſtmodum ſit ei faciendum in choro cùm illuc ducetur. Item debet eum docere quomodo in capitulo removebit veſtes ſeculares uſque ad tunicam, & providere, quod omnia pertinentia ad veſtes ſint parata in capitulo, antequam eum inducat: Poſtea debet eum introducere, & uſque ad locum veniæ ducere, & ibidem propè eum ſtare: & dirigere, ſi neceſſe fuerit in agendis, & juvare ad ipſum veſtiendum. Et egrediente Conventu ipſum ducere in fine, uſque ad locum veniæ antè Altare, & ibidem interim propè eum ſtare, quouſque finitis Orationibus fuerit erigendus ab ipſo. Quo erecto ducendus eſt ab ipſo, extracto aliquantulum caputio ad receptorem, & aquâ benedictâ aſperſus, ad oſculum recipiendus, & ab omnibus Fratribus, per choros diſcurrendo: & primò per dextrum, deindè per ſiniſtrum, ipſo Magiſtro eum ſemper ſociante, & in omnibus eum dirigente. Deindè ad locum tonſionum immediatè eſt ducendus ab ipſo: proviſo primò, quòd in hoc nullus ſit defectus. Facta autem tonſura, & raſura, poſtmodum citò hora competenti ducendus eſt ad locum, in quo deponat omnes veſtes ſeculares, & ſotulares; ut ſolum ea, quæ ſunt Religionis, deindè habeat. In remotione ſecularium veſtium, & indutione regularium, curialiter eſt inſtruendus.

Circa Profeſſionem.

POrrò, ut ſciatur quando ſit completus annus probationis, ſcribenda eſt ab ipſo dies receptionis: & appropinquante termino anni, animandus eſt ab ipſo ad profitendum, ſi viderit eum utilem pro Ordine, aliter non. Et cùm petierit recipi ad profeſſionem, antè diem profeſſionis petitionem ejus in capitulo proponere debet, & de eo cùm requiſitus fuerit, ſive pro eo, ſive contra eum, fidele teſtimonium perhibere: ita tamen quòd per teſtimonium, vel conſilium ſuum nulla mala ſuſpicio poſſit in cordibus Fratrum de ipſo generari: de aliquibus illorum malorum, ſi quæ ſunt, quæ ipſe per confeſſionem novit, & aliter, & ab aliis neſciuntur. Sanè cum recipiendus fuerit Novitius ad profeſſionem, aſſignanda eſt dies profeſſionis, & ante illam inſtruere eum in omnibus, quæ ei tunc fuerint agenda: videlicet qualiter venia ſit facienda, & ad verbum dicentis: *Quid petis?* reſpondendum eſt: *Miſericordiam Dei, & veſtram.* Et cùm erectus fuerit, & propoſitum ei fuerit de voluntate profitendi, quid reſpondendum? quomodò verba profeſſionis ſunt ei cordetenus retinenda, & quomodò flexis genibus inter manus recipientis ſunt dicenda: & quomodò antequam dicat illa, ſi vult petat quòd mutet ei in profeſſione alia vota, ſi quæ alia habeat. Deinde quomodò ſolus ille, qui recipit ad profeſſionem, poſt illum receptum, recepit eum ad oſculum pacis. Ad ipſum etiam pertinet providere, quòd aqua benedicta, & liber, in quo eſt oratio benedictionis veſtium, ſint in promptu, & benedicendam veſtem offerre benedicenti: & deinde profeſſo tradere (quòd non ſolet fieri niſi de ſcapulari) poſtmodum autem debet mittere profeſſum ad locum ſuum. Si autem viderit expedire, debet ſuggerere Priori, quòd adhuc ad majorem humilitatem, & informationem, ſit cum aliis Novitiis in capitulo eorum, & ſub cura ſua ad tempus: ſecundùm quod utilitas illius, & Ordinis requirit.

Circa repulſam.

ITem ipſius intereſt, cum aliquis minùs benè ſe habet in probatione, circa tempus profeſſionis conſulere, quòd adhùc ſtet in probatione, niſi omnino ſit certum, quòd nullatenùs expediat, quòd recipiatur, & hoc ad videndum ſi melius ſe habebit; cum proteſtatione tamen, quòd adhuc tanquam Novitius, & ſolùm ad probationem retinetur. Si ergo benè ſe poſtea habuerit, debet ipſi poſtmodum adjutorium præ-

ſtare,

ſtare, quòd ad profeſſionem recipiatur. Si autem non fuerit ſpes in proceſſu temporis, quòd benè ſe habeat, procurandum eſt ei tam apud Novitium, quàm apud Fratres, quòd recedat: & dandum eſt ei conſilium, & auxilium, quòd in aliqua Religione ſibi magis competenti ponatur. Non autem debet eſſe facilis ad repellendum, niſi magnæ cauſæ concurrant: & Fratribus minùs rationabiliter motis ad repellendum eum, prout meliùs poteſt, bono modo contrarium perſuadere, & pro Novitio ſtare. Nunquàm autem repellendus videtur invitus Novitius pro illiteratura, vel impotentia aliqua, vel deformitate corporali, & hujuſmodi defectibus, qui ab initio noti fuerunt Fratribus: nec propter infirmitatem ſupervenientem, niſi à principio receptioni facta fuiſſet proteſtatio expreſſa, quòd pro hujuſmodi caſibus, vel pro ſola voluntate, poſſent eum Fratres repellere ſi vellent. Cum autem recedere debebit, providendum eſt ſollicitè ipſi Magiſtro, quòd tam urbanè, & cautè, & occultè, & cum omnibus bonis ſuis, quæ portare voluerit recedat; quòd aliis non ſit ſcandalum, nec ipſe ſcandalizatus recedat, ſed potiùs quantùm fieri poterit ædificatus, & cum amore Ordinis, & Fratrum.

Circa Scholam, & Capitulum.

Item ad eum pertinet laborare, quòd aliquis locus ſequeſtratus, & remotus ab acceſſu ſecularium, & idoneus habeatur, qui ſit quaſi ſchola Noviriorum, ad quem ducendi ſunt, cum ipſe, vel alius Frater habuerit loqui cum eis de eorum neceſſitatibus, & de quocumque alio. In hoc loco inſtruendi ſunt in cantu, & legendo quæ neſciunt, addiſcere poſſunt. In hoc repetendum eſt ab eis quidquid habent legere, vel cantare in Conventu: & auſcultandum, & reddendum cordetenus illud, quod de Pſalterio, & divino Officio cordetenus ſcire oportet; videlicet Officium Mortuorum, & de Beata Virgine, Pſalmi de Horis diurnis, & Veſperarum per ferias. In hoc faciendæ ſunt eis admonitiones interdùm, vel collationes, vel collocutiones ædificatoriæ ab ipſo, vel Fratribus ad hæc gratioſis: ipſo procurante familiares collocutiones, & conſolationes. Cavendum tamen eſt ei, ne Fratres quicumque adjungant ſe eis ſua voluntate, niſi de ſua licentia, & quibus viderit expedire. In hoc etiam loco docendi ſunt de Regula, de Conſtitutionibus, de Officio, & aliis, quæ in docendo locutionem requirunt. In hoc etiam loco (ſi alius aptior non habetur) tenendum eſt eis capitulum: in quo cavendum eſt, quod Novitius per multos dies non accuſet ſe, nec accuſetur, quouſque multoties viderit quomodò alii ſe accuſant, vel accuſantur: nec moleſtandi ſunt in aliquo pro culpis, quas in primis incurrunt. Si verò non fuerit niſi unus Novitius, vel duo, mittendi ſunt aliqui de juvenibus profeſſis ad capitulum eorum, qui ſe accuſando multis diebus, exemplo ſuo eos doceant, quomodò ſunt hujuſmodi facienda. Cavendum eſt autem ipſi Magiſtro, nec in capitulo eorum aliquid fiat, quòd alicui verecundiam inducat: & quòd modus capituli ſcriptus in Conſtitutionibus bene ſervetur; quod magis informationi eorum intendat, quam punitioni culparum. Sunt etiam inſtruendi, quod ad locum capituli ſui conveniant, cùm in capitulo Fratrum dicitur: *Exeant Novitii*, ſi tunc debet eis capitulum teneri, vel alio tempore cum teneri debet: & quomodo finito capitulo recipiant diſciplinas, qui recipere debent. Et poſteà, vel alio certo tempore, & loco aſſignato ab eo, loqui de confeſſione. Cùm autem tanta fuerit multitudo Novitiorum, quod Magiſter non poteſt plene ſufficere omnibus, poteſt aliquibus magis novis, aliquos magis inſtructos aſſignare: qui circa eos curam habeant de aliquibus, prout eis videbitur expedire. Non tamen debet ita aliis imponere onus, quin ipſe nihilominus ſit frequenter cum eis, & eis quantum poterit intendat.

Circa neceſſitates.

Item ipſis Novitiis ſemper pie compatiens debet cogitare, quod competenter ſecundùm quod Ordo, & facultates permittunt, habeant neceſſitates in victu, in veſtitu, in lecto, in infirmitatibus, & in hujuſmodi: & diſpenſare quandoque cum neceſſitas fuerit in vigiliis, & facile in jejuniis Ordinis. Cavere etiam debet ne ſingularitatibus aliquibus in abſtinentiis, vel vigiliis, vel aliis afflictionibus indiſcretis, conterant corpus ſuum. Porrò circa paupertatem, & neceſſitates, quas interdum ſecundùm Ordinem oportet ſuſtinere, ſic debet eos animare, & ab omni ſuperflua recreatione retrahere, ut à principio quantum fieri poteſt aſperis aſſueti ſemper Ordinem tolerabilius ferant: & declinare, prout commode poteſt, ut cauſa recreationis ad commune hoſpitium, vel minutionem, vel infirmitorium (ubi interdum fiunt diſſolutiones majores) ſed alio ducantur. Et cum oportebit ducere illuc, habeatur cura ab ipſo, vel ab alio, quod tarde veniant, & cito recedant; & Fratres cauti reddantur, quod coram eis diſſolutiones non fiant. Ipſos quoque debet Novitios confortare, quod in quibuſcumque aliquo indiguerint, ad eum ſicut ad matrem recurrant. Et debet eos docere, ubi ſit lectus, vel cella ſua, ut ſi die, vel nocte ipſo indiguerint, ſciant, ubi poterunt eum invenire, & illuc ad eum recurrant. Debet etiam & docere eos, quomodo in neceſſitate in loco ſilentii per unam dictionem, vel imperfecte loqui poſſunt: & quomodo in hujuſmodi locis digito ori ſuperpoſito ſciant petere licentiam loquendi.

Quo ad membra ſua.

Item Ipſius officium eſt informare diligenter, & ſollicitè Novitios circa hominem exteriorem, & interiorem. Circa exteriorem, quo ad membra ſua, ut manibus caveant ab omni tactu indecenti, & ab injurioſo: pedibus à vagis, & incertis diſcurſibus, & ne intrent loca prohibita. Cùm ſederint ne coxas nimis disjunctas teneant, vel unam tibiam ſuper aliam ponant; cum maturitate incedant, nec ſe moveant de facili ad eundum ſine cauſa præmeditata. Cùm autem ſteterint, non ſicut arundo mobilis, ſed potiùs appareant ſicut fixi ſuper gradum ſuum. Oculis quoque caveant ab intuitu rei, quam non licet concupiſcere, à vagatione, ab hauſtu vanitatis, & aſpectu turpi, & curioſo. Linguam aſſueſcant refrænare, licet invitam, & libentiùs audiant quam loquantur. Cum autem loquendum fuerit, pauca ſint verba, & priùs ad limam quam ad linguam veniant. Omnibus autem cum reverentia loquantur: per pluralem dicendo potius *vos*, quam per ſingularem *tu*: unquam de Fratre, vel Fratribus loquendo vocent eum ſine additione hujus nominis *Frater*, nec nomen novum imponant Fratri, vel impoſitum recitent ullo modo, nec aliquid cum juramento quantumcumque levi, more ſecularium proferant. Cùm autem majoribus loquuntur, ſemper caputium extrahant: vultum non triſtem habeant, ſed jucundum moderate. Os ad cachinnos, vel ad riſus diſſolutos pronum non habeant, licet ad riſus mediocres ipſum interdum aperiri ſit tolerabile. Cervicem, & collum erectum non habeant, ſed potiùs mediocri-

ter inclinatum. Iram, vel impatientiam in vultu, vel actu aliquo non oſtendant: Supercilia non erecta, ſed potiùs depreſſa habeant. Aures, non ad rumores ſeculares, & otioſa, ſed ad ea, quæ Dei ſunt, & ſalutaria faciles, & veloces habeant. Nares ad fœtores aliquos ſi occurrant, non ſicut delicati cum ſcandalo intuentium nimis notabiliter obturent; ſed pro odoribus, in quibus malè delectati fuerant in ſeculo, iſta in pœnitentia patienter ferant. Quòd in faciendo venias non proſternant ſe ſuper ventrem, ſed ſuper latus, & in longum, tibiam unam ſuper aliam tibiam tenendo. In proſtrationibus verò ſuper cubitos ſe appodient innctis manibus ſtando. In inclinationibus verò uſque circa genua caput deponant. In genuflexionibus, ſtent ſuper genua capite elevato.

Quo ad veſtes.

ITem quo ad veſtes informandi ſunt, ut eas diligenter ſecundùm modum Religioſum, non laſcivum ſibi coaptent, in omni loco, & tempore providentes, quod inferiores tunicæ non appareant ultrà ſuperiore, & quòd tunicæ non nimis ſint ſuccinctæ, aut breviatæ notabiliter, & maximè cùm tranſeunt per villas. Quòd cappa, vel caputium non ſint ultrà formam Conſtitutionum longa: in Conventu, & in quocumque loco, caputium non nimis ſuper oculos habeant: quod ad cameras è contrario vadant, & ſtent capite cooperto. Quòd in cameris ſedendo veſtes circa ſe non nimis elevent: ſed potiùs ſe ipſos honeſtè cooperiant. Quod in diſcalceando, & calceando ſe ſotularibus, aut caligis, tibias non nimis elevent. Quòd ubicunque ſedeant, caveant ne veſtes eleventur. Quòd cùm tunicas deponunt, retento caputio per aperturam tunicam ſuperiorem, vel inferiorem ſi voluerint deponant. Et quòd cùm intrant lectum, aut ſurgunt, vel ad miniſtrandum in Altari ſe parant, nunquam, ſine caputio in capite appareant. Quod in Conventuali loco diſcalceati, vel in caligis, vel ſoccis, ſine ſotularibus nunquam vadant. Quòd ſedendo, vel inclinando, cappam ſuper genua complicent, vel caputium, cùm fuerint ſine cappa. Quòd in loco Conventuali, nunquam deferant ad modum mantelli cappam. Quòd in raſura, & lotione capitis, caputium inverſatum retineant, & in lotione pedum nunquam ultrà genua ſe diſcooperiant. Quòd ad primam tunicam cingulum, & cordam pro bracali habeant. Quòd ad diſciplinas ſe parando, cincti corrigia retenta, & cappa, & caputio, vel caputio ſolo pro tempore, ſuperiores partes tunicarum cadere primò permittant, & poſtea cappam, vel caputium ſuper caput replicent. Quòd cappellum nunquam ſine neceſſitate ferre aſſueſcant, & quando ferunt vile ſit: & quòd nunquam in loco Conventuali extra caputium appareant. Quò provideant ne pelliceum per collum, vel alias appareat unquam Quòd ad extraneos cum bottis magnis nunquam vadant, & de die ſine neceſſitate nunquam ferant: quòd cùm jacent, caputium, vel in capite retineant, vel ipſo caput cooperiant, & quòd ſic ſemper ſe cooperiant, quòd aliquid indecens in eis videri nunquam contingat. Quòd lectum poſtquam ſurrexerint decenter cooperiant, & quòd ſubtus, vel circa, nihil appareat, quòd videri, vel non deceat, vel non expediat. Quòd lectiſternia, & veſtes munde cuſtodiant; & non ſub lecto, ſed in loco honeſto alio replicata reponant, & interdùm excutiant, & tempore ſuo ad lavandum tradant, & de modo excutiendi doceantùr. Quòd cum ſerviunt in Refectorio, vel Hoſpitio, cappam deponant. Cùm autem in lavandis pedibus, vel capitibus occupantur, honeſtè ſe ſuccingant, caputii prima parte cum corrigia ligata. Quòd ad lectum, vel cellam alterius, ſine cauſa valde neceſſaria non accedant. Quòd veſtes, vel ſotulares (cum alii indigent) habita licentia libenter concedant. Quòd abjectas, & humiles veſtes cariùs complectantur. Quòd quando novæ dantur, veteres ſemper reddant, & quæ ſunt ultrà numerum in Conſtitutionibus expreſſum.

Circa loca, & primo de Choro.

ITem ad officium ejus pertinet inſtruere eos circa loca, quæ eis licet intrare ſine licentia, quæ non; & quando fiunt ſigna, ad quæ loca debent convenire ſecundùm varietatem ſignorum, ſive ad Eccleſiam, ſive ad Capitulum, ſive ad ſcholam, ſive ad Refectorium, ſive ad collationem, ſive ad repetitionem officii, ſive ad infirmitorium cùm infirmi fuerint, & hujuſmodi. Item quòd nunquam ſe ingerant inter Fratres colloquentes, niſi vocati fuerint, aut adducti. Quòd in omni loco ubi Conventus fuerit congregatus, religioſiùs, & maturiùs ſe gerant, & in Choro præ cæteris, præcipuè quando miniſtrant ibi in aliquo officio, vel quando fiunt admonitiones, adorationes ſolemnes, ut in die Paraſceve ad adorationem Crucis; vel oblationes, ut in feſto Purificationis cùm cærei offeruntur, & hujuſmodi, & maximè vero tempore communionis; circa quæ, & ſimilia inſtruendi ſunt, quomodo ſe habeant ſecundùm formam traditam in Ordinario, cujus Rubricæ ad hæc pertinentes ſuis temporibus ſunt eis exponendæ, & addenda, quæ in illis minus plenè continentur: ſicut eſt, quòd mappam cum duabus manibus urbanè ſub mento applicent, quòd recepta hoſtia terram non oſculentur, ſed ſolùm aliquantulùm caput inclinent, & recedant ad locum, ubi flexis genibus hoſtiam conſumant; qua conſumpta ad calicem cum reverentia accedant, & alia ad hujuſmodi pertinentia ordinatè faciant, & honeſtè. Docendi ſunt etiam, quos libros, & quibus horis ad Chorum deferant, & ut finitis horis reponant eoſdem decenter: & quomodo de nocte candelas pro abſconſis accendant tempeſtivè, & ad libros ipſas teneant; caventes, ut poterunt, ne lumine lædant oculos aliorum, & cum aliis diligenter cantent, & pſallant.

Circa Refectorium.

ITem inſtruendi ſunt circa Refectorium, quomodo lavandæ ſunt manus: ad quod cùm primo debent venire, veſtes replicent, ne eas deturpent, & ubi lotis manibus ſedeant. Quomodo intrantes Refectorium, ante imaginem quæ eſt ante menſam Prioris aliquantulùm inclinent. Quòd in prandio, vel cœna ordinatè intrent, & ſedeant, & exeant ſua loca tenentes. In collatione verò non exigitur iſtud. Quòd collocantes ſe ad ſedendum, non nimis unum ſuper alium ſe comprimant: ſed tantum ſit ſpatium, quòd competenter in illo valeant excreare. Quòd ſe collocent ante præparatam aliquam portionem. Quòd non nimis citò poſtquam ſederint ad modum ſecularium comedere incipiant, ſed cum maturitate, mappa explicata, & pane inciſo. Quòd panem, vel aliam pictantiam ſuperfluè non ſcindant, vel in fruſta comminuant, ſed ſolum quantum comedent. Quòd paraturas panis notabiles non faciant. Quòd vinum (niſi temperatum fuerit) temperare aſſueſcant. Quod à deturpatione manicarum, & cappæ, vel mappæ nimia, caveant. Quòd pro modica effuſione vini, vel aquæ, vel aliis hujuſmodi minimis, in fine veniam fa-

cere

cere non oportet. Quòd ſingularitates in comeſtione non faciant: ſed comedant, quod apponitur cum gratiarum actione; & ſi aliquod genus ciborum non conſueverint comedere, aſſueſcant, ut poſſint inconſueta comedere Quòd ſcutellas, quando comederint quod placebit, ponant in loco apto miniſtris ad tollendum. Quòd oculos vagos ad reſpiciendum quid alii faciant, non habeant. Quòd circa finem menſæ advertant quando alii finiunt comeſtionem, ita ut eos in protrahendo comeſtionem exſpectare non faciant. Quòd cum alii replicare mappas cœperint, & ipſi replicent decenter: ſemper reliquias, & panem removendum anteponant, vel ſervientibus diſcurrentibus ad tollendum, in caniſtro eorum projiciant decenter. Quòd etiam prædicta, & alia hujuſmodi, quæ ad honeſtatem pertinent, ſervent etiam alibi ubicumque eos comedere contingat, & magis quando ſeculares contigerit intereſſe. Quod (niſi forte aliquando data fuerit licentia loquendi ab aliquo, qui hoc poſſit,) nihilominus ſervent ſilentium, aut valde parum loquantur.

Circa Locutorium.

ITem inſtruendi ſunt, quod ad locutionem, vel ad locum alium loquendi, facile non vadant, niſi vocati fuerint, vel ex aliqua cauſa rationabili, & præmeditata. Tolerabile eſt autem, ut interdum vadant illuc ad horam, propter tollendum faſtidium, vel aliquam recreationem habendam, ſed cum licentia, & ſpeciali ad hoc Socio deputato; qui ad recreationem honeſtam eis faciendam idoneus reputetur. Verùm in hujuſmodi locis non eſt loquendum de facili, niſi ſedendo, & ſine clamore: & nunquam eſt coram Novitiis diſputandum, vel contentioſe loquendum; ſed de aliquo utili quærendum, vel conferendum. Si autem ad ſeculares vocati fuerint, nunquam ſine licentia ſpeciali, & Socio ad hoc deputato, eſt ad eos eundum. Cùm autem ſunt cum eis, debent dare operam, ut eos ædificent, religioſe, & mature ſe habendo: vultus hilaritatem prætendendo, de rumoribus non curando, verba ſalutaria inſerendo, eos ſi perverſi fuerint reprehendendo, & mala quæ fecerint deteſtando, & eis de religione, vel pœnitentia potiùs perſuadendo, & periculum ſtatus ſecularis oſtendendo. Non autem eſt immorandum cum eis in quacunque locutione, ſed inventa curialiter aliqua occaſione recedendum eſt feſtine. Item docendi ſunt quod ſemper libentius morentur in clauſtro cum Fratribus, quam extra cum ſecularibus. Item quod libentius in clauſtro morentur in loco ſilentii, ut ſunt cella, oratorium, & hujuſmodi, quam frequentent locutoria. Item quod libentiùs interſint in locis omnibus cum Conventu, quam extra in locis aliis extra Conventum, ut ſunt hoſpitium infirmitorium, & hujuſmodi. Item quod libentius declinent ad loca, ubi ſunt maturi, & religioſi aggregati, quam ubi ſunt diſſoluti, & leves. Item quod libentiùs currant ad loca in quibus audiuntur utilia, ut ſunt ſcholæ, & locus collationum; quam ad alia in quibus contigit interdum audiri inutilia, ut ſunt hortus, & plateæ curioſorum. Item quod libentiùs veniant ad loca, in quibus in aliqua actione ſalubri occupantur, ut eſt lotio pedum vel veſtium; quam inutiliter diſcurrant per Domum. Item quod plus diligant loca, in quibus exercentur magis utilia, ſcilicet pertinentia ad Religionem, & virtutem, ut eſt Capitulum, & Oratorium; quam alia in quibus minùs utilia, & pertinentia ad ſcientiam, vel corporis neceſſitatem, ut ſunt ſcholæ, Infirmitorium, & Refectorium, & hujuſmodi.

Circa tempus.

ITem inſtruendi ſunt circa tempus, quod ipſum non ſolùm quando ſunt in occupationibus Conventualibus, ſed etiam totum reſiduum utiliter expendant. Et ideo inter duo ſigna poſt dictum Officium de B. Virgine, & quandocumque Conventus congregatur, vel congregatus aliquid expectat, & intrando lectum, & ſurgendo, vel in lecto cum jacentes dormire non poſſunt; vel cum ſpatiando per hortum, vel clauſtrum deambulant ſoli, & hujuſmodi ſimilibus temporibus, debent aliquas orationes dicere, vel aliquid ſalubre meditari. Similiter, tempus quod eſt inter gratiarum actiones, & dormitionem in æſtate poſt prandium, in oratione, vel lectione, vel aliqua actione utili ſub ſilentio occupent. Item tempus quodcunque conceditur ad loquendum, ſi in hoc recreare moderate voluerint, reddere ſibi utiles recreationes hujuſmodi ad finem debitum dirigendo: videlicet ut fortiores ex hoc reddantur ad Ordinis actiones, & ſervitium Creatoris, vel in hujuſmodi recreationibus de repetitionibus lectionum, diſputationum, vel ſermonum, vel aliis utilibus cum aliis pertractando, vel dum his vacant, aliis, vel aliquibus quæ ſibi agenda ſunt; ut ſi habent aliquid facere in veſtiaria, vel ſimilibus, tunc intendendo. Sunt etiam docendi, quòd in cella nunquam ſint otioſi, ſed legant, aut ſcribant, aut orent, aut meditentur utilia. Item juvando Fratres in quibuſcumque officiis, vel ſervitiis libenter occupentur. Quòd non de facili, otioſi diſcurrant. Quòd aliqua mechanica, quæ neſciunt, ut ſunt ſcribere, qui neſciunt, vel ſimilia interdùm addiſcant. Quod ad officium mortuorum extraordinarium libenter remaneant. Quòd in itinere rumores, & otioſa declinent: ſed de aliquo utili quærant, vel conferant cum ſocio, vel cum aliis, cum quibus fuerint, ſive in Domo, ſive in via; quòd aliquem librum ferant, in quo cùm non meliùs fecerint, & vacaverint, ſemper legant.

Circa ſervitia.

ITem ipſius eſt inſtruere Novitios, quomodo ſervire debent in Miſſis privatis, in miniſterio Altaris, in Conventu, & incenſando Chorum: in Refectorio, & hujuſmodi, tàm in ſpiritualibus, quàm corporalibus ſervitiis diverſis; ſecundùm quòd in Rubricis, & in deſcriptionibus officiorum diverſorum continetur, & addat, quòd minùs continetur in illis. Sunt etiam animandi, quòd libenter in hujuſmodi ſerviant, vel ſuppleant vices Fratrum cum fuerint requiſiti, & præcipuè in magis humilibus, ſicut eſt lotio pedum, mundatio Domus, lotio veſtium, ſerviri infirmis, parare mortuos, & hujuſmodi. Cavendum eſt tamen ei, ne de facili occupentur in ſervitiis extra Conventum, propter diſſolutiones, quas faciliùs videre ibidem poſſunt.

Circa reverentiam.

ITem inſtruendi ſunt, quòd reverenter ſe ſemper habeant, & ubique. Quòd quando tranſeunt antè imaginem aliquam, vel Altare, vel alia ſacra, inclinent, & caputium extrahant aliquantulum. Quòd in Officio Divino dicendo extrà chorum reverenter ſe gerant, cum maturitate dicendo: quod dicendum eſt ſollicitè providendo, in nullo alio ſe occupant, & humiliter inclinationes, & proſtrationes bono modo faciendo. Quod non ſolùm Prælatis ſuis, immo etiam omnibus honorem exhibeant, & præcipuè ſenibus Sacerdotibus, Prioribus in Ordine, ſanctitate famoſis, & hujuſmodi, prout variæ conditiones requirunt. Fiat autem reverentia hæc multis modis: ſcilicet cùm tranſeunti

eunti aſſurgitur, cùm ante alium non nimis propè tranſitur, cùm ante alium inclinatur, aut genuflectitur; cum ſedenti decenter aſſiſtitur, cùm juxtà ſedentem ſedere volens aliquantulum à longè ſe collocat, vel ſedere volenti ſedens aſſurgit, vel cedit, vel loqui volens antè alium extrahit caputium, vel in humili ſervitio miniſtrat; vel alium in via, vel in omni verbo anteponit, vel cùm præire in aliquo cogitur, cum reverentia hoc facit, & aliis variis modis, quæ ſecundùm plùs, & minùs ſunt exhibendæ diverſis, & præcipuè Prælatis, non ſolùm Ordinis, ſed etiam Epiſcopis, quibus ſecundùm conſuetudinem regionum ſunt interdùm manus oſculandæ, vel genuflexiones faciendæ, ſimiliter Regibus, & Magnatibus.

Circa Confeſſionem.

ITem inſtruere debet eos circa Confeſſionem, quomodo plenè, & benè confiteri ſciant, ſupplendo cùm neſciunt per interrogationem de peccatorum generibus, & circumſtantiis: quod, & de quibus circumſtantiis debeant confiteri. Item quando recordantur, vel advertunt in ſcripturis aliquod peccatum, quod ante neſciebant, vel quod non ſunt confeſſi, vel aliquod de novo occurrerit in cogitationibus, vel omiſſione alicujus eorum, quæ ſunt de Ordine, & ſimilibus: debent citò venire ad confitendum iſta. Item quando poſſunt ſcribere confeſſionem, ut per ſcriptum meliùs ſciant quando erunt, plenè & benè confeſſ.

Item attendendum eſt ei, quod det eis bona conſilia, quomodò expediantur de reſtitutionibus, de irregularitatibus, de votis, ſi iſtis fuerint irretiti. Item & docendi ſunt, quod in confeſſione nihil celent, nec de præteritis, nec de emergentibus, nec de tentationibus quibuſcumque, nec de viſionibus, aut viſitationibus ſibi accidentibus, nec de ſingularitatibus, ſi quas ſupra alios facere voluerint: & quod ſuper his, & ſimilibus ſemper credant Magiſtro ſuo, ne fortè aliquo modo decipiantur. Item cum fuerint nimis ſcrupuloſi, quomodo non oporteat eos de aliquibus, vel timere, vel confiteri: cum autem fuerint negligentes circa confeſſionem, quod certo, & aſſignato tempore confiteantur. Item quomodo venientes ad confeſſionem debent facere veniam, & dicere *Mea culpa*: & erecti flexis genibus, inclinato capite, & procumbentes, extracto caputio incipere debent, dicendo: *Confiteor Deo Omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini, & B. Dominico P. N. & omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatiòne, locutione, opere, & omiſſione, mea culpa*, vel cauſa brevitatis, ſic dicere: *Mea culpa, ego peccavi in hoc, & in hoc*, & in fine dicere: *Et in multis aliis, mea culpa, precor te orare pro me*; & recepta pœnitentia, & abſolutione, & completa inſtructione, ſi in aliquo Confeſſor eum inſtruere voluerit, ſurgere debet, caputium reponendo ut primo. Item quod nunquam cum conſcientia alicujus peccati mortalis ingrediantur lectum de nocte, vel accedant ad Sacramentum aliquod, vel miniſterium Miſſæ, ſive in Conventu, ſive in privatis Miſſis, niſi prius confiteantur. Item quod non confiteantur, niſi Magiſtro ſuo, vel Priori, ſine licentia ſpeciali. Item quod quando per primam Confeſſionem generalem non eſt eorum conſcientiis ſatisfactum plenè, poſſunt ſecundo, vel pluries Confeſſionem generalem iterare, ut tunc eis pleniùs ſatisfiat, cum ſciunt melius confiteri.

Circa Orationes.

ITem circa Orationem debet eos inſtruere, quod non ſolùm Pſalmos, vel orationes formatas debent dicere: immò ſecundùm varias neceſſitates modo pro peccato, vel offenſa aliis, vel talibus remittendis, vel cavendis, vel pro talibus defectibus tollendis, vel talibus gratiis, aut virtutibus conferendis, & ſimilibus devotè ſupplicare. Item, quod orationi ad contritionem, vel devotionem incitandam potiùs debent intendere, quam in multis dicendis laborare. Item non ſolum ſui, ſed etiam parentum, & amicorum, familiarum, & benefactorum, & etiam peccatorum, & infidelium Deum ignorantium, aliorum qui adhuc longe ſunt à Deo, & per diverſa detinentur peccata, debent memores eſſe. Item tempora otioſa debent in aliqua oratione occupare, & aliquem locum ad hoc idoneum in Eccleſia eligere: vel ante Altaria ſingula diſcurrendo ibidem, ad quodlibet aliquam orationem facere ſpecialem, vel in quocumque loco facere idem. Item, quod in orationibus communibus magis, quam in privatis debent confidere, & illis libentiùs intereſſe: ſive in Horis, ſive in privatis poſt Completorium, poſt Matutinas, & quod ad hæc benè, & devotè dicenda, debent magnam curam adhibere; & quod ante plenam terminationem Horarùm, vel gratiarum, è Choro ſine neceſſitate non recedant, nec etiam ipſis terminatis, niſi priùs aliquantulùm orent, vel Deo ſe commendent. Item, quod cum legendo, vel audiendo intelligunt aliqua, in quibus peccaverunt, vel omittendo, vel committendo, vel aliqua bona, quæ eis deſunt: debent in ipſa lectione converti ad orationem, pro malis amovendis, vel bonis adipiſcendis. Item quomodo in perplexitatibus, dubiis, & tentationibus, & difficultatibus, & in principio novarum actionum ad orationem recurrere: & quomodo pro malis quibuſcumque, quæ vident, vel audiunt, tollendis, vel remittendis aſſueſcere ſupplicare, & pro bonis gratias agere, & in omnibus tam proſperis, quam adverſis, ſemper Deum laudare oporteat. Item quomodò laborare debent, ut in his, quæ dicunt orando, cor verſetur; quod ſi non ſemper fecerint, non tamen debent propter hoc deſperare, quin orationes ſint fructuoſæ; nec propter impugnationes, quas acriores interdùm ibi facient inimici, debent eis cedere, & orationes dimittere. Item, quod in orando non debent ſe ſuper ventrem, nec ſe totos extendere, vel caput nimis inclinatum tenere: ſed potius ſtando ſuper genua, erecti, vel aliquantulum incurvati orare debent.

Circa Studium.

ITem inſtruendi ſunt ab ipſo circa ſtudium, quod ſecularibus ſcientiis neglectis, ſe totos transferant ad divinas: & inter alias à principio magis vacent utilibus, & planis, quàm ſubtilioribus, & obſcurioribus; & præcipuè illis, quæ utiliores ſunt ad informationem, & inflammationem ipſorum, ut ſunt Meditationes B. Bernardi, S. Bonaventuræ, & Divi Anſelmi: Liber Confeſſionum S. Auguſtini: Collationes, & Vitæ Patrum, & Dicta eorum: Paſſiones, & Legendæ Sanctorum. Epiſtola ad Fratres de Monte Dei: D. Bernardus de gradibus ſuperbiæ. Item Lib. de diligendo Deum. Et Libri Fr. Ludovici Granatenſis. Item Tractatus de vitiis, & virtutibus, & ſimilia. Item, quod potius intendant pauca ſapere, & memoriæ commendare, & circa illa ſe afficere, & ſe informare, quam multa legere. Item quandocumque alia audiunt, vel legunt, conſiderent,

ſi

ſi poſſint ſibi ad aliquid valere, & inde aliquam ædificationem trahere. Item, quod ſemper libenter audiant, & ad docendum non feſtinent. Item, quod quando incipiunt facere collationes, vel ſermones, potiùs ſtudeant circa bonum modum dicendi, & utilem materiam, quàm circa multitudinem verborum: & quod ſemper multitudinem caveant, ſive in audiendo lectiones plures, & nimias, ſive in legendo nimis: ſive in ducendo multa in collationibus, & in ſermonibus, & lectionibus, ſi quandoque contingat ipſos Lectores fieri. Item, quod nunquam ſic ſint ardentes circa ſcientiam, quod propter ſtudium negligant ea, quæ ſunt Religionis, vel virtutum, vel charitatis. Item, quod nunquam de libris, & ſcriptis ſuis ſint avari, ſed libenter illa aliis communicent; & quod nunquam confidentiam de ſciendo aliquid ponant in ſcriptis, ſed potius ingenium, & memoriam excitent ad ſciendum cordetenus quidquid poſſunt.

Circa Meditationes.

ITem circà Meditationes inſtruendi ſunt, quod tempus interdum expendant: vel cum ſunt in via, vel cum per clauſtrum, vel hortum, vel alibi per Domum quaſi ſpatiando deambulant; vel cum ſunt in orationibus ſecretis, vel in cella, vel in lecto vigilando quieſcunt. Sunt autem Meditationes hujuſmodi habendæ quandoque circà Dei beneficia generalia, vel particularia: quandoque circa peccata ingratitudinis humani generis generalia, vel propria: modo circa opera creationis, modo circa opera Redemptionis, ut eſt Incarnatio, Paſſio, & hujuſmodi; modo circa præmia bonorum, modo circa pœnas malorum: modo circa vindictas jam factas, modo circa miſericordias exhibitas, modo circa creaturas, modo circa ſcripturas, modo circa proprios defectus: modo circa profectus, modo circa fallacias dæmonum, modo circa miniſteria Angelorum, modo circa exempla Sanctorum, modo circa perverſitates perverſorum, modo circa ſtatum ſuum interiorem, modo circa exteriorem: modo circa facta recogitando, modo circa facta faciendo, modo circa Dei omnipotentiam, modo circa ejus ſcientiam, modo circa bonitatem, modo circa ſeveritatem, modo circa ejus miſericordiam, modo circa juſtitiam, modo circa judicia manifeſta, modo circa occulta. Sunt autem in hujuſmodi, & ſimilibus, diverſæ trahendæ affectiones, modo ſpei, modo timoris, modo doloris, modo gemitus de malis, modo ſuſpiria ad bona, modo admirationis, modo exclamationis, modo gratiarũ actionis, modo ſupplicationis: modo verecundiæ, modo reverentiæ, & hujuſmodi, quæ per experientiam meliùs, quam per doctrinam addiſcuntur.

Circa alia exercitia multa.

ITem inſtruendi ſunt, quòd de viſionibus videndis, & miraculis faciendis non curent, cùm hæc parùm valeant ad ſalutem, & interdùm in his homines illudantur; ſed potiùs curent de virtutum operibus, in quibus ſalus conſiſtit. Item, quòd ſi conſolationes divinas, quas audiunt alios recipere, non habent, non indè contriſtentur; ſed ſciant hoc interdùm ex cauſa ſubtrahere pium Patrem. Item, quòd ſi compunctionis, vel devotionis gratiam non habent, non ex hoc reputent ſe non eſſe in ſtatu bono: dummodò bonam habeant voluntatem, cùm ipſam ſolùm reſpiciat Deus. Item circà conſcientiam dirigendi ſunt, quod ipſi purgandæ, curam magnam habeant, & opponant: quòd non nimis ſcrupuloſam, vel audacem habeant, quod contra ipſam nihil faciant, quod erroneam ad conſilium deponant. Item intentionem in omnibus operibus ſaltem à principio ad Deum erigant, & vana ſi quando advenerint, abjiciant. Item, quod nullam affectionem carnalem ad aliquam perſonam habeant ſuſpectam, vel in ſe diù durare permittant: & quod caveant ne affectiones ſanctæ in carnales tranſeant. Item quod propriam voluntatem frangere aſſueſcant, ſenſum ſingularem penitùs dimittant, privatum amorem ad aliquid nunquam habeant. Item, quod in omnibus obedientiam præponant, & propter ipſam omnia alia etiam bona dimittant. Quod tam ſibi, quam aliis in melioribus bonis, quàm minoribus libentiùs vacent, & intendant. Quod virtutes eorum, quos audiunt laudabiliùs vivere, diligenter notent, & imitentur pro poſſe. Quæ autem ſuprà ipſorum vires, vel naturam ſunt, potiùs admirentur, quam imitentur. Quod ſuper lapſus aliorum non indignentur, ſed compatiantur, & ſibi à ſimilibus timeant. Quod de factis aliorum non cogitent, nec de domus negotiis ſint in aliquo ſolliciti, ſed tantummodò de ſe. Quod omnia agant cum diſcretionè, quæ ſumme conſiſtit in hoc, ut non ſenſu ſuo ſe regant, ſed alterius, & maximè Magiſtri ſui. Quòd ea, quæ audiunt in ſcripturis de virtutibus, & operibus à Deo acceptis, ſtudeant exercere; & vitia, ſeu mala, quæ quotidiè in ipſis ſcripturis plus, & plus cognoſcunt, diligenter cavere.

CAPUT VI.

De Officio Magiſtri Converſorum.

AD Officium Magiſtri Converſorum pertinet ſcire à Priore, poſtquam impoſuerit ei iſtud Officium, qualem vult eum habere poteſtatem ſuper eos: ſive Novitios, ſive Profeſſus, ſive in confeſſionibus audiendis, ſive in licentiis dandis, ſive in corrigendis exceſſibus. Item reſpicere diligenter, quæ prædicta ſunt de Officio Magiſtri Novitiorum, & illa, quæ de illis ad Converſos, ſive Novitios, ſive Profeſſos pertinere poſſunt, notare, & circa illos executioni mandare. Item debet eiſdem exponere de Regula, & Conſtitutionibus, quæ ad eos pertinent: & ea, quæ dicuntur in Actis Capitulorum Generalium, vel Provincialium, vel in Capitulo Conventuali, vel à Priore Conventuali, vel à Priore Provinciali, vel Viſitatoribus, vel à Suppriore, vel Vicariis ipſorum, ad hos pertinentia ſollicite retinere, & iiſdem notificare, & obſervanda imponere: & *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & *Credo in Deum*, cùm neſciunt docere, non in ſcriptis, ſed cordetenùs. Item debet eis tenere Capitulum tempore, & loco ad hoc à Priore aſſignato, & accuſationes Fratrum Clericorum, quas in capitulo ſuo, vel extra de eis faciunt retinere: & eos ſuper his in capitulo proclamare, & Fratres Clericos, qui interdùm ad capitulum eorum propter hoc veniunt, recipere ad accuſandum, & exceſſus majores Priori relinquere ad corrigendum. Ipſum quoque Priorem Conventualem invitare frequenter ad tenendum eis capitulum: & tam ipſum Viſitatorem, quam etiam Priorem Provincialem (cùm ad domum veniunt) de corrigendis circa ipſos, debet inſtruere. Item ſtudium debet apponere, ut fiant eis exhortationes utiles, & ad ſtatum ſuum pertinentes: ſive ſermones, ſive collationes, ſive per alium, ſive per ſe: ita tamen quod pauca ſemper dicantur eis una vice. Procurare etiam debet, quod ſit aliquod ſignum in Domo, per quod convocentur, vel ad ſuum Capitulum, vel ad Capitulum Clericorum, ſecundùm diverſitatem ſignorum: & cùm vocandi fuerint, debet illa ſigna facere. Accuſationes quoque eorum contra Clericos (ſi quas habent) debet ex par-

te ipſorum in Capitulo Clericorum facere, & moleſtatores eorum accuſare, & ab injuriis aliorum prout poteſt defendere: & cum irrationabiliter aliqui inſurgunt in eos, in Capitulo, vel extra quantum poteſt cum bona conſcientia, eorum innocentiam oſtendere, & in ſua juſtitia ſemper eos fovere. Item debet eſſe certus, quod confiteantur frequenter, vel ſibi, vel Priori, vel alii de licentia ſpeciali; & ſi negligentes fuerint, ſtatuere eis certum tempus, & locum, in quibus confiteantur. Item debet eos in officiis, quæ eis imponuntur interdùm inſtruere, quomodo illa faciant ſollicitè, & plenè, & diligenter. Item illis qui neſciunt, aliquam artem in Ordine neceſſariam, debet aſſignare de illis qui ſciunt aliquem, qui eos doceat, & ad diſcendum eos compellere. Item debet eos ſumme incitare ad laborandum ſemper, & libenter in aliquo opere pro Conventu: & propter hoc licentiare eos ab omnibus horis ſive de die, ſive dè nocte, prætérquam à Completorio, à quo non ſunt licentiandi, niſi propter ſervitia quæ tunc ex neceſſitate ſunt facienda. In Feſtis, etiam ſimiliter ſunt licentiandi propter officia quæ tunc oportet fieri, & etiam concedendum eſt eis, quod nunquam teneantur ad Miſſam Conventualem, vel Horas Canonicas præter Completorium: ſed ſufficiat eos audire aliquam Miſſam privatam, & dicere horas ubi voluerint. Illis etiam qui inſtante hora dormitionis de die laborant, poterit indulgeri ne ſurgant ad Matutinas. Coercendi ſunt etiam à multitudine Miſſarum audiendarum, & ab audiendo Horas Conventuales, cum propter hoc labores omittant. Inſtruendi ſunt etiam diligenter ab eo quando ſunt inter extraneos, ut honeſte ſe habeant, & mature, & quod ad menſas magnorum ſe non collocent, niſi invitati, & tunc etiam cum quadam difficultate. Item debet eſſe ſollicitus pro eis, quod in infirmitatibus, & aliis eorum neceſſitatibus, charitative miniſtrentur ei neceſſaria. Item cum ſenſerit eos ſcandalizatos ex aliquibus ordinationibus quæ interdum fiunt circa eos per capitula, vel majores, quæ reputant fieri in eorum contemptum, piè, & prudenter debet eos ſedare: oſtendendo quomodo non in contemptum eorum hæc fiant, ſed propter aliquam cauſam rationabilem. Sicut ſupra Priores, & Lectores, & alios interdùm fiunt ſimilia, non in contemptum eorum, ſed proper aliquam utilitatem Ordinis, oſtendendo quomodo in ſtatu honorabili magis ſunt apud nos, quam alii Converſi in aliis Ordinibus. Item debet eis reducere ad memoriam, quomodo, faciunt eandem profeſſionem, quam & Clerici: ut ex hoc intelligant ſe ita eſſe obligatos, ad ea quæ ſunt Ordinis, & ſic non negligant ea, quæ ſunt Religionis. Item ubi habent dormitorium ſeparatum, debet jacere cum eis, ubi vero non habent ſeparatum, debet ſaltem jacere propè eos. Debet etiam quandoque de eis ſollicitudinem ſpecialem habere, ubique notare defectus, & offenſas eorum, & ipſos charitative corrigere, vel ad partem, vel in Capitulo. Cùm aliqui fuerint ei inobedientes, quod ſupra vires ſuas eſt, debet majoribus referre, ut per eos meliùs emendentur.

CAPUT VII.

De Officio Correctoris familiæ.

FRater cui imponitur cura de familia, debet præ cæteris Fratribus curare, quod non recipiantur in familia niſi tales, de quibus ſit bona ſpes, quod honeſte ſe habeant inter Fratres. Cùm autem recepti fuerint, debet habere curam quod ſibi, vel alii confiteantur frequenter, & de hoc debet eſſe certus. Inſtruendi ſunt etiam ab eo, cum ei confitentur, vel alio cui confitentur, ipſo procurante. Circa confeſſionem, quod plene ſint confeſſi, & quod ſciant benè confiteri. Item informandi ſunt ab eo ſingulariter, & inſimul de modo habendi ſe honeſtè, & cogitandi, & laborandi pro ſalute ſua; & interdum faciendæ ſunt eis aliquæ collationes ab ipſo, vèl ab alio, ipſo procurante, & ordinante: & curet, quod veniant ad ſermones, qui fiunt ad populum in Domo cum poſſunt, vel ad ſermonem qui fit Converſis interdum, ſi Priori viſum fuerit. Item quod laborent fideliter, & diligenter in ſuis officiis: & qui fuerint in coquina mundè faciant omnia, & bono modo parent quæ habuerint ibi præparare, & ea quæ neſciunt ſollicite addiſcant, vel à Fratribus, vel ab aliis de familia qui ſciunt. Item quod per villam non diſcurrant niſi pro neceſſitatibus Domus, & cum licentia; nec pro ſervitiis Fratrum ſpecialibus dimittant communia, niſi de licentia Prælati ſpeciali. Item debet Priori oſtendere, & apud eum procurare, ſi clauſura Domus eſt minus bona, quod ſic aptetur, quod non poſſint egredi de nocte, vel hora dormitionis: ne fortè ex nimia requiſitione ab eorum devotis, videantur modo aliquo abhorreri. Item debet eſſe ſollicitus quæ ſit fama de eis, vel intus, vel extra, & conſiderare facta eorum, & vitam; & quod invenerit, vel per alios audierit corrigendum in eis, ad partem corrigere, vel interdum in communi quaſi per modum capituli poſſunt eis pœnitentiæ aliquæ tolerabiles tamen injungi. Et eſt eis dicendum in principio quando veniunt, quod ſi volunt eſſe cum Fratribus, quod ipſi ita corrigentur. Cavendum tamen eſt omnino ne unquam ipſe, vel alius Frater eos percutiat, non ſolum ex ira, ſed nec ludo, nec etiam cauſa correctionis. Fratres quoque qui excedunt in eos, vel indebitè eos moleſtant, vel aliquod malum exemplum oſtendunt eis, vel in aliquo reprehenſibiliter ſe habent circa eos, debet proclamare in Capitulo: & cum minus rationabiliter loquuntur contra eos, debet eos excuſare prout poteſt cum bona conſcientia, dum non ſunt in culpa ſuper illis quæ dicuntur. Item cùm aliquis petit recipi in Converſum, debet fidele teſtimonium perhibere quid ſuper hoc expediat: magis attendendo Ordinis utilitatem quàm illius petitionem. Cum autem aliquis invenitur talis, quod non expedit Fratribus, ut cum eis moretur, debet apponere curam quod ſic urbane licentietur, quod non ſcandalizetur contra Fratres, ſed cum amore eorum, & Ordinis recedant, & ad id laborandum eſt circa omnes qui recedunt à Fratribus quocumque modo. Porro circa advenientes gartiones debet cavere, quod nunquam introducantur alicubi ultra portam: niſi priùs conſtet, quod ſint apud Fratres alios unde veniunt intimi, & familiares valdè, & quaſi unus ex eis. Debet autem inſtare apud Procuratorem, vel Priorem, quod fiat eis in porta, vel in villa quoad jacendum, illud quod fuerit faciendum. Debet etiam laborare quod illis qui gratis ſerviunt, & propter Deum Fratribus, vel laudabilius ſe habuerunt inter eos, Fratres ſint magis grati, devoti, & in ſuis neceſſitatibus ampliorem eis exhibeant charitatem. Ipſius etiam intereſt majorem apponere diligentiam, quod omnia quæ de ipſis ordinantur in Capitulis, vel à majoribus, executioni mandentur: ſicut eſt illud, quod diviſim jaceant tam illi de Domo, quam extranei. Quod non habeant veſtes notabiles in pulchritudine,

dine, vel ornatu, vel pretio, vel colore: & rurſus, quòd non habeant veſtes ſimiles Converſis, nec tondeantur ad modum eorum. Quod non recipiantur ad ſecreta, & ſamiliaria ſervitia Fratrum, ut eſt lavare pedes Fratrum, ſervire in hoſpitio, in Refectorio, in Infirmaria. Quod carnes pro eis non parentur. Quod nullus Frater ſingularem habeat gartionem. Quod quando mittuntur, ita provideatur eis in expenſis, quod alios Fratres non gravent, & ſimilia. Et quæ non poteſt deducere ad effectum, debet ad Priorem deferre, & ipſum ſollicitare, ut hoc faciat obſervari.

CAPUT VIII.

De Officio Cantoris.

Circa libros, & ſcripta.

Officium Cantoris eſt ſollicitare Priorem, ut totum officium bene correctum habeatur in Domo, & ſi negligens fuerit circa hæc, apud majores eum accuſare, & laborare ſollicitè quod hoc faciat emendare. Pertinet etiam ad eum libros Eccleſiaſticos corrigere diligenter in cantu, & verbis, & punctationibus, & accentibus, & hujuſmodi: vel per ſe, ſi ſcit, vel per alios ſi neſcit, adhibita auctoritate Prioris; & eoſdem mundos ſervare, præparare, & reparare in camiſiis, & conpertoriis, & in ligaturis, & malè tractantes accuſare. Item debet reſpicere diligenter totum officium, & firmare cordetenus, & maximè ea quæ ad ipſum pertinent, ſecundùm quod notata ſunt in diverſis locis, & rubricis; & in notula præſenti, quæ continet multa, quæ alibi minùs plenè ſunt notata. Item oportet procurare quod aliquod armarium habeatur in Choro, vel in Sacriſtia, vel alibi, prout videbitur locus magis idoneus deputatus ad hoc, in quo libri omnes de Choro reponantur: præter libellos proceſſionales. Et inde per ipſum, vel per alium, ſi Prælato viſum fuerit, deportentur ad Chorum tempore officii, prout neceſſarii fuerint, & poſteà reportentur. Ipſius autem eſt diſtribuere ipſos per Chorum, prout videbitur expedire, ſive pro funeribus, ſive proceſſionibus. Item ipſius intereſt ponere in aliqua cedula, quæ affigenda eſt parieti in Sacriſtia in loco apto, numerum Miſſarum, & Orationum, quæ injunguntur in Capitulo, vel à majoribus cuilibet Fratri, vel Conventui, ut Fratres ſciant ad quid tenentur, & quando ſolvèrunt totum, & de Miſſis quæ debentur à Conventu ſpecialem curam debet habere, ut ſolvantur quàm citò commodè fieri poteſt, & facere memoriale de ſolutis. Item quando emanat aliquod mandatum, quod fiat aliquod Feſtum, vel memoria alicujus Sancti, vel alicujus defuncti Anniverſarium, vel memoria alicujus animæ perpetuò per Orationem aliquam in Miſſa, debet hoc inſerere per ſcripturam in libris, in ſuis locis. Item ipſius eſt procurare apud Prælatum, quod aliquæ rubricæ de officio, quæ magis ſunt neceſſariæ ad ſciendum, legantur in Refectorio interdùm, maxime quando Fratres plures interſunt; & ſimiliter illæ, quæ habent majorem difficultatem, & minùs ſunt uſitatæ, ut ſunt illæ, quæ pertinent ad tres dies lamentationum, & ſimiles, legantur inſtantibus diebus, ad quos pertinent. Item ad ipſum pertinet formare litteras, quæ interdùm ad alia loca mittuntur pro ſuffragiis impetrandis, & procurare per quem mittantur. Forma autem hujuſmodi litterarum eſt talis: *Tali die obiit Frater talis in tali Conventu.* Similiter recipere hujuſmodi litteras quando mittuntur aliundè, & tradere eas ei, qui legit Kalendas, ut eas recitet in Conventu ante illud: *Commemoratio Fratrum, & Sororum &c.* ſimiliter in rotulis qui mittuntur interdùm pro ſuffragiis ſcribere. Et ſcribi ſolet hoc modo. *Titulus Fratrum Prædicatorum talis loci: anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace. Oravimus pro veſtris, orate pro noſtris. Die tali fuit rotulus apud nos.* Item debet auſcultare Fratrem, qui voluerit, qui habet aliquid legere, vel cantare, loco, & tempore ad hoc aſſignato. Et etiam ſi fuerint aliqui rudes in his, debet eos per Priorem facere corrigi. Interdum etiam cùm occurrunt novæ hiſtoriæ, vel alia ad cantandum difficilia, debet convocare Conventum hora qua videbitur Priori, ut communiter cantus hujuſmodi prævideatur, & reperatur. Item ipſius intereſt facere tabulam ſemper, niſi fortè ad alleviationem ejus alii injungatur à Priore. Debet autem ipſo procurante haberi tabula bona, & ad hoc officium apta, & de littera bona, per illum, qui eam ſcribit, vel alium ſibi ad hoc aſſignatum, & ita tempeſtivè, quod in Sabbato legi poſſit cum Kalendis poſt lectionem de Conſtitutionibus, vel de Evangelio illa tabula, quæ eſt pro ſeptimana; illa verò quæ fit pro Feſtis, & aliis diebus, in menſa præcedentis diei. Debent autem omnes abſque acceptione perſonarum ſcribi ad officia tempore ſuo, qui poſſunt, & ſciunt ea facere: niſi forte aliquibus ex cauſa de licentia Prioris parcatur quoad aliquod officium; hoc tamen proviſo, quod in Feſtis, & diebus quando plures conveniunt, talis Sacerdos ponatur ad officium, qui laudabiliter ſciat dicere, & maximè Miſſam. Qui autem ex impotentia, vel ignorantia, vel de licentia non facit illa officia, debet ſic in aliis recompenſare, quæ poteſt facere, & ad illa ſcribi, ut fiat æqualitas qualiſcumque. Cum autem poſt tabulam ſcriptam aliquis de Fratribus ſcriptis in ea debet recedere, vel infirmatur, vel alias habet cauſam rationabilem, quare non poteſt facere illud, ad quod ſcriptus eſt: debet hoc notificare Cantori, qui debet tunc alium ſcribere loco ejus. Quotieſcumque immutat aliquid circa tabulam poſt pronunciationem ejus, debet notificare illi qui ſcribitur, & illi qui deletur. Porrò defectu Fratrum qui deſunt, nec alios poſuerunt loco ſui, debet ſupplere authoritate ſua, per ſe, vel alios, & omnes debent eidem in hoc obedire: & facientes defectus, debet tempore ſuo in Capitulo proclamare. Frater qui per quatuor dies facit officium ad quod ſcriptus eſt, & poſtea impeditus non poteſt reſiduum facere, ſeptimanam feciſſe reputetur. Si Prior ordinaverit, quod aliqui Fratres ſcribantur in tabula per ſeptimanam, vel quindenam, vel menſem, vel amplius, ad aliqua officia, quæ non pertinent ad Eccleſiam: ut eſt ſervire infirmis, vel in hoſpitiis, & hujuſmodi; faciendum eſt ſecundum modum quem dixerit, & de perſonis, & de tempore. Tabula verò ſcripta collocanda eſt in Sacriſtia, vel in alio loco idoneo eminenti, & aperto, ut poſſint ibidem legere, qui eam non audierint, vel audientes non intellexerint: vel qui audierint, & oblivioni tradiderint, & ut ſciatur quid. quid debet facere, & quos defectus quis faciat

Circa Sedes.

Item ad ipſum pertinet ſtare in Choro dextro; poteſt tamen cauſa officii mutare ſedem, & ſtare modo ſupra, modo infra, modo in Choro majori, modo in Choro minori, & quandoque tranſire ad ſiniſtrum. In feſtis vero Duplicibus, & Totis Duplicibus, licet habeat ſtare in medio Chori incipiendo aliquid: tamen poteſt poſt inceptionem diſcurrere ante Fratres ſui Chori, ad inci-

tam-

tandum eos ad cantandum meliùs: & interdum in Choro ſuo ſedere inferius, vel appodiare ſe in aliqua ſede. Ipſius eſt etiam collocare Novitios, vel alios Fratres de novo venientes in Choro altero, prout viderit expedire in ſuis ſe diebus ſecundum tempus, quo ſteterint in Ordine: quod à ſupervenientibus quærere, pertinet ad ipſum. Cum autem aliqui extranei intrant Chorum, vel ponunt ſe in oſtio, pertinet ad ipſum ſecundum quod digniores fuerint, eos trahere ad locum honeſtum. Si autem abjectæ fuerint perſonæ, urbanè eos trahere à ſedibus dignioribus, vel à toto Choro, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt. Ipſius etiam eſt dare operam, ne extranei nimis faciliter intrent Chorum, & maximè laici, vel pueri. Quod ſi Clerici aliqui cantent cum Fratribus, ipſius eſt in pauſis, & cantu eos rectificare, ut Fratribus ſe conforment, & eos in locis debitis collocare. Ad ipſum etiam pertinet ſic providere cum conſilio Prioris utrique Choro de Fratribus, qui ſciunt legere, & cantare, quod non ſit inæqualitas notabilis. Cum autem propter abſentiam Fratrum aliquando Chorus alter nimis eſt vacuus, debet innuere aliquibus de alio Choro, ut ad alterum ſe transferant, & illi debent in hoc obedire eidem: vel ad horam, vel ad diem, vel plùs faciendum quod ipſe ordinaverit. Ipſius etiam eſt novos Sacerdotes inſtruere circa Miſſam; & providere eis de auditore, & inſtructore idoneo in Miſſis primi, quouſque ſint ſufficienter edocti. Similiter omnes promotos de novo debet in ſuis officiis inſtruere diligenter. Cum autem Abbas, vel Epiſcopus, vel alius extraneus celebraturus eſt in Conventu, debet providere quod tales ponantur ad officia, qui omnia ſciant facere decenter, & ordinatè: & quod talem Sacerdotem ſibi aſſiſtentem habeant (ſi viderit expedire) qui eos ſciat in omnibus rectificare diſcrete. Cum autem tales celebrant, vel miniſtrant in Conventu, vel etiam Fratres celebrent, de quorum ruditate timet, debet accedere verſus Altare interdum, ut ſi voluerint aliquid ab eo quærere, habeant ejus copiam, vel ipſemet eos in aliquibus præveniat: ut quando debet dici *Credo*, vel non, vel quando debet dici *Flectamus genua*, vel non; vel cujuſmodi Orationes debent dici, & hujuſmodi, maxime quæ non habentur ſemper in memoria à minus providis. Debet etiam notificare Sacerdoti in Miſſa, vel ante, quando aliqua Oratio, vel aliquæ Orationes ſunt ex aliqua injunctione dicendæ in Miſſa: ut pro infirmis, vel pace, vel hujuſmodi.

Item Miſſas, quæ non debentur, vel ratione diei, vel ordinis, vel alicujus injunctionis, non debet dicere pro arbitrio ſuo in Conventu, ſed cum conſilio Prælati. Cum autem Miſſa fuerit celebranda, poteſt interdum inter primum ſignum, & ſecundum ad Sacriſtiam ire, ad ſollicitandum Sacerdotem, & miniſtros ſuper faciendis. Item ad officium ejus pertinet facere Officium, cum hebdomada pertinet ad Chorum dextrum: & ſemper ità cito venire ad officium, & maximè in ſeptimana ſua, quod in principio inchoationis ſit; & ita continuè, & finaliter ibi manere, quod ex ejus abſentia non ſit defectus in aliquo. Item debet excitare dormientes in Choro, & torpentes incitare ad cantandum, & pſallendum: & interdum eos ad librum ducere, ad melius cantandum, maxime in Feſtis devotioribus. Item Antiphonas in Choro ſuo imponendas debet injungere, ſimiliter omnia cantanda, vel legenda, quæ ex Ordinario, vel tabula non ſunt determinata à quo debeant dici, debet imponere in hebdomada ſua. Item Antiphonas de Choro ſuo debet reincipere, præter Antiphonas ſuper Magnificat, & Benedictus in Duplicibus, & Totis Duplicibus. Similiter Alleluja in Miſſa in hebdomada ſua, cum cantatur à pluribus. Item inchoare Pſalmum ex parte Chori ſui modo mediocri, & tenere tonum, & exaltare vocem, tam in Pſalmis, quam in aliis, quando nimis deminuitur, & facere ſigna cum manûs percuſſione ad pauſas in Pſalmis, vel Hymnis, & aliis hujuſmodi faciendis diſtinctè cum notabiliter confunduntur, & ad illos, qui confundunt pauſas, interdum accedere, ad corrigendum eos, ſine ſtrepitu manuum, & ira, ſed cum pace & honeſtate, ne correcti perturbentur, & adſtantes offendantur. Item Sacerdoti, in Feſtis præcipuis deferre verſiculum, quem oportet dicere ante Laudes. Item, quando tarde ſurgitur ex errore ad Matutinas, facere feſtinare officium, & abbreviare lectiones. Item pertinet ad eum in hebdomada ſua, in ſolemnibus proceſſionibus, in ſepulturæ officio, in miniſtratione Sacramenti infirmis, & hujuſmodi, providere de miniſtris, ſi non ſunt ſcripti in tabula: & ſi ſunt ſcripti, reducere ad memoriam quid facere debeant. Debet etiam providere, quod omnes vadant ordinate, & quod qui facit officium, habeat librum ſibi neceſſarium: & juxta eum ſtare frequenter, & rectificare eum, & alios omnes in his, quæ agenda ſunt, vel dicenda. In Proceſſionibus vero ſolemnibus pertinet ad utrumque, ſcilicet Cantorem, & Succentorem de his curam habere. Item ipſius intereſt in hebdomada ſua cum Prælatus non vult, vel non poteſt facere officia, quæ ad eum pertinent, & eſt præſens, de conſilio ejus imponere alicui alii hujuſmodi officia. Si autem non eſt præſens, vel ei loqui non poterit, debet alicui injungere, quod faciat officium: hoc obſervato, quod hujuſmodi officia ſemper injungantur perſonis ſenioribus, & qui ſciant ipſa facere competenter. Ipſius etiam eſt corrigere errores in quocumque errent, ſive ab aliquo, ſive à Conventu, ſive in legendo, ſive in cantando, ſive in annexis Officio: ut ſunt inclinationes, proſtrationes, genuflexiones, ſeſſiones, ſtationes, & ſimilia, in quocumque loco, præterquam in Refectorio, in lectione, & ſuper hujuſmodi facere proclamationes. Ipſius autem correctionem omnes ſequi debent (etiamſi erret) dummodo error non ſit intollerabilis, & obedire ei in his, quæ pertinent ad officium, licet proclamandus ſit in Capitulo, & corrigendus ſuper his, in quibus erraverit.

CAPUT IX.

De Officio Succentoris.

Officium Succentoris eſt reſpicere diligenter, quæ prædicta ſunt de Officio Cantoris, & circa ea, quæ dicta ſunt de libris, & ſcriptis ſollicitare Cantorem, & juvare eundem diligenter: & quæ ad ſe pertinent de illo titulo memoriter retinere, & ſtudere in Officio diligenter, & firmare cordetenus, & de diſtributione librorum in ſuo choro executioni mandare. Item pertinet ad eum juvare Cantorem circa tabulam faciendam, vel ipſam facere pro ſeptimana ſua, vel ſemper, ſi à Priore fuerit ordinatum. Defectum verò Fratrum debet in hebdomada ſua ſupplere ſecundum modum, qui ſupradictus eſt de Cantore in Choro ſuo. Ipſius eſt etiam ſtare in Choro ſiniſtro, & mutare ſedem ſuam poteſt ratione officii in Choro ſuo, cum voluerit. In Feſtis Duplicibus, & Totis Duplicibus, poſt inceptionem, quæ fit in Miſſa, vel in Choro, poteſt facere, quod ſupra notatum eſt de diſcurſu, & ſeſſione, & apodiatione Cantoris. Item de ex-

extraneis collocandis, vel repellendis, & de Clericis, qui cantant in Choro ſuo rectificandis, debet habere curam, ſicut ſupradictum eſt de Cantore. Cum autem Chorus ſuus nimis à Fratribus vacuus fuerit, ſi in alio abundant, poteſt innuere Cantori, ut aliquos mittat ad Chorum ſuum. Ad ipſum etiam pertinet facere in ſeptimana ſua circa Miſſam quidquid ſupradictum eſt ab illo loco: Cum autem tales in Conventu celebrant, vel Fratres, &c. uſque ad illum locum: Item officium ejus pertinet &c. Item ipſius eſt, cum hebdomada ſua fuerit ex parte ſui Chori, facere officium, & exequi diligenter ea, quæ circa officium Cantoris ſupra notata ſunt ab illo loco: Semper ita cito venire, &c. uſque ad illum locum: Ipſius autem correctionem &c. in quantum pertinent ad Chorum, & ſeptimanam ſuam: hoc excepto, quod correctiones, & directiones in Officio nòn pertinent ad eum ſuper totum Chorum, ſed ſolum ſuprà Chorum ſuum, niſi tempore hebdomadæ ſuæ, præter errores intollerabiles, quos ſemper poteſt corrigere Cantore non corrigente. Ad Cantorem vero pertinet illa omni tempere, quando ſibi videtur expedire. Item ad ipſum pertinet acquieſcere Cantori in dubiis, & etiam ſi male corrigat, vel dicat non debet ei contradicere in Choro, ſed corrigi debet in Capitulo. Item, quando Cantor non eſt præſens, debet ſupplere vices ejus, & tranſire in ejus ſeptimana ad Chorum ejus, & è contrario, quando Succentor, vel non habetur, vel non eſt præſens in Choro, debet Cantor facere pro eo, vel alii committere, ut ſuppleat vices ejus. Cum autem conſtituuntur aliqui adjutores Cantoris, vel Succentoris, vel utrinſque; eorum intereſt ſupplere vices eorum cum deſunt, & cum præſentes ſunt juvare poſſunt eos, ſi in quibus fuerit de conſilio Prælati ordinatum.

CAPUT X.

De Officio Sacriſtæ.

Officium Sacriſtæ eſt curam habere de Eccleſia ſæpe ſcopanda, & ab araneis, & hujuſmodi purganda, & munde ſervanda; & de choro magis, quam de navi, & de presbyterio tam majoris Altaris, quam minorum, quam de choro. Et ubi eſt conſuetudo in majoribus Feſtis in æſtate herbas virentes, vel ramuſculos aliquarum arborum, & in hyeme paleas ſternere in choro, & presbyterio, & ante parva Altaria, & in Sacriſtia, & in capitulo: & habere curam de reparandis coopertoriis, ne unquam pluat in Eccleſia, & de alis reparandis in Eccleſia, vel Sacriſtia, cœmeterio, & de ſeris, & clavibus oſtiorum omnium. Et debet hæc claudere, & aperire tempore ſuo, ſequens ordinem Prioris de horis claudendi, & aperiendi oſtium Eccleſiæ de die.

Circa Pulſationes

Item ad eum pertinet omnis pulſatio, quæ fit in Eccleſia, niſi quando fiunt cauſa Capituli, vel ſermonum. Porrò primum ſignum ſic debet fieri, quod non ſit nimis prolixum, nec nimis breve, ſed medie temperatum: hoc tamen magis, vel minus pro tempore obſervetur. Similiter ſignum, quod fit pro collatione, ad quod ſufficiunt quaſi quinque ictus ex utraque parte campanæ. Secundum vero ſic debet eſſe prolixum, quod à principio illius poſſint convenire Fratres de omni loco in quocumque fuerint in domo, ad Eccleſiam: & tunc debet ſtatim terminare cum venerint omnes, non expectato etiam ſigno Prælati. Spatium verò quod eſt inter duo ſigna, ſic debet eſſe temperatum præciſè, quod illo ſpatio poſſint eſſe Fratres expediti de Horis Beatæ Virginis, quas habent dicere: & de neceſſitate camerarum, & lotione manuum hora Primæ. Ad Veſperas verò tali debet hora pulſare, quod poſt ſecundam menſam tempore binæ refectionis, vel poſt Veſperas tempore jejunii, non ſit multum de ſpatio, vel tempore uſque ad horam Completorii. Ad Completorium vero tali debet hora pulſari, quod facto ultimo ſigno in æſtate ſit adhuc quaſi dies, in hyeme vero quaſi nox. Spatium verò, quod conceditur ad orandum poſt Completorium, nec nimis prolixum ſit, nec nimis breve; ſed mediè temperatum, & tam moderatum, quòd Fratres communiter ſine faſtidio poſſint illud tempus in oratione expendere, quod reputatur poſſe fieri, cum tempus eſt tantum præciſè, quod poſſint in illo dici Pſalmi ſeptem, & Litaniæ. Signum vero ultimum ſic faciendum eſt, quod bene poſſit audiri ubique per totam domum. Cæterum de modo pulſandi ad Miſſam, & ad funus, poteſt conſuetudo patriæ obſervari. Conſuetudo tamen Ordinis magis generalis videtur eſſe, quod pulſatio ad Miſſam fiat per tres interruptiones. Ad funus verò, et ad proceſſionem, & ad unctionem faciendam, convocantur Fratres per ſignum in campana factum tantum ex una parte. Ad ipſum etiam pertinet habere curam, ut ſollicitet Priorem, & Fratres de bonis campanis habendis, & moderatæ magnitudinis, & de habendo horologio tali, quod non ſit notabile curioſitate, vel pretioſitate, magis autem detur opera, quod ſit verax, & certum Et de conſilio Prioris, & Fratrum, horam ſurgendi ad Matutinas, & Primam, & Nonam tempore dormitionis diurnæ obſervet. Debet autem valdè eſſe ſollicitus circa pulſationes tempore ſuo, & modo debito faciendas, ne earum inordinatione contingat Conventum turbari, vel impediri.

Circa Luminaria.

Item ipſius intereſt cura de habendis lampadibus, & oleo, & cera, & candelis, & cereis, & candelabris competentibus; & in miniſterio circa Altare majus, & in proceſſionibus, circa funera, & de miniſtrandis his tempore ſuo, & in lampadibus, cereo Paſchali: & aliis cereis circa majus Altare in Miſſa, in Veſperis, in Matutinis, in Completorio accendendis, & extinguendis, & melius inflammandis, & emungendis. Similiter curem debet habere, & providere, quòd non ſolum in majori Altari, ſed etiam in minoribus, cerei aliqui competentes ſecundum varietates dierum, & Feſtorum, & candelæ ſufficientes ibidem in choro ſemper ſine defectu habeantur. Debet etiam providere de candelis in hoſpitio, in infirmitorio, refectorio, & Fratribus itinerantibus, & ſimilibus, vel plus, vel minùs, ubi hoc ordinatum fuerit à Prioribus. Porrò expenſas ad ſupradicta debet accipere à Procuratore, vel de quæſtu proprio, vel de oblationibus, vel alio modo, ſecundum ordinationem Prioris, & de omnibus computationibus ſecundum tempus computare. Beneficia verò collata Sacriſtiæ ſpecialiter debet recitare in Capitulo. Debet etiam habere ferrum, & lapidem, cum quo ſolet ignis excuti ad habendum ignem, ſi fortè eſſet neceſſe; in quo caſu contingit ignem non inveniri in domo. Item debet providere, quod hoſtiæ pulchræ cum pixidibus decentibus, & vinum purum, & ſanum, & bonum, & aqua recens, & munda, cum ampullis honeſtis: calices, veſtimen-

ta, libri neceſſarii pro Miſſis, carbunes in patellis tempore magni frigoris, flabella tempore muſcarum, thuribulum cum carbonibus, & thus in diebus feſtivis in majori Miſſa, & Crux deferenda in Totis Duplicibus, cuſſini, & mappulæ ad tergendas manus, & aliæ ad purgandos nares, candelabra, inſtrumenta apta ad candelas tenendas in Miſſis, & omnia alia neceſſaria pro Miſſis, tam in majori ſolemnitate, quam aliis ſemper habeantur in promptu, & in certis, & competentibus locis inveniantur, & reponantur. Cavere quoque debet ne hoſtiæ propter loci humectationem, vel alias corrumpantur, & cum minus idoneæ fuerint, alias miniſtrare. Debet etiam providere, quod in Sacriſtia in loco competenti ſemper inveniatur aqua ad lotionem manuum volentium celebrare, vel miniſtrare, & mappulæ ad exterſionem faciendam. Solent etiam haberi ibidem à quibuſdam pectines honeſti ad capillos componendos, & forcipes ad ungues ſcindendos ab illis, qui interdum his indigent, & hoc ibidem volunt facere. Debet etiam providere, quod in Sacriſtia ſit piſcina, vel pelvis, in quibus recipitur ultima ablutio, & quod munde, & honeſte, & ſollicite cuſtodiantur in omni munditia, & quod in illis nunquam alia ablutio recipiatur, vel ad alios uſus applicetur. Debet etiam procurare, quod aliqua ſcamna lignea ſint circa minora Altaria apta ad orandum, in quibus interdum procumbere poſſint Fratres miniſtrantes, vel aſſiſtentes.

Circa Sacramenta, & Sacramentalia.

ITem accuratius quoque debet habere diligentiam magnam quod locus honeſtus, & decentis pulchritudinis habeatur ſuper Altare, in quo Corpus Domini in pixide habeatur, & honeſte ſub clavi ſervetur.

Item, quod Oleum infirmorum ad faciendam Extremam Unctionem ſemper habeatur in Domo, & in honeſta ampulla in loco honeſto ſub clavi conſervetur.

Item ſi debent fieri Ordines in Domo, vel Confirmationes, vel Conſecrationes Eccleſiæ, vel Altaris, vel Epiſcoporum, vel benedictio Abbatum vel Cœmeterii, & ſimilia; debet providere cum conſilio Capellani Epiſcopi, ut ſecundùm Ordinarium ejus omnia ad hujuſmodi pertinentia fiant, & habeantur in promptu. Si vero fiant aliquæ coronæ, ejus eſt aſſiſtere Epiſcopo, & miniſtrare forcipes ad capillos incidendos, & ipſos debet recipere, & comburere. Et cum inſtat inunctio facienda pro fratribus, vel communio infirmi decumbentis, vel etiam ad Altare non potentis venire, vel etiam extraordinaria Communio Fratris alicujus ex alia aliqua cauſa facienda in Conventu, debet de omnibus ad hoc pertinentibus gerere ſollicitudinem, & de neceſſariis providere: & convocandos convocare vel verbis interdum, vel cum pulſationibus, cum Conventus fuerit convocandus. Item circa funera ejus officium eſt providere de foſſis faciendis, & de loco foſſarum, cum conſilio Prioris. Item de cereis, & candelis, & candelabris, & thure & thuribulo, & carbonibus pro thuribulo, & de convocandis Fratribus ſuo tempore, & de Cruce deferenda, & aqua benedicta, & ſtola, & libello Sacerdoti recepturo funus, & de libellis manualibus, & aliis neceſſariis miniſtrandis tam pro Fratribus, quam pro extraneis defunctis curam debet habere. Item debet, ſi contingat Epiſcopum, vel Abbatem utentem mitra, vel annulo, vel baculo, vel Cardinalem, vel Legatum, vel alium dignitatis excellentis apud nos facere officium in Miſſa, vel Proceſſione, vel aliter quocumque modo, debet cum conſilio Capellani ſui, vel aliorum ſociorum ejus, de neceſſariis, ſecundum ſuæ dignitatis exigentiam providere, & gerere ſollicitudinem, quod non ſit defectus in aliquo, & quod fiant omnia ordinate.

Circa ornatus, & paramenta, & mundicias.

ITem ad officium ejus pertinet apponere curam, quam poteſt, quod habeantur indumenta pro Miniſtris, & ornamenta pro Altaribus honeſta, & pulchra, & diverſa, ſecundum diverſitatem temporum, & Feſtorum; ita quod in diebus feſtivis meliora producantur. Porrò ad ornatum Altaris cujuslibet, præter illam mappam, quæ adhæret lapidibus, debet habere aliam deſuper: quæ tam longa ſit, quod quaſi uſque ad terram ex utraque parte deſcendat, ſuper quam palla iterum collocetur, quæ ſit adeo longa, & lata, quod quaſi totum Altare deſuper cooperiat, ſuper quam eſt corporale collocandum. Cum autem iſta fuerint replicata, debet haberi aliquod ad totum groſſum coopertorium cooperiendum Altare. Cogitandum eſt etiam ei, quo habeantur aliquæ Reliquiæ in vaſis pulchris, & decentibus, vel arcellis, & Cruces, & imagines competentis decoris: & de his aliqua ſunt ponenda in Feſtis majoribus ſuper Altare ad ornatum. Debet etiam habere curam, quod ampullæ, piſcinæ, & pelves, & alia vaſa, & utenſilia, camiſiæ, albæ, pallæ, & tobaliæ, & Altarium corporalia, & manutergia, & cætera omnia linea in uſus Altarium, vel miniſtrorum ſic frequenter laventur, quod ſemper inveniantur munda, & nitida, & præcipuè ea, quæ ſunt circa Altaria. Corporalia verò, & panniculi pro abſterſione calicum, & manuum poſt ultimam ablutionem, lavanda ſunt ſeparatim ab aliis, & lotio in piſcinam ſacram mittenda. Cum autem conſumpta fuerint vetuſtate comburenda ſunt, & cineres in eandem piſcinam mittendi.

Circa Cuſtodiam rerum.

AD ipſum etiam pertinet cum de novo ponitur in officio, facere memoriale de numero calicum, librorum, paramentorum, & omnium hujuſmodi, quæ ſunt valoris notabilis, & ſunt ab eo cuſtodienda. Et cavere debet ne perdatur aliquid de iſtis, ſed potius ſecundùm ejus induſtriam augmentetur. Et cum abſolvitur, ſucceſſoribus per memoriale debet rationem reddere de prædictis. Debet etiam cavere veſtimentis, & paramentis à putrefactione, & corroſione, interdum ad ventum, & calorem exponendo, non in locis humidis, ſed ſiccis, & à tineis conſervando. Debet curam habere, quod diſſuta reſarciantur, & læſa in aliquo, ſive vaſa, ſive utenſilia, & hujuſmodi, reparentur diligenter. Vetuſta, & minus utilia, quæ poſſunt vendi, de licentia vendantur, & eorum pretia in aliqua meliora commutentur. Item debet oblationes omnes Eccleſiæ recipere, & diligenter cuſtodire, & eas Procuratori integre reddere, vel neceſſaria pro Sacriſtia de illis procurare, & reſiduum eidem Procuratori, ſi quid fuerit, reddere: vel in alios uſus expendere, ſecundùm quod Prior duxerit ordinandum. Pro receptione verò, & cuſtodia horum ſolent interdum haberi trunci in Eccleſia, vel pixides clauſæ deſuper, cum modicis aperturis, vel alia hujuſmodi apta ad ſecuram reſervationem. Sunt etiam habenda aliqua armaria, & arcæ fortes, & aptæ ad cuſtodiam rerum, vel in Sacriſtia, vel extra in loco ſecuriori,

rioti, vel utrobique. Et Sacriſtia debet eſſe fortis in oſtiis, feneſtris, & clavibus, in qua etiam, propter rerum cuſtodiam jacere poteſt cum uno ſocio, vel duobus, cum locus ad hæc aptus fuerit: & hoc, ſi Priori videbitur expedire.

Circa Ordinarium.

AD eundem pertinet ſcire. benè Ordinarium totius Officii, ut pêr eum quandoque Fratres rectificentur de aliquibus, quæ requirunt: & ea, quæ in eodem ſcripta ſunt præter ſupradicta ad eum pertinentia; ut in cineribus in capite jejunii, & ramis in die Palmarum, & ſimilibus ſollicitè exequatur. Debet etiam habere curam, quod Ordinarium de Miniſtris, & Miſſa majori, & aliis habeatur in Sacriſtia, ut Fratres per hujuſmodi ſcripturam certificari poſſint, cum de aliquo dubitant de prædictis. Summas quoque, & tractatus Magiſtrorum de officiis Eccleſiæ, debet procurare libenter cùm poterit, ut in Sacriſtia inveniantur. Poſtremò, quia in magnis Conventibus difficile eſt omnia ſupradicta ab uno executioni mandari; tamen cum ſocius ei datus fuerit de conſilio Prioris, poſſunt ſupradicta ſic per eos dividi, ut utroque ſciente, quid ad ſe pertineat, nec confidente de alio in his, quæ ad ſe pertinent, fiant ordinatiùs univerſa.

CAPUT XI.

De Officio Lectoris.

Circa Doctrinam.

OFficium boni Lectoris eſt conſormare ſe capacitati auditorum; & utilia, & expedientia eis utiliter, & intelligibiliter legere: opiniones novas refugere, & antiquas, & ſecuriores tenere: ea quæ non benè intelligit nunquàm dicere: à faſtidioſa prolixitate, quæ accidere ſolet ex nimia repetitione ejuſdem, aut ex involutione verborum, vel ex aliis cauſis, cavere ſemper. Dare operam, ut ex lectionibus ſuis proficiant auditores, aut circa veritatem librorum, aut circa quæſtionum utilium intelligentiam, aut circà aliqua, quæ poſſint ad morum ædificationem eſſe: literam tantùm legere, relicta multitudine eorum, quæ dici poſſunt ad ſingula; quod auditores ſub eo proficiant ad ſciendum Biblia, & hiſtorias, & ſententias, maximè lectiones, aut omnes, aut ſaltem unam continuare libenter. Tempore verò vacationum, & in alio tempore, libenter legere debet aliquid Fratribus aliquibus in camera, qui habiles ad proficiendum in ſtudio reputantur. Dubitantibus vero, & interrogantibus de aliquo debet benignè, & charitativè ſatisfacere, prout poteſt, & ſcit. Cùm verò exigente intelligentia, & utilitate auditorum, interdùm expedit diſputare, eligenda eſt ab eo materia utilis, & intelligibilis, maximè ſi ſit diſputatio inter minùs peritos. Ut autem melius, & fructuoſius officium exequatur, debet ſtudere diligenter, & præcipuè in ſcriptis, quæ communi judicio meliora reputantur. Et ut melius poſſit vacare ſtudio, ab aliis occupationibus, ſive in domo, ſive extrà, poteſt ſalvâ obedientiâ ſubtrahere ſe libenter.

Circa Vitam.

ITem ad ipſum pertinet, ut ſicut alios præcellit in ſcientia Divina, ita, & in exemplo totius ſanctitatis, & virtutis, & præcipuè humilitatis, patientiæ, & ſobrietatis. Debet etiam animare alios ſermonibus, collationibus fraternis ad omnem Religionem obedientia ſpecialiter, & juvare efficaciter Prælatos Item ad Prælatos ſemper pacem habere debet, & reverentia dignam, & cavere ne perturbatores, vel diſcoli, vel indiſciplinati apud eum refugium inveniant, vel favorem. In Refectorio, vel Choro debet libenter eſſe cum poteſt, & à Capitulo, vel Completorio nunquam ſine magna, & evidenti neceſſitate remanere. Diſpenſationes verò in jejuniis, & abſtinentiis (cùm non indigent) aut nunquam, aut raro, & cum difficultate recipere; cum verò recipit, caveat, ne in infirmitorio, vel hoſpitio, occaſione ejus fiat aliqua diſſolutio, aut in vigiliis, aut ſuperfluitatibus, aut inordinatis locutionibus, & ſimilibus. Item nomine Magiſtri, vel Lectoris quantùm in eo eſt, non debet permittere ſe vocari, ſed ſolùm nomine Fratris. Cùm habuerit, debet ſe ad Socium habere non ſicut dominus, ſed ſicut Socius, & Frater, nec permittere debet, quod ei faciant ſervitia, quæ non ſolent aliis Fratribus fieri, ut eſt facere lectum ſuum, & diſcalceare eum, & ſimilia. Debet etiam cavere ne camera ſua ſit in occaſione diſſolutionis, aut ex vigiliis, aut ex frequentibus ibidem collocutionibus, vel conventiculis, vel clamoribus, vel hujuſmodi aliis. Item non debet verecundari, quin libenter quærat ab aliis dubitationes ſuas, immò quandocumque occurrunt notare debet diligenter, & cùm invenerit à quo poſſit edoceri, quicunque ſit ille, quærere debet humiliter, & audire, & retinere diligenter. Debet etiam procurare quantùm in eo eſt, quod habeat aliquem Sublectorem, qui legat interdùm cùm hoc requirit multitudo, vel utilitas auditorum, & eidem charitativè in omnibus aſſiſtere debet. Porro monitiones emanantes à Capitulis circa Lectores, debet diligenter retinere in memoria, & ſervare. Licentiis verò generalibus de loquendo, vel remanendo à choro, & ſimilibus non debet uti propria auctoritate, & ad libitum ſuum, ſed prout Priori viſum fuerit, & cauſa rationabilis requiſiverit. Poſtremo vero, ut Deo, & Prælatis, & Fratribus ſit acceptum ejus obſequium, non debet ſe reddere difficilem ad legendum, vel quærere in hoc aliquid, quod ſapiat vanam gloriam, ut eſt legere in majoribus Conventibus, vel anhelare ad habendam licentiam in ſolemnibus ſtudiis; vel ferre graviter, ſi de modo legendi in aliquo corrigatur; ſed bono animo debet implere quidquid à ſuis majoribus fuerit ordinatum, & ſe corrigere libenter in his, quæ fuerint ſibi dicta corrigenda.

CAPUT XII.

De Officio Magiſtri Studentium.

Circa Studium in genere.

OFficium Magiſtri Studentium eſt habere zelum, & curam ſpecialem de ſtudio promovendo, modis omnibus, quibus poteſt. Et ideo debet habere in memoria ea, quæ ſcripta ſunt in Conſtitutionibus, & Ordinationibus, quæ emanaverint, vel emanant quotidie à Capitulis, vel Generalibus, vel Provincialibus, à Priore Provinciali, vel Viſitatoribus circa ſtudium, & dare operam, ut diligenter ſerventur. Ipſius etiam eſt notare diligenter, & ſuggerere admonitiones, quas reputat expedire fieri Fratribus, pro ſtudii promotione in domo. Debet quoque ſollicitare Priorem, & majores, ut procurentur libri utiles pro Conventu: negligentias verò Prioris, & Fratrum circa ſtudium Priori Provinciali, & Viſitatoribus referre fideliter, & ſuper his accuſare eoſdem, vel in domibus propriis, vel mittere accuſationem ad Capitulum Provinciale. Interdùm procurare etiam, & pro poſſe ſuo laborare, quod neceſſaria ad ſtudium, ſcilicet cellæ aptæ, atramentum, ſebum pro tempore ad lumen,

men, & ſimilia ſine defectu habeantur in domo, & Fratribus cum his indiguerint, miniſtrentur. Ipſius etiam eſt habere ſollicitudinem, quod habeantur ſcholæ competentes, & aptæ in feneſtris, & ſedibus, & contra pluviam bene munitæ. Et ubi veniunt ſeculares, debet providere, quod recipiantur, & collocentur honorifice, juxta exigentiam ſui ſtatus.

Circa Sermones.

ITem ipſius intereſt, injungere ſermones, qui ſolent in capitulo fieri in omni feſto novem Lectionum, niſi legatur in ſcholis: & in capite jejunii, & in vigilia Natalis Domini, & in aliis caſibus emergentibus, ſicut eſt tempore Capitulorum Provincialium, vel Generalium, & quandocumque in caſu aliquo ſunt faciendi. Non ſunt autem ad hujuſmodi ſermones paſſim admittendi extranei, niſi ubi intereſſe voluerit competens multitudo, & hoc de licentia, & cum ſcientia Prælati, & debet dici illi, qui facturus eſt ſermonem, quod extranei debent adeſſe; & in hoc caſu non injungantur ſermones alicui, niſi tali, de quo credatur, quod ſit idoneus ad laudabiliter proponendum. Porrò ſermones, qui ſiunt in Generali, vel Provinciali Capitulo, debet injungere de licentia, & ſcientia majoris Prælati. Extraneis verò non debent hujuſmodi ſermones injungi, niſi de ſcientia, & voluntate Prælati. Cùm autem contigit pertranſire Cardinalem, vel Legatum, vel Epiſcopum magnæ litteraturæ, vel Magiſtrum aliquem in Theologia, vel alium magnæ authoritatis virum, & in prædicatione exercitatum: vel Miniſtrum Fratrum Minorum Generalem, vel Provincialem, vel aliquem de Ordine noſtro Priorem, vel Lectorem, vel Fratrem alium in prædicatione famoſum: debet cum Prælato conferre, ſi ſit horum aliquis invitandus ad prædicandum Fratribus in Capitulo aliqua die, & fiat quod ei videbitur faciendum. Hujuſmodi vero ſermones Capituli fieri ſolent vel poſt Matutinas, cum ſunt noctes prolixæ, vel poſt Primam, cùm hora illa non eſt in aliis occupata, vel poſt Nonam tempore dormitionis diurnæ, vel alia hora, ſecundum ordinationem Prioris, in qua Fratres poſſunt commodius intereſſe. Pertinent verò ad ipſum pulſare hora competenti pro ſermone hujuſmodi. Cum autem horam variari contigerit, debet in præcedenti Capitulo, ſi hoc ſciverit, Prælato dicere, ut Fratribus prædicatur. Debent autem hujuſmodi ſermones Fratribus tam tempeſtivè injungi, ut ſe de modico tempore non valeant excuſare. Debet etiam dirigere Fratres, maximè juniores, indicando, in quibus libris invenire poſſint opportunas materias ad prædicandum; & magis utiles ad ſalutem audientium: & diligentiam adhibere, quod tales libri in domo habeantur, aut procurentur, quibus Fratres magis proficere valeant; & circa hoc frequentius ſollicitare Priorem, aut alios, ad quos ſpectabit, providere. Undè cum aliquis Frater ſe excuſat à faciendo ſermone ſibi injuncto, nec apparet rationabilis cauſa, præter ſolam ignaviam, non debet eſſe facilis ad relaxandum eum; ſed omnino urgere, & omnem operam polliceri. Si autem imminenti die prædicationis, appareat ei, quod debeat eſſe defectus ſermonis ex cauſa quacumque, debet rogare Prælatum, vel alium ad hoc idoneum, quod ſuppleat hunc defectum, vel ipſemet ſuppleat: & ille, qui defectum hujuſmodi facit, ſuo tempore, vel in ipſo die ſermonis in Capitulo corrigatur. Si autem aliqui Fratres adeo ſunt inepti, quod non ſperetur, quod unquam poſſint habere modum prædicandi; non oportet, quod ſit nimis importunus iſtis, ad injungendum ſermones. Ipſius etiam eſt præmonere Fratres, quibus injunguntur ſermones, ut caveant à prolixitate ſermonum: interdum juxtà eos ſedere, ut cum nimis prolongant ſermones, faciat eis ſignum. Cum autem aliquid reprehenſibile dixerint in ſermone, debet ipſa die hora competente charitativè oſtendere Fratri, ut aliàs caveat circa illud; vel ſi melius ei videbitur, & fructuoſius, antequam ſermo fiat in Conventu, prævidere quid ibi ſit dicendum, & blandè corrigere, ſi quid diſplicuerit; ne fortè Frater concionaturus animum deſpondeat. Porrò ſermones ad populum in villa, vel extrà, debet alii, cui Prior injunxerit imponere, & annexa illi officio exequi: vel ipſemet, ubi propter paucitatem Fratrum, hoc ei committitur à Prælato.

Circa Collationem.

CIrca collationes, quæ fieri ejus opera, & diligentia inter Fratres ſoleant, advertat in primis, quod ad eas non ſunt admittendi extranei, ſive ſeculares, ſive Religioſi alterius Ordinis, niſi eſſent adeo familiares, quod in defectibus Fratrum, ſi quos ibi viderent, credatur eos non eſſe ſcandalizandos. Tam vero circa collationes privatas, quàm circa publicas diſputationes, ad eum ſpectat ſuggerere Priori admonitiones, quas in capitulo faciat Fratibus, ad hoc, ut bene ſe habeant, & religioſè in omnibus prædictis. Item ad ipſum pertinet convocare Fratres aliquo ſigno ad collationes in loco apto ad hoc, ſecundum ordinationem Prioris, & hoc ſemel, vel bis in ſeptimana, vel frequentius, ubi, vel quando non ſunt lectiones. Facienda autem eſt hujuſmodi convocatio cum ſigno ad hoc determinato, vel poſt Nonam, binæ refectionis tempore, vel poſt Veſperas tempore jejunii, vel inter comeſtionem, & Completorium in Quadrageſima; vel alia hora, in qua Fratres commodius poſſint intereſſe, ſecundum voluntatem Prioris. In hujuſmodi autem collationibus ſolet interdum recitari aliqua quæſtio determinata in ſcholis ab illo, cui fuerit injunctum, vel recitari aliqua ab aliquo, qui eam prævîderit, ex injunctione ſibi facta: & poſt recitationes, Fratres qui volunt opponant recitanti, & ità exercitent ſe opponendo, & reſpondendo. Vel ſolet ab eo quæri aliquid de lectionibus, vel quæſtionibus auditis à Fratribus, ut videatur de profectu eorum. Vel ſolent fieri collationes de moralibus, vel de certa aliqua materia, ut de Evangelio, vel de Epiſtola, vel de ſumma de vitiis, & virtutibus, vel de caſibus, & ſimilibus: ità quod quilibet Frater ſciat de quo titulo debeat recitare: vel de quolibet, ad voluntatem cujuslibet, & ab illis, qui non ſunt adhuc ſufficientes ad majora, ſaltem aliqua notabilis authoritas recitari. Solet autem interdum ordinari, quod unus Chorus dicat una vice, & alius alia vice; vel certis Fratribus injungi, quod faciant collationem, alii in una die, alii in alia die, & ſic de aliis. Et de modis iſtis quis ſervetur, fiat cum conſilio Prioris, quod melius videbitur. Fratres autem, qui non faciunt, quod debuerint, vel in aliquo offendunt, vel falſum dicendo, vel authoritatem aliquam non bono modo aſſignando, vel confuſè, vel prolixè loquendo, vel ibidem clamosè contendendo, vel alias quoquo modo reprehenſibiliter ſe habendo: debet ibidem verbis corrigere, cum humilitate, & curialitate; & de exceſſibus gravioribus ſuo tempore in Capitulo accuſare. Cum vero ſunt intermiſſæ aliquando collationes, & debent reſumi, debet hoc prædici in Capitulo præcedenti, & ordinari quomodo fiant.

Circa

Circa Diſputationem.

ITem ipſius intereſt inſtare, quòd fiant diſputationes cum expedit, vel quod non fiant, vel raro fiant: vel quando non eſt ad hoc Lector ſufficiens, vel non ſunt qui convenienter poſſint apponere, vel reſpondere; vel non creditur, quod ſequatur inde notabilis utilitas propter ſtatum auditorum. Cum autem fiunt, debet conferre cum Lectore, quod fiant de utili materia. Debet etiam ante prædicare Fratribus tempeſtive, de quo fieri debet diſputatio, ut ſibi provideant: & docere, in quibus ſcriptis, & ubi poſſint de illa materia invenire. Debet autem ſemper injungere alicui, ut ſibi provideant de reſpondendo, ſi neceſſe fuerit, ne ſit in hoc unquam defectus. Debet autem injungere Fratribus, qui ſunt ad hoc idonei, quod ſemper in omni diſputatione ſint parati apponere in aliquo: & quod ſibi in hoc provideant illi, qui ſine præviſione ad hoc ſufficere non putantur. Non debet autem aliquis incipere, opponere, vel reſpondere in ſcholis, niſi prius ei hoc impoſitum fuerit, vel licentiam habuerit. Extranei vero quando veniunt ad diſputationes, honorandi ſunt, ut cedatur eis ab omnibus cum volunt opponere, & invitentur ad reſpondendum; & ſi malè dicunt, non confundantur: nec contendatur cum eis, & caveatur ab eorum offenſa. Porro ſi quis, vel Frater, vel Lector in diſputando in aliquo reprehenſibiliter ſe habuerit, debet eum ſuper hoc ſuo tempore in Capitulo proclamare. Si autem aliquis contentioſus notabiliter in diſputatione ſe habeat, & non ſperatur de ejus correctione; debet ei imponere ſilentium extra ſcholas in aliquo loco charitative, vel ſuggerere Priori, quod hoc faciat in Capitulo publice, vel privatim, ſi magis viſum fuerit expedire.

Circa Lectiones.

ITem ad ipſum pertinet conferre cum Fratribus, quot lectiones, & quæ ſint lectiones legendæ; & ad illud, quod ei viſum fuerit utilius, inducere Lectorem. Ubi vero eſt ſtudium ſolenne, vel magna multitudo Fratrum, vel aliorum auditorum; debet procurare ſi poteſt, quod habeatur aliquis Frater, qui legat extraordinarie tempore vacationum: & in diebus vacationum, quibus non legit Lector ſaltem ſit aliqua lectio levis, vel de hiſtoriis, vel de aliqua ſumma, vel ſimilibus: & ſi aliqui ſunt juvenes habiles ad proficiendum, habeant aliquem Lectorem in Grammaticalibus, vel Logicalibus, & ſimilibus, prius ſuper hoc licentia impetrata. Item debet procurare, quod fiat repetitio Lectionum ſemper, vel per eum, vel per alium, vel per alios: vel modo per iſtum, vel modo per alium, vel una lectio per unum, alia repetatur per alium, prout ab ipſo, vel a Priore fuerit ordinatum. Fratres verò qui proficiunt, & non ſunt multum provecti in ſcientia, & maxime juniores, ſunt compellendi, ut repetitioni hujuſmodi interſint.

Circa Profectum Fratrum in ſtudio.

ITem ad ipſum pertinet gerere ſollicitudinem circà Fratres omnes, & ſingulos, quomodo ſe habeant circà ſtudium, vel qui frequentant ſcholas, collationes, diſputationes, repetitiones: vel qui non libenter in cellis reſident, vel ſunt vagi: vel qui ſtudent, in quo ſtudent: qui habent voluntatem proficiendi in ſtudio, & qui non curant: qui ſtudent ordinatè, & qui confuſè: qui circa utilia, qui circa curioſa: qui libenter audiunt vel interrogant, quod neſciunt, & qui non: & quidquid circà hoc, & ſimilia invenerint reprehenſibile in aliquo, ſtudeat emendare, modò per admonitiones ſecretas, & charitativas, modo per accuſationes in Capitulo, & modis aliis, quibus poterit diligenter. Cùm autem fuerint aliqui in Conventu, de quorum profectu in ſtudio multum ſperetur, & ſunt benè morigerati; debet laborare, ut detur eis occaſio, & adjutorium ad proficiendum in ſtudio; juvando eos ad hoc, in quibus poteſt per ſe, & innoteſcendo hoc majoribus, intercedendo pro eis, ut mittantur ad ſtudia meliora, aut parcatur eis ab aliis occupationibus, ut fiant eis aliquæ recreationes (ſi fuerint debiles) ut habeant aliquas licentias ab officio remanendi, & ſimilia, quæ poſſunt ad promotionem valere prædictam. *Hæc fere omnia ad officium Regentis pertinent, juxta Conſtitutiones noſtras diſtinct. 2. cap. 14. de Studentibus.*

Caput XIII.

De Officio Librarii.

Circa Armarium.

OFficium Librarii eſt, habere curam ut poteſt, quod habeatur bonus locus pro Libraria, & ſecurus, & benè aptus contra pluviam, & intemperiem, & copiam habens boni aeris pro libris cuſtodiendis. Armarium autem, in quo libri reponuntur, debet eſſe de lignea materia, ut melius cuſtodiantur à putrefactione, vel nimia humectatione, & habere multa intermedia, & diſtinctiones, in quibus reponantur libri, & ſcripta diverſarum facultatum, & diverſi libri, & hujuſmodi ejuſdem facultatis ſeparatim, & non confuſè, cum ſignationibus debitis factis per ſcripturam: quæ applicanda eſt unicuique interſtitio, ut ſciatur, ubi inveniatur, quod quæritur. Debet autem ipſe cuſtodire clavem hujuſmodi armarii, ſeu Librariæ, & aperire, & claudere tempore ſuo: & habere cellam pro ſtudio (ſi locus eſt aptus) in ipſa libraria: vel propè, ut citiùs inveniatur, cum quæritur pro aliquo negotio ad ſuum officium pertinente.

Circa Libros.

ITem ad ipſum pertinet habere chartam, in qua ſint ſcripti omnes libri Conventus, & cùm augmentantur, vel minuuntur, ſcribere, vel abradere in charta illa, ſicut fuerit faciendum. Hujuſmodi autem chartam debet tradere ſucceſſori ſuo, cum dimittit officium, & accipere à prædeceſſore cùm aſſumit officium de novo: ut ſic ſemper poſſit reddi ratio de libris, cùm exigitur à Prælato: ne per oblivionem eos deperire contingat. Ipſius etiam intereſt habere curam, quod per ſe, vel per alium, ſecundùm ordinationem Prioris reparentur, cooperiantur, & benè ligentur, & ſignentur in unoquoque volumine in tergo cujuſmodi libri, vel liber ſit, vel cujus ſcriptum, vel ſcripta contineantur in illo. & in principio cujuslibet ponatur titulus hujuſmodi: *Iſte liber eſt talis Conventus Fratrum Prædicatorum.* Et ſi fuerit dignum, quod detur libri in memoria habeatur, addatur, & dicatur, *quem dedit talis N. pro anima ſua.* Debet etiam dare operam, quod libri communes ſub eo augmententur, acquirendo eleemoſynas ad hoc aliquas cùm poteſt: vel à Novitiis cùm intrant, & habent libros aliquos: vel laborando, quod de libris Fratrum decedentium aliqui ad uſus communes applicentur, & modis aliis, quibus poterit diligenter. Item debet apponere curam, quod libri, qui non habentur in omni genere facultatum, habeantur. Cùm habentur aliqui duplices, vel tri-

 plices,

plices, de quibus Fratres non multum indigent, retentis melioribus alii cum licentia vendantur, & pretium in alios uſus librorum, qui non habentur, convertatur; & idem fiat de veteribus, vel aliàs parum valentibus. Item ſemel in anno, vel bis, debet omnes recolligere, & ad locum idoneum reportare, cum ſociis ad hoc ſibi deputatis ad vertendum, & ad videndum ne aliquis depereat, vel ne aliquis à vermibus deſtruatur. Quod ſi aliquem invenerit deeſſe, debet diligenter laborare, quod reinueniatur. Si autem aliquis læſus fuerit in aliquo debet apponere curam, quod reparetur, & cavere in poſterùm ab his, quæ libris invenerit nocuiſſe. Et cùm viderit aliquos libros de armario otioſos, debet illos ad armarium reportare. Item ad ipſum pertinet providere, quod in aliquo loco ſilentii, & apto, ſit aliquis pulpitus magnus, vel plures, in quibus ligentur aliqui libri, quibus frequentiùs Fratres indigent cum habentur: ut eſt Biblia gloſſata in toto, vel in parte, Biblia ſine gloſſis, Summæ de Caſibus, Concordantiæ, Interpretationes, Decreta, Decretales Deciſiones morales, Sermones varii de Feſtis, de Dominicis per totum annum; Hiſtoriæ, Sententiæ, Chronica, Paſſiones, & Legendæ Sanctorum; Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſimilia multa ut communius Fratrum in promptu poſſit illa habere. Armarium vero ſic debet apertum tenere certo tempore, vel eſſe juxta eum, vel in ipſo; ut qui volunt aliquid in tranſitu videre in aliis libris, qui ſunt, vel habere ad horam brevem poſſint copiam eorum de facili habere.

Caput XIV.

De Officio Examinatorum.

Officium Examinatorum eſt reddere cautos Fratres, qui aliquem volunt examinari, quod non præſentent aliquem de quo certum ſit, quod non ſit ſufficiens; ne fiat ei, qui talis eſt, confuſio pro nihilo. Illos etiam de quibus veraciter conſtat per certos teſtes, vel facti evidentiam, vel famam publicam, quod ſunt benè ſufficientes, non oportet examinare, ſed referre Priori hujuſmodi certitudinem. Cùm autem de aliquo propter dubium fuerit examinatio facienda, non expedit, quod fiat cum aliqua ſolemnitate, vel acerbè: ſed ità urbanè quod ipſe, qui examinatur, quod ſit examinatus plenariè non advertat, quod fiet quando diviſim, vel etiam ſimul Examinatores eundo per hortum, vel alibi loquuntur latinè cum eo, modo de rumoribus mundi, modo de rebus pertinentibus ad ſcientias, modo de ſcientia aliqua inquirendo, in qua ſtuduit, & quantum, & ubi, & ſub quibus Magiſtris: & ſic intrando quaſi inſenſibiliter ad inquirendum aliquid de ſcientia, in qua ſtuduit, & modo transferendo ſe ad alios rumores, modo revertendo ad propoſitum. Magis autem attendendum eſt ad ingenium, ad facundiam, ad aptitudinem ad addiſcendum, & ad bonam diſpoſitionem ingenii naturalem: quam ad hoc, quod multa audierit, & diù. Poſſunt etiam examinare illos, qui ſciunt ſcribere, imponendo eis, quod faciant aliquam litteram de aliqua materia, quam dent eis quaſi ad videndum quomodo ſciunt ſcribere: & tunc poſſunt ex modo dictandi, aliquid perpendere de ſufficientia illius. Poſſunt etiam inquirere ſi ſciunt cantare, & legere, ut ſi in hujuſmodi ſunt excellentes, poſſit facilius cum eis in alia inſufficientia diſpenſari. Poteſt autem ſufficiens, quo ad ſcientiam reputari quicunque talis eſt, quod ex bono ingenio, & aliis bonis naturalibus, & ex ſcientia jam acquiſita, vel ex aliis, quæ apparent in eo poteſt æſtimari, quod poſſit Theologiam addiſcere, & apud Fratres proficere ad hoc, ut poſſit tantum intelligere de ſcripturis, quod poſſit fieri Prædicator, vel Confeſſor ſecurus. Veruntamen ſecundùm ſtatum, & indigentiam Provinciarum, vel Conventuum, & abundantiam, vel penuriam litteratorum in natione facilius ſunt aliqui recipiendi in uno loco, quam in alio; & poſſunt ſecundùm modum patriæ, alicubi aliqui ſufficientes judicari, qui alibi inſufficientes reputantur. Porro inquiſitio de moribus ſic cautè eſt facienda, vel à ſociis, vel à notis, quod ipſi non aduertant propter quid fiat. Hujuſmodi autem inquiſitio fieri debet maximè circa vitia, quæ ſunt quaſi naturalia, & inſeparabilia: ut innata iracundia, ebrietas; vel à debilitate naturæ proveniens, vel à vitioſa conſuetudine: diſpoſitio ad furioſitatem, vel malitiam, vel percuſſionem, vel hujuſmodi perpetranda; & de receptione talium, & ſimilium, de quorum correctione vix ſpes habetur ſummopere eſt cavendum. Si verò poſt examinationem de ſcientia, & moribus hujuſmodi, videatur Examinatoribus, quod indubitanter recipi debeat examinatus ſic à Conventu: poſſunt antequam plus procedatur, inquirere leviter de illis impedimentis recipiendorum, quæ in Conſtitutionibus ſunt expreſſa; ne forte in vanum ulterius procedatur, ſi tale aliquod habeat, propter quod nullo modo ſit recipiendus. De omnibus autem, quæ invenerint, debent Priori, & Conventui relationem facere fideliter, nec zelo receptionis, & repulſionis in partem aliquam declinare.

Caput XV.

De Officio Circatoris.

Officium Circatoris debet imponi tali Fratri, qui ſit zelator Religionis, & maturus, & induſtrius ad cognoſcendum ea, quæ ſunt Religionis, vel contra; non præceps in zelo ſuo. Hujuſmodi ergo officium eſt circuire per totam Domum, & per omnes officinas, & in Eccleſia exteriori, & ubi Fratres ſolent Confeſſiones audire, vel loqui, vel morari cum exterioribus; & per omnia alia loca infra ambitum clauſuræ exterioris, ſemel vel plures in die; præcipuè cum viderit expedire. Specialiter verò poſt prandium tempore dormitionis id facere tenetur, & notare, ſi alicubi invenerit in quocunque loco aliquid fieri ab aliquo Fratre, ſive majore, ſive minore, quod ſit contra Religionem, vel debitam boneſtatem. Præcipuè autem debet circuire poſt ultimum ſignum, vel cum lumine, cum profunda nox fuerit, vel ſine lumine, cum adhùc dies ſit, per hoſpitium, & infirmitorium: ad videndum, ſi ſunt adhuc in locutionibus, vel aliquibus diſſolutionibus Fratres aliqui; & poſtea ſingula claudenda, ad videndum utrum ſint bene clauſa. Et tempore Matutinarum interdùm per dormitorium, & cellas, ad videndum, ſi aliqui remanſerint in locis iſtis. Ipſius etiam intereſt providere, ne aliquod oſtium faciat inquietitudinem tempore ventoſo; & ponere repagula in oſtiis, & feneſtris, cum fuerint reponenda. Cum autem pluvia ſuperinundat, debet citò ſuccurrere in locis, in quibus maximè nocere poteſt, & præcipuè circa libros. Si aliqui remanſerint in lectis, vel ſi dicunt Matutinas, qui remanent de licentia, loco, & tempore debito, vel ſi qui habent licentiam cauſa ſtudii, vacant ſtudio tunc, vel revertuntur ad lectos. Verum non eſt ejus ſingula circumeundo corrigere, ſed notare, & memo-

riæ

riæ commendare, & proclamare proclamandos in capitulo, & referre graviores diſſolutiones, & magis inſinuatas Prælatis, ut majus apponant conſilium; & tempore viſitationis Provinciali, vel alii Viſitatori ſtatum Domus quo ad Religionis obſervantiam plenius indicare. Poteſt tamen aliquid leve verbum dicere interdùm, vel ſignum aliquod facere in tranſitu, ad diſſolutiones aliquas compeſcendas, & præcipuè poſt ultimum ſignum, vel tempore dormitionis diurnæ. Ad ipſum etiam pertinet diligenter notare, ſi clauſura Domus ſit bona, ſi bona oſtia, ſi bonæ claves ubique: & ſi quid in his emendandum fuerit pro hoc inſtare apud Prælatos frequenter. De claudendis vero oſtiis aliquibus, vel clavibus oſtiorum aliquibus cuſtodiendis, & accipiendis, & reddendis, facere debet prout Prior ordinaverit. Porrò ſi Conventus adeo magnus fuerit, quod unus Circator non ſufficiat, debent aſſignari duo, vel plures; & ità inter ſe dividere officium per loca, & tempora; quod nihil ex mutua confidentia negligatur. Si autem Circatorem recedere contigerit ad breve tempus, debet alicui vices ſuas committere: ſi ad longum tempus, debet ad memoriam reducere Prælato, quod alicui vices ſuas imponat, uſque ad ſuum regreſſum. Item Prior, & Supprior poſſunt, & debent interdum hujuſmodi officium exercere (non obſtante, quod ſit alius Circator) cum eis videbitur expedire.

Caput XVI.

De Officio Cuſtodis Dormitorii.

CUſtodia Dormitorii ſolet injungi Fratribus per ſeptimanas in tabula; vel alicui Converſo, ſeu Clerico, qui ad alia minus utilis invenitur, poteſt injungi ſimpliciter. Hujuſmodi autem officium eſt claudere, & aperire dormitorium ſuis temporibus. Cum autem poſt ultimum ſignum, vel ſecundam menſam tempore dormitionis fuerit claudendum, debet facere cuſtos aliquod ſignum modicum cum clavibus parum antequam claudat, ut ſi qui adhuc extrà ſunt intrare feſtinent. Verum ſi fuerint hoſpites Fratres, debet inveſtigare utrum fuerint expediti, & ſi ſic, propter eos non oportet amplius expectare. Si autem non fuerint expediti, & intrare debent dormitorium; poteſt aliquantulum expectare, & ſignum eis facere, quod feſtinent. Ad eum etiam pertinet claudere, & aperire feneſtras communes dormitorii, & cellarum, & camerarum etiam proprias ſingulorum in abſentia Fratrum, cum fuerint aperiendæ, cauſa aëris, vel pluviæ, vel caloris, vel frigoris, vel venti, vel alicujus inquietudinis, & hujuſmodi. Ipſius etiam intereſt providere, ne aliquod oſtium faciat inquietudinem tempore ventoſo, & ponere repagula in oſtiis, & feneſtris, cum fuerint reponenda. Cum autem pluvia ſuperinundat, debet citò ſuccurrere in locis, in quibus maximè nocere poteſt, & præcipue circa libros. Defectus autem circa oſtia, & feneſtras, & claves, & repagula, & coopercuram dormitorii, cellarum, camerarum, & domorum aliarum, & viarum, ſi quæ ſunt his annexæ, debet ſignificare Priori, & inſtare, ut emendentur. Item ad ipſum pertinet providere de oleo in lampadibus dormitorii, & camerarum, & viis inter hæc: & accendere, & extinguere hujuſmodi lumina tempore ſuo. Item ipſius eſt, ſi aliquæ immunditiæ inveniantur in cameris, quæ ſunt abſtergendæ, vel dormitorium ſit ſcopandum, vel cellæ; hoc per ſe facere, ſi poteſt commodè, vel cum aliis adjutoribus ſibi datis. Item debet habere curam, quod ſic ſemper ſit aptatum dormitorium, quod ſi quos intrare contigerit, nihil ibi videant, quod eorum offendat aſpectum. Et debet aliorum negligentias in hujuſmodi ſupplere, faciendo circa hæc, quod fieri debet; & ipſos ſuper hujuſmodi negligentiis in capitulo proclamare. Item ſi fuerint plura oſtia in dormitorio, debet habere locum ad ſedendum, vel ſtandum propè illud, per quod communius eſt ingreſſus ſecularium de die, & alia ſi fuerint claudenda claudere. Juxta introitum verò illius oſtii, debet eſſe campanula parva, in qua faciant illi, qui introducunt extraneos, vel ipſe ſi præſciverit ingreſſum iſtorum, ſignum, ſi illi Fratres omiſerunt facere ſignum: ut Fratres, qui ſunt in dormitorio, vel in cellis hoc audito caveant ne apud eos aliquid videant, quod eorum offendant aſpectum, & in quo malè ædificentur. Ipſe etiam debet eſſe ſollicitus, ne per illos, qui ſic intrant, vel etiam occaſione aliquorum operum, libros aliquos, vel res alias deperire contingat. Item cauſa ſervandi dormitorium ſecurum, vel ſalvum poteſt remanere à Matutinis, vel aliis Horis, vel à prima menſa, cum neceſſe fuerit, & Prior duxerit ordinandum. Si vero non hoc fuerit viſum Priori, nihilominus cum vadit ad Horas, vel ad menſam, debet habere curam, quod claudantur, quæ claudenda fuerint, vel ponatur ad cuſtodium alius loco ſui. Notare quoque qui aliqua reprehenſibilia habet, vel faciunt circa lectos, & cellas ſuas, & ipſo in capitulo proclamare. Fratribus verò, qui circa ſe ſunt negligentes, aut in coopertoriis, aut in cuſſinis, aut in lecti commoditate aliqua, & ſimilibus, compati debet, & procurare, quod eis melius provideatur.

Caput XVII.

De Officio Portarii.

Circa ſtatum Portarii.

CUſtodia portæ debet injungi tali Fratri Converſo, vel Clerico, ſi poteſt haberi, qui ſit ætate provectus, religioſus, aſpectu gratioſus, & in actibus ſecurus: contra omne vitium, diſcretus in ſenſu, prudens in reſponſis, dulcis in affectu; qui nullum multiplicibus interrogationibus fatiget, nullum dura reſponſione, aut injurioſa, vel ruſtica colluſione commoveat: qui ſcandalizatos ſciat placare, & omnes cum eo moram aliquam contrahentes, vel eidem ſe applicantes, verbis, & factis ædificare ſufficiat. Hic debet habere locum aliquem aptum juxtà portam intrinſecus, in quo cùm non habeat aliam operationem, operetur aliquid, ſi eſt Converſus, vel legat, vel ſcribat, vel aliud honeſtum faciat, ſi eſt Clericus. Non autem debet eſſe vagus, ſed ibi continue reſidere: niſi forte ex cauſa rationabili interdùm declinet, & alium, vel ſocium, ſi habet loco ſui, ponat. Cum autem alibi eum declinare oportet, & nullus ibidem remanet, ſic debet oſtium firmare, quod nullus ante ſuum introitum poſſit intrare. In hoc quoque loco, cum ſocium non habuerit, poterit tempore dormitionis diurnæ remanere, propter advenientes: vel vigilare, vel paululùm dormitare, & in nocte à Matutinis remanere, niſi per Priorem aliter fuerit ordinatum, videlicet, ut de die dormiat, & aliquis ſit in loco illa hora pro eo: & hoc idem ſervetur de remanendo à prima menſa, & collatione, hoc addito; quod cum comedit in ſecunda menſa, ordinetur, qui tunc portam cuſtodiat loco ejus. Si autem ſocium habuerit Fratrem, tunc per ſeptimanas poſſunt dividere quis de die lectum intret, & in prima menſa comedat, & interſit collationi communi. Si verò fuerit ſecularis ſocius, tunc ſecundùm ordinationem Prioris fiat de dormiendo de die, & comedendo in prima

menſa, & de conveniendo ad collationem communem: ita quod ſocius ſemper portam cuſtodiat, cum ipſe fuerit abſens. Porrò ab Horis diurnis, & Miſſa ſemper remanere poteſt, ſi fuerit Converſus, & Miſſam audire in mane privatam, antequam in ſuo officio eum oporteat occupari Si autem fuerit Clericus, eodem modo ab Horis poteſt remanere, niſi propter paucitatem Fratrum ſit ejus præſentia interdùm neceſſaria: & ſemper Miſſam audiat Conventualem, vel privatam; ita tamen, quod in his caſibus, aliquis ſit in porta loco ejus. Si fuerint duo Fratres ad portam, tunc ſi ſunt ambo Clerici, vel unus, ſemper Clericus unus ſit in Miſſa majori, ſi poteſt alius competenter ſupplere, quæ tunc circa portæ cuſtodiam ſunt agenda.

Circa multa Officia ejus.

ITem ad eum pertinet habere curam de portis, per quas eſt ingreſſus ad curiam exteriorem, & ad clauſtrum claudendis, & aperiendis ſuo tempore; & claves vel ſervare, vel tradere illi ſervandas, de quo Prior ordinaverit. Si aliqui de nocte pulſaverint ad intrandum, vel exire voluerint, debet inveſtigare cauſas, & cum difficultate, & non ſine licentia ſpeciali tunc alicui aperire.

Item, cum aliqui Clerici, vel Religioſi, vel peregrini tranſeuntes petunt hoſpitium, vel comeſtionem, debet vel urbanè oſtendendo paupertatem Domus, vel conſuetudinem contrariam eos expedire: vel procurare, quod petunt, ab illis, ad quos pertinet, ſi fuerint perſonæ dignæ, vel de ſcandalo, ſi non fiat, timeatur. Cùm autem aliqui recipiuntur ad comedendum ad portam intus, vel extra, debet gerere curam de miniſtrando eis charitative, & munde, quod fuerit miniſtrandum, & curialiter licentiare, cùm fuerint expediti. Item ipſius eſt cum omnibus, qui cum eo reſident, vel moram contrahunt, aliquid loqui de Deo; & cavere, ne quis ſcandalizatus recedat ab eo. Item, cùm videt aliquos per Domum diſcurrentes, debet eos pacificè, & curialiter revocare. Eos verò qui quandoque intrant ſine licentia, & non conſueverint licentiari ad intrandum, debet ſimiliter pacificè, & manſuetè inducere ad egreſſum. Cum pulſatur ad portam, cito debet adeſſe per feneſtram parvam aliquam, (quæ ſemper debet eſſe in oſtio,) antequam oſtium aperiat, reſpicere perſonam pulſantis; & ſi fuerint tales, quas non oportet introduci, ut mulieres, & viles perſonæ, debet eis ſatisfacere ſicut poterit in his, quæ petunt, ſine introductione. Cum autem introducendi fuerint, ſi ſunt perſonæ excellentes, ducat eos ad Capitulum, & advocet illis Fratres, qui fuerint advocandi. Si fuerint perſonæ mediocres, remaneant prope portam, & ibi advocentur ad eos, qui fuerint advocandi. Si vero Prælati, vel Religioſi, primo ducantur ad Eccleſiam ad orandum, quam ad Capitulum. Si vero fuerint Fratres extranei, ducantur ad Eccleſiam, & quæratur qui det eis benedictionem, & ſignificetur ſtatim hoſpitium receptori. Si vero perſona fuerit excellens, ut Epiſcopus, vel Abbas, vel vir nobilis, magnus amicus Fratrum, vel ſimilis; dum venerit ad Domum Fratrum, debet hoc indicare Prælato, etiam ſi non petatur ab eis Item in recipiendo advenientes, debet habere modos diverſos ſecundum differentiam perſonarum: omnes quidem in primo occurſu, debet affabiliter recipere, & jucunde, ſi vero fuerint Religioſi cum humili inclinatione, & reverentia. Si Epiſcopi, vel Abbates excellentes, cum majori humiliatione, vel oſculando manus, vel flectendo genua, ſecundum morem patriæ. Si Fratres Minores, vel noſtri extranei, vel magni familiares, cum ſummo gaudio, & charitate magna. Si fuerint Principes, vel ſublimes in ſtatu ſæculari, cum magno honore tam per ſe, quam per alios Fratres, ad hoc idem per ipſum invitatos. Debet etiam habere magnam ſollicitudinem de cognoſcendis familiaribus Fratrum, ut cum venerint, nullus defectus fiat circa eorum receptionem: & debet Fratribus qui non cognoſcunt eos, eorum notitiam dare; & Prælatos incitare ad oſtendendum eis omnem familiaritatem, & humanitatem in hoſpitio, & in aliis quibuſcunque. Item in vocando Fratres ad portam, debet ſervare modum, qui à Prælato fuerit ordinatus. Ordinant autem Prælati quandoque ex cauſa, quod aliqui Fratres nunquam vadant ad portam, aut nunquam ad mulieres, aut nunquam ad talem, vel talem perſonam, aut numquam niſi prius dicatur eis, talis aut talis vocatur à tali: quandoque autem dant licentiam aliquibus, ut Confeſſoribus, vel aliis, qui poſſint ire, quandocunque vocantur: de aliis volunt, ut non vadant ſine licentia ſpeciali, primo quæſita à Portario, non à Fratre, vel è contrario ab ipſo, non à Portario. In his ergo, & ſimilibus obſervare debet Domus conſuetudinem, & ordinationem Prioris. Item ipſius intereſt notare Fratres, qui in aliquo excedunt circa portam, aut nimis loquendo cum mulieribus, frequenter, & leviter veniendo, & morando in porta aut qui duros ſe exhibent ad veniendum ad Confeſſionem, & ſimilia, & referre Prælatis, vel proclamare interdum, vel facere proclamari eoſdem. Si quis etiam ſit defectus in feris, in portis, in clavibus, & repagulis pertinentibus ad ſuum officium, debet hoc indicare Priori, & inſtare, quod emendetur. Porro ſi duo, vel plures fuerint Portarii, debent onera, & officia ita inter ſe dividere, quod in ſpe alterius, alter defectum non faciat, ſed fiant omnia plene, & ordinate.

CAPUT XVIII.

De Officio Depoſitariorum.

CUſtodia Depoſitorum ſolet imponi duobus, vel tribus Fratribus, diſcretis, & ſecuris, quorum quilibet debet habere clavem unam de loco depoſiti, nec alii committere, ſed apud ſe diligenter cuſtodire. Iſti autem debent habere curam, quod locus depoſitorum ſit ita firmus, & ſecurus in omnem eventum, quod nec ab interioribus, nec ab exterioribus, poſſit aliquatenus temeraria manus ad Depoſitum aliquod unquam extendi. Porro in recipiendo Depoſita, cavere debent ne unquam recipiant aliquod depoſitum ſine licentia ſpeciali, vel generali: nec depoſita recipiant, quæ ſecundùm Conſtitutiones noſtras recipi non debent, niſi fortè ex depoſitione Prælati expreſſe facta ſuper hoc, interdum ex cauſa. Item ſecurius eſt quod ſemper illud, quod recipitur, recipiatur ſignatum, vel clauſum quam aliter; quia in rebus, quæ ſunt in pondere, numero, & menſura, ſi aliter reciperentur, videretur ſecundùm jura, quod periculum tranſiret ad depoſitarium, & non apud deponentem remaneret, & ideò ſi periret, poſſet agi contra depoſitarium, ſicut de commodato. Item debet in aliquo memoriali ſubſcribi cujus ſit Depoſitum, & quid inde depones ordinaverit, de reddendo ſibi, vel alii: vel quid inde ſit faciendum, ſi contigerit non repeti, vel deponentem mori. Item ſolet interdùm per chirographum cujus una pars ſit apud deponentem, alia apud Depoſitarium, ordinari de depoſito, ſecundùm voluntatem

tatem deponentis, de modo reddendi; licèt iſtud, ſecundùm jura non reputetur multum efficax ad aliquod probandum. Item cavendum eſt depoſitariis, ne unquam aliquid accipiant de depoſito, nec etiam pro mutuo, ſine voluntate deponentis, nec depoſitarius tenetur ſuper hoc in contrarium obedire Prælato. Item Depoſitum ſemper reddi debet ſecundùm formam traditam à deponente, niſi in caſibus quatuor exceptis à jure. Primus eſt, cum quis gladium deponit, & furens repetit. Secundus, cùm deponens fuerit deportatus, nam bona ejus tunc in publicum deferuntur. Tertius eſt cum fur deponit, & repetit, ſed repetitio domini cum fure concurrit. Quartus, cùm fur rem furtivam deponit apud illum, à quo ſurripuit. Et ſciendum quia ſi res deponitur præſente Prælato, & Capitulo, tenetur Eccleſia illa depoſito, aliter non; niſi ſolus ille, vel illi apud quos deponitur, ut Sacriſta, Theſaurarius, & hujuſmodi. Cùm autem redditur depoſitum, ſemper ſub bono teſtimonio reddi debet, propter calumnias evitandas, quæ naſci poſſent, ſi aliter fieret.

CAPUT XIX.

De Officio Procuratoris.

PRocurator licet verſetur circa temporalia, tamen quantæ virtutis debeat eſſe, debet conſiderari ex verbis Beati Benedicti, de ſtatu Cellerarii (qui apud nos Procurator vocatur) ſic loquentis: *Cellerarius Monaſterii eligatur de congregatione, ſapiens, maturus moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injurioſus, non tardus, non prodigus: ſed timens Deum, qui in congregatione ſicut pater curam gerat de omnibus: ſine juſſione Patris nihil faciat, quæ jubentur, cuſtodiat, Fratres non contriſtet.* Si quis Frater ab eo fortè irrationabiliter aliqua poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed cum humilitate male petenti deneget: animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius Apoſtolici præcepti: *Qui bene miniſtrat, gratum bonum ſibi acquirit.* Infirmorum, hoſpitum, pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quod pro his omnibus in die judicii rationem redditurus eſt. Omnia vaſa Monaſterii, cunctamque ſubſtantiam, ac ſi Altaris vaſa ſacrata conſpiciat, nihil ducat negligendum, nec avaritiæ ſtudeat, nec prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ Monaſterii, ſed omnia menſuratè faciat ſecundùm juſſionem Abbatis ſui. Humilitatem autem ſuper omnia habeat, & cùm ex ſubſtantia non eſt quod tribuatur, ſermo bonus reſponſionis porrigatur, ut ſcriptum eſt: *Sermo bonus, ſuper datum optimum.* Omnia quæ ei injunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua, à quibus eum prohibuerit, non præſumat Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat, ut non ſcandalizentur, memor eloquii Divini, quid mereatur, *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Si congregatio fuerit magna, dentur ei ſolatia, à quibus adjutus, & ipſe æquo animo adimpleat officium ſuum. Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt, ut nemo perturbetur, neque contriſtetur in Domo Domini.

Circa Actus multiplices.

AD hujus officium pertinet, recipere omnia, quæ dantur Domui, vel procurantur, vel obveniunt quoquomodo: niſi quandò fortè Prior in aliquo aliter interdùm duxerit ordinandum. Item facere, & ſolvere omnes expenſas, quæ fiunt in Domo, niſi fortè circa Sacriſtiam, vel opera, vel alia hujuſmodi Prior aliter ordinaverit. Item recitare fideliter beneficia omnium in Capitulo. Item computare de omnibus coram Priore, & Suppriore, & Fratribus conſiliariis, quoties ipſis viſum fuerit, & debet habere proprium ſcriptum, in quo recepta, & expenſa ſollicitè ſcribat quotidiè, ne per oblivionem aliquid omittatur; in quo etiam ſtatus Domus quo ad ea quæ debentur eidem, diligenter, & per ſingula apertè deſcribat. Item ipſius intereſt emere omnia, quæ emenda ſunt tempore ſuo, ut ligna, oleum, corium, & ſimilia, quæ ſolent emi. Similiter vendere, ſi quæ vendenda fuerint, de his quæ ſub manu ejus ſunt, ut bladum interdùm, vel vinum ſuperfluum, & hujuſmodi. Item cùm inſtat tempus ad procurandum in aliquo, vel quærere; debet ſuggerere Prælatis tempeſtive, quod ordinent de Fratribus ad hoc mittendis. Cùm autem aliqua quæſita fuerint, debet habere curam qualiter apportentur, & apportata qualiter in locis debitis reponantur, & conſerventur. Item debet habere ſollicitudinem generalem, ne aliquæ res ex mala cuſtodia depereant, vel male tractentur, ne fiant ſuperfluitates in hoſpitio, vel infirmitorio, vel alibi, & ea quæ remanent, diligenter recolligantur: quod officiales particulares, ut ſervitor hoſpitum, ſervitor infirmorum, Coquinarius, Refectorarius, & ſimiles, officia ſua diligenter faciant; & ad hæc videnda interdùm diſcurrere debet per officinas, & ſupplere defectus eorum, & ſemper hujuſmodi facere proclamationes in Capitulo. Item ipſius eſt habere ſpecialem curam quotidie de Conventu, & hoſpitibus, ſi fuerint procurandi, & de pictantiis, ſecundùm poſſibilitatem Domus, & Prioris ordinationem faciendis. Circa horam verò prandii debet ſemper viſitare coquinam, & ſi res non ſunt paratæ, facere differri pulſationem cymbali. Et cum viderit expedire, vel cauſâ hoſpitum, vel Conventus, ut juvet in coquina, ut melius fiant omnia, poteſt à prima menſa remanere. Ad ipſum autem pertinet tempore minutionis generalis, vel particularis, tempore raſuræ, tempore lotionis pedum, vel capitum Conventus, tempore ignis faciendi propter frigus pro Conventu, cogitare, & providere de neceſſariis ad hoc, & pro miniſtris ad hoc neceſſariis requirere Prælatum, ut eos aſſignet, vel in tabula pronuncientur. Item debet habere curam de cognoſcendis amicis Fratrum, & familiaribus: & cum ad Domum veniunt, eos honorificè, & devotè recipere, & tractare. Licet autem ſine licentia generali, vel ſpeciali nihil dare debeat, tamen debet conſiderare, quibus expediat aliquando aliqua ſervitia fieri, vel de fructibus horti, vel de mittenda aliqua pictantia, vel faciendo aliquam remunerationem pro ſervitiis exhibitis, vel in domo à gartionibus, vel extra ab aliquibus pauperibus, licet gratis: & ſimilia, & ſuggerere Priori, quod bonum videbitur in hac parte, & cum licentia ejus facere, quod fuerit faciendum. Circa gartiones debet habere diligentiam, ut videat qui valent, qui utiles, qui fideles, qui neceſſarii, qui ſuperflui, qui religioſi, qui irreligioſi, qui ſuſpecti, qui ſecuri ſunt: & quod ei videbitur bonum de abjiciendis, de retinendis, de recipiendis de novo, ſuggerere Priori; & cum conſilio, & licentia jus facere, quod fuerit faciendum. Item ad ipſum pertinet juxta poſſe ſuum procurare per ſe, & per alios utilitatem Domus in teſtamentis, & aliis modis, quibus poterit, juxta modum, qui fuerit conſuetus in Domo.

Caput XX.

De Officio Conſiliariorum.

QUædam modica frequenter oriuntur in Religione, quæ Prælatus poteſt ſine conſenſu aliorum expedire. Quædam vero ſunt adeo magna, quod nullo modo debent ſine conſilio Conventus expediri: quædam vero media, ad quæ expedienda ſolent aſſignari Fratres aliqui à Conventu, de quorum conſilio, quæ hujuſmodi ſunt expediantur, ne vel Conventus in hujuſmodi nimis fatigetur, vel Prælatus pro ſuo libitu faciens iſta, minus ſapienter procedat. Debent ergo ad hoc aſſignari, ſi poſſibile ſit, Fratres, qui bonæ ſint diſcretionis, exercitati in agendis, amatores boni, in ſenſu ſuo non nimis abundantes, authoritatis competentis, & qui Dei ſpiritum habere credantur. Porro ad horum officium pertinet audire cum Priore, Suppriore, & Procuratore computationem, & ſcire ſtatum Domus in his, quæ habentur, & quæ debet Domus. Item dare conſilium circa ædificia, circa officiales creandos, vel abſolvendos, & mutandos, circa Fratres ad Ordines promovendos, circa miſſionem Fratrum, & combinationem: vel cauſa prædicationis, vel quæſtus, circa familiam recipiendam, vel abjiciendam, vel ſuſtinendam, circa proviſiones in neceſſariis emendis, vel procurandis, circa diſtributionem librorum Fratrum defunctorum, & ſimilia, in quibus neceſſario non requiritur de jure conſenſus Conventus. Porro in apponendo ſigillum Conventus alicui litteræ, vel chartæ, in alienatione, vel emptione rerum immobilium, & mobilium, in magna ſumma, in receptione Fratrum, & ſimilium, in quibus requiritur de jure conſenſus Capituli, cavere debent, ne dent conſilium ſine licentia, & cum ſcientia Conventus (niſi forte ſuper his commiſſionem habeant à Conventu) ſed referre debent talia ad Conventum.

Caput XXI.

De Officio Eleemoſynarii.

Circa petitionem eleemoſynæ.

ELeemoſynarius dicitur, qui habet petere eleemoſynam. Porro ad illud officium debet poni talis Frater Converſus, qui ſit ſecurus contra omne peccatum, affabilis in verbis, amabilis, & honeſtæ converſationis inter homines, qui ſufficiat aliqua verba ædificatoria ſimplicia interdum dicere: prudens in obſervando quid, & quando, & qualiter, & à quibus petere debeat, non importunus notabiliter in petendo, nec tædiuſum ſe reddens hominibus; nec de fructu ſui laboris, & induſtriæ ſuperbiens inter Fratres. Ad hujuſmodi officium pertinet eſſe ſollicitum qualiter caute, & religioſe melius poſſit procurare eleemoſynas pro Fratribus, ſive in pane, ſive in pictantiis, ſive pro infirmis, ſive in denariis, ſive in aliis rebus ſecundùm morem patriæ, & ordinationem Prioris. Quod autem in pecunia acquirit, debet ſecundùm ordinationem Prioris, vel in pane, vel in aliis neceſſariis expendere, vel Procuratori tradere. Debet autem ſibi familiares acquirere, qui eum, & Domum juvent, & dirigant interdum in procurando aliquas eleemoſynas de teſtamentis, vel aliis eleemoſynis. Item eundo per villam, non ſe debet à Socio ſeparare, maxime cum aliquam domum intrat; & cavere debet ne unquam cum mulieribus longas collocutiones habeat, vel frequentes, ſedens cum eiſdem. Ubi autem eſt conſuetudo, quod petitur eleemoſyna panis, clamando pro Fratribus, debet ſub nomine Prædicatorum, & non alio. Ad Magnates autem cum tranſeunt, non debet pro eleemoſyna accedere, niſi prius habita collatione cum Prælato. Et cum accedit, debet explorare modum Curiæ illorum virorum, videlicet utrum in propria perſona ſoleat ab eis peti eleemoſyna, vel ab eleemoſynariis ſuis, vel aliis de curia ſua, & conſuetudinem curiæ ſervare. Item cum Fratres habent aliquid mandare, vel explorare aliqua quæ per eos expediri poſſunt, & procurari in villa, debet hoc libenter expedire, ne diſcurſus per alios oporteat multiplicari.

Circa largitionem eleemoſynarum.

POrro ad largiendam eleemoſynam communem ſecundùm poſſibilitatem Domus, ſolet Frater aliquis aſſignari: vel idem, qui habet petere eleemoſynas, aut alius qui ſit pius in compatiendo, manſuetus in tolerando improbitates, & moleſtias petentium, diſcretus in diſtribuendo, ſollicitus in congregando, quæ fuerint largienda. Ad hujus officium pertinet recolligere debito tempore in Refectorio, in procuratione, in hoſpitio, in infirmitorio, in coquina; tam Conventus, quam infirmariæ, in domo familiæ, & ubicumque ſolet in domo comedi, ea quæ remanent ad eleemoſynam pertinentia: & ſervare munde, & honeſte in vaſis propriis ad hoc deputatis, in loco honeſto uſque ad tempus diſtributionis. Ea vero, quæ in infirmitorio colliguntur, in quibus aliquid de carnibus, vel brodio carnium poteſt inveniri, ſic debet ſemper ſeparare, & cuſtodire, & dare alicubi in villa, non in porta ſecundùm conſilium Prioris: ita quod nunquam aliquid mixtum de iſtis, inveniatur in eleemoſyna communi. Eleemoſyna communis ſecundùm morem patriæ, & ordinationem Prælati, debent, vel certis perſonis dari, vel ad eleemoſynam venientibus ad portam, certis diebus, & horis, & locis ad hoc aſſignatis. Cum autem datur ad portam, cavere debet, ne ingerentes ſe improbe, vel tumultum facientes percutiat, vel aſperis verbis corripiat, ſed cum omni patientia eos ordinare, & pacifice faciens reſidere, miniſtret charitative quod habet, & de verbis dulcibus conſoletur eos. Si qui verò inter iſtos veniunt, qui videbitur magis reverendæ, & verecundæ perſonæ; ad partem eos ſegreget, miniſtrans eis honorabilibus, quod poterit, & à verecundia ipſis caveat prout poteſt. Infirmis vero, & magis miſerabilibus, abundantius prout poteſt aliquid debet dare. Item debet ſollicite curare, ne ea, quæ debent in eleemoſyna dari, per negligentiam pereant, vel in uſus alios transferantur. Diligenter etiam debet conſiderare, ſi ſit aliquid in Domo, ſive legumina, ſive herbæ in horto, ſive alia quæcunque non ſint neceſſaria Fratribus, & inſtare apud Prælatum, quòd hujuſmodi in eleemoſynas largiantur.

Caput XXII.

De Officio Refectorarii.

Circa Menſam Conventualem ordinariam.

AD officium Refectorarij ponendus eſt Frater Clericus, vel Converſus, qui ſit induſtrius, & diligens ad faciendum honeſte, quæ hujuſmodi requirit officium. Porro ad ipſum pertinet præparare menſam tempeſtive ante comeſtionem, decenter, & munde: & ſic plene in ea ſingula ponenda collocare, quod ſervitores non habeant ponere niſi pulmenta, ſalſas, & pictantias. Proinde debet à principio aptare mappas, ponere panem, & vinum ubi uſus eſt vini: vel in ſingulis vaſis pro ſingulis Fratribus; vel in vaſe uno pro multis, ſecundùm conſuetudinem, & ſcyphos. Item ſal, & aquam in tot vaſis, quot competenter poſſint habere, qui voluerint. Item cochlearia, cum fuerint apponenda aliqua, ad quæ ſunt neceſſaria. Item candе-

Digitized by Google

delas cum decentibus candelabris cum cœnatur, vel ſit collatio tarde, tot, quot ſufficienter illuminent unumquemque. Sic autem aptandæ ſunt mappæ, quod à parte interiori remaneat tantum de menſa nudum, quod vaſa pro vino, pro ſale, pro aqua, pro candelabris, & oſſa fructuum, & paraturæ pomorum, & hujuſmodi inutilia remanentia, ibidem valeant collocari, ne mappam deturpent. Alia vero prædicta, quæ ſuper mappam collocantur, debent cooperiri de parte mappæ dependente, ſuper illa replicata honeſte, quouſque Fratres ſedentes partem illam replicent ſuper genua. Debet etiam habere curam, quod tempore magni frigoris, quando Prior dederit licentiam, ut ſtupha Refectorii calefiat (ubi eſt uſus ſtupharum) vel ubi non eſt uſus hujuſmodi, carbones accenſi habeantur in Refectorio in patellis congruis deferendis per ſervitores: & in aliquo vaſe, vel in aliquibus aqua calida, vinum calidum pro illis, qui voluerint vinum ſuum calefacere. Debet etiam expedire in ſolo caputio, & frequenter circuire per menſas ad videndum ſi deeſt aliquid alicui de communi: vel ſi quis aliquid dimittit, illud reportet, vel det alii, qui non habuerit. Si qui vero fuerint Fratres, qui propter infirmitatem, vel alia de cauſa, de licentia utantur aliquibus aliisquam communibus, vel aliter paratis; debet eſſe ſollicitus circa illos, ut ſciat ſine defectu, prout Prior duxerit ordinandum, & debet circumeundo curam Prælato ſe præſentare frequenter, ad videndum, ſi quid dixerit ei faciendum. Cum aliquis Frater tarde venit, & non audet intrare ſine licentia, ipſius eſt petere pro eo licentiam, & providere de loco, ſi forte ſedes omnes fuerint occupatæ, & eidem miſtrare, vel ſervitoribus hoc ſuggerere. Si autem aliquos extraneos contingit in Refectorio comedere, tunc magis debet eſſe ſollicitus, ne ibi videant aliquid quod eos minus ædificet, & ſecundum eorum ſtatum magis curare de eis, & Priori reducere ad memoriam, ſi vult eis mittere aliquid vel vult eis aliquid melius miniſtrari, in pane meliori, vel aliis quibuſcumque. Porro ea, quæ remanent, & recolliguntur de menſa, quæ non deferuntur ad coquinam, ipſius eſt ſervare, & ſequeſtrare: ſeorſim ponendo ea, quæ pertinent ad eleemoſynam, & alia, quæ poſſunt iterum Fratribus dari, & illa, quæ magis competunt familiæ, vel operariis, quando ſunt tales, quibus provideatur in cibo, vel in in hujuſmodi uſus alios reſervare. Cæterum cum Fratres conveniunt ſolum cauſa collationis, vel in die Paraſceves ad Refectorium, non ſunt mappæ ponendæ; niſi ſolum ea, quæ pertinent ad horam illam, & diem.

Circa menſam extraordinariam.

ITem ipſius eſt ſervire Novitiis, & illis, cum quibus diſpenſatur, ut bis comedant tempore jejunii: & certo tempore ad hoc facere ſignum, & præparare ea, quæ fuerint præparanda ſine defectu; & miniſtrare illis prout à Priore fuerit ordinatum. Si autem aliquos Fratres cum licentia contingat præoccupare horam comeſtionis cauſa egrediendi, vel poſt utramque menſam venire, & comedere in Refectorio: debet iſtis ſervire, & adſtare ipſis; & ea, quæ Conventus ſunt eiſdem miniſtrare. Si aliquis extraneus ibi de licentia comedat, debet eidem ſervire, & miniſtrare, ſecundum ſtatum perſonæ ſuæ, & familiaritatem ad Fratres, plus, vel minus. Debet autem cum tanta diſciplina, & religione ſe habere in omnibus, ne occaſione officii frangat ſilentium cum aliquibus; nec clamet alte pro negotio, nec ad feneſtram coquinæ tumultuosè, nec multum, niſi de neceſſariis loquatur. Benignè autem, & manſuetè ſe habeat ad omnes, & charitative, & hilariter ſerviat, & faciat, quæ fuerint facienda. Caveat autem ſollicite, ne alicui, vel in menſa ordinaria, vel extra miniſtret, niſi quæ ſecundum ordinem fuerint, nec miniſtrare permittat. Et licet ab acceptione perſonarum ſit ei cavendum, tamen Novitiis, & magis indigentibus debet oſtendere ampliora viſcera charitatis.

Circa Domum Procurationis, ſive Diſpenſam.

ITem ipſius eſt habere domunculam juxta Refectorium, quæ dicitur Domus Procurationis, vel Diſpenſa, quam debet mundam habere, & ſic aptare modis diverſis in feneſtris, in perticis, & in armariis, & in arcis, & ſimilibus; quod commode poſſint ibi ſervari, & collocari, quæ ſunt ibi ſervanda, vel reponenda. In hac verò debet ſervare panem, & miniſtrare per totam Domum ubicumque fuerit miniſtrandus: hoc ſervato moderamine, quod in infirmitorio, meliorem infirmis miniſtret, ubi varietas & panis habetur. In hac etiam debet ſervare caſeos, fructus, & cæpas, & hujuſmodi, quæ ſibi traduntur à Procuratore, vel quotidie, vel certis diebus, ſecundum ejus ordinationem miniſtranda. In hac etiam debet ſervare mappas, caniſtros, utenſilia neceſſaria ad ſuum officium, niſi fortè in Refectorio reponantur in alio loco apto. Tempore quoque comeſtionis, vel collationis inſtante, debet de cellario vinum apportare ad hanc: & ſi temperatum non fuerit temperare, & inde in Refectorio miniſtrare; vel tradere ſervitoribus miniſtrandum. Ibi etiam debet in certo loco reſervare ea, quæ pertinent ad eleemoſynam, quæ de Refectorio colliguntur, ut eleemoſynarius inde accipiat tempore opportuno.

Circa Lavatorium, & munditias, & alia quædam.

ITem ad ipſum pertinet providere de aqua in lavatorio, & ipſum lavatorium frequenter mundare, & mundum ſervare. Item de manutergiis in clauſtro providere, & illa frequenter mundare, & interdùm alicubi removere certa jura, propter advenientes ea deturpantes. Item debet providere, quod mappæ de Refectorio laventur, & mundentur tempore congruo, & quod juſtæ, & lagenæ, & ſcyphi pro ſale, & aqua, & utenſilia, & cætera omnia, quæ ad Refectorium pertinent, laventur, & tergantur, & munda ſerventur; & Refectorium, & Procurationis Domus ſcopentur, & ab araneis, muribus, & hujuſmodi immunditiis laventur, vel purgentur ſæpe, & diligenter, prout requirit neceſſitas. Cùm autem Magnates comedunt in Refectorio, debet providere, quod ſemper pulchras mappas, & bonellas, ſcyphos, & ſcutellas, & cochlearia, & hujuſmodi habeant in menſa ſua: inſuper pulchra manutergia debet habere, quæ ante eos ponantur cum comedunt; & alia ſimilia, quæ eis apponantur in manuum lotione. Debet quoque ſollicitare Coquinarios, ut ſic tempeſtive parent omnia, quod facto ſigno in Eccleſia omnia ſint parata, & ipſo audito, & inquiſito utrum ſint omnia parata, ſine mora debet cymbalum pulſare, ſi omnia ſunt parata, ne Fratres otioſi ſpectent. Et hujuſmodi mora ſimiliter cavendum eſt in pulſando cymbalum ad collationem, poſt ſignum factum in Eccleſia. Ad ipſum etiam pertinet habere curam, quod ſedes aptæ habeantur in clauſtro, in quibus ſedeant Fratres poſt manuum lotionem. Cum autem aliquid aptandum fuerit in refectorio, vel extra, vel aliqua emendanda, vel reficienda, circa ea, quæ pertinent

ad officium ſuum debet pro his inſtare ſollicite apud Procuratorem, vel Prælatum, ſi negligens fuerit Procurator. Cùm autem ſcit aliquos extraneos debere comedere in refectorio, vel debere xenia deferre, vel aliàs intraturos; debet Priorem cautum reddere, ne aliquos ſedere in terra permittat: quod ſi aliqui redierint jam, & alii debeant ſupervenire, debet hoc Priori dicere antequam aliquos intrare contingat. Debet quoque vel ſemper certis ſic adſtare in refectorio, vel circa illud, quod cùm neceſſe fuerit, poſſit facilè reperiri: præcipuè ubi magnus eſt Conventus, & multæ ocupationes circa refecturium occurrunt. Ubi verò propter paucitatem Fratrum modica ſunt agenda, debet cum circa refectorium non eſt occupatus, in aliis occupari libenter.

Caput XXIII.

De Officio Servitoris Menſæ.

Circa primam Menſam.

SErvitor, ſeu Servitores primæ menſæ, audito ſigno poſt Horas in Eccleſia facto, debent feſtinè ad refectorium ire, & remota cappa in caputio ſolo remanentes, juvare Refectorarium, in faciendis, quæ ad eum pertinent circa illam horam, ſi fortè illa non complevit. Pulſato vero cymbalo debent incipere ponere ſcutellas, incipiendo à menſa Prioris (præcipuè ubi eſt magnus Conventus) niſi fortè propter magnum frigus, & muſcas interdum dimittant; & ſi neceſſe fuerit aliquos de Fratribus, qui manus jam laverint, ad adjuvandum ſe in hoc advocare. Facta autem benedictione, & reſidentibus Fratribus ſcutellas quæ poſitæ non fuerint, ponant: vel ſi nullæ poſitæ fuerint feſtinè, & mature eaſdem apportare debent, incipiendo tunc ab inferioribus. Collocatis vero primis ſcutellis ſine mora longa apportare debent quidquid eſt iterum apportandum ante remotionem primarum ſcutellarum; ita quod ſi falſa fuerint apportanda ſeparatim ab alio, cum ferculo illo, vel ante opporteur; & idem eſt obſervandum in tertio, vel ultimo ferculo, ſi fuerint appurtanda in comparatione ad præcedens. Cum autem communiter videntur Fratres expediti de pulmento, vel alio ferculo, tunc primo debent illud communiter removere; caventes ne removeant aliquid à conſpectu Fratris, qui illud non elongaverit à ſe, & amplius non videatur curare de illo. Ipſorum etiam eſt circuire cum aliud non habent facere, ad videndum ſi deeſt aliquid, vel aliquis aliquid dicere velit. Appropinquante autem fine primæ menſæ, cum omnia vaſa, in quibus miniſtratur apportaverint ad coquinam, debent fructus, ſi qui fuerint ſupra in caniſtris, vel aliis vaſis decedentibus, & paraturas fructuum, & teſtas ovorum, & nucum, vel hujuſmodi, & inutilia in aliis vaſis decentibus recolligere ſeparatim, & ad procurationem deferre. Tandem cum Fratres communiter ceſſant comedere, in ſportis, vel aliis vaſis boneſtis recolligere panis particulas, quæ ſuperſunt. Attendendum autem eſt eis in omnibus, quod diſciplinare ſe habeant, & mature incedant: ne in frangendo ſilentium, vel clamando, vel tumultuando ad feneſtram coquinæ, vel contendendo cum aliquo, vel frangendo, vel effundendo aliquid, aliquem ſcandalizent, & præcipue cum extraneos contigerit intereſſe: circa quos magis debent eſſe ſolliciti, & tanto plus, quanto fuerint honeſtiores, vel excellentiores perſonæ. Ipſorum etiam eſt tempore comeſtionis primæ menſæ curam habere de oſtiis, & feneſtris claudendis, & aperiendis, prout fuerit opportunum, & de catis, & de hujuſmodi animalibus excludendis. Cum autem plures ſunt Servitores ſcripti, ubi propter paucitatem Fratrum unus tantum ſufficit; debent inter ſe ordinare, quod unus interdum comedat, & alter ſerviat viciſſim. Porro ad ſervitores ſecundæ menſæ pertinet, quod egreſſo Conventu de refectorio ipſi remaneant, & ibidem gratiis redditis remotis cappis parent menſam, in qua debent comedere, qui comeſturi ſunt in ſecunda menſa: & ipſis ſerviant portando, & reportando, & alia faciendo, quæ dicta ſunt ſupra de ſervitoribus primæ menſæ. Si autem aliqua ſuperfuerint in menſa, quæ non pertinent ad eleemoſynam, ſi poſſunt iterum dari Fratribus, illa debent colligere, & ponere ſeparatim: quæ omnia facienda ſunt poſt ſecundam menſam, ſi forte illa durante non habuerint ad hoc tempus. Si autem illis factis adhuc durante menſa tempus fuerit, debent in ſcyphis tergendis, vel in aliis ad adjutorium Refectorarii pertinentibus occupari; vel ſi Fratres voluerint, & eis vacaverit, legere aliquid ſubmiſſe. Finitâ vero ſecundâ menſâ, debent facere de remanentibus in illa, ſicut ſupra dictum eſt de reliquiis primæ. Tempore vero jejunii debent mappas, & omnia (præter ſcyphos) removere de menſa in prandio, & in ſuis locis reponere, ſimiliter ſemper in cœna. Cum vero bis comeditur, debent mappas poſt prandium in menſis dimittere uſque ad cœnam replicatas decenter.

Circa Collationem.

AD Servitores vero primæ menſæ pertinet audito ſigno in Eccleſia pro collatione convenire, & juvare Refectorarium in his, quæ ad collationem pertinent, & ſervire in collatione. Servitores vero ſecundæ menſæ ſervire debent illis, qui poſt Conventus receſſum à collatione immediate habent bibere, & juvare ſi neceſſe fuerit Refectorarium, in his, quæ tunc habet facere, ſi poteſt breviter abſque Completorii amiſſione. De ſcribendo verò Servitore uno, vel pluribus in menſa, debet fieri prout Prior ordinaverit, conſiderata paucitate, vel multitudine Fratrum.

Caput XXIV.

De Officio Lectoris Menſæ.

AD officium verò Lectoris Menſæ pertinet prævidere diligenter, lectionem non ſolùm quoad punctuationes, & modum accentuandi; ſed etiam quoad ſcientiam, ut ſciat ſenſum eorum, quæ dicuntur, & ut ſic etiam ibi proficiat in addiſcendo. Cùm autem de aliquo dubitat ſive quo ad ſenſum, ſive quo ad modum legendi, debet recurrere ad gloſſas, & poſtillas, vel ad Fratres, per quos poſſit inſtrui, & maximè ad Correctorem menſæ. Cùm autem accipit benedictionem in prandio, vel cœna, debet accipere in medio Refectorii: in Collatione verò de ſede, in qua ſedet, facto ſigno à Prælato, vel Hebdomadario, ſi Prælatus non fuerit præſens. In prandio vero, & cœna debet exſpectare, quod omnes ſedeant pacifice, antequam incipiat legere. In Collatione verò poſtquam aliqui licet pauci convenerint, poteſt incipere ad ſignum prædictum, vel ſine ſigno illo, cùm deſunt illi, ad quos pertinet illud facere. Debet autem ſe ſic diſponere in ſede, in qua legit, quod pro magna parte habeat vultum verſum ad Conventum, ſi loci diſpoſitio hoc permittat. Porrò in legendo debet cavere ne nimis ſubmiſſè, vel clamoſè legat, nec nimis curſim, ſed moroſe valdè, & diſtinctè, & ſonorè, & pauſas faciat interdùm competentes. Debet autem aurem ap-

po-

ponere ad intelligendum, ſi in aliquo corrigitur, & correctionem quæ fit à Correctore, etiam ſi minùs bene dicit, humiliter ſuſcipere, & exequi; dummodò manifeſtum errorem non dicat. Cum autem legitur in Bibliis, debet ſic incipere: *Talis Libri*, *Capitulum tale*, dum incipit lectio in principio Capituli: ſi autem incipit infra Capitulum, debet ſic incipere: *Talis libri*, *Capitulo tali.* Cùm incipit in principio alicujus libri, ſic debet incipere: *Incipit liber talis.* Cùm autem incipit in aliquo Prologo, ſi ſit unicus Prologus in libro illo, debet ſic incipere: *Incipit Prologus in talem librum.* Si verò multi, debet in primo ſic incipere: *Incipit primus Prologus in librum talem*, in ſecundo verò ſic: *Prologus ſecundus in librum talem*, & ſic deinceps. In Epiſtolis verò Divi Pauli debet ſic incipere: *Incipit argumentum*, *&c.* poſtea legere argumentum, deinde dicere: *Incipit Epiſtola talis.* Si autem legit Homiliam, præmiſſo textu Sancti Evangelii, & præmiſſo: *In illo tempore*, *&c. & reliqua*: *& lectio Sancti Evangelii*, *&c.* debet ſic incipere: *Homilia talis.* Cùm autem legit Evangelia, & venit ad Paſſionem debet tranſire uſque ad Reſurrectionem. Ubi autem eſt conſuetudo, quod legatur tabola in menſa in Feſtis majoribus, debet eam prævidere, & legere circa finem menſæ. Cùm verò finitur liber, debet ſic terminare: *Explicit liber talis.* In legendo autem talem, vel talem librum, ſive in comeſtione, ſive in collatione, non debet aliqoid propria authoritate facere, ſed quod ei dictum fuerit à Correctore in menſa. Regulam debet legere prima die poſt Dominicam, quando non contingit extraneos intereſſe in Refectorio. Ad ipſum etiam pertinet habere curam de libro, in quo legitur, cuſtodiendo, & portando in Refectorium, & reportando. In terminatione vero lectionis, debet aliquod ſignum tunc facere cum cera, vel ſperam ſuperponere, ut ſciat ubi debeat reincipere, vel oſtendere ſucceſſori, ſive alii, qui legerit loco ſui. Cui debent extranei intereſſe, ſi non eſt talis Lector, qui conſueverit bene legere, debet alii magis idoneo ad legendum committere lectionem: vel rogare Prælatum, ut hoc faciat, præcipuè cum illi extranei litterati, & intelligentes reputantur.

CAPUT XXV.

De Officio Correctoris in Menſa.

OFficium Correctoris in Menſa, eſt ordinare cum Prælato, quid, quo tempore, ſive in prandio, ſive in cœna, ſive in collatione legatur. Ipſius etiam intereſt cum conſilio Prælati obſervare, quando Fratres melius ſunt in Domo: tunc facere legere frequenter in anno Acta Capitulorum Generalium, & Provincialium, litteras Magiſtri, & Conſtitutiones; & notas aliquas de Rubricis magis utiles, & frequentius neceſſariis ſecundum judicium Cantoris. In collatione vero, & in cœna debet providere, quod legantur libri aliqui bonæ ædificationis, & præſertim hiſtoriæ, quæ retineri valeant, continentes: ut ſunt vitæ Patrum, libri collationum, & ſimiles. In prandio vero, etſi frequentiùs Biblia eſt legenda, tamèn poſſuot interdum utiles libri aliqui legi. In vigiliis vero, & Feſtis, & in diebus privilegiatis, ut ſunt dies Rogationum, & hujuſmodi, poſſunt legi Paſſiones, vel Homiliæ, vel Sermones Sanctorum ædificatorii, & in die Paraſceves ſolent legi Threni Hieremiæ, vel Sermones devoti de Paſſione. Porro ipſius eſt prævidere diligenter lectionem, & ſtudium ſuum circa illa maxime applicare: & Lectorem inſtruere cum petierit, vel etiam ſi ipſe non petierit, prævenire eum in hoc, maxime cum in lectione occurrerit aliquid difficile, vel dubium in accentuando, vel pronunciando. Cum autem ſedes ſua nimis diſtat à loco lectionis, vel non eſt bene diſpoſita ad intelligendum Lectorem, poteſt de licentia eligere locum alium ad ſedendum in Refectorio, propinquum Lectori ante faciem conſtituto. Cavendum eſt autem ei ne correctionibus nimis curioſis, ſeu inuſitatis, vel minus utilibus moleſtet Lectores, vel auditores. Si autem contingat, quod extranei litterati debeant intereſſe, & Lector non reputetur multum idoneus ad legendum: providendum eſt ei, quod alius legat loco ipſius, & ſuper hoc Prælatum adeat. Cum vero aliquem Lectorem viderit frequenter circa aliqua deficere, debet his obſervatis ad aliquem locum congruum ipſum advocare, & ipſum circa defectus, & ignorantias ſuas inſtruere charitative. Ut autem, quæ ad iſtud officium pertinent, melios fieri poſſint, debet procurare, quod habeantur in Domo aliquæ ſummæ de modo accentuandi, & pronunciandi, & ad Grammaticam pertinentes, per quæ Fratres in legendo poſſint dirigi, & Corrector in corrigendo, & hoc debet Corrector, prout poterit procurare.

CAPUT XXVI.

De Officio Infirmarii.

INfirmarius dicitur, qui habet curam generalem infirmorum, & infirmitorii. Debet autem ad hujuſmodi officium poni Frater, qui ſciat eſſe patiens ad moleſtias infirmorum, & compatiens infirmitatibus, & neceſſitatibus eorum: qui ſit dulcis eloquio, verbis conſolatoriis affluens, & providus, & diſcretus in procurandis, ſervandis, & miniſtrandis neceſſariis; nec tenax in diſpenſando neceſſaria, nec prodigus in conſumendo aliqua ſine cauſa. Ad hujuſmodi igitur officium pertinet, habere curam de omnibus, quæ ad infirmitorium, vel infirmos pertinent generaliter, vel in caſibus variis, & emergentibus, quæ pro aliquibus haberi debent, vel fieri: & providere de his, quod habeantur ſine defectu tempore opportuno.

Circa Res habendas.

PRoinde debet ſollicitudinem habere apud majores quantum poteſt, quod habeatur infirmarium ſanum & bonum, & bene diſpoſitum in officinis commodè aptis, ſufficientibus, commoditate camerarum, & horto ſeu prato ad recreationem infirmorum: in quo etiam ſint aliqua loca, ſeu domunculæ, & arcæ, & armaria apta ad repoſitionem rerum omnium, quas ibidem ſervare oportet; & quod hujuſmodi domus frequenter purgetur, & munda ſervetur, & reparetur, & reficiatur, cum neceſſe fuerit diligenter. Debet etiam providere, quod habeantur ibidem competentia vaſa, vel utenſilia, mappæ, ſcyphi, ſcutellæ, menſæ communes, & ſingulares pro comedentibus in lecto, inſtrumenta, & hujuſmodi neceſſaria abundanter: circa coquinas, circa lectos, circa comeſtionem, circa medicinalia, balnea, vel ſtuphas, circa minutiones, circa raſuram, circa lotiones pedum, & capitum, circa putionandos, urinaria quoque, & ſellæ pro impotentibus ſurgere, & ire ad cameras communes: feretrum quoque, & coopertoria propria, & alia neceſſaria pro mortuis, & loca apta ad lavandum mortuos, & lavatorium commune pro manibus, & receptacula aquarum, quæ effunduntur interdum: libris quoque pro Officio Divino dicendo, & ad legendum interdum pro conſolatione, & ædificatione infirmorum, ut ſunt vitæ Patrum, & ſimiles libri. Candelæ quoque, & oleum pro lam-

lampade, ſervitores ſecundum exigentiam multitudinis, & ſecundum conditiones infirmorum, procuranda ſunt apud Prælatum. Et cavendum ne extranei ſerviant infirmis, ſed Fratres invicem, ubi hoc poteſt commode obſervari. Ubi vero extraneos advocare compellit neceſſitas, cavendum eſt ne aliqui ad hujuſmodi recipiantur ſervitia, niſi adeo familiares ſint, quod Fratrum ſecreta poſſint eis revelari ſecure. Ipſius eſt etiam, ſi novit per ſe medicinam, vel alios Medicos Fratres, vel extraneos, adhibere conſilium medicinæ, circa infirmos, & procurare, quod fiat, quod faciendum fuerit pro ſalute: ordinare etiam, & providere quid quotidie comedatur, ſive ab illis, qui veniunt ad menſam communem, ſive qui decumbunt; & habere ſollicitudinem, quod tam hoc, quam medicinalia tempeſtive, & ſuo tempore miniſtrentur, ſicut requirit conditio, & neceſſitas infirmorum. Neceſſaria vero pro expenſis debent à Procuratore recipere, vel aliter ſi Prior duxerit ordinandum: & omnia computare, & in capitulo recitare, ſi quæ ſpecialia beneficia notabilia fuerint collata infirmis. Ipſius etiam intereſt frequenter viſitare infirmos, & diſcurrere per coquinam, & officinas alias ad videndum ſi fiunt omnia, quæ fieri debent: & ſi quid negligentiæ invenerit, corrigere debet, & cum commode poteſt, apponere manum ad adjuvandum. Notare etiam ſi aliqua fiat diſſolutio, vel inordinatio ibidem, & illud interdum charitative corrigere, & interdum etiam Prælatis referre, interdum etiam in capitulo ſuper hujuſmodi proclamare. Si quæ vero dicta fuerint in capitulo, quæ ad infirmos pertineant, debet illa infirmis referre; & cum eorum infirmitates aggravantur, Prælato in capitulo dicere, ut faciat orare pro eis. Mortuos quoque de novo, ipſi Prælato in capitulo ad memoriam, ut Fratribus recommendentur reducere, & habere curam, quod per Domos alias cito ſignificentur per Vicarium.

Circa Infirmos.

PОrro cum aliquis de novo mittitur ad infirmitorium, debet eum cum omni charitate ſuſcipere, & dulciter conſolari; & ſecundum ſuam neceſſitatem de eo ſollicite cogitare: ſive in aſſignando locum, & lectum, ſi expedit eum jacere in infirmitorio, ſive de ſpeciali ſervitore ſi indiget, & aliis hujuſmodi, quibus ejus infirmitas noſcitur indigere. Si autem commiſſum fuerit ei à Priore, quod curam habeat de ponendo Fratres in infirmitorio, debet eſſe ſollicitus de his, quibus indigent, cum ei dicitur, vel advertit: & eos prævenire antequam petere illud cogantur. Cum vero aliquis abutitur infirmitorio, ſine cauſa rationabili ibi nimis morando, debet hoc caute ſuggerere Prælato, ut ipſe faciat, quod circa hoc fuerit faciendum. Circa vero illos, qui ex nimia humilitate, vel religione petunt licentiam recedendi antequam expediat eorum ſtatui: debet etiam Prælatum cautum reddere, vel ipſemet debet eſſe cautus; ſi data eſt ſibi poteſtas in hujuſmodi licentiis concedendis, ne cedat eis ſua religio in corporis notabile detrimentum. Cum vero nullus infirmus fuerit, debet habere curam de domo infirmitorii claudenda, & cuſtodienda.

CAPUT XXVII.

De Officio Servitoris Infirmorum.

SErvitor infirmorum dicitur, qui deputatus eſt ad ſerviendum infirmis; vel in communi, quo ad illos, qui veniunt ad menſam communem, vel ſingulariter alicui, vel aliquibus cum decumbunt. Hujus autem officium eſt ſollicitum eſſe, ut fiant omnia facienda ratione officii diligenter, & ſuo tempore: & pium eſſe ad infirmorum neceſſitates, patientem ad eorum moleſtias: conſolationes charitativas verbis, & factis impendere eis, & omnia, quæ ad ſtudium, vel alias occupationes (quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, vel Ordinis) poſtponere, propter hujuſmodi pietates.

Circa communem Servitorem.

PОrro qui deputati ſunt ad ſerviendum communiter omnibus, ſive ad ſerviendum in domo, in qua comeduntur carnes, ſive in domo recreationis; debent ſcire diligenter illud, quod ſupra notatum eſt circa officia Refectorii, & ſervitorum primæ menſæ, vel ſecundæ, circa menſas parandas, & ſervitium ibidem faciendum, & renovanda, & recolligenda in fine, & munditias faciendas, & utenſilia, & hujuſmodi cuſtodienda, & lavanda: & lavatorium, & ſimilia, & illa omnia, quæ illi ad ſuum uſum pertinere videntur exequi diligenter. Debet autem in infirmitorio eſſe domus aliqua pro procuratione, vel duæ pro duabus prædictis domibus in loco, vel in locis idoneis, quarum, vel cujus cuſtodiam, debet, vel debent habere qui eſt, vel qui ſunt principales ſervitores. Cum autem comeſtionis hora appropinquat, debet hujuſmodi ſervitor facere ſignum cum campana, quæ ad hoc debet apta haberi in infirmitorio, in loco idoneo; ad convocandum Fratres in infirmitorio conſtitutos. Cum vero eos convenisse viderit, debet aliud modicum ſignum facere ad manuum lotionem: quo facto ſine aliqua expectatione eorum, qui non venerunt, debet fieri benedictio. Si vero aliquid mittatur infirmis, debet cavere ne deferens introducatur: quouſque provideatur, quod nihil ibi videri poſſit, quod ipſum valeat ſcandalizare. Debet etiam providere, quod liber aliquis ædificatorius habeatur ſemper in promptu, in quo, vel ipſe quando non eſt in aliis occupatus, vel aliquis Frater alius de comedentibus legere poſſit interdum in menſa ſi velit. Si vero menſæ fuerint mobiles, debet eas in fine reponere in loco ſuo. Expeditis vero omnibus, quæ ad comeſtionem pertinent, debet habere curam de claudenda Domo, in qua comeditur: ſi ibi lecti non fuerint, in quibus aliqui jaceant tempore, & hora à Priore determinatis. Debet autem cum infirmario conferre in ſero de his, quæ agenda ſunt pro infirmis, vel paranda, & innoteſcere ei, de multitudine infirmorum, & conditionibus eorum: & cum multiplicantur, vel minuuntur, ut faciat melius quid, & quantum ſit in craſtinum præparandum. Ipſius etiam eſt accipere, & apportare panem, & vinum de Refectorio, & cellario, prout fuerit ordinatum, & cavere ne ſuperflue apportentur, & ne ea, quæ remanent pereant, vel inutiliter conſumantur; ſed pro eleemoſyna, vel ad aliquos uſus, ſicut ordinatum fuerit diligenter ſerventur. Debet etiam ſæpe cum neceſſe fuerit viſitare coquinam, ſollicitare coquinarios, & eos juvare cum poteſt, & ipſi indigent, ut melius, & citius omnia expediantur. Cum vero non ſunt tot infirmi, vel tot facienda, quod oporteat eum morari multum in infirmitorio, debet cavere multum, ne otioſe ibi commorans, effundat ſe in diſſolutionibus, & omittat ea, quæ ad ſtudium pertinent, & ad Religionem, & Conventum: & committere poteſt aliqua, modica infirmis facienda, qui poſſunt illa facere; ut eſt completio alicujus modici ſervitii, vel quod unus, qui non comedit ſerviat alii, vel

quod

quod removeat mappas, vel menſas cum comederint aliqui, & hujuſmodi, ut poſſit ipſe cum aliis intereſſe Conventui. Cùm autem expeditus fuerit de Conventu, redire debet ad videndum, ſi quæ commiſit, facta fuerint; & ſi quid deeſt ſupplendum ab eo. Debet etiam curam habere de faciendis lectis infirmorum, qui non habent proprios ſervitores, cum ipſi voluerint.

Circa Servitorem ſpecialem.

PОrrò ad Servitorem deputatum alicui, vel aliquibus decumbentibus pertinet ejus coopertoria, & veſtes, & hujuſmodi de dormitorio apportare, ſi ipſe voluerit, vel indiguerit; facere lectum infirmi, procurare ei urinalia, vel alia vaſa, ſeu ſellam, & hujuſmodi, quæ fuerint neceſſaria; reſervare urinam ad oſtendendum, aſſiſtere eidem de die, & nocte cum fuerit neceſſe, juvare eum in diſcalceando, in ſurgendo, in intrando lectum, & ſimilibus. Jacere in infirmitorio, vigilare coram eo cum fuerit neceſſe, ſervare eum in calore, & coram eo ſtare ne ſe diſcooperiat. Quærere conſilium diligenter cum Infirmario de infirmitate ejus à Medico, & quæ Medicus mandaverit exequi diligenter, ſive in medicinalibus, ſive in cibis, ſive in aliis quibuſcumque. Habere etiam curam ſpecialem de eis, quæ paranda ſunt in coquina pro eo quotidie hora debita, & in hoc faciendo juvare, vel totum facere ſi fuerit neceſſe: & de aptando menſam circa eum commodè, & omnibus ad menſam pertinentibus miniſtrandis, & recolligendis, & reponendis in locis ſuis, & de calefaciendo aquam, vel vinum, & brodium, & ſimilia. Veſtes etiam ejus, & coopertoria, & alia lavanda lavare, & purgare locum, ubi jacet. Procurare etiam omnia quæ ſunt in caſu neceſſaria, vel cauſa balnei, vel minutionis, vel lotionis pedum, vel capitis, vel cocturæ alicujus, & ſimilium (dummodò in aliquod periculum mortis non ſint, vel gravis mutilationis) & his aſſiſtere, & juvare, vel totum facere, cum poteſt, commodè, & honeſtè. Panem vero, & vinum, & hujuſmodi communia debet accipere à communi ſervitore, alia vero, quæ non habentur communiter, quæ tamen ſunt neceſſaria, interdum debet quærere ab Infirmario. Ipſius etiam intereſt providere de lumine, & libris pro Officio dicendo, cum eo, vel coram eo, cum ipſe non poteſt, in quo etiam non eſt omittendum, quin dicatur coram eo Officium Miſſæ, cum ad Miſſam ire non poteſt. Cùm vero poteſt, ſed debilis eſt, eum juvare debet, eundo, & redeundo. Debet etiam aliquem librum conſolatorium, & ædificatorium habere in promptu, in quo aliquid legatur coram eo interdùm ad ejus conſolationem. Et tam per ſe, quàm per alios Fratres ad hoc idoneos, quos interdum debet ad hoc inducere intendere conſolationi, & ædificationi ejuſdem. Si quid vero petierit, vel facere voluerit, quod ſuæ contrarium ſanitati ſit, cautè debet eum admonere. Si autem non ſit contrarium, debet ei obtemperare, cum commodè fieri poteſt: excogitare quod ei prodeſſe poſſit, ſive quo ad corpus, ſive ad animam, debet totum, ſive per ſe, ſive per alios facere, vel procurare diligenter.

Circa Sacramenta ſuſcipienda.

PОrro circa Confeſſionem, & Unctionem, & Communionem petendam, ſi fuerit negligens, debet eum cautè ſollicitare: & cùm hæc facienda fuerint, ſignificare illis, ad quos pertinet, & neceſſaria ex parte infirmi ſollicitè procurare; & ingraveſcente infirmitate reducere ad memoriam Prioris in Capitulo, ut faciat orare pro eo, ſi Infirmarius hoc non fecerit. Cùm vero morti appropinquaverit, debet facere ſignum cum tabula, ad convocandos Fratres ad commendationem faciendam; cineres, & locum præparare cum ſuper eis fuerit deponendus; & pertinentia ad hoc, & ſimilia circa ſtatum illum dirigere, & facere, & ſociis ad hoc cum indiguerit advocatis, vel à Prælato petitis. Cùm vero mortuus fuerit, debet habere curam de aqua calefacienda pro ablutione corporis ejus, & involvenda, & coopertorio ad hoc deputato apponendo: ipſo vero ſepulto feretrum, & coopertorium reportare ad ſua loca. Deinde veſtes ejus, & coopertoria, in quibus jacuit (ſi apportata fuerint de dormitorio) debet tradere veſtiario: ut ipſis lotis, & mundatis per eum diligenter, de illis poſtea fiat, quod fuerit faciendum. Si vero coopertoria prædicta erant de infirmitorio, ipſa & capitergia, & hujuſmodi, quæ cum eo fuerint, debet tradere Infirmario; ut illa faciat diligenter mundari, & aptari antequam in uſus Fratrum iterum aſſumantur: ſotulares vero, & bottas, & conſimilia debet reddere ſutoria. Debet quoque Infirmario reducere ad memoriam, quòd habeat curam, quod in primo ſequenti Capitulo recommendetur anima defuncti Fratribus: & quod cito denuncietur per alios Conventus, & ipſius in hoc ſupplere negligentiam, ſi forte ipſe negligens extiterit. Si vero aliquem extraneum in Domo aliquo caſu contigerit ægrotari, ad Infirmarium pertinet, ut ſecundùm voluntatem Prælati ordinet, ubi ponatur, & qualiter, & per quos ſerviatur eidem tam charitative, & ſollicite, ſecundùm exigentiam perſonæ, quod in hoc numquam negligentia committatur.

CAPUT XXVIII.

De Officio Receptoris Hoſpitum.

AD receptionem hoſpitum talis Frater Clericus, vel laicus eſt ponendus, qui ſit induſtrius in agendis, hilaris vultu, verbis affabilis, charitativus in neceſſitatibus, promptus in omni obſequio, diſciplinatus in moribus, in expendendo mediocris, inhoneſtis ſolatiis carens, non tardus in labore, competenter potens, ædificatorius in verbo, & qui ſciat moribus aliorum, & diverſitatibus variis prudenter, & religioſe ſe conformare, & gratum cunctis ſervitium exhibere.

Circa Curam, quam debet habere.

AD hujuſmodi officium pertinet habere curam de domo, vel de domibus hoſpitum (ſi ſunt plures) cuſtodiendis, claudendis, aperiendis tempore ſuo, mundandis, & honeſte, & commode aptandis, in formis, in ſedibus, in menſis, & hujuſmodi: & quod habetur lavatorium pro manibus intus, vel extra in vicino, & receptacula aquarum, quæ effunduntur, ut domus non madefiat. Et menſæ, & ſedes, ſive ſedilia ſufficientia, & quod habeatur ibidem aliqua domuncula pro procuratione, & areæ, vel armaria, ſeu feneſtræ, & perticæ, & hujuſmodi, ad repoſitionem, & conſervationem rerum, quas ibidem oportet ſervari interdum. Et quod habeantur ibidem ſcyphi, & vaſa propria, & cochlearia, & vaſcula pro ſale, & hujuſmodi vaſa, ſeu utenſilia, prout neceſſe fuerit, ſive ad pedum lotionem, ſive ad alios uſus; quæ debet mundare frequenter, & diligenter, & in locis debitis cuſtodire. Debet etiam curam habere de lectis eorum parandis honeſte, & munde ubicunque fuerint, & habere aliquas caligas, & tunicas, & caputia munda, & bottas ſub aliqua clave, quas poſſit indigentibus tradere, pro tempore, ad mutan-

dum

dum ſua: candelas etiam pro neceſſitatibus hoſpitum, ſive in domo, ſive in via cum recedunt: campanulam etiam aliquam, cum qua fiat ſignum, cum fuerit communis hora comedendi pro hoſpitibus, niſi ſit conſuetudo in illo Conventu, quod fiat cum cymbali ictibus. Porro panem à refectorio recipiat, vinum vero à Cellario, quale per Procuratorem fuerit ordinatum. Quæ vero pertinent ad ſotulares, vel veſtes, à Veſtiario ſi modica fuerint, vel à Prælato ſi fuerint magna, quærere debet, & accipere. Ea verò, quæ ad cibum pertinent, vel alia quæcumque, debet miniſtrare Procurator, & pro eis recurrendum ad eum.

Circa Fratres Hoſpites.

CUm igitur intellexerit Frater hoſpitarius adventum Fratrum aliquorum, qui non ſunt de Conventu, vel etiam de Conventu, qui diu ſteterunt extra Domum, ſtatim ad hos debet feſtinare, & occurrere læto vultu; & ſi non ſunt auctoritatis magnæ, debet dare oſculum pacis: ſi vero ſunt grandis auctoritatis, non debet ſe ingerere ad oſculum pacis, niſi primo invitetur ab eis. Deinde ducere eos ad benedictionem, ſi non receperunt, & quærere Sacerdotem, ſi ipſe non eſt Sacerdos, qui eam faciat: & ipſâ receptâ acceptis baculis, & libris, & aliis ſi quæ gerunt, quæ ſunt ab eo, cuſtodienda, ducere eos ad hoſpitium, & ſignificare Prælatis adventum eorum. Si vero fuerit Magiſter Ordinis, vel alius recipiendus à Conventu, ſua intereſt pulſare campanam Capituli, ad congregandos Fratres hora competenti ad benedictionem, & ipſa receptâ iterum pulſare ad Capitulum, cum debuerit intrare Capitulum, primo ſuper hoc ejus inquiſita voluntate. Cùm ergo reſederint in hoſpitio, ſi tali venerint hora, quod jam comederint, debent invitari ad potum: deinde ad requieſcendum in lectis, ſi voluerint, & hora hoc requiſierit: & de loco camerarum edoceri. Et ſi non eſt dies, in quo eos oporteat jejunare, inquiſito de qualitate refectionis, quam illa die habuerint, debet hoc ſignificare Procuratori: ut ſecundùm exigentiam neceſſitatis, debito modo paretur, quod poterit haberi. Si vero nondum comederint, nec audierint Miſſam, debet de Miſſa audienda, vel celebranda cum ipſi voluerint, & de miniſtris habendis providere. Si vero fuerint fatigati, & quieſcere voluerint, fiat hoc ſi voluerint ante Miſſam, vel poſt: & interim ſollicitare Procuratorem de providendo, quæ fuerint neceſſaria ad refectionem; & ipſe ſollicite adjuvet in præparando, & ordinet, ſi neceſſe fuerit per Prælatum, quod aliquis, vel aliqui interim ſint cum hoſpitibus, qui eos aſſocient, & dirigant ſi aliqua voluerint. Cum ergo fuerint omnia præparata, ſi fuerit hora conſueta comedendi pro hoſpitibus, faciendum eſt ſignum prædictum aliter non. Quod etiam obſervandum eſt omni tempore circa hoſpitum comeſtionem; & deinde ablutis manibus, & dicta benedictione, & collocatis Fratribus ab eodem ſecundùm ſtatum eorum, proſequenda ſunt cætera, quæ ad menſam pertinent. Porro in parandis, & ſerviendo, & removendis menſis, & colligendis reliquiis, & reponendis, tam illis, quam ſcyphis, & aliis hujuſmodi, obſervanda ſunt ea, quæ ſupra dicta ſunt circa Refectorium, & ſervitores primæ menſæ, & ſecundæ, & ſervitores infirmorum, prout & quantum competere poſſunt in Hoſpitio. Habendus eſt etiam aliquis liber in Hoſpitio ædificatorius in promptu, in quo dum comeditur legi poſſit interdum aliquid ab aliquo, ſi viſum fuerit expedire. Ablutis vero manibus poſt refectionem offerendus non eſt potus, niſi aliqui petierint, vel indiguerint, & ſit in patria talis uſus. Ordinandum vero eſt à Prælatis, quod cum comedunt hoſpites hora comeſtionis Conventus, nec ſunt expediti finita prima menſa Conventus, quod aliquis, vel aliqui de Fratribus, qui comederunt, veniant ad Hoſpitium, & ſuppleant vices Receptoris hoſpitum: ut ipſe comedere poſſit in ſecunda menſa, & facta comeſtione redire debet ad videndum, ſi ſint omnia bene facta, & ſupplendum, quod factum fuerit minus. De lotione vero pedum, & miniſtratione potus in prandio, & cœna tempeſtive faciendis debet provideri hora talis, quod eorum occaſione non protrahantur vigiliæ poſt ſignum dormitionis, niſi forte propter tardum adventum hoſpitum ſi obſervari non poſſit: in quo caſu ſi fieri non poſſunt omnia conſueta, fiat quod ſecundùm horam fieri poterit bono modo; ſive in procuratione eorum, ſive in aliis. Cum autem ad lectos ducuntur, providendum eſt eis de urinalibus, vel aliis vaſis idoneis ad urinam, & edocendi ſunt de loco camerarum, ſi uſque tunc neſciunt: & oſtendendæ ſunt eis tunicæ, & caligæ, & caputia ad mutandum, ſi aliquo indigent: & ſi nox fuerit, dandæ ſunt eis aliquæ candelæ, cum quibus vadant ad cameras, vel alibi, & cum quibus dicant Officium. Si verò veſtes eorum indigent lotione, cum eorum licentia debet procurare, quòd laventur. Si verò habeant magnam indigentiam in ſotularibus, vel aliqua veſte, vel fecerint aliquas rationabiles expenſas in via nondum ſolutas, ut de naulo, & hujuſmodi; debet hoc oſtendere Priori, ut antequam petant, cum ejus licentia, illud quo indigent offeratur eiſdem. Quanto autem ſunt magis extranei, vel de nationibus remotioribus, vel de majori labore veniunt, vel ſunt majoris authoritatis ratione ſtatus ſeculi, vel ratione majoris ſtatus in Ordine, vel ſi ſunt Novitii; tantò in omnibus ſunt magis charitative tractandi. Quod ſi fuerint conſueti vagationi, & diſcurſui, vel de modica religioſitate notati, tanto diſciplina religionis, & auſteritatis circa eos magis eſt obſervanda, & excluſi cito de hoſpitio mittendi ſunt ad Conventum, & ad Capitulum ſuo tempore vocandi. Qui ergo digni ſunt ſecundùm ordinem prædictum officio charitatis, cum recedere voluerint, invitandi ſunt ad manendum, & morandum ſecure, & ad hoc quodammodo ſunt cogendi. Ad benedictionem vero vocandi ſunt ab ipſo aliqui de Fratribus antiquis, & præcipue Prælati, & cum oſculo, & recommendatione ſui, & orationibus eorum, & aliorum Fratrum, ſunt per eos licentiandi, & uſque ad portam, vel plus, ſecundùm quod Prælato viſum fuerit per aliquos conducendi. Porrò in communibus, & quotidianis ſervitiis receptor hoſpitum debet eſſe ſollicitus, tempeſtive parare omnia diligenter, & conferre cum Procuratore, ut provideat de neceſſariis, ſecundùm multitudinem, & conditiones hoſpitum: & ſervientes in coquina pro hoſpitibus ſollicite juvare, cùm neceſſe fuerit diligenter. Et ſi aliqua dicantur in Capitulo, quæ pertinent ad hoſpites, debet ipſis referre, ſi in Capitulo non fuerint. Quòd ſi aliqui in hoſpitio nimis morari voluerint, vel nimiâ cito recedere, debet Prælato ſuggerere, quod viderit expedire; ſimiliter de eis ad Capitulum convocandis, vel Chorum interdum cum circa hæc acedioſi videntur. Cùm verò Fratres Minores apud nos contigerit comedere, vel hoſpitari de nocte, in omnibus devotiùs, & hilariùs debet eis aſſiſtere, & miniſtrare quam Fratribus noſtris.

Circa

Circa hoſpites extraneos.

CUm aliquos alios extraneos, ſive Religioſos, ſive ſeculares hoſpitari contigerit apud nos, pertinet ad eum habere curam diligentem, ſecundùm conſuetudinem Domus, vel ordinationem Prælati, ubi & quid comedant, ubi jaceant:, & conducere eos per officinas cùm illas voluerint viſitare, ducere ad Refectorium, lotis priùs manibus cum ibi debent comedere, & in locis debitis collocare; & finita menſa cum eis remanere, & ducere eos ad Eccleſiam, ad gratias, vel ducere extra, & dicere cum eis Officium ſi fuerint magnæ perſonæ. Et poſtea ad loca debita ducere, reddere etiam cauros ſervitores menſæ, quod eis diligenter ſerviatur ſecundùm ſtatum eorum. Si autem Capitulum, vel Chorum, vel Eccleſiam ad officium intrare debuerint, debet eos in locis debitis collocare, ſecundùm ſtatum eorum: & cùm exire debuerint, eos iterùm ad debitum locum ducere. Licet autem omnes ſic tractare debeat, quod conſolati, & ædificati recedant, tamen ſecundùm exigentiam ſtatus eorum, & familiaritatem majorem, vel neceſſitatem, plùs, vel minùs eſt cum eis aliquid faciendum. Utrum autem cum Fratribus in hoſpitio comedere debeant, vel alibi; & utrum illi ſoli, vel aliqui Fratres cum eis; ad Prælati diſcretionem pertinet ordinare. Si autem fuerint adeò familiares, quod quaſi Fratres habeantur, non oportet omnem ſollicitudinem ſupradictam circa eos habere.

CAPUT XXIX.
De Officio Coquinarii.

COquinarius dicitur Frater, qui habet curam de coquina, & de pertinentibus ad coquinam. Ad quod debet aſſignari Frater laicus, qui habeat induſtriam in parandis eis, quæ ad cibos pertinent, competenter honeſtè, & mundè. Qui etiam ſit diſcretus in diſpenſando, & prudens in providendo, & cuſtodiendo, & in occupationibus non turbulentus, patiens, & pacificus cum omnibus, qui ſecum habent aliquid agere, & non impotens ad officii ſui labores. Ad officium ergo hujuſmodi pertinet habere curam, quantum poteſt circa domum coquinæ, quod ſit bene apta, & extraneis non pervia: & quod munda ſervetur, & ſuo tempore claudatur. Item, quod habeantur ibidem ſcutellæ, & vaſa hujuſmodi utenſilia neceſſaria, & ſufficientia, & quod diligenter cuſtodiantur, & frequenter mundentur. Item, quod provideatur per Procuratorem tempore debito, quod habeantur ibidem in promptu ſemper ligna, ſal, oleum, allia, cœpæ, & hujuſmodi, quæ quotidie, vel frequenter ſunt neceſſaria: & in loco debito illa cuſtodiantur diligenter, & moderatè conſumantur, vel expendantur. Item, quod habeantur ſub eis cuſtodia legumina, quæ ſolent comedi in competenti quantitate. Item intereſt ipſius, quod legumina, vel herbas de horto ſecundum dies, in quibus illa ſolent comedi, vel alia pulmenta, faciat tempeſtive, & diligenter mundari, & parari. Apponenda eſt etiam magna cura, quod pulmenta bona ſemper habeantur in Conventu.

Circa Conventum, & Hoſpites, & alios extraneos.

SCire etiam debet à Procuratore tempeſtive quid præter pulmenta debeat præparare: utrum unum pulmentum, vel plura; & habere diligentiam magnam, quod Fratribus nunquam dentur ova putrida, vel piſces, vel alia, vel minus cocta. Cum autem appropinquaverit hora comedendi, nunquam debet dicere, quod pulſetur cymbalum, quouſque omnia, ſive pitantiæ, ſive ſalſæ, ſive alia ſunt ita plene, vel fere parata; quod miniſtrando omnia continue nullam moram oporteat facere. Ipſius etiam eſt facere ſcutellas, & dividere, & diſpenſare pictantias, & alia hujuſmodi bona fide, & omnia ad feneſtram miniſtrare ſervitoribus: niſi forte Procurator aliquando hoc ſibi aſſumere velit: vel ipſemet aliqua de iſtis committere velit pueris, vel aliis, qui tunc ſerviunt in coquina. Si autem Prælatus ordinaverit, quod alicui, vel aliquibus paretur aliquid aliud, quam communiter paratur propter aliquam infirmitatem, vel cauſam, vel ad tempus, vel ſemper debet providere, quod circa hoc non fiat defectus. Similiter debet habere diligentiam debitam circa ea, quæ parantur pro hoſpitibus, ſive operariis, ſive aliis quibuſcunque quod omnia fiant tempeſtive, & ordinate, & bene: & quod omnia, quæ de menſis remanent reſerventur, ſive ad eleemoſynam, ſive ad alios uſus, prout eorum qualitas requirit.

Circa Adjutores.

CIrca familiam, quæcunque fuerit in coquina, debet habere curam, ut indoctos charitative inſtruat in agendis, minus diſciplinatos, vel morigeratos, prout poterit bono modo ad honeſtatem inducat, & corrigenda circa eos, eorum indicet Correctori, & caveat ne res Domus diſtrahant, vel prodige pro ſe, vel pro aliis expendant. Summè vero cavere debet, ut nunquam eos percutiat, vel conviciis, aut maledictionibus, vel hujuſmodi verbis inordinatis conturbet, vel aliquid faciat, vel dicat coram eis, unde poſſint habere occaſionem detrahendi Ordini poſt receſſum. Debet etiam providere eis de cibo, & potu, & de numero, & horis comeſtionis, eorum ordinare, & diſtribuere eiſdem, quid in pictantiis, vel aliis fuerit dividendum: & carnes, quæ infirmis remanent, eis interdum dare, & dividere; ſi Prælato viſum fuerit expedire. Debet etiam caute providere, ut cum eis, vel ſervitoribus hoſpitum, vel infirmorum, vel aliis accedentibus nunquam litiger, vel clamoſe contendat: ſed in ſpiritu patientiæ, & manſuetudine omnibus ſatisfaciat, prout poteſt. Cavendum etiam ei diligenter, ne unquam extranei intrent coquinam, niſi forte aliqui Coqui Magnatum, cum apud nos comedunt, & Conventum procurant, & tunc valde cavendum eſt, ne videant aliquid in coquina, quod eos poſſit offendere; in quo caſu cavendum eſt etiam ne cibi infirmorum cum carnibus unquam parentur in communi coquina Conventus, ſed alibi. Ut autem omnia fiant diligenter, debet ſe extrahere ab aliis occupationibus, & mane brevem Miſſam audire, & ſuſcitare ſervientes in coquina, cum nimis dormiunt: & non ſolum dicendò, ſed manum apponendo dare operam ad omnia peragenda. Cum autem comedere habet in ſecunda menſa, debet ordinare, quod aliquis de ſervientibus in coquina interim ſuppleat vices ſuas, & dicere quid ſit ei faciendum.

Circa Infirmos.

UBI autem in magnis Conventibus coquina infirmorum ſeparata eſt à coquina Conventus, debet ibidem eſſe proprius Coquinarius, qui ſecundùm modum notatum omnia peragat, quæ ad coquinam infirmorum poterunt pertinere. Cujus eſt etiam habere curam, quod plumæ, vel animalium pelles, ſi quæ ſuperfuerint, ad uſus aliquos reſerventur. Si vero coquina infirmorum non eſt alia à communi Conventus, ſed

ſed in communi præparatur pro eis, debet ibidem eſſe proprius ſerviens pro infirmis, ſi communes ſervitores non ſufficiant, qui diligenter ibidem præparet, quæ pro eis fuerint præparanda, ſequeſtratim ab aliis, & diſtincte. Si vero contingat, quod nullus Frater ponatur in coquina pro coquinario, ſed famulus aliquis ſecularis, debet Procurator ſupplere quæ prædicta ſunt de Coquinario per ſe, vel per aliquem de famulis ad hoc aptiorem.

Caput XXX.
De Officio Cuſtodis Cellarii.

CUſtos Cellarii dicitur Frater, qui habet cuſtodiam vini, & omnium quæ ad potum pertinent. Ad quod officium ponendus eſt Frater aliquis, qui ſciat de his, quæ pertinent ad cuſtodiam vini. Et ſi neſcit, inquirere debet ab aliis, qui dicuntur ſcire de arte hujuſmodi, & exequi, quæ ad hoc pertinent, ne vinum aliquo modo, per ejus negligentiam deſtruatur. Porrò ad hoc officium debet habere cellarium, ſecundum modum terræ in bono loco, & bene aptatum: habens unum oſtium ex parte exteriori ad inducendum vinum, & aliud ex parte interiori, ad intrandum illuc ſecreto cum fuerit neceſſe. Debet autem, ſi fieri poteſt, ſic eſſe diſpoſitum, quod habeat feneſtras ad Aquilonem. Cavendum etiam eſt, ne unquam illuc intrent extranei, niſi valde familiares Fratrum ſint. Et ideo expedit aliquam domunculam, vel appendicium fieri ante cellarium extra, in quo reponatur vinum à ſecularibus, poſtea introducendum per Fratres, vel familiam, vel alios magis familiares, ſive per canales, ſive alio modo. Pertinet etiam ad iſtum officialem appropinquantibus vindemiis, habere curam de doliis diligenter parandis, & habere utenſilia in loco debito, vel inſtrumenta, & ſimilia ad ſuccurrendum, cum timeretur de vini effuſione; vel ad reparationem aliquam faciendam, vel alios uſus. Debet etiam cum candela frequenter die, & nocte circuire per dolia, ad videndum ne aliquod periculum immineat de effuſione Cum autem dolia evacuata fuerint, debet ea diligenter mundare, & reponere in loco apto cuſtodiæ eorum, ne putreſcant, vel deteriorentur. Ipſius quoque intereſt frequenter tentare vina, ne corrumpantur, & transferre de vaſe in vas, & miſcere ad invicem cùm fuerit faciendum: & ſcire, quæ melius ſervari poſſunt ſecundùm ordinationem Procuratoris, vel Prælati, habita cum eis collatione: primo miniſtrare, quæ ipſi primo dixerint miniſtranda, & ſecundùm ordinationem eorum ſcire, quod vinum Conventui, quod hoſpitibus, quod infirmis, quod familiæ, quod operariis, quod advenientibus diverſis dare debeat; & utrum temperatum, & qualiter, vel purum; & utrum in menſura, & quod ipſi ordinaverint, exequatur diligenter. Poſt comeſtionem vero debet per omnes officinas, in quibus fuerit vinum, diſcurrere, & recolligere ſi quid ſuperfuerit in loco quocunque: & ponere in certo loco, ut detur poſtmodum, quibus ſecundùm ordinationem Prioris, vel Procuratoris viſum fuerit expedire. Solet autem ad cuſtodiam hujuſmodi reliquiarum, vel deputationem vini haberi dolium, in quo omnes hujuſmodi reliquiæ reponantur, ut meliùs conſerventur. Debet etiam providere, quod horis debitis inveniatur circa cellarium, cum vinum fuerit miniſtrandum: nec debet tradere, niſi illis ſolis, ad quos pertinet ex officio accipere; & nec illis det in aliis horis, vel extra menſuram taxatam, niſi de licentia ſpeciali. Cùm autem aliquid ve vino contingit corrumpi graviter, nunquam poſtmodum dandum eſt Fratribus, nec miſcendum cum alio vino bono: ſed ſecundùm voluntatem Prælati fiat de eo, quod ipſe dixerit faciendum. Cum autem tempus fuerit procurandi, vel emendi vinum, ubi emitur, vel ex toto, vel ex parte; debet hoc ita tempeſtive Prælato, & Procuratori ad memoriam reducere, quod valeant in tempore congruo providere. In claudendis vero feneſtris, & aperiendis, ſive de nocte, ſive in calore, ſive in frigore, ſive in temperie, ſive in inquieto tempore, ſive in vento auſtrali, ſive aquilonari, & claudendo cellarium, & cuſtodiendo clavem diligenter, tantam debet habere curam; ne omiſſione aliqua contingat lædi vinum, vel in aliquo deperire. Porrò ubi non eſt uſus vini, ſed cereviſiæ, vel alterius potus; ſic facere debet circa illud genus potûs omnia ſupradicta, quæ competunt circa illud, & alia, quæ requirit conditio potus illius, ſicut fuerit faciendum.

Caput XXXI.
De Officio Veſtiarii.

VEſtiarius dicitur non Frater, qui facit veſtes, ſed qui eſt conſtitutus tam ſuper eos, qui faciunt veſtes, quam ſuper illos, qui faciunt ſotulares.

Circa res habendas.

AD officium ejus pertinet habere curam de omnibus, quæ pertinent ad indumenta, & calceamenta, & annexa his: ut ſunt cappæ, caputia, tunicæ, pellicea, & capelli, cinguli, cinctoria, vaginæ cultellorum, ſotulares, conciſiæ ſotularium, botæ, brachalia, ſive cordæ, & ligaturæ ad caligas, & unctum ad ſotulares, caligæ, ſocci, & ſimilia. Item lecti, & coopertoria pro lectis, & cuſſini, & cervicalia, ſtramina, paleæ, ſiſcones, culcitræ, & capitergia pro infirmis, linteamina pro balneis. Item ſoreli, & camiſiæ pro libris. Item panni pro lotione pedum, & capitum; & pro raſura, pectines, & raſoria, & bindelli pro minutione, & forcipes ad ungues ſciendendas, & ſi quæ ſunt alia. Ad horum autem conſervationem, & repoſitionem debet habere domum aliquam idoneam, & in loco apto præter illam, vel illas, in quibus operantur ſutor, & ſartor: qui debent habere duas, vel unam in duas diſtinctam, in quibus ipſi famuli ſeculares, ſi qui fuerint neceſſarii, operari debent; & omnes ſub cura veſtiarii, & ejus obedientia debent eſſe. Intereſt etiam ipſius curam habere de omnibus prædictis procurandis, reparandis, reficiendis, miniſtrandis, recolligendis, & conſervandis: & expenſis pro hujuſmodi factis computandis, quas recipere debet, vel à Procuratore, vel aliunde, vel ipſemet, vel ab aliis quærere ſecundùm ordinationem Prælati, & conſuetudinem Domus. Cum autem hyemale tempus appropinquaverit, debet apponere curam, quod id, quod dandum eſt Fratribus pro veſtibus, ſic tempeſtive procuretur, quod antequam frigore Fratres lædantur, omnia habeantur. In diſtributione vero intereſt ipſius videre quid quiſque habeat, ut melius ſciatur indigentia cujuſcumque. Debet autem ſcire à Prælato, quæ liceat eum dare ſine licentia ipſius, & quæ non; & quod juſſerit obſervare. Cum autem Frater aliquid petierit de prædictis, & indiguerit, debet ei charitative ſine difficultate miniſtrare, ſi poteſt ſine licentia, vel licentiam procurare. Si autem non indiguerit, debet eum charitative mo-

monere, ut ſuperſedeat à ſuperfluitate quam petit. Quod ſi noluerit, debet hoc ipſum indicare Prælato, & facere quod juſſerit faciendum. Nihilominus debet inſpicere Fratrum neceſſitates, vel intelligere, cum ab aliis ei ſignificantur. Et licet Frater indigens nihil petat, debet ei tanto magis ſollicite providere, quod humilitas ſua dignor eſt favore. Cum autem novum aliquid datur Fratri, debet vetus reddere, niſi de licentia (ſi indiguerit illo) eum retinere contingat. Cum autem emenda fuerint aliqua de prædictis, ſive de bonis Conventus, ſive ex pecunia ſpecialiter ad hoc alicui data, debent omnia emi per manus ejus. Nunquam autem ſine licentia ejus debet aliquis ſibi facere ſcindi veſtem, vel hujuſmodi, aut in Domo, aut extra: niſi forte in itinere conſtitutus. Ejus etiam eſt recipere, ſive pannos, ſive veſtes, ſive denarios, qui dantur pro hujuſmodi, vel Conventui, vel etiam Fratri cuicunque, & cuſtodire: & facere quod de his fuerit faciendum. Ad ipſum quoque pertinet Novitiorum veſtes præparare cum fuerint induendi, & in Capitulum portare, & veſtes eorum ſeculares ſervare; nec ſine eorum voluntate aliquid facere de eiſdem. Debet etiam providere Receptori hoſpitum de veſtibus pro hoſpitibus ad mutandum, & familiæ de competentibus veſtibus, & calceamentis, ſecundum ordinationem Prælati, cum Domus ipſis ad iſta tenetur: et advertere ne veſtes deferant laſcivas, ſeu minus honeſtas. Servitoribus etiam infirmorum, & hoſpitum miniſtrare debet illa, quibus indigent pro illis, quibus ſerviunt, ſive pro lectis, ſive pro aliis quibuſcumque ad ſuum officium pertinentibus. Cum autem in Dormitorio fit aliquis lectus de novo, vel aliquis eſt, qui non habet neceſſaria, ipſius eſt in hujuſmodi, ſive ibi, ſive alibi providere in tota Domo quæcumque neceſſe fuerint. Tempore vero Capituli ſupervenientis multitudinis Fratrum, cum non ſufficiunt lecti, aut ſupellectilia Domus, ipſius eſt procurare de foris, quod deeſt: & ſignare cujus ſit unumquodque, & habere curam de reddendo tempore ſuo; proviſo, quod ſi aliquid deturpatum fuerit, vel in aliquo læſum, prius reparetur, & mundetur. Item ad ipſum pertinet habere aliqua groſſa ſcapularia pro Converſis, quæ eis tradat quando ſerviunt in coquina, vel cæmento, vel hujuſmodi operibus, quæ ſolent veſtes deturpare. Similiter pro Fratribus, vel famulis, qui ſerviunt in coquina, vel pro Fratribus qui raduntur, & illis qui radunt; aliquas camiſias, quibus tunc utantur deſuper ad munditiam conſervandam. Porrò cum lotio communis veſtium fuerit facienda, debet de omnibus ad hoc pertinentibus, ſive lexivio, ſive miniſtris, & ſimilibus curam habere, & hoc in Capitulo prædicere; ut certa hora, & certo tempore deferant Fratres, quæ fuerint lavanda, & cum ſignis appoſitis veſtibus, tradere ſingula ipſo præſente. De quibus cuſtodiendis, & reddendis ſingulis, quæ ad curam ipſius pertinent, & idem in unctione communi ſotularium obſervetur. Cum autem aliqua viderit circa lectos, vel alibi, ſive coopertoria, ſive alia ad ſuum officium pertinentia otioſa, vel derelicta, debet ipſa recolligere ſollicitè; & bottas, & pellicia omnia, tempore certo ad veſtiariam deferre, & dare operam circa omnia, quæ ſunt in veſtiaria ſic cuſtodienda, & excutienda, vel ad Solem, vel ad aerem pro tempore exponenda; ut à tineis, vel à muribus, vel alias non lædantur. Cum autem Frater indiget aliqua reparatione veſtis, ut cum manicis aliis indiget, vel ſoleis, & ſimilibus, ſuper his debet providere, quod fiant. Cum autem indiget aliquibus ſutoribus ad hujuſmodi opera peragenda, nunquam debet eos introducere ad loca Fratrum ſecreta, niſi ſint valde honeſti, & familiares. ſed in loco à ſecretis Fratrum remoto, in Domo alicubi ſunt ponendi; vel in villa ad eos, vel ad domos proprias interdum hujuſmodi opera ſunt mittenda, dummodo ſint talia, quæ poſſint à ſecularibus ſine ſcandalo videri. Quod ſi ſeculares Domum frequentant, debet cautos reddere Fratres, ne quid per manus temerarias perire contingat. Quod ſi Frater aliquis circa cuſtodiam hujuſmodi negligens fuerit, vel veſtes ſuas male tractaverit, vel in aliquo circa ea, quæ ad ſuum officium pertinent offenderit, pertinet ad ipſum illum in Capitulo proclamere, & ſuggerere Prælato de admonitionibus, quas viderit faciendas circa ea, quæ ad ſuum officium pertinent quoquo modo. Cum autem perpenderit, quod aliqui Fratres aliquas ſuperfluitates habeant in veſtibus, & coopertoriis, & hujuſmodi, debet inſtare apud Prælatum, quod injungat in Capitulo: quod quicunque habet aliquod extra numerum taxatum à Conſtitutionibus, vel aliter ſuperfluat, ſic, vel ſic, reddat infra certum tempus veſtiario. Tempore vero ſcrutinii cum invenitur aliquid ſuperfluum de his, quæ ad ipſum pertinent, debent omnia talia ſibi tradi. Si vero aliquis Frater aliunde aſportaverit aliquam veſtem, vel nimis longam, vel in aliquo notabilem, ſeu etiam ſotulares; pertinet ad ipſum hujuſmodi veſtem corrigere, vel Prælato ſuggerere, quod auferatur ei; ſi ſecundum Ordinem tolerari non debet. Ubi autem pro veſtibus faciunt fieri Fratres pannos de lana, vel empta, vel alias data, debet ſic hoc fieri caute, quod apud extraneos inde facile non poſſit murmur exoriri.

Caput XXXII.
De Officio Sartoris.

SArtor dicitur Frater Converſus, qui ſcit artem ſcindendi, & ſuendi in pannis, & in pellibus, & cognoſcendi pannos: & ſi quid minus plene ſcit, in iſtis debet addiſcere diligenter.

Circa Res habendas.

AD hujus officium pertinet habere ſecretam aliquam domum bene feneſtratam ad habendum multum de lumine, in qua ſit aliquod inciſorium, ſcilicet locus aliquis de aſſeribus complanatis collocatus in alto, & aptus ad ſcidendum; inſuper perticæ, & arcæ, & armaria, & hujuſmodi ad repoſitionem, & cuſtodiam rerum, quæ apud eum ponuntur. Ad iſtum etiam pertinet habere forcipes, acus, fila, & ſimilia ad artem ſuam neceſſaria, in locis certis pro ſe, & ſuis adjutoribus abundanter, ſecundum quod requirit multitudo eorum, quos oportet interdum ad ſuum adjutorium convocari. Non debent autem aliqui famuli recipi ad manendum in domo continuè ſine licentia Prælati, nec ad horam etiam ſine licentia Veſtiarii. Debet autem illis, qui debent in domo comedere ſecundum ordinationem Procuratoris, & quid, & quando, & ubi comedant providere, & de lectis ſi jacent in domo, ſecundum ordinationem Veſtiarii, ſuper hoc cum Prælato collationem habere. Si vero pro pretio ſtant cum Fratribus, pertinet ad Veſtiarium ſolvere, & ipſius eſt, ad hoc eum inſtigare. Si vero adverterit in eorum aliquo aliquid propter quod non expediat, vel deceat, eum in domo commorari, utpote quia deſtruit bona Domus, vel eſt malæ vitæ in aliquo, vel ſimilia; debet Veſtiario ſine mora, vel Prælato ſignificare. Debet autem tam honeſte coram eis ſe habere, quamdiu ſunt apud nos, & eos in his,

quæ ad ſalutem pertinent dirigere, & inſtruere: quod non ſe ingerant inter Fratres, vel in loca ubi non debent, & ſimiliter quod ipſi ex converſatione inter Fratres, meliores fiant, & Fratres ab eorum ſocietate non moleſtentur in aliquo, vel perturbentur.

Circa actus ejus.

PОrrò in operando ſic debet eſſe ſollicitus, quod non ſolùm de die, verùm etiam de nocte, tempore, quo Fratres vigilare ſolent, operetur ad lumen, orationibus pro Matutinis brevitèr conſummatis. Similiter in æſtate, dùm Fratres dormiunt in meridie, poteſt commodè ſuſtinere, & licentiam obtinere, quæ de facili dari debet, & in hoc indulgeri, ut poſſit à Matutinis remanere, & dormire tunc: ut poſſit hujuſmodi vigiliam de die meliùs ſuſtinere. Propter opus etiam poteſt ab Horis omnibus, præterquam à Completorio remanere, & ſufficit unicam Miſſam privatam breviter, & expedite audire. Sic autem debet ſubjacere Veſtiario, quod in omnibus præferat ea, quæ ipſe dixerit; nec ſine ejus licentia debet aliquid dare Fratribus licèt etiam modicum: ut capellum, vel ſocos, & hujuſmodi; nec magnum quid pro eis facere, ut eſt ſcindere tunicam, ponere novas manicas, & ſimilia. Modica tamen, ut eſt ſuere aliquid in tunica, vel apponere modicam petiam in veſte, & hujuſmodi, debet facere ſine licentia ſpeciali. In ſcindendis vero veſtibus Fratrum, debet diligenter curare, quod religioſe, & non ſeculariter fiant, vel cum aliqua laſcivia parentur, ſed uniformiter: & ideò debet habere formas aliquas, vel exemplaria de pergameno, vel ſigno pro caputiis, pro capellis, pro manicis, & ſimilibus; ut uniformiter, & modo religioſo ad illa exemplaria faciat univerſa, & fiant in competenti menſura. Cum autem aliquis pannus ei apportatur à quocunque, etiam Veſtiario, & videtur reprehenſibilis in pretioſitate, vel colore, vel aliàs: nunquam debet ipſum incidere quouſque Prælato oſtenderit, ut ipſo examinato ab eo jubeat, quod voluerit. Cùm autem non habuerit certum opus, debet circa illa quæ reparanda ſunt, vel paranda pro futuris temporibus ſic vacare, quod tempore neceſſitatis majoris illa expedita ſint, & tunc poſſit meliùs ſe impendere neceſſitatibus inſtantibus.

Caput XXXIII.

De Officio Sutoris.

SUtor dicitur Frater laicus, qui ſcit artem faciendi ſotulares, & ſuendi in corio. Cùm autem hujuſmodi officium imponitur ipſi, pertinet ad eum ſcire omnia circa hujuſmodi materiam, quæ dicta ſunt de Sartore circa pannos: cavendum eſt ei diligenter, ne faciat ſotulares, qui in forma, vel ſtrictura, vel in aliqua alia nota, aliquid ſapiant ſeculares; ſed potiùs humilitatem, & religionem, nec ſint in altitudine nimia reprehenſibiles. Cum autem habet famulos, poſſet in miniſtrando eis cibum, officium per ſeptimanas dividere cum Sartore, ne uterque inſimul occupentur in eo, quod poteſt per alterum fieri competenter. Cum autem officinæ hujuſmodi operariorum ſunt ita extra clauſuram clauſtri, quod de nocte non poſſunt ire illas ad operandum, debent aliqua apportare ad dormitorium, vel ad locum aliquem intra clauſuram prædictam, tempore hyemali, in quibus operentur nocte, caventes à tumultu. Cum autem indiget Sutor Sartore in juvando ad unctionem, Sartor Sutore ad lotionem veſtium & ſimilium; debent libenter mutuo ſe juvare. Porro cum non eſt aliquis in domo Frater ad artem hujuſmodi, vel earum alteram exercendam, ſed famulus aliquis ſecularis, pertinet ad Veſtiarium hujuſmodi famulo committere omnia, quæ ad officialem pertinent prædictum, vel aliqua: & ordinare de eo, & circa eum hoc, & alia, prout viderit expedire: Si vero nec Frater, nec famulus ſit in domo ad iſta facienda, quod valde cavendum eſt, providendum eſt à Veſtiario, quod ſic caute per familiares fiant, quod exinde non poſſunt oriri ſcandala, vel domus in bonis damnificari.

Caput XXXIV.

De Officio Præfecti Operum.

PRæfectus operum dicitur Frater, qui conſtituitur ad exequendum circa opera illud, quod Prælatus de conſilio operariorum (ſi magnum quid fuerit) vel etiam alia ſine conſilio (dummodo non ſint magna) duxerit ordinandum. Debet autem ad hujuſmodi officium haberi, ſi poſſit, Frater qui circa hujuſmodi habeat prudentiam, qui inter operarios, & inter alios ſeculares ſciat honeſte, & pacifice converſari, qui etiam circa agenda gerat ſollicitudinem competentem; & qui à majori bono propter hujuſmodi occupationes non avellatur. Cum autem, ſecundùm modum prædictum, inſtant aliqua opera facienda de novo, vel complenda, vel reponenda: ipſius eſt cogitare, & providere de materia habenda, & Domum portanda, ut ſunt ligna, lapides, regulæ, arena, calix, & ſimilia. Si autem aliqua iſtorum poſſunt procurari per Fratrum ſtudium, & laborem, debet ſuper hoc ſollicitare Priorem, ut fiat cum debita diligentia, tempore opportuno. Si autem oporteat iſta emi, debet cum bonis viris, qui circa hoc habent experientiam conferre, qualiter bona materia, & cum meliori pretio, & quo tempore, & ubi poſſit haberi; & qualiter deferri, & exequi, quod ipſi conſuluerint faciendum. Et ſi ſtatim non ponatur hujuſmodi materia in operibus, cum fuerit Domum apportata, vel extra etiam quæſita, ſuum eſt providere quomodo cuſtodiatur diligenter, ne pereat, vel deterioretur. Porro circa opera, quæ fiunt, debet attendere, ne fiat aliquid, quod curioſitatem, vel ſuperfluitatem prætendat: & ad hoc operam dare, quod fiant opera durabilia, & humilia, & paupertati, ac Religioni conſona. Ad ipſum etiam pertinet conducere operarios, & ſollicitare eoſdem, & cum ſunt in expenſis Domus, de cibo, & potu, debito providere eiſdem loco, & tempore opportuno: & ſi debent aliqui jacere in Domo, de loco, & lectis, ſecundum ordinationem Prælati, ordinare. Debet autem attendere, quod illi, quos aſſumit, ſint operarii boni, & fideles, honeſtæ converſationis, & famæ; & ſi contrarium in eis invenerit, ſunt ab eo quanto citius licentiandi cum tali cautela, quod ſcandalizati non recedant. Sic autem ſe debent habere, & dare operam, quod Fratres alii ſic ſe habeant coram eis, & cum eis, quod non videant apud Fratres aliquid, quod eis cedat in ſcandalum, vel offenſam; ſed magis apud Fratres proficiant in his, quæ pertinent ad ſalutem. Solvere quoque eis mercedem ita tempeſtive, & fideliter, quod occaſionem non habeant contra Fratres murmurandi. Item ipſius intereſt notare, & videre, quæ ſunt in Domo reparanda, vel melioranda, ſive in tectis, ſive in clauſuris, ſive in his, quæ ruinam minantur, & in aliis quibuſcumque: & oſtendere Prælato, & ſecundum diſpoſitionem, & licentiam ejus dare operam ad hujuſmodi facienda. Debet etiam diligenter computare quantum recipit, & unde, & quantum, & in quibus expendit; & de hoc

hoc ſuo tempore reddere rationem, & procurare quod poterit pro operibus ſi ei imponatur: & quod datum fuerit pro operibus ſpecialiter, ſi non ad manus alias, ſed ad ſuas, ſecundum ordinationem Prælati, deveniat, in Capitulo recitare. Si vero Frater aliquis fuerit in Domo, qui ſciat in hujuſmodi operari, ſi ponatur ad operandum, hujuſmodi Officiali obedire debet, & eum adjuvare, in quibus dixerit ei, niſi forte ipſi illud officium imponatur.

Caput XXXV.
De Officio Hortulani.

HOrtulanus dicitur Frater, qui habet curam, videlicet de horto procurando: ad quod officium ponendus eſt Frater, qui habeat experientiam circa hujuſmodi, vel ſciat ſaltem habere ſollicitudinem ad inquirendum ab illis, qui ſciunt, & exequendum ſecundum conſilium aliorum.

Circa virgultum.

AD hujuſmodi officium pertinet dare operam ad arbores, vites, arbuſta, & omnia ad virgultum pertinentia plantanda, inſerenda, riganda, purganda, ſeu putanda, appodianda, liganda, ſuffodienda, & ſimilia facienda, prout eorum, & terræ conditio requirit. Et cavendum eſt circa hujuſmodi, ne arbores, vel arbuſta, vel alia hujuſmodi inutilia habeantur, ſed ea, quæ fructus utiles, & abunde ſecundum modum terræ producere ſolent, varios ſecundum tempus, & varietates: & præcipue tales, qui infirmis proſint, vel ſaltem non ſint infirmorum facile generativi. Porro providere debet ne arbores altæ ſint juxta clauſuram, per quas poſſit aſcenſus fieri, vel deſcenſus. Item, quod non ponantur nimis ſpiſſæ præcipue ubi terra ſub arboribus non ſolum reſervatur ad pratum, ſed ad aliquid ſeminandum, quod in decenti ordine, & diſtantia collocentur: ut non ſolum ex fructibus, ſed etiam recreationem faciant ex decore. Item, quod nunquam ſit tanta ſpiſſitudo arborum, vel lignorum, quin omnes deambulantes, vel reſidentes in loco quocunque poſſint competenter videri. Porro in plantandis arbuſtis debet attendere quod ſint talia, quæ poſſint in aliquo valere: ut vimina ad ligandum, roſæ ad aquam roſaceam, Altarium ornatum, & ſimilia; & quod hæc talibus locis collocentur, quod non impediant utilitatem majorem. Sine licentia vero Prælati non debet magnum quid novum facere, ut arborem aliquam eradicare, vel plantare in loco, qui ſolet ad aliquos uſus haberi & ſimilia, quæ poſſunt fieri.

Circa terræ naſcentia.

PErtinet etiam ad eum dare operam, quod habeantur prata, ſive pro infirmis, ſive pro hoſpitibus, ſive pro Conventu in locis opportunis, ſecundum diſpoſitionem Prælati competentia, pro recreatione honeſta, & modo; & quod hujuſmodi opus exigit, facere diligenter. Item apponere curam magnam, quod habeantur in horto ſemper abundanter herbæ tempore competenti ad faciendum olus. Item aliqua legumina, quæ recentia Conventui ſolent dari, ut fabæ, & piſa nova. Item, porri, cœpæ, allia, cucurbitæ, cucumeres, pepones, & ſimilia, prout gignere poteſt humus nationis illius. Item ſalvia, petroſelinum, & hujuſmodi herbæ, vel floris pro ſalſis, tam ſollicite cultiventur, quod quocunque tempore de ipſis reperiatur copia pro ſalſamentis faciendis, pro condimento pulmenti, pro pulveribus, pro medicinis idoneis. Item radices, ut paſtinacæ, & ſimilia ſemina feniculi, & aniſi, & ſimilia, quæ in varias utilitates, & uſus cedere poſſunt; ſive pro Conventu, ſive pro medicinis, ſive certo tempore conſumenda, ſive in tempus longius conſervanda. Debet autem in ipſo horto tales diſtinctiones, & vias facere, quod omnia ſint diſtincta, & locis debitis ſic collocata, quod non contingat ea pedibus tranſeuntium conculcari. Ubi vero ſolent multi convenire cauſa habendi ſalviam, vel petroſelinum, & hujuſmodi modica, faciendus eſt aliquis hortulus prope portam, obi fieri poſſint, in quo ſint hujuſmodi, de quibus extraneis ſufficiat, ne ad interiora eos frequenter oporteat intrare.

Circa utraque.

ITem pertinet ad ejus officium procurare diligenter bonos ſurculos aliunde ad inſerendum bona ſemina, & hujuſmodi præcipue, quæ non habentur in domo, & tempora obſerventur apta ad ſingula facienda. Item, ut melius terra fructificet, debet habere curam de ipſa firmanda, & riganda, ſi haberi valeat aqua, & de fodienda, & eligendis lapidibus, & eradicandis herbis, & herbuſtis malis: ſuis temporibus, ſingulis iſtis, & ſimilibus faciendis. Scire etiam debet, quo tempore, qui fructus, quæ ſemina, quæ radices, & ſimilia ſunt colligenda, quæ, & quomodo debeant, & valeant conſervari, & ubi, & apud quem, ſecundum diſpoſitionem Prælati: & dare operam, ut fiat circa hoc, quod fuerit faciendum. Si vero hujuſmodi Hortulanus ſit Converſus, debet propriis manibus laborare in prædictis, & alia, quæ circa laborem diurnum dicta ſunt ſuperius de Sartore, poſſunt ad ipſum pertinere. Si vero ſit Clericus, poteſt idem, licet non tantum laborare, ſi ſciat: ſi vero ſit Hortulanus aliquis extraneus ſecularis, & familiaris, pertinet ad Procuratorem ipſi præeſſe; & ſecundum ſupra dicta ordinare de ipſo. Ipſius etiam eſt cuſtodire clavem horti, & claudere, & aperire tempore opportuno: & cavere ne aliqui extranei indiſcrete ingredientes diſſipent horti bona. Si vero fuerint perſonæ reverendæ, nullatenus debet eos prohibere, vel moleſtare: dare quoque non debet aliquid de horto extraneis ſine licentia generali, vel particulari.

Caput XXXVI.
De quibuſdam communibus ad Officiales multos ſpectantibus.

DEinde circa Officiales ſunt quædam notanda, quæ ad multos pertinere videntur. Debet ſiquidem omnis Officialis dum imponitur ſibi officium aliquod, ſi videtur ſibi, quod non habeat gratiam ad illud faciendum, humiliter excuſare ſe apud imponentem, & oſtendere ſine falſitate, vel fictione defectus ſuos circa illud officium. Quod ſi non audierit illum imponens officium, debet in confidentia de bono obedientiæ ſuſcipere devote, quod fuerit imperatum. Item recepto officio debet conſiderare cujuſmodi licentiæ generales ſunt ſibi neceſſariæ ad officium exequendum, pro quibus difficile nimis eſt recurrere ad Prælatum aſſidue, & de illis cum Prælato conferre, quas debet Prælatus liberaliter ei concedere. Quod ſi nolit, debet nihilominus facere, quod poteſt bono modo, & pro licentiis hujuſmodi recurrere ad ipſum, quamquam difficile videatur. Item cum aliqui excedunt circa aliqua de pertinentibus ad officium ſuum, debet eos ſuper his proclamare, & Prælatis ſuggerere, quod fiant admonitiones utiles aliquæ circa illa, de quibus eidem videbi-

tur expedire. Item cum non ſufficit ſolus peragere ea, quæ ſunt officii ſui, poteſt apud Prælatum pro adjutore inſtare: & cum adjutoribus ſibi datis ita ſociabiliter, & amabiliter ſe habere, quod inveniantur facile, qui in ejus adjutorium ſuſtineant aſſignari. Item cum contingit eum recedere de Domo, vel infirmitate, vel alia impotentia ab officio præpediri, debet officium ſuum vel aliis committere, vel ad officiales, qui in hujuſmodi habent poteſtatem, vel ad Prælatum recurrere, & ſic diligenter advertere, quod ex ejus abſentia defectus non fiat. Item debet diligenter advertere, ſi quæ ſcripta ſunt in Conſtitutionibus, vel Ordinationibus Capitulorum Generalium, vel Provincialium, vel quotidianorum, quæ ad ſuum pertineant officium, & illa ſollicite cuſtodire. Cum etiam imponitur ſibi officium, cui res aliquæ ſint annexæ, ut Sacriſtiæ calices, paramenta, libri, & hujuſmodi, & ſic de aliis, debet cum recipit officium ſuum, ſcire quæ, & quot recipit; & in dimiſſione ſi excreverit, vel ſi aliqua non ſuperſunt, reddere rationem. Non debet autem ſine licentia generali, vel ſpeciali aliquid dare de pertinentibus ad officium, vel intus, vel extra, nec recipere: cum receperit etiam de licentia, debet in Capitulo beneficium collatum Fratribus ad ſuum officium pertinens recitare. Item expenſas, quas facit pro officio ſuo recipere debet vel à Procuratore, vel aliunde, ſecundum diſpoſitionem Prælati; & de ipſis computationis tempore, vel quandocumque requiſitus fuerit, reddere rationem. Item cum Officiales in aliquo non conſentiunt, non debet litigare, vel ſe perturbare; ſed ad Prælatum, vel alium recurrere, qui ſuper his habet poteſtatem. Item cum habet aliquos ſeculares in adjutorium, vel cum eis aliquid facere cauſa officii; debet ſic honeſtè, & pacificè cum eis, & coram eis agere univerſa, quod non ſcandalizentur: & cum ſunt de familia ad ſuum officium pertinente, curam gerere ſpecialem, & in omni tempore cavere ne unquam aliquem famulum, vel operarium etiam leviter percutiat, vel injuriis laceſſet, charitativè tamen poteſt eum corrigere, & inſtruere Cum vero unum officium duobus committitur, debet ſic providere Prælatus, quid nam ad unumquemque eorum pertineat: ne fortè dum unus in alterum omnia perficienda refundit, interim aliquid ex neceſſario faciendis, vel negligatur, vel plene omittatur. Denique ſuper omnia cavere debet, ne ſit in aliquo negligens circa ea, quæ ad officium ſuum pertinent: & præcipue in his, unde turbatio, vel damnum temporale, vel ſpirituale Fratrum ſequi, vel ſcandalum poſſit oriri. Cum autem imponitur ei officium de novo, de quo non eſt conſcius bene, quod ſciat illa, quæ ſunt in illo officio facienda; debet à Prælato petere, ut per aliquem exercitatum in illo officio ſe faciat in omnibus inſtrui diligenter.

Caput XXXVII.

De Officio Definitoris Capituli Generalis.

Circa ea, quæ ſunt agenda ante definitionem.

AD officium Definitoris Capituli Generalis pertinet, cum electus fuerit præſens in Capitulo, quod poſtulet à Priore Provinciali hujuſr . ſi laborem ſibi injungi in remiſſionem peccatorum: & ſic ipſo imponente recipiat officium humiliter veniam faciendo, & hoc ſi oportuerit eum ire in regionem longinquam, Bonum eſt etiam, quod ſuper hujuſmodi officium pro ſe, & pro ſocio ſibi aſſignato teſtimoniales recipiat litteras à Priore Provinciali, & Definitoribus, vel aliquibus aliis Prioribus de Capitulo: quas non negligat propter multas difficultates, quæ ex defectu litterarum hujuſmodi poſſent oriri. In ipſo Capitulo, in quo eligitur, debet ordinari de Socio, ſi præſens fuerit, utrum inſimul ire debeant, & quando, & per quas vias. Si autem alter illorum tantum præſens fuerit, debet prædictas litteras procurare, & de ſupradicta via cum abſente per litteras ordinare: quod ſi neuter præſens fuerit, debet Prior Provincialis prædictas litteras procurare, & Definitori, vel Socio mittere: & qui primo recipit, alteri debet de via prædicta ſignificare. Cum autem declinaverit ad Conventus, & in ipſo Capitulo, & inter extraneos, per quos tranſit, ſic in vigiliis, in ſobrietate, in ſilentio, in ſtudio, in oratione, & in omni honeſtate, & obſervantia Religionis, in collocutionibus, & verbis ædificatoriis dare debet exemplum, & conſolationem omnibus; ut evidenter appareat, quod non immerito ad tantum negotium Ordinis ſit aſſumptus. Si vero Fratres aliqui, per quos tranſit, vel in ipſo Capitulo velint ipſi aliquid dicere de pertinentibus ad Ordinem, quod ſuum officium poſſit reſpicere, debet diligenter audire; ſed cavere, ne credat omni ſpiritui, vel ſuggeſtioni; niſi loquentes plene ſibi ſint noti, vel niſi poſt inquiſierit diligenter à Fratribus diſcretis, & fide dignis de conditione, & diſcretione, & zelo, & intentione, & motu loquentium, & in quibus, & in quantum debeat eis credere. Debet etiam ſcire, quod melius eſt frequenter ſequi conſilium, & ſenſum eorum, qui parum ei loquuntur, quam multorum, qui multum ſe ſolent ingerere ad loquendum, & ſolent de ſingulis judicare: nec eſt ſecurum conſcientiam ſuam ex hujuſmodi auditu formare, quouſque conſter ſibi plenius de auditis. Item poſtquam factus eſt Definitor, debet diligenter reſpicere Acta Capituli præcedentis, & conferre cum Fratribus diſcretis, tam ſuper illis, quam ſuper aliis, quæcumque ad utilitatem Ordinis poſſint in Capitulo promoveri, & ſuper his per totum annum frequenter cogitare, & conferre, ut ſic melius ea poſſit promovere in Capitulo, ad quod debet dare operam habendo in aliquo memoriali Conſtitutiones novas, vel admonitiones, & alia hujuſmodi, quæ videntur ei promovenda, quæ proponere debet inter Definitores tempore opportuno.

Circa definitionem.

ITem ad Capitulum debet ita tempeſtive venire, ne mora ejus Definitores alii ex hoc impediantur à procedendo in agendis: & cum in Domo fuerit, ſic Officium, & Miſſam dicere, vel audire tempore congruo, quod eorum occaſione, vel alia non impediatur, quin ſemper ſit cum ipſis tempeſtive, vel in Capitulo, vel in loco diffinitionum. Cum autem in capitulo reſederit, ſic in loquendo, judicando, & in omnibus, Sociis ſuis debet deferre, & ſibi eos anteponere, & in omnibus mature, honeſte, & commode agere, juſte, & rigide tamen: & ſic ſine perſonarum acceptione pro tempore ſe habere; quod nec præſumptuoſus, vel inutilis, vel remiſſus, vel ſine zelo Religionis valeat ab aſtantibus reputari. Porro in diffinitionibus non debet contentioſe aliquid agere, vel clamoſe, nec eſſe multum confirmatus in ſenſu ſuo ſuper his, quæ ante deliberaverat, vel aliis quibuſcumque emergentibus, præcipue cum in diſcuſſione videt validiores ad oppoſitum rationes, vel videt illos, qui magis exercitati ſunt, & dif-

diſcretiones habentur, à ſua ſententia diſcrepare: quod ſi forte in aliquam declinat ſententiam, quæ ante pronunciationem diffinitionum videbatur ſibi nimis bona, poteſt, & debet illam ſententiam revocare ante diffinitionem prædictam. Summopere cavendum eſt ſibi cum ſit judex, ne aliquo caſu faciat aliquid pro perſona aliqua, vel Conventu, vel Provincia, vel Natione, vel contra, quod ſapiat acceptionem quamcumque; neque unquam debet declinare in aliquam ſententiam, quæ ad enervationem Ordinis, vel minorationem ſtatus ejus cedere poſſit; vel in aliquam ordinationem, quæ intollerabilis Communitati Fratrum reputetur, vel poſſit eſſe tranſgreſſionum occaſio plurimarum: ſed ſic in omnibus cum zelo ſancto, & diſcretione intendat, quod in patriam revertens, ſuper aliquo, quod fecerit modico tempore poteſtatis ſuæ, non reportet conſcientiam remordentem. Si vero aliqua ſibi injuncta fuerint a Condefinitoribus facienda, utpote legere litteras, vel ſcribere aliqua memorialia de his, quæ leguntur inter Definitores, vel habere curam de aliquibus, quæ inter eos recitantur, vel aguntur; ita quod circa hoc omiſſio, vel negligentia nulla contingat. Si vero Fratres aliqui velint ſibi tradere litteras aliquas vel aliqua pertinentia ad Definitores, debet ea recipere, & Definitoribus in communi præſentare. Debet etiam introducere quandoque Fratres, qui habent negotia, cum commode poteſt, ad eos. Ipſius eſt providere, quantum poteſt, ne ipſe, vel alii Definitores tantum occupentur circa alia perſonalia, vel localia, vel minus utilia, quod communia, & utiliora currente tempore expedire non poſſint. Item de his negotiis, quæ pertinent ad Provinciam ſuam, debet conferre cum ſocio ſuo, ut ea cum communi conſilio (ſi talia ſunt, quæ utrique ſunt communicata, vel communicari poſſint) expediat diligenter, & non confuſe. Proinde ſi habentur litteræ aliquæ, aut negotia aliqua pertinentia ad ſolum Magiſtrum, debent ante Capitulum quam cito poſſunt ei litteras præſentare, & negotia proponere ordinate: ſcilicet ea, quæ Provinciæ ſunt primo, quæ ſunt Conventus, vel Conventuum aliquorum ſecundo, quæ ſunt Fratris, vel Fratrum, tertio: quæ ſunt eorum, qui non ſunt de Ordine, quarto. Si vero pertinent ad Definitores, obſervata hora ab ipſo Definitore, debet ingredi Socius, & cum Definitore reddere litteras, vel proponere negotia ordine ſupradicto: & debent habere curam de expediendis negotiis, & reſcribendo cum fuerit reſcribendum. Si vero ſunt negotia impertinentia ad Magiſtrum, vel ad Definitores; ut ſunt emptio librorum, & ſimilium, debent cum licentia Magiſtri (ſi fuerint neceſſaria) vel Prioris Domus (ſi ad eum pervenerint) adjutorio (ſi indiguerint) illa, prout poterunt honeſte, & religioſe expedire. Si vero fuerit aliquod negotium tale, quod inter utrumque non ſit communicandum, debet ille, cui commiſſum eſt, vel ad quem pertinet, illud prout commode poterit, expedire. Cum autem inter Definitores agitur de Provinciæ ſuæ ſtatu, vel aliquibus ad eam pertinentibus, debet ſuper quibus requiritur ab eis, vel à Magiſtro, per ſe fidele teſtimonium dare loquendo de ſingulis, de ſcientia, vel credulitate, vel neſcientia, prout conſcientia ſua teperit univerſa. Si autem aliquid habet referre de ſua Provincia, debet omnia ſic recitare diſtincte, ut ſciatur à Definitoribus, quid dicat de motu ſuo, quid ex parte Capituli Provincialis, vel Definitorum Capituli Provincialis, vel Conventus, vel Conventuum, vel Fratris, vel Fratrum aliquorum.

Circa ea, quæ fuerint agenda poſt definitionem.

POſtremo terminata definitione, ſua intereſt dare operam, quod omnia, quæ ad ſuam pertinent Provinciam, quæ nondum ſunt expedita, expediantur: & ubi in ingreſſu invenerit Fratres turbatos in aliquibus in Capitulo ordinatis, reddere eis rationem ſuper iſtis, & eos ut commode poterit ſedare. In Capitulo vero ſuo Provinciali, debet reddere omnia, & conferre, quæ ad ipſum pertinent, quæ de Capitulo Generali emanaverunt: ut ſunt Acta Capituli Generalis, litteræ Magiſtri, litteræ, vel Indulgentiæ novæ, ſi quæ ſunt impetratæ de novo, & ſimilia: & habere curam, quod ibidem publicentur: & in Conſtitutionibus inchoatis de novo, vel admonitionibus, ſi quæ obſcuritas invenitur, vel admiratio oritur, declarare intellectum, & rationes aſſignare, quæ Definitores movent ad illa. Si vero Magiſter, vel Definitores commiſerunt ei aliqua verbo, & litteris, in ſua Provincia, vel alibi nuncianda, vel exequenda, quod injunctum fuerit diligenter executioni mandare.

CAPUT XXXVIII.

De Officio Socii Definitoris Capituli Generalis.

OFficium Socii Definitoris Capituli Generalis eſt hujuſmodi. Cum officium ſibi fuerit injunctum, debet cum venia, & humilitate recipere: deinde cum Definitore de agendis (ſi præſens eſt) verbo, vel ſi abſens eſt, per litteras pertractare, & ei tanquam majori in eis, quæ communiter ad eos pertinent obedire. Habere etiam curam ſpecialem de petitionibus Provinciæ, & litteris Capituli Provincialis, vel Conventuum, vel Fratrum portandis; & de negotiis aliis, ut ſunt cauſæ, vel quæſtiones, vel alia quæcunque, proferendis, & cum conſilio Definitoris, & auctoritate ipſius ſuo tempore promovendis. Si autem contingat eum ire cum Definitore, licet prior ſit in Ordine, debet eum tanquam priorem habere, & procurare apud Priorem Provincialem, quod hoc ipſum ordinetur ab eo.

Circa Capitulum.

POrro cum in loco Capituli fuerint, debent in dicendo officium, in celebrandis Miſſis, in jacendo prope eum, ſi fuerit ordinatum, in ſcribendo, vel exequendo aliqua pro eo, ſi voluerit, & ſimilibus, ei aſſiſtere reverenter, & diligenter juvare: negotia quoque, prout poterit, debet eidem reducere ad memoriam, & cum eodem, ſi vult conſilium promovere: litteras quoque ad Magiſtrum Ordinis, & Definitores pertinentes, quas habet cum ejus conſilio reddere tempore opportuno. Item dum Definitor vacat definitionibus, debet habere curam ſpecialem de litteris Magiſtri, & Indulgentiis novis, ſi ibi fuerint, & ſub authentico ſigillo habendis, & ſimilibus, quæ oportet ad profectum ſuæ Provinciæ deferre, & ſollicitare Magiſtrum ad reſcribendum illis, qui ſcripſerunt de ſua Provincia. Debet etiam litteras procurare de beneficiis, quæ fuerint procurandæ pro perſonis ad ſuam Provinciam pertinentibus, & proſequi cauſas ſuæ Provinciæ, ſi quæ fuerint, vel agendo, vel reſpondendo quantum de jure poteſt; & alia negotia ſuæ Provinciæ, quantum poteſt ſine Definitore expedire, & pro iſtis cum poteſt ad eum recurrere; & omnia hujuſmodi ſic ſollicite expedire, quod facta definitione non opor-

teat

teat moram contrahere propter iſta. Si vero Definitores, vel Magiſter Ordinis inquiſierint aliquid ab eo de pertinentibus ad Provinciam ſuam, vel ipſe aliquid de iſtis habeat dicere eis, debet circa iſta fideliter, & diſcrete procedere, ſicut ſuprà dictum eſt de Definitore.

Circa regreſſum.

IN regreſſu vero magis ſpecialem curam debet habere de Actis, & litteris, & aliis hujuſmodi reportandis, quàm Definitor, licet uterque habeat de his cogitare, & reddere omnia, quibus fuerint reddenda. In Capitulo vero Provinciali debet Acta, litteras Magiſtri Ordinis, & Indulgentias, quæ ſunt novæ, & alia pertinentia ad Capitulum illud, reddere Definitori, & laborare cum eo, ut legantur, & fiat de eis, quod fuerit faciendum. Si vero Magiſter, vel Definitores aliqua commiſerint ei agenda cum Definitore, vel ſoli; debet exequi diligenter prout fuerit ſibi dictum.

Circa ſucceſſionem in definitione.

QUod ſi oporteat eum Definitorem eſſe ſecundum formam Conſtitutionum propter mortem, vel impedimentum Definitoris, tunc ad eum pertinent omnia, quæ de Definitore ſunt prædicta, ſi vero antequam receſſerit de Provincia ſua, contingat illud impedimentum tali tempore, quod hoc Provinciali poſſit ſignificare, debet illi notificare; & cum ejus conſilio Socium accipere, qui prædicta de Socio prout poterit, compleat diligenter. Si vero in via Definitor impediatur, vel jam intempeſtive, quod non poſſit habere recurſum ad Priorem Provincialem, tunc ſicut poterit provideat de Socio. Denique tam ad Definitorem, quam ad Socium pertinet, cum ſunt novi, & inexperti in iſtis dare operam, ut per expertos circa hujuſmodi in his, quæ neſciunt inſtruantur: & ipſi cum inſtant agenda, debent diligenter notare, quomodo ſe habeant illi, qui magis ſufficientes in hujuſmodi reputantur, & eiſdem prout potuerint ſe conforment.

CAPUT XXXIX.

De Officio Electoris Magiſtri Ordinis.

AD Officium Electoris Magiſtri Ordinis pertinet, quod poſtquam electus eſt, poſtulet, (ut ſupra dictum eſt de Definitore) ſi oporteat eum ire longius, à Priore Provinciali hujuſmodi laborem ſibi injungi in remiſſionem peccatorum, & injunctum ſuſcipere cum venia humiliter & devote, & hoc ſi fuerit præſens in loco electionis. De litteris quoque teſtimonialibus idem ſervetur, quod de Definitore eſt ſupra dictum: de Socio vero, & via, & tempore eundi, debet facere ſecundum conſilium Provincialis. Porro in via inter Fratres, inter extraneos, in Conventibus, in Capitulo, & ubique, debet illam honeſtatem, & religioſitatem ſervare, quæ de Definitore ſunt ſuperius prædicta. Pro negotio vero electionis, debet a tempore ſuæ electionis orare devote, & orationes a ſanctis perſonis cum poterit impetrare: ut ſecundùm voluntatem Dei, & utilitatem Ordinis tam ipſe, quam alii dirigantur. Cum autem aliquos Fratres invenerint diſcretos, & Deum timentes, exercitatos in negotiis Ordinis, & perſonarum, habentes Ordinis notitiam: debet libenter cum eis conferre in ſancta & ſimplici intentione; ut per eos in aliquibus pertinentibus ad negotium plenius informetur. Cavendum eſt autem ei, ne propter auditum, aut notitiam levem, ad eligendum aliquem inclinetur, niſi prius per fide dignos, & qui talem magis de propinquo noverint, plenius inſtruatur: nec unquam debet ſic animum ſuum in aliquem firmare, quin ſi aliquid melius ex collatione aliqua poſtmodum appareat, paratus ſit ad alium transferre vocem ſuam. Illud quoque diligentiſſime præcavendùm eſt ei, ne notitia, vel familiaritas, vel confidentia præſumpta de aliquo, vel turbatio contra alium, vel deſpectio quæcumque, vel aliæ ſimiles, vel diſſimiles cauſæ, quæ Spiritum Sanctum non ſapiunt, eum moveant in aliquo contra aliquem; ſed ſolum pura, & ſancta intentio, & recognitio, ſolum Dei voluntatem, & utilitatem Ordinis inveſtigans. Debet etiam attendere, quod licet in hujuſmodi perſona ſint multa attendenda, ſi reperiri poſſent in aliquo, utpote conditio generis, & perſonæ, ſcientia, fama, auctoritas, notitia, gratia prædicandi, & inter homines converſandi, & alia multa: tamen ſuper omnia videntur attendenda, vitæ ſanctitas, diſcretio naturalis, experientia prælationis, zelus ſanctus, animoſitas ad mala perſequenda, & bona promovenda, maturitas in agendis cum oportuerit, condeſcenſio ad infirma, firma de Deo fiducia in ſolitis, & gravibus cum emergunt. Cæterum vero tamquam pernicioſum, & viliſſimum eſt procul abjiciendum, ne unquam inducat, vel inducere ſuſtineat quemcumque circa hujuſmodi negotium ad aliquid, niſi quod pure ſanctitatem ſapiat, & virtutem; ſed ſic in omnibus cum timore Dei diligenti deliberatione procedat, & votum ſuum ſolum in Deum, & Ordinis transferat utilitatem: habens præ oculis, quod nihil faciat unde malam reportans conſcientiam gemere habeat omnibus diebus vitæ ſuæ, cum aliquid fecerit, quod poſtmodum nunquam poterit emendare. Si vero facto ſcrutinio publico nondum valet electio, nec videatur per proceſſum, quod valere poſſit, niſi mutet vocem ſuàm, multo melius eſt mutare vocem (dummodo cum bona conſcientia fieri poſſit) quam diu diſcordiam ſuſtinere. Sed in mutatione iſtud videtur ſecurius, quod cum oportet mutari propter concordiam, illorum ſequatur conſcientiam, & ſenſum, qui ſecundum ſuam conſcientiam, & ſenſum melioris, & ſanioris ſententiæ reputantur. Denique omnia, quæ acta ſunt in ſecreto, ſic debet habere ſecreta, quod nunquam ex ore ejus egrediatur aliquid, unde poſſit aliquid de illis percipi: vel poſſit aliquis Frater percipere; quod talis, vel tales Fratres elegerunt hunc, vel illum reprobaverunt, vel illi contrarii fuerunt, & ſimilia, quæ poſſunt inducere turbationem. Debet etiam eſſe cautus, quod in collatione facienda de aliquibus eligendis ante electionem inter Electores ſuos, non eſt ſecurum conſentire propter occaſiones, denigrationis famæ multorum, & alia multa, quæ ſolent inde ſequi. Porro in regreſſu cum declinat ad Fratres, debet laudare quantumcumque poteſt cum bona conſcientia, quod factum eſt, & ſuper hoc Fratrum animos conſolari.

CAPUT XL.

De Officio Electoris Prioris Provincialis.

AD Officium Electoris Prioris Provincialis pertinet, ut cum electus fuerit, conferat cum Priore, & Conventu de litteris ſuper hoc habendis, & de ſocio in via, & faciat, prout ſuper hoc duxerit ordinandum: in aliis autem, quæ ad electionem pertinent, obſervet habito reſpectu ad Provinciam, omnia, quæ ſupra dicta ſunt de Electione Magiſtri Ordinis, habito reſpectu ad Ordinem Univerſum. Multum autem attendere debet, quod talis eligatur (ſi fieri poteſt) qui ſit ad pacem, & conſolationem communem

munem Provinciæ, dummodo aliæ circumſtantiæ bonæ concurrant: & libentius debet procurare, quod aliquis de Provincia eligatur, dummodo ſit ſufficiens, & habeatur utilis; quam aliunde, etiam ſi magis ſufficiens habeatur, de quo non ſperetur, quod poſſit haberi, niſi cum magna anguſtia animi ſui, & anhelaret ad recedendum, quam citius poſſet. In formatione vero decreti, ſi opus fuerit, debet in omni caſu ſine difficultate qualibet, teſtimonium perhibere veritati.

Caput XLI.

De Officio Definitoris Capituli Provincialis.

AD Officium Definitoris, Capituli Provincialis pertinet, ut poſt electionem audiat negotia Fratrum modo ſequeſtratim, modo cum aliis Definitoribus, prout ipſi requirunt, & ipſe poterit vacare: recipere etiam litteras, vel memorialia, quæ ad Definitores pertinent, cum ei porriguntur; ut ea inter Definitores præſentet tempore opportuno. Poſtquam autem inchoatum fuerit Capitulum, debet cum Priore Provinciali in loco Definitorum in Capitulo ſedere, hoc ordine ſervato inter Definitores, ut qui primo ſedent in Choro, primo ſedeant inter eos. Cavendum eſt autem ei ne aliquid faciat pro Fratre, vel Conventu, vel contra, quod ſapiat privatum amorem, vel turbationem, vel vindictam contra alium: ſed tantum ea, quæ ſapiunt æquitatem, & bonum. Item ne ſit facilis ad mutationes faciendas, ſive in abſolutione Priorum multorum, vel translationibus Lectorum, & Fratrum, niſi quando poſt diſcuſſionem diligentem manifeſta ratio reperitur. Item non tantum intentus ſit circa particularia facta, ne quod ad commune bonum, & magis, quod pertinet ad ſtatum totius Provinciæ, negligatur. Porro circa Conventus novos, & remotos, & deſolatos, vel præ paucitate Fratrum, vel paupertate, vel propter aliqua ſcandala ibi orta, vel, aliis de cauſis, ut releventur à gravaminibus, & bene provideatur eiſdem, & in aliquo non graventur: ſimiliter circa ſtudium, & omnia pertinentia ad id promovenda. Item circa Fratres, qui notati ſunt de ſcandalo turbationis, & periculoſi reputantur, reprimendos, & refrænandos, & in talibus Conventibus collocandos, ubi ſub diſciplina, & cuſtodia bona alicujus cuſtodiantur; & ſimilibus, quæ ſunt majoris neceſſitatis, debet habere curam majorem quantum in eo eſt. Sunt & alia quædam notata in Capitulo de Officio Prioris Provincialis circa Fratres, quæ pro magna parte eidem quantum ad officium ſuum in modico tempore pertinent, conſideranda ſunt, & ſollicite obſervanda. Item pertinet ad eum, cum aliis dividere Viſitatoribus Domus viſitandas, & alia quædam, quæ in Conſtitutionibus expreſſa ſunt, & in admonitionibus Capituli Generalis, quandoque inſeruntur: inſuper, & multa alia de illis, quæ ſupra notata ſunt de officio Definitoris Capituli Generalis, quæ omnia ſunt ab eo conſideranda diligenter, & prout competunt obſervanda. Deinde finita definitione, cum aliquos turbatos viderit de aliqua ordinatione, non debet ita ſe ſuper aliquo excuſare, (licet in illo non conſenſerit) quod ſuper ſocios ſuos calumnia devolvatur; vel quæ acta ſunt inter eos, de quibus oritur turbatio, per quos factum ſit, reveletur.

Caput XLII.

De Officio Viſitatoris.

Circa ea, quæ præcedunt viſitationem.

AD Officium Viſitatoris pertinet, ſi laborioſa fuerit ſua viſitatio, poſtulet à Priore Provinciali laborem in remiſſionem peccatorum ſibi injungi. Socium quoque de ejus ordinatione, ſi poteſt ei loqui, vel ſcribere, vel ſi hoc non poteſt, de ordinatione Prioris ſui Conventualis aſſumere debet. Si vero ante tempus viſitandi contigerit eum infirmari, vel aliter impediri, debet Priori Provinciali hoc indicare, ut de alio provideat, qui ſuppleat vices ejus. Porro tempus ad viſitandum debet eligere tale, in quo Fratres melius poſſint haberi in domo, ſine damno prædicationis, vel proviſionis temporalium, & quod non concurrat cum viſitatione Prioris Provincialis, vel nimium ſit vicinum viſitationi, vel Capitulo ſequenti, vel præcedenti Provinciali, vel Generali, ſi fuerint in Provincia illa celebranda. Cum autem venturus eſt ad domum aliquam, debet primo ſignificare tempus adventus ſui; ut Fratres abſentes commode convocari poſſint. Non debet autem ad convocandos Fratres inferre neceſſitatem, qui ſine magno damno domus, aut ſalutis animarum convenire non poſſint: niſi magna, & rationabilis cauſa, & neceſſitas hoc requirat.

Circa quædam in generali.

INtereſt etiam ipſius portare ſecum litteras Magiſtri Ordinis, & alia, quæ emanaverunt à Capitulo Generali, vel Provinciali: & facere ea legi in præſentia ſua, in Capitulo, vel in menſa cum Fratres communiter interſunt. Debet autem ſummatim in omni Conventu videre, & inquirere, ſi habentur libri Officii Eccleſiaſtici bene correcti. Item ſi habentur libri ſcholaſtici ſufficienter, ſi habentur paramenta Eccleſiaſtica, & hujuſmodi, quæ pertinent ad cultum Dei competentia. Item quomodo ſit Divinum Officium, & quomodo proficitur in ſtudio. Item qui, & quot Fratres ſunt in domo, qui multum reputentur idonei ad proficiendum in ſtudio, quos exigentibus meritis ad hoc expediat promoveri: quot boni Prædicatores, quot boni in conſiliis, quot boni ad Confeſſiones; ſi qui graves in moribus, vel notati publice de ſcandalo: ſi multi gravibus, & longis infirmitatibus prægravati: ſi habentur competenter temporalia, & qualiter. Item ſi habitant inter devotos homines, ſi domus eſt onerata multitudine Fratrum, vel paucos habet, ſi ſunt Fratres de illa Natione, vel aliunde, ſi libenter morantur Fratres in illo Conventu, vel inviti, ſi habent pacem Fratres cum Prælatis, & ſimilia multa, ut tempore ſuo his cognitis in genere, ſciet melius Priori Provinciali, vel Definitoribus conſulere de his, quæ circa domum illam fuerint ordinanda, & ipſe nihilominus faciat bonum quod poterit, quantum officium ſuum ſe extendit. Porro ante tempus viſitationis ſuæ, non pertinet ad eum facere aliquam inquiſitionem ex officio, licet ipſe poſſit audire aliqua, ſi aliqui gratis ad hoc ſe ingeſſerint, vel ſine invitatione aliqua gratis dicere voluerint: in quibus tamen non ſunt expendendi dies multi; ne in fraudem prolongandi dies officii, hæc fieri videantur.

Circa Capitulum.

CUM autem primò Capitulum intraverit ad officium exercendum, poteſt aliquam brevem collationem facere Fratribus de aliqua ſpirituali materia, & utili ſi voluerit: deinde recommendare Fratrum orationibus, illos, quos voluerit. Poſtmodum facere injunctionem, & admonitiones de pertinentibus ad officium; ſicut viderit expedire. Solet autem in communi viſitatione Capituli, ubi aliqua ſpecialis cauſa hoc requirit, injungi univerſis abſque præcepti expreſſione, quod quilibet dicat ei illud, quod ſibi videtur dicendum ſecundum ſuam conſcien-

tiam pro bono Ordinis, ſive in Capitulo, ſive extra, ſecundum quod requirit natura negotii: videlicet, quod dicendum eſt in Capitulo, dicat ibi; & quod extra dicendum eſt, dicat extra. In admonitionibus vero ſolent Fratres raddi cauti, ne aliquid dicant contra aliquem ex aliqua turbatione, vel motu inordinato; ſed ſolum ex ſinceritate fraternæ charitatis, & amore Ordinis. Item ne taceant aliquid dicendum, vel ex familiari amore perſonæ, vel timore quocunque, vel alia quacunque ex cauſa minus religioſa. Ipſis etiam Prælatis, & Fratribus poteſt injungi, ſi videatur expediens, quod occaſione eorum, quæ dicuntur ex conſueto modo contra aliquem nihil poſtmodum dure agant, cum etiam ſit conſuetum, quod ipſi Priores inſtante viſitatione ſoleant animare in Capitulo Fratres ad dicendum fideliter omnia, quæ videntur eis dicenda. Item, quod caveant quod non dicant inutilia, vel quæ alias ſunt correcta; vel quæ ſecrete ſunt dicenda, non dicant in publico, & ſimilia. Item, quod in proclamando ſe habeant modeſte, & formam Conſtitutionum obſervent diligenter. Hæc quoque, & ſimilia plura, vel pauciora poſſunt dici, ſecundum quod ratio ſuggeret, ſtatu domus, & circumſtantiis ad hoc pertinentibus conſideratis. Poſt hujuſmodi vero injunctiones, & admonitiones antequam procedatur ad culpas audiendas, dandum eſt aliquod tempus Fratribus ad loquendum ſibi ſecreto, ſi voluerint; ut ex aliquibus auditis magis inſtructus, ſciat melius quid ſit agendum. Si vero ſibi videatur, poteſt vocare aliquos, & maxime diſcretos, & magis dignos fide, etiamſi gratis non veniant, ad inquirendum de ſtatu domus leviter, & ſummatim. Ex his vero, quæ ſibi dicuntur ad partem, non multum expedit, quod conſcientiam ſuam formet, niſi poſtquam diligentius inveſtigaverit de conditionibus perſonæ loquentis; ſi forte eam non cognoſcat, ex diſcretione, & zelo, & motu, & modo. Ex his autem, quæ dicuntur in occulto, non debet ad aliquam ſententiam contra aliquem in aliquo procedere, niſi in publico recitentur. Inſtruere etiam debet ſibi loquentes in ſecreto, cum loquuntur de talibus, quæ ſolent & poſſunt in proclamationibus dici, quod non bene liberant animas ſuas, niſi in publico illa dicant. Si autem viderit aliquos paratos ad dicendum aliqua in publico, quæ dici ſic non ſolent, nec debent, debet eos inſtruere charitative, ſi ex ſimplicitate hæc faciant, quid eis ſit agendum: Si vero ſibi videatur malitioſe id fieri, terroribus, & comminationibus, debet eos in juſtitia refrænare, & condigne punire poſtmodum ſecundum quantitatem exceſſus, ſi procedant. Porro cum prælibatis prædictis, tenetur Capitulum de culpis, ſic cum debito moderamine, & diſcretione cuncta ſunt eidem agenda; ut viſitatio, quæ inducta eſt ad correctionem malorum, non ſit occaſio exceſſuum augendorum. Proinde curandum eſt ei, quod male accuſantes reprimat, & refrænet, & quod bene accuſantes juvet; quod dubia diligenter inquirat, quod accuſato det licentiam, & tempus ad reſpondendum: quod in frivolis non permittat ſe occupari, quod ea, quæ digna ſunt reprobatione cum audiuntur, valde verbis reprobet, & inſinuet eſſe horrenda; quod laudabilia ſic commendet, quod ad ſimilia animet advenientes, quod injungendo pœnitentias prudenter diſcernat quantitates culparum, & prout poſſibile eſt ſine tranſitione puniat juſto modo, & plus quam in quotidianis Capitulis puniri ſoleant exceſſus, ne viſitatio veniat in contemptum. Ante injunctionem vero pœnitentiæ, aggravet culpas, quas audivit dignas majori reprobatione in quolibet accuſato; ut per hæc audientes inducantur efficacius ad cavendum. Ad hoc, ſi in his, quæ in ſecreto, vel in publico, in domo, vel etiam extra domum audivit, videatur quod circa aliqua majora ſit plenius aliquid inquirendum, de quibus per communem modum ſupradictum viſitandi nondum ei eſt ſatisfactum, poteſt procedere ad præcepta, vel omnibus, vel aliquibus facienda, in publico, vel ſecreto, ſecundum quod negotii natura requirit. Cavendum tamen ne faciat aliquid contra aliquem injurioſe: in gravibus vero ne ita parcat alicui, quod culicem excolare, & camelum glutire videatur. Sunt & alia ei diligenter obſervanda, quæ in Conſtitutionibus, & admonitionibus Capitulorum, & ſupra in *Capitulo de Officio Prioris Provincialis* circa viſitationem ſunt conſcripta. Cum autem ad terminationem viſitationis accedere voluerit, ſi vel aliquas ordinationes, vel admonitiones arctius cuſtodiendas relinquere, debet primo ſuper his cum diſcretis Fratribus conferre, & eorum ſenſui, qui noverunt plenius ſtatum domus, & patriæ, quam ſenſui ſuo credere. Poteſt autem, & hujuſmodi in ſcriptis in aliquo memoriali relinquere in cuſtodiam Supprioris; ut ſciatur tempore ſuo ſi illa fuerint correcta, vel obſervata, & ipſe poteſt memoriale retinere. Finaliter autem principaliter debet intendere ad hæc, & laborare, quod per viſitationem ſuam ſequatur correctio exceſſuum, pax, & tranquillitas relinquatur. Propter quod ſi videt aliquam turbationem, debet ante terminationem viſitationis dare operam ad quietandum; ſi religio in aliquo depereat, reformetur obedientia, concordia, devotio, & omne bonum in Fratribus augeatur.

Circa quædam poſt Viſitationem.

SI vero Fratres, vel Conventus rogaverit eum, vel ſuper aliquibus promovendis apud Priorem Provincialem, vel ad Definitores Capituli Provincialis, vel Magiſtrum Ordinis, vel alibi: ſi ſibi rationabilia videntur, debet eis libenter acquieſcere, & ſuper his memoriale facere, & proponere ea tempore opportuno: nec Fratrum defectus, niſi ſolum Provinciali, vel Definitoribus, vel Magiſtro, prout eſt ſecundum ordinem faciendum dicat; ſed potius bona de Conventibus viſitantis prædicet, prout ſecundum conſcientiam facere poterit bono modo.

CAPUT XLIII.

De Officio Prædicatoris Generalis.

AD Officium Prædicatoris Generalis pertinet, cum ad hoc aſſumitur, cum venia ſuſcipere illud officium, & ad Capitulum Provinciale venire, niſi de licentia, vel ex cauſa remanſerit. Cum autem non venerit, debet ſe excuſare per litteras continentes cauſam abſentiæ ſuæ. Ipſe etiam eſt de corpore Capituli Provincialis, & pertinet ad ipſum electio Definitorum Provincialis, & Generalis Capituli, & Viſitatorum, & diſcuſſio petitionum Capituli ejuſdem, & ſimiliter, quæ ad ipſos pertinet. Et ideo ſolet ſpecialiter talibus concedi, quod habeant ſpeciale ſigillum. Ad hoc etiam debet apponere curam, quod habeat majorem notitiam Fratrum de Provincia, & exercitium circa ea, quæ in Capitulo ſunt agenda, vel pertinent ad communem ſtatum Domus, vel Provinciæ. Debet etiam frequentius, & libentius ubique prædicare, præcipue ſi gratiam habeat prædicandi. Non eſt autem propter hoc officium exemptus in aliquo ab obedientia Prioris ſui, vel à communi vita Fratrum aliorum: niſi quo ad hoc, quod poteſt ſine licentia ſpeciali ire ad Capitulum Provinciale, ut prædictum eſt. Sed de Socio, & tempore eundi, ſtare debet ordinationi Prioris ſui, dummodo ſic ordinaverit, quod ſperetur, quod poſſit illuc commode pervenire.

Caput XLIV.

De Officio Socii Prioris Conventualis euntis ad Capitulum Provinciale.

Circa quædam ante Capitulum.

PRiori Conventuali ituro ad Capitulum Provinciale, eligendus eſt in Socium Frater, qui poſſit laborem viæ ſecundum formam Ordinis ſuſtinere: qui commode exercitium habeat, vel ſaltem aptitudinem ad ea, quæ in Capitulo agenda ſunt, quod etiam fidelis reputetur ad agendum pro omnibus, ſive pro Conventu, ſive Fratribus ſingulis; ſive Prælatis, ſive Lectore, quod ſecundum veritatem fuerit faciendum. Ad hujuſmodi vero officium pertinet accuſationes Prioris, ſi quæ fuerint, petitiones, & litteras, & negotia quæcumque, ſive Conventus, ſive Fratrum ſingulorum recipere, & portare ad Capitulum; & dare operam, quod illa, quæ ſigillanda ſunt, ſigillentur.

Circa Capitulum.

CUM autem fuerit in Capitulo, pertinet ad eum ſicut ad membrum, cum ſit de corpore, circa omnia, quæ ad cautam pertinent, ſicut prædictum eſt de Prædicatore Generali. Specialiter verò negotia Conventus, vel Fratrum ſuorum, debet procurare; videlicet litteras miſſas Priori Provinciali, vel Definitoribus, vel aliis reddere tempore opportuno. Accuſationes Prioris ſui in Capitulo diſcretè, & ſimpliciter proponere, prout fuerint formatæ. Si autem aliquas alias de motu ſuo facere voluerit, eas ſequeſtratim & diſtinctè ab aliis opponere. Petitiones ſingulorum Fratrum ad Provincialem, ſi quæ ſibi commiſſæ fuerint, oſtendere, & procurare. Si verò à Provinciali, vel Definitoribus aliquid ab eo fuerit inquiſitum, de ſtatu Prioris, vel Conventus, vel Fratrum aliquorum, ſic ſimplicem veritatem dicere debet, quod pro aliquo, vel contra aliquem nunquam incliner ſe: niſi quantum requirit æquitas, & veritas, omni motu inordinato excluſo. Cùm autem aliquid dicit, debet hujuſmodi diſtinguere diſcretè, quid dicit de motu ſuo, quid de aliorum, & quorum: quid de voluntate Conventus, vel totius, vel majoris partis, & quæ ſit pars illa major, ſi expedierit enarrare. Item pertinet ad ipſum oſtendere Priori Provinciali indulgentias Domus, quas habet, aut in Lectore, aut in Prædicatoribus, aut in Fratribus expeditis in conſiliis, aut in Confeſſoribus, aut in Cantoribus, aut in Converſis, ſecundum varia exercitia, aut in paucitate Fratrum, & ſimilibus, & gravamina, aut in infirmis, aut in diſcolis, aut in nimia multitudine Fratrum, & ſimilibus, & laborare debet per ſe, & per Fratres ſibi notos, & amicos ſui Conventus, ut domui ſuæ per Priorem Provincialem, & Definitores utiliter provideatur. Cavendum etiam eſt ei, ne de motu ſuo, vel aliorum de ſuo Conventu, qui ad partes locuti fuerint, ſibi procuret aliquid, quod ad turbationem Conventus: vel Fratrum de Conventu ſuo, qui meliores, & diſcretiores reputantur valeat provenire.

Circa quædam poſt definitionem.

VErum ſi contingat Priorem ſuum abſolvi, vel poſt definitiones omitti aliquid eorum, quæ in ſuo Conventu ſunt neceſſaria, ut proviſio de Lectore, & hujuſmodi: tunc cum illis, qui fuerint in Capitulo de domo ſua, vel etiam aliorum Fratrum, vel quibus Conventus ſuus confidit, debet tractare quid poſſit fieri pro domo ſua; ſive in poſtulando, quos poſſit eligere, ſive in confirmationis commiſſione; ſive in proviſione de Lectore, & ſimilibus. Deinde in regreſſo non debet moram contrahere, ſed ſicut poterit, bono modo ad Conventum ſuum feſtinare. Et ſi aliqua negotia fuerint, quæ expediat eis tam cito ſcire, debet hoc, quam cito poterit per litteras intimare, ſi ante adventum ſuum hoc præſciri expediat. Cum autem venerit cavere debet ne rumores inutiles de Capitulo referat, vel infirma, vel aliquid, unde Fratres turbet contra Priorem Provincialem, vel Definitores, vel aliquos Fratres, qui minus fuerint favorabiles, vel contrarii in ſuis negotiis, ſed potius ea referat, quæ ad conſolationem, & pacem Fratrum debeant provenire; & det operam pacificare Fratres in communi, & ſingulariter, ſi aliquos eorum viderit turbatos ſuper iis, quæ acta ſunt in aliquo, vel omiſſa, ſuper his reddens, prout poterit excuſationem rationabilem.

Caput XLV.

De Officio Confeſſoris.

FRater, qui confeſſiones auditurus eſt, neceſſarium eſt, ut ſciat quantum poteſtatis habet. Item, ut ſciat quæ & qualiter à confitente inquirere debet. Item oportet eum eſſe cautum circa abſolutiones, & circa excommunicationes, diſpenſationes, & alias ſatisfactiones, & circa caſus matrimoniales: & circa pœnitentiarum injunctiones, & ſimoniarum reſignationes, & circa modum habendi ſe ad confitentem & ſpecialiter circa ſecretum Confeſſionis.

Circa poteſtatem.

CIrca poteſtatem notandum eſt, quod Frater, cui non eſt dictum à Prælato ſuo, vel ab alio, qui poſſit ei dare juriſdictionem, quod audiat Confeſſiones, de nullo peccato mortali poteſt abſolvere. Ille autem, qui habet poteſtatem à Diœceſano videre debet, quam poteſtatem habeat, & ad majorem certitudinem, bonum eſt, quod de hoc litteras habeat, vel memoriale aliquod.

Circa inquiſitionem.

CIrca inquiſitiones notandum eſt, quod duo ſunt genera interrogationum, quæ à peccatore confitente quærendæ ſunt. Quædam enim pertinent ad ipſam perſonam confitentis: quædam vero ad facta perſonæ. Illæ vero, quæ pertinent ad perſonam naturaliter ſunt priores: unde niſi Sacerdos ſciat, poteſt inquirere à confitente utrum ſit Clericus, vel laicus: & ſi Clericus, utrum Religioſus, vel non, & utrum habeat beneficium Eccleſiaſticum, vel non, præcipuè cum cura animarum. Si laicus, inquiri poteſt cujus officii ſit, & utrum in matrimonio ſit, vel ſolutus: & utrum paterfamilias, vel de familia alterius. Cognito vero qualis ſit perſona, ſecundum ſtatum ſuum, vel perſonæ, poſſunt fieri aliquæ aliæ interrogationes. Mulieres verò præcipuè inquirendæ ſunt de iis, quæ ad eas pertinent. Milites inquirendi ſunt præcipuè de rapinis, & injuriis, de venditione juſtitiæ, de profuſione pecuniæ cauſa adulationis, vel hiſtrionatus facta: de vana gloria, & laboribus, & doloribus, quos pro ea habent: & ſumptibus, quos propter ea faciunt. Mercatores verò quærendi ſunt de mendaciis, & perjuriis, & venditione ad terminum in fraudem uſurarum facta, & de aliis fraudibus. Burgenſes verò inquirendi ſunt de ſocietate, de modo, & cauſa congregandi divitias. Inquirendi ſunt etiam de invidia: mos enim civium eſt: alios aliis invidere. Illi vero, qui ſunt de familia alicujus potentis inquirendi ſunt utrum domino ſuo fideles extiterint, de adulatione, de mendaciis, de rapinis, de pravis conſiliis, de iniqua acceptatione munerum,

& utrum domino præcipienti aliquod impium obedierint. Clerici vero inquirendi ſunt de perceptione ſimoniaca beneficiorum, & Ordinum: & ſi deſerviant, prout beneficia ſua requirunt; & an dicant officium, ſecundùm quod Ordo eorum requirit, & de modo diſpenſandi redditus ſuos. Alii, qui habent curam animarum, inquirendi ſunt, utrum ſint ſolliciti, quomodo de cibo ſpirituali filiis ſuis provideatur: & aliis, quæ ad regimen animarum pertinent. Inquirendi ſunt agricolæ de fraudatione ſui laboris, & utrùm reddant, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: de falſis teſtimoniis, & de uſurpatione alienarum terrarum, & de invidia: & de accuſatione proximorum apud Deum. De fide non eſt tutum interrogationem facere, licet hoc aliqui magnifaciant niſi in caſu, in quo illa perſona ſuſpecta eſſet de fide. De peccatis vero occultis, ut eſt de peccato contra naturam, non eſt inquirendum, niſi cautè, ne aliquid manifeſtetur ſimplicibus, quod ipſi neſciunt, quod poſſit eis eſſe occaſio peccandi. Modus autem inquirendi poterit eſſe talis: poterit quæri utrum inſultus carnis aliquando patiatur: & ſi reſponderit, quod ſic: poterit quæri, utrum titillatio ducat eum ad aliquid faciendum: & ſi ſic, quod eſt illud, & ſic nihil ei manifeſtatur, ſed datur ei occaſio manifeſtandi ſe. Aliqui tamen quærunt utrum vigilando ſemen effuderit abſque naturali uſu mulierum, & ſi reſponderit, quod ſic: qua occaſione ei accidit. Sed inexperti opus carnale, non intelligerent, quid eſſet effuſio ſeminis.

Circa abſolutiones vero.

NOtandum eſt, quod non eſt requirendum ab eo, qui confitetur juramentum, vel votum, vel alia obligatio, quod abſtineat à mortali; ſed ſufficit, quod habeat bonum propoſitum, & bonam voluntatem abſtinendi, & ſpecialiter à luxuria: & quod remittat odium, ſi quod habet contra aliquem; & quod velit ſatisfacere pro poſſe de injuriis, ſi quas fecit: & quod pœniteat de omni peccato mortali, quod fecit; ad minus in generali. Si autem dicit ſe nolle, vel non poſſe abſtinere ab aliquo mortali, non eſt injungenda pœnitentia; ſed ſignificandum eſt ei, quod ſi decederet in tali ſtatu, damnaretur. Verum dandum eſt ei aliquod conſilium, quod faciat, ut Deus illuſtret cor ejus ad pœnitentiam; & dicendum eſt ei, ne in tali ſtatu communicet.

Circa Excommunicationes.

NOtandum eſt, quod ille, qui audit confeſſiones, non debet ſe intromittere ad dandam alicui abſolutionem ab Excommunicatione, niſi ſciat ſe poteſtatem habere; & niſi ſciat formam, ſecundum quam debet fieri abſolutio. De qua forma breviter notandum eſt, quod minor Excommunicatio abſolvitur ſolo verbo: major abſolvitur ita: *Authoritate, qua fungor, abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis: vel ſpecialiter ab Excommunicatione, qua ligatus es pro hoc facto, vel à tali judice.* De poteſtate autem talium abſolutionum breviter notandum eſt, quod ille, qui audit confeſſionem, non poteſt abſolvere ſua authoritate ab aliqua majori Excommunicatione, quam alius judex tulerit, qui ſit major, vel par ei. Item notandum, quod abſolutio Excommunicationis debet præcedere abſolutionem peccatorum.

Circa diſpenſationes.

NOtandum eſt, quod circa diſpenſationes nullus debet intromittere ſe de aliqua diſpenſatione votorum, vel irregularitatum, niſi ſciat ſe habere poteſtatem licentiandi, & diſpenſandi: neceſſe eſt etiam, ut ſciat ſecundum quam formam debet fieri diſpenſatio votorum. Dicat ergo peccatori, ut quæ vovit impleat, donec ſibi conſultum ſit ab eo, qui cum eo poſſit diſpenſare.

Circa vero reſtitutiones.

NOtandum eſt, quod non eſt alicui danda pœnitentia, niſi voluntatem habeat reſtituendi proximo, quod ei abſtulit, niſi proximus voluerit ei remittere. Caveat vero ne det ei dilationem, nec injungat, quod inde faciat eleemoſynas: ſpoliato enim debet illud reſtituere, vel hæredi ejus, quam citius potuerit, niſi ſpoliatus det ei dilationem vel non poſſit invenire, cui reſtituendum eſt. Tunc etiam debet erogari de conſilio Eccleſiæ in pios uſus, & niſi peccator habeat voluntatem ſic faciendi, non eſt ei injungenda pœnitentia. Si vero occultum eſt factum, inſtruendus eſt peccator, quomodo occulte reſtituat, vel occulte dilationem petat, ſcilicet per aliquam honeſtam perſonam, præcipue Sacerdotem, cui in confeſſione reveletur, quod tacito nomine peccatoris negotium procuret.

Circa injunctiones pœnitentiarum.

SImiliter oportet eſſe cautum, ut parvas injungat: melius eſt enim ponere homines in Purgatorio, quam in Inferno; habet enim Deus, ubi purget filios ſuos, ſi non purgentur hic. Dicat etiam quando numerum orationum injungit: quod ſi aliquando non dixerit, non ei ad culpam imputetur, ad minus mortalem. Item, non injungatur pœnitentia alicui, ſi habet officium, quod ſecundum conſcientiam ſuam ſine peccato mortali facere non poſſit, niſi deſerat id officium. Item, ſi habeat aliquam aliam peccandi occaſionem, ex qua vero ſimile eſt, quod non poſſit ſibi cavere à peccato mortali; niſi eam à ſe removerit: (ut eſt cohabitatio mulieris ſuſpectæ, cum qua peccare conſuevit) pœnitentia non detur ei, niſi occaſionem illam à ſe removeat.

Circa vero Simoniacos.

NOtandum eſt, quod ille, qui per ſimoniam adeptus eſt aliquod beneficium, non debet recipi ad pœnitentiam, niſi habeat propoſitum renunciandi illi beneficio pure, & ſimpliciter: quæ autem diſpenſatio poſſit poſtea fieri cum eo invenies in *Summis in Tractatu de Simonia.* Forma vero abſolvendi à peccatis hæc eſt: Facta generali confeſſione in latino, vel in Romano à peccatore, & dicta illa oratione: *Miſereatur* &c. *Abſolutionem* &c. *Et ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris*, &c. Debet autem tunc eſſe fides tam Sacerdotis, quam ejus, qui confitetur, quod niſi per culpam confitentis ſteterit, remittentur peccatori peccata ſua tunc, & gratia Dei infunditur, ſi prius non erant dimiſſa, & gratiam non habebat Si vero prius peccata dimiſſa, & gratiam prius habebat, tunc augetur Dei gratia.

Circa modum habendi ſe ad confitentem.

ITem ad officium Confeſſoris pertinet, omnes confiteri volentes benigne, & affabiliter recipere, & præcipue illos, qui raro confiteri conſueverunt. Omnes autem, qui neſciunt modum ſtandi in confeſſione debet inſtruere, ut ſtent flexis genibus, inclinato capite, appodiando ſe ad dexteram, vel ad ſiniſtram Sacerdotis. Antequam vero incipiat confiteri, poteſt illis, qui non ſunt aſſueti confiteri frequenter, aliqua verba dicere de pertinentibus ad confeſſionem; ut quærere de patria ſua, vel hujuſmodi, ut confitens interim ſumat audaciã ad confitendũ. In pœnitentia vero injungenda, debet reminiſci, quod præter ea, quæ injungit ſpecialiter, imponat ei etiam omnia bona, quæ fecerit in remiſſionem omnium peccatorum, & det ei poteſtatem cuicumque confiteri poterit, quod laxare poſſit de pœnitentia ſi

bi

bi injuncta ab eo, ſi forte viderit expedire. Debet etiam diligenter obſervare Confeſſor, quod ſemper libentius, & prius audiat confeſſiones illorum, qui magis indigere reputantur, vel qui raro venire ſolent, vel qui ſunt extranei, vel qui ſunt in ſtatu majori, vel de quorum confeſſione major utilitas ſecutura ſperatur.

Porro circa mulieres cavere debet, ne nunquam audiat earum confeſſiones, niſi in publico, & ubi ab aliquo, vel ab aliquibus videatur. Illis vero, quæ vocantur *Beghinæ*, & frequenter volunt confiteri, certum tempus aſſignet ad confitendum: extra quod ipſas non audiat, nec in aliis collocutionibus frequentibus ſe eis exponat unquam; & ſemper potius duris, & rigidis verbis utatur ad eas, quam mollibus.

Deinde circa ſecretum confeſſionis ſic debet eſſe cautus, ne unquam directe, vel indirecte, de longe, vel de prope, in genere, vel in particulari, poſſit aliquid percipi de ore ejus, quod aliquam notam habeat de aliqua revelatione quantumcumque levi. Nec etiam debet in ſpeciali laudare aliquem, cujus confeſſionem audivit, de virginitate, vel innocentia, & hujuſmodi, ne apud ſapientes, cum de alio orietur verbum, quem etiam audiſſet, & non ita laudaret, poſſet oriri ſuſpicio, quod idem non eſſet in illo.

Caput XLVI.

De Officio Prædicatoris communis.

Qualis debeat eſſe in ſe?

PRædicator communis habet officium ſpeculi quantum ad bonum exemplum, & habet officium lucernæ ardentis quantum ad prædicationis verbum. Unde neceſſe eſt, ut concordet in ipſo vita, & doctrina, ne quod per unam manum ædificat, per aliam deſtruat. Prætendat itaque Prædicator in habitu humilitatem, in moribus honeſtatem, in verbis diſcretionem, in zelo animarum charitatem, in cibo, & potu ſobrietatem, & in agendis maturitatem.

Qualiter ad Socium?

PRædicator egrediens, difficultatem non faciat in Socio, ſed acceptet illum, quem ſibi Prior aſſignaverit. Ad hæc etiam niti debet, ut quemlibet Socium ſuſtineat, ut poſſit quemlibet ſuſtinere; in via, & in hoſpitiis, non ſe notabiliter ſeparet à Socio. Item concordes ſint ad invicem, & pacifici, nec loquantur ſimul aſpere, aut contentioſe, & præcipue coram ſecularibus mutuo ſe honorent, aut ſupportent. Si ad unum mota fuerit quæſtio aliqua, alter non reſpondeat pro eo, dummodo ille ſit ſufficiens reſpondere: pro via non litigent, ſi quandoque erraverint, non propter hæc ſe objurgent. Iterum, ſi ambo ſunt Prædicatores, & æqualem habent gratiam: major in via non ſibi ſolemniores ſtationes eligat, ſed prædicationes ſuas dividant, prout paci ipſorum, & ſaluti animarum viderint expedire, niſi Prælatus aliter cum ipſis ordinaverit. De nocte meliorem lectum major notabiliter non eligat, nec in aliis ſe ſuper Socium extollat.

Qualiter in hoſpitiis?

PRædicator non ſolum domi ſtudeat, ſed etiam in hoſpitiis, & in via ædificatoria verba libenter dicat. Non fatiget homines, alios cibos, quam præparaverint poſtolando, aut etiam aliquos refutando. Item non habeat in conſuetudine cibos menſæ diverſis mittere, vel dividere, vel etiam eleemoſynas dare pro arbitrio ſuæ voluntatis. Item in bonis conſuetudinibus conformet ſe his cum quibus converſatur. Sunt etiam alia, quæ apud homines ſunt indecentia, ſicut dormire in menſa, vel loqui dum quis cibum in ore tenet, & hujuſmodi: hæc ubique ſunt vitanda. Item, quando Prædicator propter æſtum, vel propter viæ laborem ſitim patiatur, poteſt in menſa, vel ante per hauſtum aquæ illam reſtinguere, vel vinum cum aqua melius temperare. Committat Socio verbum quandoque in menſa, nec ibi dicantur otioſa, ſed ſerioſa; & de Paſſione Domini non debet fieri mentio, niſi cum omni reverentia, & maturitate.

Quid prædicandum?

CUM Prædicator proponit verbum Dei, attendat quid dicat, quia materia ſermonis ejus eſt, Deus, Angelus, Homo, Cœlum, Diabolus, Mundus, Infernus, præcepta, conſilia, ſacra Scriptura, virtutes, vitia. Item, magis illa ſtudeat ſemper prædicare, per quæ magis videtur poſſe fructificare.

Quibus prædicandum?

ATtendat etiam quibus dicat, ut ſecundum hoc ſermonem ſuum formet. Quibuſdam enim competunt ſubtilia, quibuſdam plana, & ſimplicia, quibuſdam inſtructiva, quibuſdam motiva, quibuſdam terribilia, quibuſdam gaudioſa. Conſideret ergo, quid Clericis conveniat, vel laicis, quid Religioſis, vel ſecularibus, quid militibus, aut ruſticis, quid ſanis, aut infirmis, quid juvenibus, aut ſenibus, quid obſtinatis, vel humilibus, ac devotis.

Qualiter prædicandum?

STudeat quandoque prædicare breviter, ferventer, utiliter, faciliter, & decenter: multum denique nitatur quod tractim prædicet, & diſtincte. Item ſi Fratres Minores ante ſermonis inchoationem ſupervenerint, verbum prædicationis eis exhibeat, niſi rationaliter quid obſtet. Si vero quæſtuarii ſupervenerint habentes litteras Apoſtolicas, vel Epiſcopi, ſtudeat ut in pace ſit cum eis.

Quæ ſunt vitanda in prædicatione?

NON prædicet ſine præmeditatione, ſciat alias quid dicere velit, vel debeat. Item vitet, quando bono modo poteſt prædicare immediate poſt prandium: id enim tempus eſt tam audientibus, quam loquentibus minus aptum: ſed ſi oporteat fieri temperatius ſumat cibum, & potum. Item non rapiatur in iram contra impedientes prædicationem, vel contra pueros ibi flentes, aut etiam contra dormientes, ſed benigne moneat eos. Item caveat in ſermone deriſiones præſentium, vel derogationes abſentium: ſpecialiter autem vitam Clericorum, vel Religioſorum coram populo nunquam arguat: nec eos directe, vel indirecte quaſi ſub pallio notet; quia de talibus non ſequitur ædificatio, ſed frequenter ſcandalum, & turbatio plurimorum. Item videat diligentiſſime Prædicator, ne quando de verbo Dei faciat ſibi viam vindictæ, ut videlicet in ſermone ſuas perſequatur injurias. Item dubia pro veris non prædicet, nec fabulas vanas, aut ſcurrilia, quæ poſſunt ſermonem facere contemptibilem, vel minus authenticum. Item non verecundetur idem prædicare ſæpius, dummodo bonum ſit, & utile, nec etiam id omittat dicere, quod alias prædicavit. Denique tam in ſermonibus publicis, quam in collationibus privatis, advertat Prædicator circumſtantias, quæ continentur in hoc verſu:

Reſpice quid, cur, ubi, quomodo, quando loquaris.

Explicit Liber de Inſtitutione Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum, Reverendiſſimi Patris Fratris Humberti præfati Ordinis Generalis Magiſtri.

TRACTATUS DE JUDICIIS

In Ordine faciendis.

1. PRælati non damnent aliquem ad pœnam gravioris Culpæ, aut carceris, niſi in judicio confeſſum, vel convictum, & hoc in ſcriptis. Et ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. *Prologus Conſtitutionum.*

2. Ad confeſſionem delicti à reo habendam, vel ad convincendum reum in judicio, quamquam ex Bonifacii VIII. & IX. Conſtitutionibus non teneantur Prælati rimas, & apices ſequi, ſed in correctionibus Fratrum juris ordine poſtpoſito, ſecundum conſuetudines approbatas, & Inſtituta Ordinis, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſolum facti veritate inſpecta procedere: quædam tamen in hujuſmodi correctionibus ita neceſſario requiruntur, ut illis omiſſis, judicia nullius ſint roboris, aut iniqua. Scriptum namque eſt Deuter 16. *Juſte, quod juſtum eſt, perſequeris.* Bonifac. VIII. *in* 3. *Conſt.* Bonif. IX. *in* 2. *d. c.* 17. *Conſt. Ord.* & Romæ 1601. Ordinat. 24.

3. Duo enim ſunt in quolibet judicio: unum eſt, quod ad ſolemnitatem, vel ſubtilitatem juris, alterum, quod ad ſubſtantiam, & integritatem judicii ſpectat. Quæ ad ſolemnitatem, vel ſubtilitatem juris pertinent; vocantur apices, & rimæ, pro prorogandis, vel abrogandis judiciis adinventæ: quales ſunt, trina citatio in ſcriptis concepta, & non aliter, per intervalla cum teſtibus intimata; deinde judicii dies non feſtus, locus non privatus, conteſtatio litis cum ſolemnitate inchoata; dilationes interlocutoriæ, exceptiones fruſtratoriæ, appellationes dilatoriæ, advocatorum contentiones, & jurgia, ſententia ſedendo, vel ſtando, prælata. Poterit iſta Prælatus omittere, neque trinam citationem facere, non in loco Capituli, ſed in cubiculo ſuo tribunal erigere, quocumque die ſive feſto, ſive profeſto Judicium inſtituere: hora quacumque, ſive diurna, ſive nocturna, ſive ante ortum, ſive poſt occaſum Solis examinare; bandum, ſive intimationem diei, & loci judicii intermittere, & alias quaſcumque accidentarias juris ſolemnitates non ſervare. Quæ ad eſſentiam, & integritatem judicii pertinent, ſunt illa, quæ ad ipſius veritatis, realem, perfectamque cognitionem, ac legitimam vel defenſionem, vel damnationem reorum neceſſaria eſſe videntur, aut Divino, aut naturali jure introducta, aut evidentiſſima ratione ab omnibus ſtabilita; *Pegn can.* 104. *verſ. fin. in* 3. *p. Direct. Inquiſit. ex Clement. lib.* 5. *tit. de verb. ſignific.*

4. Ex his evidens eſt quid ad entiam, & integritatem judicii neceſſario requiratur. Nimirum primo petitio, ſeu delatio criminis, 2. articuli, 3. probationes, 4. juramentum de non calumniando, & de veritate non malitioſe dicenda, 5. citatio rei, & teſtium, ſive realis, ſive ſcripto recepta, 6. examen rei, partium, & teſtium, 7. defenſiones reo concedendæ, 8. confeſſio, vel convinctio rei, 9. inſtrumentum actionis, ſeu proceſſus, 19. ſententia definitiva, 11. pœna, 12. appellatio.

CAPUT I.

De petitione, ſeu delatione criminis.

JUdex, cum perſonam publicam ſuſtineat, non ſecundum privatam notitiam, aut conſcientiam, aut veritatem, ſibi, privatim cognitam procedat; ſed ſecundum publicam ſcientiam ad judicium exercendum accedat. *Navar. conſ. unico, de officio Judicis num.* 5.

2. Publicam ſcientiam Judex de crimine ſibi comparat, vel ab accuſatione, vel à denunciatione juridica, vel à clamoroſa inſinuatione (quam infamia vocant) vel à notorietate facti, vel demum ab indiciis graviſſimis facti, ſive permanentis, ſive tranſeuntis. Facti permanentis delicta ſunt, quorum veſtigium aliquod poſt illa commiſſa ſenſibile manet: ut homicidium, ſtuprum, incendium, percuſſio ſi cicatrix, vel livor, vel vulnus relinquatur, furtum, cum fractura, &c. Facti tranſeuntis dicuntur illa eſſe delicta, quorum nulla poſt ipſa perpetrata ſenſibile, aut viſibile manet veſtigium, ut convicium, blaſphemia, injuriæ verbales, fornicationes, percuſſio ſine ſigno relicto, furtum ſine fractura, &c.

3. Judici itaque in primis conſtare debet de corpore delicti, ſive per accuſationem, ſive per denunciationem juridicam, ſive per inquiſitionem, quæ oritur, vel à notorietate facti, vel ab infamia, vel ab indiciis violentis: adeo ut nullus poſſit proceſſum judiciarium contra aliquem ſibi ſubditum inſtituere, niſi contra accuſatum, aut juridice denunciatum, aut legitimo modo infamatum, aut in flagranti crimine notorio deprehenſum, aut denique indicatum. *Commun ſent. Doct.*

CAPUT II.

De modo procedendi per inquiſitionem.

1. INquiſitio fit, quando Judex ex officio ſuo inquirit delicta ſubditorum, occaſione viſitationis, quam Prælati Regulares facere tenentur.

2. Inquiſitio eſt duplex: Una generalis, quando Prælati accedunt ad Conventum, & præceptum formale in ſcriptis proponunt, ut ſi aliqua ſint corrigenda in Conventu, Fratres revelent. Altera ſpecialis, quando proceſſit notitia de aliquo ſingulari delicto, & perſona delinquente, & Prælatus ad inveſtigationem, punitionemque ex officio procedit.

3. Ex officio Judex procedit ad inquiſitionem tunc, cum crimen aliquod eſt perpetratum, & eſt omnino occultus criminoſus; vel ſi non eſt omnino occultus, non eſt tamen aliquis contra eum accuſator: ſed tantum, vel in inquiſitione criminis alicujus revelator, vel infamiæ delator, vel ipſe ejus in notorietate facti publice deprehenſus ſui ipſius revelator.

4. Inquiſitionem itaque ex officio, debet præcedere evidentia facti, & publica ſcientia, non autem privata. Hæc autem oritur, vel ex notorietate facti, vel ex infamia publica, quæ eſt, aut de ipſo facto, aut de indiciis certis, & claris, ut docet S. Thomas cum Cajet. 2. 2 *quæſt.* 67. *art.* 2. *& quæſt.* 69. *art.* 1. *&* 2. & communiter omnes Doctores. Namque, & ipſe Deus, cum proceſſiſſet ad inquiſitionem Cain, motus eſt à notoria ſanguinis effuſione, & ad Pentapolitanos puniendos ex publico clamore. Qui clamor cum non eſſet contra Judam furantem, & proditorem, licet privatim ſciret, quod eſſet fur, & proditor, non tamen proceſſit contra eum ex ſcientia privata.

5. Inquiſitio ex officio non ſe extendit, niſi ad crimina, de quibus aliquis laborat infamia, non autem ad aliqua alia occulta. Ita docet *Cajeta-*

jetanus 2. 2. *quaſt.* 69. *ex. C inquiſit.* habentur, inquit, hæc verba: *Inquiſitio fieri debet ſolummodo ſuper illis, de quibus aliqui clamores præceſſerunt.* Quæ decretalis (ait) ita exigit præcedentem infamiam ſuper aliquo crimine, quod etiam ſi duo, vel plures, etiam jurati affirment, aliquem crimen aliquod eiſdem videntibus commiſiſſe, de quo aliqua non laborat infamia, non eſt propterea contra eum procedendum, aut inquirendum. Omnia enim judicia ſicut ad publicam poteſtatem, ſic etiam non ad privatam, ſed publicam ſcientiam ſpectant. Caveant ergo (ita monet idem Cajetanus) ſuæ, & ſubditorum conſcientiæ Prælati illorum Religioſorum, qui diffamato de uno, præcipiunt accuſari de aliis, de quibus non eſt infamatus: peccant enim præcipiendo, & ſubditi non tenentur obedire. Neque excuſantur Prælati hujuſmodi ex eo, quod inquirunt de aliquo, de quo fuit ſuſpicio aliquando; oportet enim infamiam, ſeu clamoroſam inſinuationem præcedere, & non ſimplicem ſuſpicionem, aut præſumptionem. Ita Doctores omnes, ut refert *Rodericus to.* 2. *qu.* 5. *art.* 7. & 9. & *qu.* 113 *art* 3. & *qu.* 19. *art.* 8.

6. Inquirens ex officio debet habere ſummariam probationem, & quidem ſemiplenam, ſi contra perſonam inferioris conditionis: omnino autem plenariam, ſi contra inſignem antequam citet reum ad inquirendum, vel puniendum. *Concil. Trident. ſeſſ.* 25 *cap.* 6. ex communi ſententia Doctor.

7. Porro quantum ad revelationem occultorum, ſeu ſecretorum quorumcumque, hæ inſraſcriptæ regulæ, tam à judicibus Prælatis, quam à ſubditis ſcientibus, vel committentibus aliquid in occulto obſerventur, & ante oculos habeantur.

Primo, ſecretum in ſacramentali Confeſſione auditum nullus Sacerdos quomodocunque præcipienti Prælato, neque directe, neque indirecte, nec verbo, nec nutu, nec ſigno, nec ſcripto, neque quovis alio excogitabili modo audeat revelare. Quod ſi fecerit, pœna ſacrilegi puniatur.

Secundo, ſecretum ab aliquo ſub fidem ſilentii receptum, ſi vergit in præjudicium, vel periculum Ordinis, aut perſonarum, vel ex ejus retenſione imminet periculum ſcandali, vel ruinæ, vel grave damnum, aut incommodum alicujus Fratris, vel Communitatis, cui poteſt obviari per revelationem ſecreti: Prælato præcipienti in genere, tenetur ſubditus illud revelare, quia ſicut juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ſic ſecretum promiſſum, vel commiſſum, non debet eſſe vinculum, aut velamen ſcandali, & ruinæ, & maximi damni proximi, vel Communitatis. Non tamen tenetur de illo crimine ſibi ſub ſecreto commiſſo illum accuſare, niſi poſſit hoc ſufficienter probare, quia nullus tenetur ad id, quod nequit perficere.

8. Habita informatione de crimine, citet reum, vel per ſcripturam, ſi abſens eſt, vel per realem ipſius ad ſuum tribunal, & ad locum judicii vocationem. Locus autem judicii eſt camera Prioris, vel aliquis alius locus, ubi judicialiter agatur contra reum.

9. Citato, & comparenti reo informato, ſeu denunciato debet in primis Judex dare in ſcriptis, vel verbotenus ſignificare cauſam, propter quam ſit citatus, ſeu vocatus, antequam illi præceptum de veritate dicenda faciat, & antequam ille reſpondere teneatur.

Forma procedendi per viam Inquiſitionis.

QUando Prælatus, vel Viſitator non habet accuſationem vel denunciationem, ſed perſonæ graves, & zelantes notum faciunt Prælato delictum grave, ſic proceditur.

Die . menſis anni.

Cum perveniſſet ad notitiam, vel ad aures R. P. Prioris, vel Viſitatoris publica quadam fama deferente, in Conventu N. tale delictum ſcandaloſum fuiſſe patratum, quod attendentes delictum vergere in Dei offenſam, & jacturam Religionis: ex debito officii viſum eſt juridicas informationes capere à fide dignis, quæ poſſent veritatem patefacere. Et ideo vocatus R. P. N. coram R. P. exiſtente in ſua cella, vel Conventu in propria habitatione, & facto ſibi præcepto formali &c. & præviis debitis admonitionibus.

Interrogatus, an ſciat, vel ſaltem imaginetur cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis &c. & ſcribatur latino, vel vernaculo ſermone ejus reſponſio, & ſi affirmat, addatur.

Et ei dicto, quod ſeriatim dicat, vel narret quidquid ſcit de hujuſmodi re, vel facto &c. Omnia notentur, & animadvertat, ut exprimantur omnia neceſſaria, & circumſtantiæ, ſcilicet delictum, delinquens, complices, locus delicti, tempus præciſum quando commiſſum, occaſio, ſive cauſa, toties, & quoties, teſtes, qui fuerunt præſentes, aut de viſu, aut de auditu, & alia ſimilia.

Si verò Teſtis dicat ſe ignorare cauſam ſuæ vocationis, & examinis.

Interrogatus, an ſciat aliquod delictum fuiſſe patratum, vel verba dicta in eo Conventu, vel Congregatione, quod vergat in dedecus Religionis, &c.

Et ſi affirmet, dicatur, ut referat omnia, & explicet circumſtantias, prout ſupra.

Et ſi neget, monitus, ut caveat à mendaciis, & veritatem dicat, quia datur inſiſtens informatio, &c.

Et ſi neget, dicatur, impono tibi ſilentium &c. obtenta ejus ſubſcriptione, & notetur. Tunc fuit dimiſſus, &c.

CAPUT III.

De modo procedendi per denunciationem.

1. DEnunciatio eſt duplex: altera Evangelica, altera judicialis; Evangelica eſt, quæ ſequitur correctionem, in qua primo admonetur ſecreto Frater delinquens: deindè emendatione non ſequuta, adhibentur teſtes: poſteà hæc denunciatio Evangelica, quæ ad eum finem tendit, ut Prælatus, non ut Judex, ſed ut Pater, admoneat delinquentem. Judicialis ea eſt, quæ ſequitur Evangelicam, quando illa non prodeſt. Differunt autem inter ſe valdè hæ duæ denunciationes: nam Evangelica fit ore tantùm ſine ſcriptura, & figura judicii: Judicialis verò, ſi fit de gravi crimine in ſcriptis redigenda eſt. Finis Evangelicæ eſt ſola emendatio delinquentis, quæ habita deſiſtit: judicialis verò etiam ſi emendationem peccatoris intendat, adhuc tamen ſatisfactionem offenſæ expoſtulat, ſive publicam, ſive privatam, ad differentiam accuſatoris, qui (ut dictum eſt) publicam vindictam legis in ſuo rigore petit. Evangelica ſoli innititur charitati: judicialis verò, partim charitati, & partim juſtitiæ. Unde hæc media eſt inter denunciationem Evangelicam, & accuſationem. Omiſſa igitur Evangelica, de judiciali aliqua dicamus.

2. Peccata ſunt duplicia, quædam publica, quædam occulta. In publicis non tenetur denunciator præmittere correctionem fraternam, quia hæc tantum de occultis fieri præcipitur. Qui autem publice aliquem offendit, non ſolum eum cum peccat, offendit, ſed etiam alios videntes, quos turbat. Peccata autem occulta adhuc

hæc ſunt ſubdividenda; nam quædam ſunt in nocumentum corporale, vel ſpirituale proximi, ut proditio Civitatis, vel averſio hominis à fide, & in horum denunciatione non debet præmitti correctio, quia non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios: niſi forſan firmiter exiſtimares, quod proditor, vel hæreticus per correctionem à delicto averteretur, quod difficile creditu eſt, ideo talia delicta denuncianda ſunt. Quædam vero peccata omnino occulta ſunt, quæ malum inferunt tantum peccanti, vel ei etiam, in quem peccatur, per offenſam, vel notitiam ſolam: & in his denunciandis, ſecreta monitio debet præcedere. Sunt tamen aliqui caſus à Theologis præſcripti, in quibus non tenetur præmittere correctionem ſecretam denunciationi judiciali: ſcilicet, quando nulla eſſet ſpes emendationis, quando ſibi juſte timeret de malo inferendo, quando in delicto gravi periculum eſſet in mora; quando ageretur de delicto in perniciem multitudinis; & quando punitio delicti eſſet ob ſcandalum maxime neceſſaria.

Formam procedendi per viam denunciationis.

Die mensis anni

CORam R. P. exiſtente in Conventu, &c. ſponte ſeſe obtulit P. N. ætatis annorum tot, qui medio præcepto formali expoſuit, &c. ut infra; & legatur præceptum in forma.

Et per extenſum notetur ſeries facti, & conteſtes, & tempus, & locus: & ſi delictum eſt talis naturæ, ut aliqua veſtigia relinquantur, ante omnia debet conſtare in proceſſu, ſcilicet vulnus in corpore, fracturæ ſcrinii, ſi furtum fuerit factum, & alia ſimilia &c. & apponentur in proceſſu dicta negativa, vel dubia, videlicet, non recordor, quo tempore, loco, vel occaſione, &c.

Non fiant interrogatoria ſuggeſtiva, videlicet, eſtne verum, quod furatus eſt, vel fratrem vulneravit? &c.

In fine examinis interrogetur, an ea, quæ dixit, odio, vel amore depoſuerit, an Dei gloria, & pro correctione Fratris? &c.

Et poſt hæc legatur ejus depoſitio, & notetur in proceſſu: & ſi verbum voluerit addere, ſcribatur, &c. & Scriba terminabit examen his verbis:

Quibus habitis, dimiſſus fuit, impoſito ſibi ſilentio ſub eodem præcepto, & ſubſcribatur: Ego F. N. &c. affirmo, ut ſupra. Deinde Scriba concludat: Acta ſunt hæc per me F. N. Scribam aſſumptum, præſentibus pro teſtibus F. N. & F. N. qui ſe ſubſcribent.

Poſt hæc procedendum ad examen teſtium hac forma, videlicet: Eodem die, vel &c. vocatus P N. coram eodem Priore, vel Viſitatore exiſtente in eodem loco, &c. & Facto ſibi præcepto, &c.

Interrogatus: an ſciat, vel imaginetur cauſam præſentis examinis? & ſi dicat ſcire, vel imaginari, dicat, &c.

Si negat: interrogatus, an ſciat aliquod delictum, patratum in Conventu, quod vergat in offenſam Dei, & in ſcandalum, vel dedecus Religionis: & ſi perſiſtat in negativa, moneatur, ut dicat veritatem: & ſi recuſabit, &c. dimittatur, impoſito ſilentio, & ſe ſubſcribat, &c.

Et ſi affirmabit, explicabit omnes circumſtantias temporis, loci, & conteſtium, & occaſionis, &c. prout in denunciatione.

Et examinentur teſtes, qui ex certa ſcientia erunt informati: & ſi reſulcibunt graviora indicia contra reum, & ſit periculum de fuga, poterit carcerari, vel arreſtari in cella.

CAPUT IV.

De modo procedendi per viam accuſationis.

1. NUllus poteſt aliquem accuſare de crimine, quod non poteſt probare, ut docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 65. & habetur *in gloſſa Conſtit. de ſolemni celebratione Capituli*, ubi dicitur: Fratres ne aliquem accuſent de crimine, niſi viderint ipſum delinquere: quod ſi de auditu eum tantum accuſent, noverint ibi ſibi non licere, niſi probare poſſint, quod nedum ab aliis audierint, ſed etiam quod in rei veritate accuſatus illud crimen commiſit.

2. Qui ſciverit aliquod crimen vergens in damnum ſpirituale, vel temporale Communitatis, (quod tamen probare poteſt, ut dictum eſt) tenetur ex præcepto reum accuſare: unde accuſandi ſunt nedum illi, qui totius Religionis diviſionem moliuntur; ſed etiam, qui Provinciam, aut numeroſum Conventum conturbant, vel ſuis delictis infamiam notabiliter inurunt.

3. Accuſationes ſemper debent fieri in ſcripto, quapropter in Conſtitutionibus dicitur, ut nullus condemnetur ad pœnam gravioris culpæ, vel ad carceres, niſi confeſſus, aut convictus in ſcriptis, ut dictum eſt.

4. Tenetur autem Judex, præſertim privatus, accuſationem ſibi factam proſequi uſque in finem, quamvis poſſit etiam vel accuſationem in principio non admittere, aut inceptam diſſimulare, aut ſuſpendere quotieſcumque viderit id cedere in bonum commune, quod præferendum eſt particulari. Si vero ex abolitione, vel diſſimulatione, aut ſuſpenſione accuſationis, nullum auxilium bono communi additur, Judex quilibet accuſationem debet proſequi, & non debet, neque poteſt ab incœpta accuſatione ceſſare.

5. Quando Prælatus procedit per accuſationem, debet ipſam accuſationem ab accuſante accipere in ſcriptis, ſub hac forma: Coram vobis R. P. F. N. Provinciali, vel Priore, Ego F. N. propono accuſando, & in ſcriptis proponendo accuſo Fratrem N. quod commiſit furtum in Eccleſia N., vel quod tale peccatum fecit: & quia hoc eſt graviſſimum ſcelus, & enormis iniquitas, ideo peto juſtitiam deſuper fieri, & offero me per præſentes ad probandum, faciens prædictam accuſationem, & proponens tam verbo, quam ſcripto. Datum in noſtro Conventu N.

die mensis anni

Ita eſt F. N. manu propria.

6. Ubi diligenter animadvertendum eſt, quod Prælatus non tenetur, neque poteſt vocare Patres à conſiliis, etiam ſi ſint Patres Provinciæ, ut aſſiſtant ipſi in actuali formatione proceſſus, cum hoc debeat eſſe ſecretiſſimum, & ad ſolum Judicem cum ſuo Notario pertineat. Deinde formato corpore delicti, de quo reus accuſatur, & lecto infraſcripto præcepto debet examinare teſtes ſupra formatos, & ordinatos articulos, ſub forma infraſcripta:

In primis vocato altero ex teſtibus, qui producuntur ab accuſatore, & accepto aliquo Religioſo pro Notario, legat ſequens præceptum ipſi teſti:

Nos F. N. Provincialis, vel Prior Provinciæ, vel Conventus N. authoritate officii noſtri, in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, mandamus tibi F. N. ut nudam, & ſimplicem veritatem nobis dicas ad interrogata: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Poteſt etiam addi pœna Excommunicationis, ſi enormitas delicti illam expoſtulaverit.

Facto

Facto præcepto, ſic poteſt inchoari examen.
Die menſis anni In Conventu N. vocatus fuit coram A. R. P. F. N. Provinciali; vel Priore, F. N. de N. & facto illi in ſcriptis formali præcepto de veritate dicenda ad interrogata.

Interrogatus primo: An ipſe ſciat Fratrem N. habuiſſe aliquas pecunias, vel monile, vel gemmas? &. Reſpondit: Ego vidi, vel audivi à F. N. quod F. N habebat decem aureos, vel unum adamantem, vel auream catenam penes ſe &c.

Interrogatus ſecundo: An alter eſſet cum ipſo, quando hoc vidit, vel audivit? Reſpondit: Erat mecum F. N. & F. P.

Interrogatus tertio: An ipſe ſciat, unde F. N. habuiſſet illas pecunias, gemmas &c.? Reſpondit: Ipſimet F. N. dixit ſe habere à P. &c.

Interrogatus quarto: An ſciat quid fecerit ex illis pecuniis F. N.? Reſpondit: Aliquibus emit ſibi pallium, aliquibus chirothecas, aliquibus pileum &c.

Interrogatus quinto: An alias vidiſſet, vel audiſſet ipſum Fratrem N. feciſſe ſimilia, vel circa iſta habeat aliquid aliud dicendum? Reſpondit: Nihil ſcio, ſi fecit: audivi tamen aliqua, quorum non bene recordor, nec aliud habeo dicendum circa prædicta.

Acta ſunt hæc per me Fratrem de N. de N. loco Scribæ, & Notarii in hac cauſa vocatum, & prædicto Fratri N. de verbo ad verbum lecta, ab eoque in confirmationem veritatis depoſita, & fideliter ſcripta, propria manu ſubſcripta eadem die, & anno, ſicque dimiſſus fuit, facto prius illi eodem præcepto formali de non revelandis his, ſive directe, ſive indirecte.

Ita eſt. Frater N. manu propria.

7. Sic examinatis teſtibus omnibus, vocatur reus, & quidem ſi abſens fuerit, debet citari ſub hac forma:

Nos Frater N. non valentes, nec volentes cuiquam petenti negare juſtitiam, neque contra inauditum, aut abſentem proferre ſententiam: tibi P. F. N. notum facimus, quod contra te objiciuntur quædam, quæ formam accuſationis ſequuntur. Propterea ad requiſitionem ejus, qui te accuſare intendit, primo, & ſecundo, ac tertio peremptorie te vocamus, ac in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub præcepto formali, & ſub pœna convicti, vel carceris, vel &c. tibi præcipimus, ut intra ſex dies, vel horas, quarum duas pro primo, duas pro ſecundo, & duas ultimas pro tertio, & peremptorio termino aſſignamus, coram nobis in Conventu N. comparuiſſe, & te præſentaſſe debeas, reſponſurus his, quorum accuſatus fueris: alias ſi contumax fueris, ad ſententiam procedemus, & ad alia, quæ contumacibus inferri ſolent; de harum autem tibi facta præſentatione, latori præſentium fidem dabimus. Datum &c.

Poſtquam autem præſens fuerit reus, fiat illi tale præceptum.

Nos Frater N. Provincialis, vel Prior Provinciæ, vel Conventus N. cum coram noſtro officio accuſatio officioſa præſentata ſit contra te Fratrem N. quod contra votum paupertatis, (ut ſupra) per occultam rerum, vel pecuniarum retentionem, vel acceptationem feceris: nec volentes cuiquam petenti negari juſtitiam, ad judicium deſcendentes te primo, ſecundo, & tertio admonemus, & hortamur ad veritatem dicendam, tibique in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, & pœna convicti (vel etiam excommunicationis) præcipimus; ut ſine tergiverſatione meram, ſimplicem, & integram veritatem reſpondeas ad interrogata. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

8. Prædicta citatio, vel præceptum, vel utrumque ſimul ante rei examen ſcribendum erit, & immediate ſic proſequendum.

Eadem igitur die in Conventu N. vocatus fuit ante officium ejuſdem P. Provincialis R. F. N., & facto, & lecto illi præfato præcepto de veritate dicenda,

Interrogatus primo: An ipſe habeat, vel habuerit aliquas pecunias, monile, vel gemmas? Reſpondit: Ego non habeo, ſed habui ante duos menſes à Placido meo benefactore.

Interrogatus ſecundo: Quot florenos habuit? Reſpondit: Decem aureos.

Interrogatus tertio: Quid fecerit ex ipſis pecuniis? Reſpondit: Emi res mihi neceſſarias, videlicet pileum, chirothecas, & alia.

Interrogatus quarto: Quid amplius ex aliis pecuniis fecerit? Reſpondit: Emi mihi aliquoties vinum propter indiſpoſitionem ſtomachi.

Interrogatus quinto: An cum licentia Prælati acceperit, vel expenderit iſtas pecunias? Reſpondit: Non accepi licentiam.

Acta ſunt hæc per Fratrem N. de N. & ſecundum formam præſcriptam præfato Fratri N. lecta, ab eoque eadem die, & anno manu propria ſubſcripta. Ita eſt. Frater N. manu propria. Si neſciat ſcribere dicatur ſic: & cum neſciret ſcribere, coram Fratre N. & P. teſtibus vocatis fecit crucem ✠

Ita eſt Frater N. manu propria.
Ita eſt Frater N. manu propria.

CAPUT V.

De Teſtibus.

1. IN duobus caſibus tenentur teſtes ſe ſponte exhibere, ſcilicet, quando crimen eſſet in damnum Communitatis, & quando ſcirent aliquem injuſte condemnari: tunc enim debent facere, quod in ſe eſt, ut eum liberent, propalando veritatem alicui, qui poſſit prodeſſe.

2. Requiſitus teſtis tenetur dicere veritatem, quando delictum non eſt occultum, quia occulta ſoli Divino judicio ſubſunt: & etiam ſi delictum fuiſſet manifeſtum, ſi tamen teſtis de illo habuit notitiam ſolum in confeſſione ſacramentali, non poteſt illud prodere, quantumcumque eſſet contra bonum commune.

3. Duo teſtes conteſtes omni exceptione majores plene poſſunt probare delictum, juxta illud: *In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*, & ad majorem certitudinem tres, qui tamen nec ullus illorum debet eſſe accuſator, aut denunciator. Si autem teſtes deponant contra ſuum Prælatum, exactiori diligentia utendum eſt, ut habetur in formulario noſtrarum Conſtitutionum: nam Prælati, quos oportet alios arguere, & caſtigare, multorum captionibus obiiciuntur.

4. Teſtimonium ex auditu debile eſt, & aliquando etiam ſi multiplicentur talia teſtimonia, vix unius teſtis auctoritatem habent. Nam centum poſſunt audiviſſe ab uno, & quantum valet illius teſtimonium, tantum valet omnium ſimul. Rurſus unus poteſt audiviſſe à centum, & illis abeuntibus, aut abſentibus, ſolus relinquitur.

5. Teſtis falſum deponens peccat mortaliter, quia agit contra duo præcepta; ſcilicet: *Non perjurabis, & non dices falſum teſtimonium contra fratrem tuum.* Et etiam peccat dicendo mendacium, non tamen mortaliter neceſſario, niſi ſit pernicioſum.

6. Teſtes conteſtes debent interrogari de cauſa ſcientiæ, per quem modum ſciunt crimen illud fuiſſe commiſſum, utrum ſcilicet per auditum, vel per viſum, quando, ubi, quo præſente, quo-

quomodo, quoties factum viderunt? Quamobrem interrogandi erunt de his circumſtantiis: Quis, cui, cur, quomodo, quando, ubi, quibus videntibus, quibus ſociis, quibus auxiliis, &c. Teſtes conteſtes ſi deponunt de auditu, probant infamiam: & ſequitur inquiſitio: ſi deponunt de facto, ſequitur pœna. Et quando aliquis de uno peccato iterabili actu per teſtes conteſtes convincitur, poteſt de iteratis actibus ejuſdem peccati in ſpecie, & numero, cæteris paribus, concurrentibuſque per teſtes ſingulares, ſi eſt factum iterabile, (ut carnis peccatum cum una, vel uno, ut ſunt etiam detractiones famoſæ, blaſphemiæ, furta, &c.) convinci; & tunc poſſunt idonei reputari ſocii, ſive ſint ejuſdem Ordinis, ſive non, & contubernales, ubi factum eſſe dicitur, & injuriam, vel contumeliam paſſi. Secus ſi de nullo primum actu per conteſtes conjunctus eſt, & pòſt accuſatur à pluribus non conteſtibus, ab uno de uno actu, à ſecundo de alio ejuſdem ſpeciei; tunc talis non eſt convictus, nec poteſt ſententialiter condemnari. Sed ſi alia concurrunt, poteſt inquiri, ſicut fuit decretum Perpiniani 1327. & Ferrariæ 1362.

7. Teſtes conteſtes, vel ſingulares quoque deficientes in primo Capitulo, non ſunt admittendi ad ſequentia per *C.* 1. *qu.* 10. Quod etiam à Concilio. 7. Carthaginen. confirmatur, in quo ſic ſtatutum legitur: *Placuit, ut quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.* Idem decretum eſt in Concilio 3. Arelaten. in quo ſic habetur: *Eos qui falſa Fratribus Capitula objeciſſe &c.* & rationabiliter, qui enim ſemel impoſtor, ſemper impoſtor.

8. Inter judicia ponendum eſt, quod à Conſtitutionibus poſitum eſt, de mala familiaritate ſuſpecto. Si quis autem de mala familiaritate notabiliter ſuſpectus fuerit, & poſt admonitionem à Prælato de conſilio diſcretorum Fratrum, coram eiſdem ſibi pluries factam, ſe non correxiſſe deprehenſus fuerit: præcipiatur ei in virtute ſanctæ obedientiæ, per Prælatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, ſi præſentes fuerint, vel coram aliis diſcretis de conſilio eorumdem, ut à tali familiaritate deſiſtat. Quod ſi tale præceptum tranſgreſſus fuerit, poſtquam hoc legitime conſtiterit, tanquam reus, & convictus de ſuſpecto crimine habeatur.

Caput VI.

De Reo.

1. Reus tenetur dicere veritatem ad interrogata, quando interrogatur ſecundum ordinem juris: id eſt, quando interrogatur à Judice competenti, & quando præcedit infamia contra reum, vel indicia manifeſta, vel ſemiplena probatio; quo caſu reus negans veritatem, peccat contra dilectionem Dei, cujus eſt judicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte Judicis, cum negat, quod debet fateri; tum ex parte accuſatoris, quem reddit mendacem, & dignum pœna.

2. Non eſt licitum reo dicere mendacium, etiam quando interrogatur contra ordinem juris prædictum, quia hoc eſt intrinſece malum: ac propterea nunquam eſt licitum; poterit tamen tacere veritatem, modo à Doctoribus præſcripto.

3. Quando per præceptum veritas haberi non poteſt, & urgent indicia gravia circa delictum enorme, tunc deveniendum eſt ad ſequeſtrationem, quæ tria bona parit. Primo, quia cum ſit pœnalis, movet reum ad fatendum delictum. Secundo, impedit, ne quærat, quid depoſuerint teſtes, vel eos ſubvertat, Tertio, retinet, ne fugam arripiat: & hi ſunt qui dicuntur arreſtati, ad differentiam deſtinatorum ad carceres per ſententiam.

4. Poſtremum medium ad indagandam veritatem quando prædicta non ſufficiunt, eſt tortura, & tormenta corporalia: in Religione autem uſitatæ ſunt abſtinentiæ, diſciplinæ, & hujuſmodi.

5. Nunquam contra abſentem, vel inauditum debet ſententia proferri: & ſi petierit tempus, debet illi competens tempus concedi ad reſpondendum: ſi petierit procuratorem aliquem ex Fratribus, qui pro ipſo reſpondeat, præſertim quando fuerit ignarus, non debet renuere Prælatus illum concedere: & ſi reus adhuc negaverit modo ſupradicto, debet poni ad torturas, & tandem debet proferri ſententia.

6. Reus patienter eſt interrogandus, & multis interrogationibus urgendus ſuper delictum, de quo contra ipſum extant indicia, omni poſtpoſita paſſione, & reſpectu humano, Deum præ oculis habenda, & veritatem: nec unquam promittenda eſt impunitas ſi confiteatur, niſi eſſet complex aliorum delinquentium, & aliter non poſſet veritas haberi.

7. De reo enim eſt nomen inquirendum, progenies, Civitas, conditio, qualiter ſe alias habuit in moribus, quomodo ſe habet in examine, an palleat, rubeat, timeat, titubet, vacillet: audacter proferat, omnia ſunt ſcribenda.

8. Cavendum eſt ab interrogatoriis ſuggeſtivis.

9. Improbandæ ſunt reſponſiones datæ, quæ falſitatem, aut impoſſibilitatem, ſeu inveriſimilitudinem præſeferunt, exempli gratia: & ſibi dicto quomodo audeat negare, &c. quia in proceſſu, &c. ipſe confeſſus eſt, &c. vel etiam conſtat ex dictis plurium, &c. Omnia vero interrogata ſunt extendenda, neque interrumpendus eſt reus.

10. Reus interrogandus eſt, an habeat inimicos, & quos, & dicat cauſam inimicitiæ per extenſum.

11. Si reperiantur in camera rei indicia aliqua, vel ſcripturæ, aut ſimilia, illi oſtendenda ſunt pro recognitione, quæ eſt facienda per ſimilia verba: Ad omnem bonum finem, & effectum, &c. oſtenſa fuit illi ſcriptura talis, &c. quæ viſa, inſpecta, lecta, & diligenter conſiderata, dixit &c. hæc eſt mea ſcriptura, non viciata, non cancellata, non ſuppoſita, ſed à me vere ſcripta; & principium, & finis ſcripturæ ſcribenda ſunt in hunc modum: Quæ incipit, &c. finis vero &c.

12. Denegatis defenſionibus, nunquam poteſt procedi ad torturam, *Cathaldus de Syndicatu num.* 165. Ibi, adde quod dicitur: Quamobrem offerendæ ſunt defenſiones completo proceſſu, per decretum temporis præſentis. Tunc Judex, &c. volens venire ad expeditionem cauſæ, & cauſarum, obtulit N. ſuas defenſiones, ſi quas facere intendit, ac decrevit copiam proceſſus, habitis priùs teſtibus pro ritè examinatis, & confrontatis. Salvo tamen jure officii, ac ſine præjudicio ulterioris proceſſus, & examinis, aſſignato illi termino trium dierum, plùs, & minùs, pro arbitrio, &c. omni meliori modo, &c. Poteſt enim, ac debet ex juſta cauſa prolongari terminus dierum, &c. Itaque priùs reus debet clare habere teſtes pro rite examinatis, tamen cum clauſula: Salvis ſibi exceptionibus contra perſonas, & dicta teſtium, ac repetitione, quatenus opus fuerit, &c. Nec ante hanc approbationem danda eſt copia proceſſus reo, vel procura-

curatori ſuo. Si vero non habet illos pro repetitis, citandus eſt ad duodainterrogatoria;& tunc hæc fiunt, quando reus non eſt confeſſus delictum.

13. Audita rei confeſſione,ſi aliqua reſultant, quæ habeant vim plenæ, aut ſemiplenæ probationis, jubeatur ire in arreſtum: ſed Prælatus advertat, quod id faciat circumſpecte. Si enim aliquis eſt inſignis auctoritatis, vel opinionis, ex cujus detentione major eſſet infamia, damnum, vel ſcandalum Communitati, quam ex delicto, de quo eſt infamatus, non tamen convictus, neque plenarie confeſſus: ſi deinde non eſt periculum de fuga alicujus, qui nondum eſt plene convictus, aut confeſſus, non procedat inquirens ad realem detentionem ipſius. Nam hæc eſt injuria irreparabilis, & infamia, quæ nunquam ex perſona, & Communitate abolétur, etiam ſi poſtmodum ſententialiter abſolvatur reus. Secus ſi ſit perſona mediocris, vel inferioris conditionis, & eſt periculum evidens de fuga illius, & non oritur ſcandalum. Ex mente *Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 6.* & ex communi ſententia Doctorum.

14. Reo in arreſto detento debet inquirens dare locum & tempus defenſionis, porrectis illi articulis, de quibus in proceſſu; deinde probationibus, nominibus teſtium, copiis indiciorum, inſuper, & nota propriæ confeſſionis, & inquirere, an ſcilicet velit aliquid opponere contra deponentes, aut depoſitiones, & an velit ſuæ confeſſioni aliquid addere, vel explicare, vel corrigere: ut communiter habent Doctores ex exceptione illa Act. 25. quæ dicit: *Non eſt Romanis conſuetudo damnare hominem aliquem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina.* Defenſionem vero tam neceſſariam eſſe ajunt Doctores ex multis deciſionibus Rotæ, ut neque ipſi diabolo, ſi adeſſet in judiciu, deneganda eſſet. Doctores etiam plurimi apud Franciſcum Pegna, atque Eymericum aſſerunt, neminem poſſe defenſioni renunciare; præſertim, quæ eſt ex exceptionibus contra teſtes, quibus inter alia poteſt objici inimicitia, quæ oritur ex jurgiis, conviciis, minis, verberibus, & aliis præviis, tum etiam ex ſtudiis factionis contrariæ.

15. Propoſitis articulis, interrogetur reus per præceptum, vel ſub excommunicationis ſententia; An fecerit, ſcilicet, au acceperit pecuniam à tali, & an eam celaverit animo proprietario? Si neget ſurgens compurgator dicat per conſcientiam ſuam, quod credit ipſum veritatem dixiſſe, & quod credit ipſum ab impoſitis criminibus innocentem eſſe.

16. Si crimen eſt notorium, vel accuſator offerat ſe ad probationem, non debet Prælatus recipere purgationem, etiam ſi infamatus offerat ſe daturum.

17. Recuſans canonicam purgationem, quia præſumitur eſſe reus, debet canonica animadverſione puniri.

18. Deficiens in canonica purgatione Regularis, non debet puniri pœna ordinaria, *C. ſignificaſti de adult.* nam tunc Judex procedit ex præſumptione, quæ valde ambigua eſt; & moderationem ſententiæ extorquet, *C. affert. de præſumpter.* & Silveſter *in verb. canonica purgatio*, & communiter Doctores. Unde etiam tunc non exprimitur cauſa in ſententia lata.

19. Inter pœnas extraordinarias numeratur correctio verbalis, quæ, pro ratione criminis, & perſonæ uſurpanda erit. *Sotus de ratione tegendi ſecr. membr. 2. quæſt. 4. concl. 3.*

20. Inter pœnas ordinarias, eſt privatio vocis, abſolutio, & reliqua *in cap. de graviori, & graviſſima Culpa.*

Caput VII.

De Sententia.

1. JUdex ſententiam diffinitivam prolaturus, debet in narrativa ſummarie articulos proponere, & cauſas, quæ ad ſententiam ferendam movent exprimere, ſententiamque in ſcripto conceptam, ſedens in loco judicii pro tribunali ipſe proferre, quæ poterit formari in hunc modum: Nos Frater N. &c. in cauſa contra te Fratrem N. &c. coram nobis pendente, & per proceſſus in ſcripto formatos deducta, ad ultimam concluſionem per diffinitivam ſententiam procedere volentes, cum publicam famam, ſeu potius infamiam (vel cum per plurium Religioſorum, & bonæ conſcientiæ Fratrum denonciationem) ad noſtram notitiam perlatum fuiſſe, te Fratrem N. ſupradictum, pecuniam à D N clam recepiſſe, neque ad depoſitum commune detuliſſe; certius informandi, utrum clamorem opere compleveris ad examen deſcendimus. Adhibitis ergo, & ſub juramento examinatis teſtibus idoneis, in certam, & probatam facti cognitionem venimus, quam è veſtigio confirmavit confeſſio tua, primùm in arreſto excuſſa, & demum extra illud repetita. Ideoque ſedentes in camera noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco judicii elegimus, Deum, & juſtitiam præ oculis habentes, Chriſti nomine invocato, pronunciamus, & ſententiamus contra te, videlicet: quia tu pecunias clam accepiſti, eaſque in depoſito communi non depoſuiſti; ideo te in pœnas in Conſtitutionibus noſtris expreſſas, & hujuſmodi culpæ appoſitas damus: videlicet, te præfata pecunia privamus, eamque Conventui applicamus, teque carceri addicimus, & addictum eſſe declaramus per tres annos ibidem jejuniis panis, & aquæ ſemel in quolibet hebdomada macerandum: reſervantes nobis, & diſcretioni Præſidentis facultatem moderandi, vel diſpenſandi in prædictis, &c. Acta, lata, & lecta fuit hæc ſententia in camera noſtræ reſidentiæ per me Fratrem N præfato Fratre N. præſente, & audiente, & teſtibus infraſcriptis, qui propria manu ſubſcripſerunt die Menſis Anni

2. Si aliquis ſenſerit ſe eſſe gravatum, poterit gradatim appellare, & Apoſtolicas, ſeu dimiſſorias litteras ad ſuperiorem Judicem petere, & Prælatus quandoque non debet eos illi denegare

3. Judex ſi aliquem deprehenderet in flagranti crimine, judiciario ordine prætermiſſo, adeoque nullis dato reo defenſionibus, poteſt ſententiam in gravioribus proferre; quemadmodum S. Paulus notorium quendam Corinthium Sathanæ per excommunicationis ſententiam nullo ſervato judiciario ordine tradidit. *1. Corinth. 5.*

Forma condemnandi convictum per accuſatorem.

NOs F. N. &c. in cauſa, & cauſis contra F. N. coram nobis pendente, ac per proceſſus in ſcripto formatos deducta, cum per accuſationem à F. N. coram nobis cum inſcriptione propoſitam, accuſatus fueris, quod furtum T. commiſeris, & per productos idoneos teſtes ſub præcepto examinatos, datis tibi defenſionibus, idem furtum feciſſe convictus fueris: nos vero, ut ad finem cauſæ per definitivam ſententiam procedere vellemus, inſtanter fuerimus requiſiti, ut juſtitiæ deſeramus; ad ſententiam hoc modo devenimus, videlicet, quod ſedentes in camera noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco judicii elegimus, Deum, & juſtitiam præ

oculis habentes, accuſatione, atteſtationibus, defenſionibus, & dictis utriuſque partis auditis, & viſis, & omnibus diligenter inſpectis, peritorum etiam conſilio deſuper habito: Chriſti nomine invocato, dicimus, pronunciamus, & ſententiamus te Fratrem B. quamvis non confeſſum, convictum tamen eſſe criminis furti talis, & tanquam convictum, & reum damnamus: cumque aliter non ſis ſolvendo, decernimus, ut per pœnas culpæ ſatisfacias: & miſericorditer tecum agendo, arcto carceri per tres annos addicimus, ibidem tribus diebus, qualibet hebdomada per annum integrum panis, & aquæ jejunio, ac ſingulis menſibus una feria ſexta diſciplina circulari in Capitulo, & proſtrationibus ante januam Refectorii tranſeuntibus ante, & poſt prandium Fratribus flagellandum, affligendum, & humiliandum. Reſervantes tamen nobis facultatem remittendi, & moderandi pœnas prædictas, vel totaliter relaxandi, ſi confeſſus culpam, humiliter petieris veniam, & emendationem promiſeris. Acta, lata, & lecta fuit hæc ſententia in camera tali, per me Fratrem T., præſente, & audiente præfato Fratre B. & teſtibus infraſcriptis, qui propria manu ſubſcripſerunt die
Menſe Anno

Forma ſententiæ contra accuſatorem, qui probatione defecit.

NOs Fr. N. &c. Recolentes nos ex juſtitia debitores eſſe æqualitatem conſtituendi, & attendentes te Fratrem A. magna uſum iniquitate, cum per accuſationem inſcriptione appoſita Venerandum Religioſum B. criminis proprietatis, & furti accuſaſſes, nec tamen intra tempus conſtitutum teſtes legitimos, & ſufficientes (prout te obligaveras) produxiſſes: vel nec productis teſtibus, & ſub præcepto examinatis, ſufficienter probaſſes, quod propoſueras contra eum; propter quod, ſi convictus fuiſſet, pœnam gravioris Culpæ, & carceris pati debuiſſet; ac propterea incidiſſe te in talionem: idcirco ut in caput authoris recidat malitia ejus, & cæteris exemplo ſis non perpetrandi ſimilia, ſedentes in Cella noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco judicii elegimus, Deum, & juſtitiam præ oculis habentes dicimus, pronunciamus, & ſententiamus te Fratrem N. præfatum, fuiſſe, & eſſe iniquum accuſatorem, & malitioſum infamatorem, ac ſubinde pœna talionis damnamus ad arctum carcerem per tres annos, in quem ſtatim induci debeas, ibique &c. reſervantes &c. non tamen contra noſtrarum Conſtitutionum tenorem. Acta, lata, &c.

Caput VIII.

De Pœnis.

1. NE crimina ſint impunita, debet Prælatus convicto, vel confeſſo pœnam ordinariam in Conſtitutionibus expreſſam infligere.

2. Renuncianti ſuis defenſionibus ex his, quæ reſultant in proceſſu, attenta perſonæ qualitate, & criminis gravitate; debet pœnam, vel extraordinariam, vel ſi ordinariam non tanto tempore, neque cum tanta rigiditate, quantam ſi admiſſis, petitiſque defenſionibus convictus meruiſſet, imponere.

Reliqua de pœnis habentur in *Conſtitut. D. 1. cap. 16. & ſequentibus.*

Caput IX.

De Appellationibus.

1. DEnunciamus Fratribus noſtris, olim apud Carcaſſonam 1312. ſtatutum fuiſſe, quod quicunque Frater repertus fuerit (judicio ejus ad quem ſpectat) ſine cauſa rationabili à quocunque Superiore ſuo appellaſſe, carcerali cuſtodiæ mancipetur.

2. Denunciamus etiam, Bonifacium VIII. Pont. Max. ſtatuiſſe hujus, qui ſequitur tenoris Conſtitutionem: *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia indulgemus, quod prædictus Magiſter, & alii Præſidentes in dicto Ordine: ad quos id pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejuſdem Ordinis, juris ordine propoſito, ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis antedicti procedere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Quodque nullus ex Fratribus, & Sororibus Prædicatorum Ordini ſubjectis, aliquem, vel aliquam ex Fratribus, ac Sororibus hujuſmodi coram quocumque Judice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacunque cauſa conveniri, nec à correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Prælato, vel Fratre dicti Ordinis quavis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere audeat: niſi prius coram Conventuali, ſeu Provinciali Priore, ſeu Magiſtro Ordinis, & ſucceſſivè in Capitulo Generali dicti Ordinis cauſam, & querelam ſuam propoſuerit verbo, vel ſcripto.* Vide plura de hac materia ſupra *Diſtinct. 2. cap. 8. pag. 249. & 259.*

FORMULARIUM
PRINCIPALIORUM ACTUUM

Ad Officium Prioris Provincialis, & Conventualis Ordinis Prædicatorum ſpectantium.

Reformatum juxtà novam Conſtitutionum editionem, habens annexum modum faciendarum Electionum, tum & aliarum Ordinis functionum.

OPtima totius Ordinis noſtri diſpoſitio conſurgit, cùm partes omnes in ſeipſis benè diſpoſitæ fuerint, & alteræ cùm alteris congruo loco convenerint. Idcirco ſuppoſita cura Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, cui totum Ordinem moderari incumbit, in ſingulis Provinciis, Priores Provinciales ſumma ope niti oportet, ut ſinguli Conventus optimo jure gubernentur. Quod profectò efficient, cùm eorum capita, & membra præcipua, ſana, & integra fuerint. Iis enim rectè, decenterque diſpoſitis, facilè cætera componentur; & velut in harmonico inſtrumento, ex diſparibus vocibus concors, & ſuavis reſonabit melodia. Debet igitur P. Provincialis providere, primùm de Prioribus, & Præſidentibus Conventuum, de Inquiſitoribus, & Viſitatoribus, Lectoribus, quorum opera cæteri dirigantur. Deindè ſingulorum Fratrum, vel benè facta gratiis, & favoribus promovere, vel minus bona, aut etiam mala, monitis, & correctionibus emendare, vel (ut alii caveant) caſtigare, & punire: de quibus omnibus nonnihil in hoc libello agitur. Priores eliguntur, confirmantur, viſitantur, deponuntur, quorum omnium formulas hic ſubjicimus.

De Electionibus.

ECcleſiæ noſtræ, Privilegio D. Gregorii Papæ IX., & Innocentii IV. ac aliorum Summorum Pontificum dicuntur Conventuales, Conventus autem juxta declarationem Capituli Romani 1558. (ut videre eſt ſupra *Diſt.* 2. *cap.* 1, *pag.* 162) ſex ad minus Fratribus vocem in Capitulo habentibus, conſtat; qui rectè dici poteſt Collegium, quod juxta leges, *ff. de vera ſignif. l. Neratius*, tribus perficitur: ergo ad illum jure communi ſui capitis, & Prioris electio pertinet.

Electio non poteſt fieri in aliquo Conventu, niſi is, qui tali officio præeſt, ſit penitùs ab eodem amotus. Nec poteſt fieri ſub conditione, videlicet, ſi eum ab officio amoveri contigerit. Nec poteſt ultra menſem à notitia mortis, vel amotionis differri. Si autem differatur, ita quod nullus actus ab Electoribus fiat, devolvitur ad Superiorem poteſtas eligendi. Et ſi caſſatur, non poteſt ab Electoribus denuò fieri, niſi eis intimetur caſſatio per verbum caſſo, vel caſſamus.

Item eligendus in Priorem. 1. Debet eſſe profeſſus in ordine tacitè, vel expreſsè. 2. Debet eſſe Sacerdos, quia curam gerit animarum, & fuiſſe in habitu 12. annis à profeſſione. 3. Illegitimè natus non poteſt eligi ſine diſpenſatione, quam poteſt dare Prior Provincialis. 4. Qui ſemel electus, vel poſtulatus fuerit, Confirmatore electionem ejus, vel poſtulationem aliqua rationabili cauſa caſſante, non poterit pro illa vice ſecundò eligi, vel poſtulari, ſine licentia Confirmatoris. Quod ſi Electores, caſſata ejus electione, vel poſtulatione, eundem ſine licentia Confirmatoris, vel ipſius Superioris, denuò elegerint, vel poſtulaverint; electio nulla erit, & poteſtas providendi de Priore, ad ipſum Provincialem devolvitur, ex Capitulo apud Montempeſſulanum 1271. & Florentiam 1272. 5. Non poteſt eligi, aut confirmari, niſi ſciat grammatice loqui abſque falſa latinitate, & competenter proponere verbum Dei. 6. Qui non poteſt ſequi Chorum, Dormitorium, Refectorium, & communia, prout decet, ex Capitulo Cœnomanen. 1491.

Elector debet eſſe in ſacris Ordinibus, non irregularis. Narbon. 1354. poſt ſex annos à profeſſione. Translatus autem de Habitu Converſorum ad Clericalem, poſt annos ſeptem à ſuſceptione Habitus Clericalis, Brugis 1369. Si vero de aliena Provincia fuerit, admittitur poſtquam per annum continuum in illa Provincia aſſignatus, moratus fuerit. Electores debent eſſe præſentes in Conventu, quamvis non interſint Capitulo, ſeu loco electionis. Et ſi fuerint infirmi, debent Scrutatores ad eorum cameras ire, & illorum vota ſcrutari, & recipere: quoniam electio in Ordine noſtro non poteſt fieri per Procuratorem, licet ſecundum jura fieri poſſit. Quæ omnes Electorum, & eligendorum conditiones hic breviter attactæ, clarius explicantur ſupra *Diſtinct.* 2. *cap.* 2. *pag.* 72. *& ſequent.* ubi de electionibus ex profeſſo tractatur.

Modus faciendi Electionem Prioris Conventualis.

CUM electio Prioris Conventualis eſt facienda, primo debet Supprior, vel Vicarius per litteras vocare, & citare omnes Vocales abſentes, non tamen pluſquam per unam dietam diſtantes, & eis terminum ſtatuere, & dare convenient temporis ſpatium, intra quod commode convenire poſſint. 2. Vocatis, & expectatis abſentibus, ad diem præfixam vocari debent Vocales per ſonum campanæ ad locum electionis; & præmiſſo tractatu ſaltem in communi de perſona eligenda, debet interrogare Vocales, ſi eis placet locus, & tempus pro electione, 3. Debet facere proteſtationem, quod non intendit excludere aliquem admittendum, nec admittere quemquam excludendum. 4. Ad cautelam facere abſolutionem à Cenſuris. 5. Invocetur Spiritus Sancti gratia per Hymnum, *Veni Creator.* Antiph. *Veni Sancte. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter ℣. Emitte Spiritum, &c* Oratio, *Deus qui corda, &c.* 6. Debet aſſumere ſecum duos, qui diutius Habitum poſt profeſſionem portaverint, & cum eis accedere ad bancum ante fores Capituli paratum; qui duo Scrutatores non debent eſſe cæci, neque ſurdi. Quod ſi aliquis

præſentium in Conventu, cujus intereſt ſedere ad bancum, eſſet aliquo prædictorum, vel alio quncunque legitimo impedimento impeditus; debet non antiquior in Habitu illi ſuccedens, ſed alius per electionem Capituli loco illius ſubrogari: & ipſis Scrutatoribus poteſt (ſi majori parte Capituli placuerit) quartus adjungi. Ille videlicet, qui per ſchedulas Electorum, à tribus illis recipiendas, à pluribus, licet medietatem votorum non excedant, nominatus fuerit: & ſi plures æqualia vota habere contingat, antiquior in Habitu Ordinis præferatur; ita quod primo ſuffragio ſemper Scrutator habeatur, pro ea dumtaxat electione. 7. Scrutatores tres, vel quatuor (ſi quartus electus fuerit) ad bancum ſedentes, in aliquod vas, ſingulas à ſingulis Electoribus acceptas ſchedulas inſerant, involutas, ſeu clauſas; in quibus nomen eligendi tantum ſcriptum ſit, abſque nomine eligentis hoc modo: Eligo Fratrem N. 8. Schedulas effundant, & antequam ipſas aperiant numerent, & ad numerum Vocalium conferant: & ſi æquales numero non ſint, ſtatim eas comburant, & iterum alias ſchedulas modo conſimili accipiant. Quas ſi cum Vocalium numero convenire invenerint, aperiant, & nomina eorum, qui in eiſdem nominati ſunt, ſcribant, cum numero votorum, quem habet unuſquiſque: & facta collatione numeri ſchedularum ad numerum, & nomina ſcriptorum in ſchedulis, eas ſtatim comburant. Deinde ad medium Capitoli venientes, ſcrutinium publicent, uniuſcujuſque in ſchedulis nominati nomen, & numerum votorum, quem habent exprimentes. Et ſi nullus à pluribus ultra medietatem nominatus fuerit, iterum ad recipiendum ſchedulam procedant, ut prius, donec aliquis à majori parte, ultra medietatem fuerit nominatus; niſi fuerit de gremio eligennium: quia tunc oportet, ut habeat unum votum ſupra majorem partem ultra medietatem.

9. Invento, quod aliquis eſt nominatus à majori parte modo jam dicto, primus Scrutator (licet ipſe in ſchedulis non nominaverit electum) formet decretum: niſi forte ipſe fuerit ſic nominatus: quia tunc ſecundus Scrutator debet publicare vota, & formare decretum, quod his verbis formari debet: *Ego F. N. vice præſentium electorum, eligo F. N. in Priorem hujus Conventus N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*

10. Habeantur litteræ paratæ, & in litteris ſcrutinii ſcribantur Confirmatori ea tantum, quæ in Capitulo publicantur: juxta formam inferius expreſſam, & ſic à ſingulis Scrutatoribus ibidem ſubſcriptæ, & ſigillo coram omnibus clauſæ mittantur ad Confirmatorem, niſi ſit præſens in Conventu: quia tunc non oportet claudere, aut ſubſcribere litteras.

De Poſtulationibus Priorum

POſtulationes admiſſæ ſunt in Ordine noſtro ex conceſſione Apoſtolica, per litteras Alexandri Papæ IV. & Sixti ſimiliter IV quibus conceditur Confirmatori Prioris tam Provincialis, quam Conventualis, ut poſſit confirmare aliquem de illis Fratribus, quos ipſi electores, vel major pars eorum per litteras ſuas ab eo petierint, ſeu poſtulaverint, quando ad ipſum pro electi confirmatione mittunt: ſi ex aliqua cauſa electionem ab ipſis Fratribus ejuſdem Ordinis quorum intereſt factam, non confirmari contingat. Et ideo non oportet eſſe ſollicitum ad quærendum, & ſciendum, quid ſecundum jura, vel ſacros Canones ſervandum ſit in poſtulationibus, ſed ſufficit noſſe practicam Ordinis, quæ tamen in verbis litterarum Apoſtolicarum ſupra poſitis eſt expreſſa, & in Cap. Rom. 1553. declaratum, quod ly per ſuas litteras, intelliguntur litteræ ſcrutinii electionis.

Cum ergo ad electionem proceditur per ſcrutinium juxta formam Cap. Bononien. per ſchedulas, tacito, ſeu omiſſo nomine eligentis, ſolum nomen eligendi ſcribatur cum nomine, vel nominibus poſtulatorum ſic: Eligo Fratrem A. & poſtulo Fratrem B. & F. C. & F. D. & quot quiſque voluerit, & ſi plures ultra medietatem, fuerint præter electum poſtulati, debent coram omnibus legi cum electo, & in litteris ſcrutinii, ſeu decreti ad confirmatorem mittendis ſcribi debent ſic: F. A. in electione habuit tot vota, & F. B. in poſtulatione tot, & F. C. & F. D. &c. dummodo ſint plura ultra medietatem.

Forma litterarum ſcrutinii, ſeu decreti electionis, mittendarum ad Confirmatorem.

REverende Pater &c. Vacante Prioratu noſtri Conventus N. poſt expletum triennium Reverendi Patris F. N. in officio Prioratus ejuſdem (vel propter abſolutionem R. P. F. N. vel propter aſſumptionem R. P. F. N. ad Prioratum N.) ſolliciti fuimus nobis de capite, & paſtore providere, ne diutius abſque legitimo capite permanentes, aliquod damnum pateremur. Ideoque citatis per me F. N. Suppriorem, vel Vicarium ejuſdem Conventus, & vocatis, ac expectatis omnibus, & ſingulis, quorum intererat, aut intereſſe putabatur ad electionem convenite, die mensis ad conſuetum ſonum campanulæ, Capitulum ingreſſi ſumus; cumque locus, & tempus eligendi cunctis placuiſſet proteſtatus ſum me nullum admittendum excludere velle, nec excludendum admittere facta generali abſolutione à Cenſuris, & omnibus Vocalibus Sacramento Euchariſtiæ refectis, invocata deinde gratia Spiritus Sancti, cujus nutu cuncta reguntur: omnibus denique, & ſingulis præmiſſis, quæ in hujuſmodi electionibus præmitti debent, & ſolent: Ego, cum duobus in habitu Ordinis, à profeſſione antiquioribus, ad menſam coram omnibus paratam acceſſimus, ibique vota omnium, & ſingulorum in ſchedulis accepimus. Quibus acceptis, enumeratis, atque apertis, & demum lectis, nominibuſque eligendorum in ſcripta redactis, atque ad numerum collatis, inventum eſt, quod F. A à majori parte ultra medietatem per dictas ſchedulas in electione nominatus fuit. Nam cum eſſemus octo, vel novem habuit quinque vota; & F. B. habuit tria vota, vel quatuor; & F. C. habuit quatuor, vel quinque vota Item F. D. & F. E. fuerunt poſtulati; cum enim eſſemus novem F. D. habuit ſeptem poſtulationes, & F. E. quinque. Tunc ego cum prædictis Scrutatoribus ad medium Capituli veniens, & librum Conſtitutionum noſtrarum tenens, formavi decretum hoc modo; *Ego F. N. Supprior, vel Vicarius hujus Conventus N. vice præſentium electorum eligo R. P. F. A. in Priorem hujus Conventus N. & poſtulo F. D. & F. E. ad idem officium In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Cum ergo electio noſtra ſit rite facta, & de perſona tam moribus, & religione, quam prudentia, & doctrina prædita; rogamus Rever. P. V. ut eam probare, & electum omnino, vel ſaltem unum ex poſtulatis confirmare, & nobis concedere dignetur, cui nos, & Conventum noſtrum commendamus. Datum in Conventu N. die mensis anno

Si autem aliqua contradictio, vel oppoſitio fiat ab aliquo, debet ſcribi in eiſdem litteris, vel aliis ſeparatis, cum decreto tamen mittendis,

dis, puta: Duo Fratres, videlicet, F. N. & F. P. noluerunt huic noſtræ electioni conſentire, vel oppoſuerunt ei, quod ſecta fuerat per practicas, & minas: quod tamen non probaverunt. Deinde ſubſcribantur hoc modo: Ego F. N. Supprior, vel Vicarius, & primus Scrutator ſubſcripſi manu propria. Ego F. P. 2. Scrutator ita eſſe confirmo. Ego F. M. 3. Scrutator ita eſſe confirmo. Et ſic claudantur litteræ, & tranſmittantur.

Forma electionis Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum.

1. IN primis canterur Miſſa de Spiritu Sancto, cum Orationibus de Beata Virgine, & de Beato Dominico.
2. Diſponatur locus electionis cum diſco, atramento, papyro, & pennis.
3. Aſſignentur Conſtitutiones, & Rubricæ alicui, vel aliquibus poſtmodum lecturis.
4. Inveſtigetur ab electoribus, qui ſunt tres antiquiores Provinciales, & qui inter eos eſt antiquiſſimus.
5. Congregentur Fratres ad Capitulum.
6. Publicetur determinatio Examinatorum vocum.
7. Legatur Bulla, ſi quæ legenda eſt.
8. Legatur Rubrica, & Conſtitutio.
9. Moneantur Priores Provinciales, ut ſint parati ad introducendum Patres Electores in conclave, & ad ipſum cuſtodiendum.
10. Ordinentur Cuſtodes pro conclavi.
11. Imponantur Miſſæ, & Orationes.
12. Fiat proteſtatio.
13. Fiat generalis abſolutio.
14. Includantur Electores in conclavi.

Ante omnia iſta, debent fieri tres Examinatores vocum, unus de Hiſpania, unus de Italia, unus de Gallia.

In conclavi fiant iſta.

1. LEgatur Rubrica, & Conſtitutio de electione Magiſtri.
2. Deinde flexis genibus, & devote dicatur Hymnus, *Veni Creator &c.* cum ℣. & Oratione; & habeatur liber pro Hymno, & Oratione dicendis.
3. Inveſtigetur ſi aliquis Elector eſt abſens.
4. Exponatur per Vicarium de tempore procedendi, ſcilicet, an velint illo tempore ad electionem procedere.
5. Tres antiquiores Provinciales vadant ad diſcum.
6. Recipiant in aliquod vas ſchedulas involutas, juxta formam in electione Prioris Conventualis poſitam.
7. Redigant omnia in ſcriptis in conſpectu omnium ſecrete, & in eadem domo, & loco.
8. Fiat collatio numeri ad numerum.
9. Formetur electio per antiquiſſimum Provincialem, ſi ipſe non eſt electus: & ſi eſt electus, tunc alius antiquior immediate ſub eo formet decretum, juxta ordinationem Capitulorum Generalium.

Deinde incipiatur in conclavi *Te Deum laudamus*, & Fratres ab extra ipſum proſequantur, & conveniant omnes Fratres ad locum conclavis, & per Provincialem antiquiſſimum recitetur proceſſus electionis, breviter, & ſuccincte, & formetur decretum, ut ſupra. Poſtea conveniant Fratres ad Eccleſiam, & duo Provinciales antiquiſſimi ducant Magiſtrum Ordinis ante gradum Altaris, & Magiſter flexis genibus proſtratus jaceat, & antiquiſſimus Provincialis dicat Verſum, & Orationem. ℣. *Salvum fac Servum tuum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum &c.*

ORATIO.

COncede quæſumus Omnipotens Deus, ut Famulum tuum, quem ad regimen animarum noſtrarum elegimus, dono tuæ gratiæ proſequaris; ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per Christum.

Poſtea iidem antiquiſſimi Provinciales Magiſtrum elevent & ipſum ponant in ſede ſua in choro dextro.

Et interim pulſetur ad Capitulum, & Fratres ſine proceſſionis ordine intrent Capitulum, & Magiſter ultimo; & poſitus in loco ſuo, Fratrum orationibus ſe commendet, & alia, quæ volt proponere proponat: & moneat Fratres circa ſpiritualia, & actus ſcholaſticos, & bonos mores, & ut dent memorialia, & ſcrutinia.

Surgat Magiſter completo Capitulo, & dicat: *Adjutorium noſtrum &c.*

De confirmatione Prioris Conventualis.

COnfirmator, in electionibus, ſeu poſtulationibus per ſcrutinium, ſi hoc ſolum ſervatum viderit, quod major pars ultra medietatem conſenſerit ante publicationem ſcrutinii, poteſt eas pro canonicis approbare. Et ſemper intelligitur ſupplere defectus electionis, qui ejus ſubſunt poteſtati, quando ſine clauſula diminotiva confirmet electionem, *ex Conſtitutionibus diſtinct. 2. cap. 2.*

Forma Litterarum confirmationis Prioris Conventualis electi per ſcrutinium.

IN Dei filio ſibi dilecto Rev. Patri F. N. &c. Ordinis Prædicatorum P. N. ejuſdem Provinciæ B. Prior Provincialis, ſalutem.

Cum Fratres Conventus noſtri N. ſuo legitimo Priore deſtituti conveniſſent, ut ſibi, & ſuo Conventui providerent; divino (ut credimus) numine inſpirati, te cujus probitatem, religioſum zelum, in agendis prudentiam, atque doctrinam, apprime noverant, unanimi voto (vel ſi electio non ſit unanimis,) canonice elegerunt: noſque rogarunt, ut eorum electionem probare, teque illis concedere, præficere, & confirmare vellemus. Quorum votis, & petitionibus facile condeſcendimus; licet enim tibi tua tecum tractare, ac ſolitudines in corde ædificare, & inibi, quam ſuavis eſt Dominus guſtare cupienti, durum videri credamus poſt gregum veſtigia detineri, eorum diſtrahi curis, infirmitatibus infirmari, paſſionibus angi, & concuti: confidimus tamen, quod ſolita prudentia, conſiderabis te non tibi ſoli eſſe natum, & charitate chriſtiana fretus, alienos profectus propriis comodis antepones: ac demum Chriſti, & Apoſtolorum ejus exemplo, rem tuam omnem, & ſi opus fuerit, etiam vitam pro Fratrum ſalute contemnes. Ideoque his, atque aliis animi tui dotibus, & virtutibus nobis ingentia promittentes, prudentumque Patrum confirmati conſilio, dedimus, præfecimus, & confirmavimus, & authoritate Officii noſtri, ac præſentium tenore, te R. P. P. N. damus, præficimus, & confirmamus Priorem, Caput, & Paſtorem præfati Conventus N. datumque, præfectum, & confirmatum decernimus, & declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Damuſque tibi in, & ſuper dicto Conventu, & Fratribus, ac perſonis etiam utriuſque ſexus Tertii Ordinis noſtri ad ipſum quavis ratione ſpectantibus omnem in ſpiritualibus ac temporalibus authoritatem, & poteſtatem, quam cæteri Priores in noſtro Ordine, & Provincia, vel eodem Conventu rite confirmati, de jure, vel approbata conſuetudine, ſeu etiam ex privilegiis, habere conſueverunt. Inſuper inſtituimus te Vicarium noſtrum, ſuper Monaſteria A. & B. cum eadem authoritate, quorum curam per te, vel alium,

ſeu

ſeu alios gerere poſſis. Et quamquam de tua voluntate, & prompto animo confidamus, tamen ut meritorum cumulus per obedientiam tibi non deſit; in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus: ut intra quotuor horas, dicta Prioratus, ac Vicariatus officia ſuſcipias, & ad illorum executionem quantocius te accingas. Eodem quoque præcepto præcipimus omnibus, & ſingulis ad dictum Conventum, & Monaſteria quomodolibet pertinentibus: ut te tanquam verum, & legitimum ſuum, & dicti Conventus Priorem, & Vicarium reſpective ſuſcipiant, habeant, ac venerentur. Non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis, manu propria ſubſcripſimus. Datum in Conventu noſtro N. die menſis anno

Alia introductio ad idem.

IN Dei filio &c. Non te lateat, Conventum noſtrum N. ſuo Priore deſtitutum remanſiſſe, ac ſubinde à Fratribus ejus legitime adunatis, te cujus ſufficientiam probe noverant, unanimiter (vel canonice) fuiſſe electum: (vel poſtulatum) prout pleniſſime conſtat, ex eorum ad nos miſſo decreto, quo requiſiti ſumus, ut eorum electionem confirmare, teque illis concedere vellemus. Nos ergo tuam ad hoc ſufficientiam exploratam, atque compertam habentes, eorum votis abſque alio examine poteramus facere ſatis; veruntamen ut res ſpectatior prodiret, atque probatior, ſeniorum, prudentumque Patrum conſilium habere, judiciumque, & ſententiam expectare maluimus: quæ tibi dura, & gravis propter onus fortaſſe videbitur. Si tamen ad bravium, & præmium, quæ ex ejuſmodi curſu te manent, oculos mentis direxeris; ſi charitatem, qua Chriſti membra complecti debes, tenere volueris, onus, aut omnino non ſenties, aut cum ſuavitate portabis; vel ſaltem cum patientia perferes, atque in candem ſententiam manibus, ac pedibus ibis. Quæ, quia de tua prudentia, religione, probitate, & charitate nobis promittimus, idcirco electionem prædictam tanquam canonicam probavimus, & eorundem Fratrum votis condeſcendentes, te eis conceſſimus, atque præfecimus: ac authoritate Officii noſtri, & præſentium tenore te &c. *ut ſupra.*

Alia ad idem.

IN Dei filio, &c. Summus Paterfamilias, qui contractiorem noſtri Ordinis vineam, opera Beatiſſimi Patris noſtri Dominici plantavit, ad pertes illius fructuoſius excolendas, operarios continue conducere non deſiſtit. Id eum nunc feciſſe credimus, cum in Conventu noſtro N. hujus vineæ portione non contemnenda, per Fratrum illius canonicam (vel unanimem) electionem, ad ejus ſpiritualem culturam vocatus es: prout ex eorum Decreto, quod confirmari petierunt, latiſſime patet. Vide igitur, & conſidera, quod ad opus peteris, ad laborem vocaris. Attamen ne viribus fatigeris, non deſpondeas animum. Opus quidem arduum eſt, & humeros poſcens pluſquam Athlanticos. Tu Chriſti tantum viſcera, & amorem indue, illum ſolum in omnibus intuere, & cum Apoſtolo, in eo, qui te confortat, omnia poteris Quæ, quia te facturum confidimus, & prudentum conſilio moniti, & impulſi ſumus; ideo eorumdem votis, & petionibus ſatisfatere decrevimus. Quare auctoritate Officii noſtri, &c. *ut ſupra.*

Forma Litterarum ſcrutinii Prioris Conventualis ad Capitulum Provinciale.

REverendi Patres, poſt humilem commendationem, &c. inſtante celebratione Capituli noſtri Provincialis hoc anno in Conventu N. noluimus debito, quo juxta Conſtitutiones noſtras tenemur, habere ſcrutinium ſuper confirmatione, vel amotione Venerandi Patris noſtri Prioris ullo pacto deeſſe. Ideoque vocatis per me Fr. N. Suppriorem, vel Vicarium Conventus N. & adunatis Fratribus dicti Conventus, ad diem, &c. ut moris eſt, intravimus Capitulum: & cum duobus in Habitu Ordinis poſt profeſſionem antiquioribus, ad bancum coram omnibus acceſſi, & primo quidem electo per ſchedulas Socio Prioris, Venerando Patre Fratre N. ſcrutinium deinde ſuper confirmatione noſtri Venerandi Prioris habuimus hoc modo, videlicet:

Ego Fr. N. Supprior, vel Vicarius, & primus Scrutator peto confirmationem.

Ego Fr. A ſecundus Scrutator peto confirmationem.

Ego Fr. B. tertius Scrutator peto confirmationem.

Ego Fr C. peto amotionem.

Ego Fr. D. renuncio voci meæ.

Quod ſcrutinium habitum, & per nos ſubſcriptum coram omnibus clauſimus, & Conventus noſtri ſigillo ſignatum dedimus Socio prædicto, deferendum veſtris RR. PP. quibus nos, & Conventum noſtrum commendamus. Dat. N. N &c.

Ego Fr. N. Supprior, manu propria.

Ego Fr. A. ſecundus Scrutator manu propria.

Ego Fr. B. tertius Scrutator manu propria. *A tergo litterarum fiat ſuperſcriptio*: Scrutinium Venerandi Prioris Conventus N.

Forma Litterarum Socii Prioris Conventualis, ad Capitulum Provinciale.

NOs infraſcripti fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Venerandus Pater F. N. electus fuit à majori parte Vocalium noſtri Capituli, & Conventus N. in Socium noſtri Reverendi P. Prioris ad Capitulum Provinciale habendum in Conventu N. hoc anno. Nam in electione ejus, quæ (ſervatis, quæ ſervanda fuerant) habita eſt per ſchedulas, cum eſſemus octo, vel novem, ipſe habuit ſex vota. Cum ergo ſit electus à majori parte, & Socius factus, rogamus, ut tamquam Socius admittatur; In quorum fidem his manu propria ſubſcripſimus. *Non oportet has litteras claudere, aut munire ſigillo, ſed ſubſcriptio Scrutatorum ſic fiat*:

Ego Fr. N. Supprior, vel Vicarius, ita eſſe atteſtor.

Ego Fr. A. ſecundus Scrutator, confirmo, ut ſupra.

Ego Fr. B tertius Scrutator, confirmo, ut ſupra.

Forma Litterarum, quibus reſtituitur Vocalibus facultas procedendi iterato ad novam electionem Prioris Conventualis.

ELectores peccantes in forma eligendi, aut in materia electi, ſunt ea vice privati jure, & voce ad eligendum: poteſt tamen P. Provincialis (ſi ei placuerit) illos habilitare, ut ad novam electionem procedere poſſint, & voci reſtituere ſic:

In Dei Filio ſibi dilectis: Venerandis Patribus Suppriori, (vel Vicario,) & Fratribus Vocalibus Conventus N. Ordinis Prædicatorum Fr. N. Prior Provincialis, &c. Examinato diligenter Decreto electionis veſtræ, quam feciſtis de Vener. Patre Fr. N. in Priorem veſtri Conventus N. & judicio peritorum bene diſcuſſo, percepimus vos commiſiſſe talem defectum in forma,

vel

vel materia, ac propterea incidiſſe in pœnam privationis vocis, ita quod pro hac vice non poteſtis eligere Priorem. Et quia veſtram electionem (cum jure ſubſiſtere non poſſet) caſſavimus, & irritavimus, Conventus veſter adhuc remanet abſque Priore. Nos ne hanc ob cauſam detrimentum patiatur, poteſtatem eligendi, quæ ad nos devoluta erat, hac vice vobis reſtituimus, & conferimus; voſque, & veſtrum quemlibet ad eligendum habilitamus. Mandantes vobis, ut ad novam electionem, ea diſcretione, & prudentia procedatis, quæ nullius vitii, vel intolerabilis defectus accuſari poſſit: eumque vobis eligatis, quem vos habere, & nos confirmare poſſimus. Bene valete, & pro nobis Deum orate. Datum &c.

Forma eligendi Priorem per R. P. Provincialem, quando ad illum propter aliquem defectum poteſtas eligendi devoluta eſt.

IN Dei Filio, &c. Cum Fratres Vocales Conventus N. in electione, quam fecerunt de Venerando Patre Fr. N. in Priorem Conventus eorum, intollerabiliter defecerint, eligendo illegitime natum ſine diſpenſatione, vel à nobis, vel à jure prohibitum, (vel non formando Decretum electionis, vel excludendo talem admittendum) & ob id non ſolum illi à jure eligendi, quod habebant ceciderint, ſed etiam poteſtas eligendi ad nos devenerit, ac translata fuerit: nec volentes Conventum præfatum, diutius cum gravioris alicujus damni periculo ſine Priore permanere: idcirco ad providendum de Priore procedentes, diſcretorum Patrum ſuper hoc habito conſilio, & judicio: te Venerandum Patrem Fr. N. de cujus religione, prudentia, zelo, & doctrina confidimus, ad hoc munus deſignavimus: ac auctoritate Officii noſtri, & præſentium tenore, eligimus, damus, perficimus, & confirmamus Priorem, Caput, & Paſtorem præfati Conventus N. & ſic electum, datum, præfectum, & confirmatum declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Damuſque tibi, &c. *ut ſupra.*

Corripiuntur Priores per Litteras privatas clauſas, quarum tenores arbitrio RR. Provincialium dimittimus: ſuſpenduntur autem ab officio multis de cauſis, quas explicare poteſt in litteris ſub hac forma.

NOS Fr. N. Ordinis Prædicatorum Provinciæ N. Prior Provincialis. Certiores facti à fide dignis te Venerandum Patrem Fr. N. publice jurgatum fuiſſe cum Domino N. & ipſum in jurgio percuſſiſſe, cum ſcandalo plurium adſtantium: & ex tua ipſius confeſſione de eodem confirmati, nec valentes modo cauſam definire, ſcientes tamen eam nonnullam ſatisfactionem apud ſcandalizatos expoſcere; ſuſpendimus te ab officio Prioratus, & tibi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut nullum actum ad officium Prioratus ſpectantem exerceas, donec re judicialiter cognita, per noſtram definitivam ſententiam, vel tanquam reus damneris, vel ut innocens declareris. In quorum fidem &c. Datum. &c.

Forma excuſatoria Prioris Provincialis, nolentis confirmare electum, vel poſtulatum.

VEnerandi Patres. Accepi Decretum electionis veſtræ, de Venerando Patre Fr. N. in Priorem Conventus veſtri N. cum poſtulatione pro Fr. N. ad idem officium, cui adjunxeratis preces pro illius confirmatione, quibus propter bonos reſpectus, & rationabiles cauſas, adhærere, vel condeſcendere non potui prout velletis; & propterea, tam electionem, quam poſtulationem caſſavi, & præſentium tenore caſſo & irritas eſſe declaro: adhortans vos, ut me excuſatum habere velitis, & ad alterius electionem denuo procedatis. Valete. Datum &c.

A tergo. Venerandis Patribus Suppriori, vel Præſidenti, & Vocalibus Conventus N. Ordinis Prædicatorum.

Forma inſtituendi Suppriorem.

NOS Fr. N. &c. Requiſiti, ut Conventui N. de Fratre, qui Supprioratus officium competenter exequi, & honeſte gerere poſſet, providere vellemus: te Venerandum Patrem Fr. N. conſiderationis oculo reſpeximus, & in tuam ſufficientiam direximus intuitum; ſperantes tua induſtria, & prudentia prædicto Conventui pro eodem officio ſufficienter eſſe proviſum. Et propterea auctoritate officii noſtri, & præſentium tenore, te in dicto Conventu aſſignamus, removentes aſſignationem tuam, à quocumque alio Conventu, & loco, & ſic aſſignatum inſtituimus, & facimus Suppriorem: cum omni auctoritate, & poteſtate, quam cæteri Suppriores in noſtra Provincia, juxta Conſtitutiones, & approbatam conſuetudinem habere ſolent. Mandantes tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut quamprimum (commode tamen) potueris in dictum Conventum te conferas, & præfatum Supprioratus officium diligenter exequaris. Datum N. ſub noſtro ſigillo, die &c.

Forma inſtituendi Vicarium ſupra totam Provinciam.

IN Dei Filio, &c. Cum ad celebrandum noſtrum jam jamque inſtans Generale Capitulum proficiſci debeamus, & eſſe extra Provinciam; ne propterea detrimentum patiatur, ſi abſque Capite, & Directore permaneat: vices noſtras in, & ſuper eam tibi committere decrevimus. Ideoque auctoritate Officii noſtri, & præſentium tenore, te Venerandum Patrem Fr. N. præfatum damus, inſtituimus, & præficimus Vicarium noſtrum Generalem in, & ſuper tota noſtra Provincia N. atque ita datum, inſtitutum, & præfectum declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Damuſque tibi in, & ſuper ea, & omnibus, ac ſingulis Cœnobiis, Monaſteriis, Conventibus, locis, ac Domibus, necnon omnibus, & ſingulis Fratribus, Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis, tam capitibus, quam membris, etiam Tertii Ordinis, ad eam quomodolibet pertinentibus, omnem in ſpiritualibus, & temporalibus auctoritatem, quam nos habemus: & ſpecialiter confirmandi, (ſi opus eſſet) non tamen abſolvendi Priores, & generaliter omnia faciendi, quæ nos facere poſſumus, etiam ſi mandatum exigerent ſpeciale. Quæ auctoritas, poteſtas, & officium incipiat, duret, ac locum habeat, quamdiu fuerimus extra Provinciam. Mandantes tam tibi, quam omnibus, & ſingulis ſupra nominatis in virtute ſanctæ obedientiæ: tibi quidem, ut dictum Vicariatus officium ſuſcipias, & diligenter exequaris; illis vero, ut te tanquam Vicarium noſtrum ſuſcipiant, habeant, ac venerentur. Non obſtantibus quibuſcumque, &c. In quorum fidem &c. Datum &c.

Si vero inſtituatur Vicarius Nationis, vel partis Provinciæ, formetur ſic.

IN Dei Filio, &c. Negotiorum multitudo, & gravitas, meique corporis, & virium imbecilli-

cillitas non permittunt me ſingulis quibuſque partibus noſtræ Provinciæ, (prout vellem, & ipſis opus eſſet) intendere: & quia melius, & diligentius ſingula providentur, cum frequentius, & proprius inſpiciuntur, tibi Rev. Patri Fr. N. qui in Natione N. degis, & ex propinquo crebrius inveſtigare, & penitus noſſe, & religioſo zelo, atque prudentia, male, vel minus bene facta corrigere, & bona promovere ſufficis, in eadem Natione vices noſtras committere decrevimus. Ideoque auctoritate Officii noſtri, & præſentium tenore, te Rev. Patrem Fr. N. præfatum damus, inſtituimus, & præficimus Vicarium noſtrum in, & ſuper Natione N. noſtræ Provinciæ, ac ſuper omnibus, & ſingulis Conventibus, Monaſteriis, locis, ac Domibus, necnon omnibus, ac ſingulis Fratribus, Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis etiam Tertii Ordinis tam capitibus, quam membris ad dictam Nationem quomodolibet pertinentibus, omnem in ſpiritualibus, & temporalibus auctoritatem, & poteſtatem, quam hujuſmodi Nationum Vicarii, ex Conſtitutionibus noſtris, vel approbata conſuetudine habere ſolent. Mandantes, &c. *ut ſupra.*

De Viſitatoribus.

VIſitatores juxta Conſtitutiones antiquas *Diſtinct.* 2. *Cap.* 11. *Text.* 1. in Capitulo Provinciali, à P. Provinciali, & Definitoribus inſtituebantur: ſed in Capitulo Bononienſi 1275. in Conſtitutione redactum fuit *Cap.* 3. ut Rev. P. Provincialis totam Provinciam ſuam per ſe (ſi poterit) vel Vicarios idoneos teneatur ſingulis annis viſitare: quibus auctoritatem ſuam committat, prout ſibi videbitur expedire. Poteſt igitur ex Conſtitutionibus ipſe ſolus inſtituere Viſitatorem.

Forma inſtituendi Viſitatorem.

IN Dei Filio, &c. Cum vultum pectoris noſtri (juxta Sapientis præceptum) cognoſcere teneamur ex officio, diverſæ tamen, & graves occupationes, quibus nunc detinemur obſiſtunt, ne id per nos ipſos agere valeamus. Verumtamen tua nobis explorata, & comperta prudentia, & fides, tantum apud nos valet, ut quod per te gerimus, nos ipſos geſſiſſe putemus. Quapropter cum Conventus noſtri N. & N. hoc anno viſitati nuo fuerint, & nos de ipſorum [illegible]poſitione certiores fieri cupiamus, eorumdem viſitationem tibi committimus. Ideoque auctoritate Officii noſtri, & præſentium tenore, te Vener. P. Fr. N. inſtituimus, & facimus Viſitatorem præfatorum Conventuum: damuſque tibi in, & ſuper eis, & omnibus, & ſingulis perſonis ad eos pertinentibus, tam capitibus, quam membris, omnem in ſpiritualibus, & temporalibus auctoritatem, & poteſtatem, quam cæteri Viſitatores ex Conſtitutionibus noſtris, vel approbata conſuetudine habere ſolent. Mandantes tam tibi, &c.

Viſitator taliter inſtitutus, cum primum pervenerit ad Conventum, accepta benedictione, & facta brevi oratione, convocari faciat Fratres ad Capitulum, ibique legi ſuas litteras, ut innoteſcat omnibus ejus auctoritas. Inde exponat ſuccincte, quæ intendit à Fratribus audire tam circa eſſentialia Religionis, & tria vota, quam circa cæremonialia, & cæteras obſervantias Regulæ, & Conſtitutionum, juxta ea, quæ in eis expreſſa ſunt *Diſtinct.* 2. *Cap.* 11 Inde ſuper his faciat præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Fratres dicant ſibi confidenter zelo Religionis abſque ulla paſſione, quæ dicere tenentur. Inde vadat ad ſepulturas Fratrum comitatus à Conventu, & dicto cum Fratribus Pſalmo *De profundis. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Aperta, &c. Oremus, Abſolve quæſumus, &c.* Inde viſitet infirmos, ſi qui ſunt. Locum ſuæ profeſſionis, vel gradus ubique teneat, niſi in Capitulo, dum actus viſitationis exercet. In inquirendo, examinando, impendere poteſt quot dies judicaverit neceſſarios, & opportunos: tres vero dies tantum juxta Conſtitutiones expendat in corrigendis, & diſponendis his, quæ occurrunt, & per viſitationem invenit, & nihil præter victum accipiat.

Forma inſtituendi Inquiſitorem.

IN Dei Filio, &c. Quamquam cœleſtis Paterfamilias, per Apoſtolos, & Apoſtolicos Viros, in fertiliſſimo Eccleſiæ agro puriſſima credibilium fidei ſemina ſeminaverit, iniqui tamen, & inimici homines (juxta parabolam Evangelicam) ceſſantibus, vel dormientibus agricolis, infelicia non ceſſant hæreſum ſuperſeminare zizania: & niſi vulpibus illis per Inquiſitores tanquam per Samſonem, ignis ſuæ cenſuræ, quo Philiſtæorum cadentium ſegetes cremantur, alligaretur ad caudas, brevi tempore, dominicam meſſem à zizaniis profocatam plangeremus. Nobis ergo quibus Apoſtolico privilegio conceſſa eſt facultas hujuſmodi Cenſores, & Inquiſitores inſtituendi, operoſius laborandum eſt, ut hoc munus illis committatur, qui ſcientiæ lumine adulteria ſemina à veris diſcernere norint, qui prudenter iis, quæ diſcreverint, remedia adhibere ſufficiant, qui demum zelo fidei ſuccenſi, valint, & animi fortitudine valeant, quæ prudenter diſpoſuerant ad effectum perducere. Et quia de tuo fervente zelo, conſtanti fortitudine, efficaci prudentia, catholica doctrina, & vitæ integritate confidimus, ejuſmodi munus tibi injungere decrevimus. Cum igitur in Civitate, Diœceſi N. propter amonitionem, vel obitum Reverendi N. Inquiſitionis officium vacet, nobiſque illi providere incumbat, authoritate Apoſtolica nobis, & noſtro officio commiſſa & præſentium tenore, te Reverendum P. F. N. decernimus, inſtituimus, & facimus Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in præfata Civitate, & Diœc. N. factumque inſtitutum, & decretum declaramus: cum omnibus gratiis, privilegiis, Immunitatibus, authoritate, & poteſtate, quibus cæteri Inquiſitores rite inſtituti, Summorum Pontificum indultis, & privilegiis, ac ſecularium Principum, Regum, vel Imperatorum conceſſione, quomodolibet potiri, & gaudere conſueverunt. Ut autem tam præclarum, ſanctumque munus, & opus, non vacet obedientiæ merito, in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus, ut intra buram dictum Inquiſitionis officium ſuſcipias, ac juxta gratiam tibi à Domino præſtitam diligentius exequaris. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum &c.

Forma dandi facultatem alienandi bona immobilia, juxta Breve Clementis Papæ VII. conceſſum Provinciali Romano, & Magiſtro Ordinis ſuper ſibi ſubditis in Italia Conventibus, Monaſteriis, & locis.

IN Dei filio ſibi dilectis, venerandis Patribus Priori, & Fratribus noſtri Conventus N. Ordinis Prædicatorum. Expoſuiſtis nobis, quod pro victu, ſuſtentatione, & neceſſitatibus Fratrum veſtri Conventus coacti fuiſtis multa exponere, propter quod ære alieno, ac debitis obnoxii remanſiſtis, & remanetis: ad quorum ſo-

lutio-

lutionem cum redditus annui, ac eleemoſynæ quotidianæ minime ſufficiant, neceſſe eſt vendere aliquid immobile, ut creditoribus pro juſtitia ſatisfiat; ideoque rogaſtis nos, ut agrum, ſeu fundum terræ, quem Conventus veſter habet in loco N. inter alia bona ad ipſum ſpectantia minus utilem vendendi licentiam vobis concedere vellemus. Nos igitur, qui juſtitiam per debitorum ſolutionem ſervari cupimus, & agrum, ſeu fundum illum in loco N. cujus valorem annuum centum aureos non excedere, & vobis minus utilem eſſe credimus, authoritate Apoſtolica nobis per literas in forma brevis, à fel. record. Clemente VII. collata, & præſentium tenore, vobis dictum agrum, ſeu fundum ſub ſuis finibus, & terminis latius in contractu exprimendis, vendendi, ſeu alias juſto contractu alienandi, licentiam, & facultatem concedimus, diſpoſitione fel. record. Pauli Papæ II. cui per eaſdem literas derogatur, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Dummodo ad hoc accedat aſſenſus duorum tertiorum veſtri Capituli, & pretium in dictorum debitorum ſolutionem realiter, & cum effectu convertatur. In quorum fidem &c. Datum. &c.

Alia pro eodem.

IN Dei filio, &c. Expoſuiſtis nobis, habere vos præ manibus unam domum, vel poſſeſſionem veſtro Conventui accommodam, quam ſi emeritis non modicè vobis proveniret utilitas: ſed cum pretium pro ejus emptione non poſſitis habere, niſi ex aliorum immobilium venditione; rogaſtis nos, ut arvum, ſeu hortum, ſeu ſylvam, vel domum, &c. in loco N. poſitam, minus utilem, & incommodam, vendendi licentiam vobis dare vellemus. Nos igitur bonam ſpiritualium diſpoſitionem, quæ ex temporalibus bene diſpoſitis, & adminiſtratis ſervatur, in Conventu veſtro teneri, & augeri cupientes, & de prudentia, atque conſcientia veſtra confidentes, quod nonniſi utilitatem publicam, & commodum commune quæratis, petitionibus veſtris facile condeſcendimus. Ideoque authoritate Apoſtolica &c. *ut ſupra.*

Forma inſtituendi Lectorem principalem.

NOS F. N. Ordinis Prædicatorum, & Provinciæ N. Prior Provincialis. Cum ex commiſſione Reverendiſſimi Magiſtri Generalis noſtri Ordinis, vel Capituli Generalis Conventui N. debeamus de Lectore principali providere, te venerandum Patrem F. N. cujus doctrinam, docendi facilitatem, & elegantiam differendi, nec non probitatem, & religioſos mores non parvo tempore ſumus experti, delegimus, cui munus præfatum in aliorum profectum, & tuæ obedientiæ meritum demandemus. Ideoque authoritate, ut ſupra nobis commiſſa, te F. N. præfatum damus, inſtituimus, & facimus, & ſic datum, inſtitutum, & factum aſſignamus Lectorem principalem in Conventu N. cum omnibus gratiis, privilegiis, & exemptionibus, quibus hujuſmodi Lectores potiri, & gaudere conſueverunt. Mandamuſque tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut dictum Lectoratus officium ſtatim ſuſcipias, & ad illius executionem, & tuam pro eo aſſignationem, quantocius (commode tamen) potueris, te accingas. Datum &c.

Forma licentiæ ad Epiſcopatum.

IN Dei filio &c. Æterna Dei ſapientia Chriſtus, ſicut una cum Patre, & Spiritu Sancto in humano corpore diſparibus gradibus, & officiis membra diſtinxit, ita in myſtico Eccleſiæ, quoſdam pedum, aut manuum vicem gerere, quoſdam vero quaſi oculos eſſe decrevit: & licet illi quidem magis neceſſarii ſint, & ampliori (juxta Apoſtolum) honore circumdari, hi tamen illorum ſunt facti rectores, qui cæteros dirigere, & illuminare ſufficiant. Ejuſmodi fuerunt primum Apoſtoli, nunc autem ſunt Apoſtolici viri, plebium Præſules, quos mundi lumina, ſalem terræ, Civitates in ſublimi poſitas Dominus appellavit. Ad horum conſortium nuper te tuis egregiis meritis Summus Pontifex extulit, cum Civitati N. præfecit Antiſtitem: munus certe arduum, & humeris etiam Angelicis formidandum, quod tu (quæ tua eſt modeſtia) declinans, ad noſtram, quam profeſſus es obedientiam confugiſti, vel hac ſaltem ratione, ut communia noſtri Ordinis ſuffragia non amitteres: quin etiam, ut (ſi jugo collum dare neceſſe eſt) ad illud ſapienter, fortiterque ferendum, per illa juveris. Nos igitur prudentiam tuam, doctrinam, religioſoſque mores, & regiminis experientiam cognoſcentes, quamquam modeſtiam tuam laudamus, magis tamen Summi Pontificis propoſitum aſſerimus, Eccleſiæque N. de tua promotione gratulamur, ac tibi Epiſcopatum prædictum acceptandi licentiam, & facultatem (quod ex nobis eſt) præſentium tenore concedimus; ſuffragia quoque, merita, & beneficia noſtri Ordinis, non ſolum illæſa, & integra tibi manere, ſed etiam majori cumulo (ſi poſſibile eſt) ſuperaddi volumus, & decernimus. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum &c.

Alia ad idem.

IN Dei filio, &c. Quoniam juxta Conſtitutiones noſtras quicunque ſine licentia P. Provincialis Præſulatum receperit, ſuffragiis, ſocietate, & omnibus beneficiis Ordinis, in morte, & in vita privatur: tu R. Pater, qui ob egregias animi tui dotes, & præclara merita, Epiſcopus factus es, ejuſmodi ſuffragia magnifaciens, eorum communione, & participatione privari nolens, licentiam præfatam tibi dari deſiderans. Nos igitur commune bonum privato præferentes, & fructum animarum, in eadem Civitate ex tua promotione ſperantes, facultatem, & licentiam ſuſcipiendi prædictum Epiſcopatum, præſentium tenore tibi concedimus: ſuffragiis vero, meritis, & beneficiis Ordinis, te non modo non privari, ſed eorum majori cumulo te ditari, & munerari, volumus. Hortamur nihilominus præſtantiam tuam, ut bonæ, & religioſæ educationis reminiſcens, talem te Epiſcopum præbeas, qualem Timotheo delineavit Apoſtolus. Datum &c.

Forma promovendi ad Magiſterium ſacræ Theologiæ.

PRomotor habeat annulum, & birretum nigrum paratum, & ſedens expectet promovendum, qui flexis genibus ad pedes Promotoris, interrogetur ab eo: *Quid petis?* & reſpondeat humiliter: *Peto promoveri ad gradum Doctoratus, & Magiſterii ſacræ Theologiæ*: Promotor: *Promittis tenere, ſervare, docere, & defendere doctrinam ſanam, & Catholicam juxta determinationem Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ?* Promovendus: *Promitto, & ſpondeo in hac forma*:

Profeſſio fidei juxta formam Bullæ Pii Papæ IV.

EGO F. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum filium Dei uni-

onigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi, Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ Obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ Legis, à JEſu Chriſto Domino inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria; ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium: illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem una cum Anima, & Divinitate Domini Noſtri JEſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari. Similiter, & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JEſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, (quantum in me erit) curaturum. Ego idem F. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Promotor. Quoniam ſapientiam vocaſti amicam, & amator factus formæ illius, quæſiſti eam tibi ſponſam aſſumere, ecce Deus dat tibi eam ſponſam, ut ſemper tecum ſit, & cor tuum poſſideat. In ſignum ergo: Accipe annullum in manu tua, & ego authoritate Apoſtolica per litteras, &c. mihi commiſſa, inſtituo, creo, & facio te Doctorem, & Magiſtrum in ſacra Theologia, doque tibi poteſtatem, & facultatem publice legendi, docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi ſacram Theologiam. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde ſurgat, & faciat promovendum ſedere in ſua ſella, dicens:

PRomoveo te ad gradum Magiſterii Sacræ Theologiæ, annumerans te conſortio Doctorum, & Magiſtrorum dictæ facultatis: ita collocet, & ſedere te faciat Dominus cum Principibus, ut ſolium gloriæ teneas.

Deinde imponat birretum capiti ejus, dicens.

ACcipe inſulam, ſeu birretum nigrum, inſigne Magiſterii: ſic ornet te Deus corona gloriæ.

Deinde elevet eum, & dans ei oſculum, dicat:

ECce odor filii mei, ſicut odor agri pleni: creſcere te faciat Dominus in millibus; & benedicat tibi in ſecula ſeculorum Amen.

Forma Litterarum promotionis ad Magiſterium.

IN Dei filio, &c. Graves, & honeſti labores illi, quos ab adoleſcentia, multis annis in diverſis Gymnaſiis, bonas litteras quaſi fugientes perſequendo tuliſti, & deinde pluribus in locis legendo, diſſerendo, diſputando, & humanam, Divinamque Philoſophiam alios docendo, multa cum laude, & fructu proſequutus fuiſti: merito requirunt glorioſum fructum honoris, quo nullum majorem poſſunt interim virtutibus exhibere mortales: Nos quoque decet excellentiæ, quæ in te eſt, vel naturalis ingenii, vel ſcientiæ tot laboribus, & incommodis acquiſitæ illum præbere, præſertim cum ex obedientia pro Religione hæc omnia ſubieris. Cum igitur ad Scholaſticos gradus, etiam Magiſterii fueris à Provincia tua petitus, & jam quatuor annos in Univerſitate N. non parvo fructu Sententias legeris, alioſque actus omnes feceris, quos juxta Conſtitutiones, aut Capitulorum Generalium Ordinationes facere debueras; ac demum per Examinatores deputatos examinatus, idoneus, ac ſufficiens habitus, & judicatus fueris. Nos prædictorum omnium rationem habentes, ac de eis plenius, & certius informati, authoritate Apoſtolica, nobis per litteras in forma Brevis commiſſa, te R. P. F. N. ad gradum Magiſterii promovemus, datiſque annulo in digitum tuum, & inſulâ, ſeu biretto nigro inſigne Magiſterii tuo capiti impoſito, facimus, inſtituimus,

&

& creamus Magiſtrum, & Doctorem ſacræ Theologiæ, ac numero, & conſortio Doctorum, & Magiſtrorum annectimus, inſerimus, & incorporamus. Dantes tibi facultatem, & poteſtatem publice legendi, interpretandi, diſputandi, exponendi, & declarandi ſacras litteras, & Divinam Scripturam, cum omnibus gratiis, privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, voce, & loco, quibus cæteri hujuſmodi Magiſtri, & Doctores in ordine noſtro rite promoti, de jure, vel approbata conſuetudine potiri, & gaudere conſueverunt. Eadem Apoſtolica authoritate diſpenſando ſupplentes, & ſupplendo diſpenſantes tecum in, & ſuper omnibus, & ſingulis defectibus, & aliis quibuſcumque, quæ huic promotioni, ex Apoſtolicis Decretis, aut ex Conſtitutionibus, vel Capitulorum Generalium, ſeu Provincialium ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudinibus objici poſſent. Mandantes omnibus, & ſingulis noſtræ obedientiæ, ut te tanquam Magiſtrum, & Doctorem (ut præfertur) habeant, ſuſcipiant, & admittant: gratiiſque, privilegiis, indultis, favoribus &c. voce & loco prædictis, uti & potiri faciant, & permittant, non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem &c. Datum &c.

Forma licentiæ ad arctiorem vitam.

IN Dei filio &c. Religioſa conſuetudo tua, quam in noſtro Ordine multis annis tenuiſti, ſpem nobis faciebat, in eadem te perſeveraturum, ac Apoſtolicum præceptum ſervaturum, quo præcipit, ut quiſque in qua vocatus eſt vocatione permaneat. Sed poſtquam tanta te vidimus inſtantia poſtulare facultatem ad arctiorem vitam Eremitarum N. tranſeundi, Spiritum Sanctum, cujus forte duceris impulſu, nolumus impugnare: quin potius, ubi ſpiritum Domini vel credimus, vel ſuſpicamur, ibi libertatem eſſe volentes, præſentium tenore, libertatem, & facultatem (quoad noſtrum eſt) tibi concedimus, ad Ordinem, ſeu ad vitam Solitariorum Eremitarum tranſeundi, ibique per ſolemnem profeſſionem Deo re dedicandi. Reſervantes nobis, quam nunc habemus ſuper te juriſdictionem, donec eidem Ordini, ad quem tranſieris, per ſolemnem profeſſionem fueris obligatus. In quorum fidem, &c.

Alia ad idem.

NOS Fr. N. Univerſis, & ſingulis, ad quorum notitiam hæ noſtræ pervenerint, fidem facimus, & atteſtamur: nos V. P. Fratri N. ad ſuæ petitionis inſtantiam, dediſſe, prout etiam tenore præſentium damus, & concedimus facultatem, & libertatem ab Ordine, Habitu, & Inſtitutis noſtris tranſeundi ad Ordinem Camaldulen. Eremitarum, quem ipſemet ſub arctioris vitæ ſpecie, ſuæ complexioni magis accommodum, & opportunum delegit. Reſervantes nobis, quam nunc habemus ſuper eum juriſdictionem, donec in eo Ordine per ſolemnem profeſſionem obligetur. In quorum, &c.

Forma diſpenſandi illegitime natos Fratres profeſſos.

NOS Fr. N. &c. Cupientes, ut Fratres noſtræ curæ crediti, Religioni, cui addicti ſunt in omnibus, ad quæ Spiritus Sanctus eos vocare dignatus fuerit, libere valeant deſervire; Te Venerandum Religioſum Fr. N. (quem religioſa vita, ſpectabiles mores, Catholica doctrina, & in agendis prudentia, & honeſti labores commendabilem reddunt) auctoritate Apoſtolica nobis, & officio noſtro commiſſa; & præſentium tenore, ad omnia, & ſingula officia, gradus, dignitates, & Ordines, etiam Sacerdotii, etiam Prioratus Conventualis, & Provincialis, etiam Prædicatoris Generalis, ac Magiſterii in ſacra Theologia, & Definitoris tam Provincialis, quam Generalis Capituli, & Electoris etiam Magiſtri Ordinis, à quorum ſuſceptione, vel exequutione ob defectum natalium, juxta Conſtitutiones noſtras, eſſes impeditus, habilitamus, & habilem facimus, non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem, &c.

Forma mittendi Prædicatorem.

NOS Fr. N. &c. Requiſiti à Reverendiſſimo D. Epiſcopo N. vel à Reverendiſſ. DD. Canonicis Eccleſiæ N. vel à præſtantibus Officialibus Civitatis N. vel Oppidi N. ut eorum Eccleſiæ de idoneo Prædicatore pro hac Quadrageſima (vel ut eorum Eccleſiæ virum, qui conciones habere digne poſſit hac proximè futura Quadrageſima) providere vellemus: Te Venerandum Fr. N. cujus doctrinæ copiam, & ſinceritatem, in dicendo facundiam, & efficaciam, in moribus religionem, & gravitatem novimus; deſignavimus, atque decrevimus, cui præfatum munus demandemus. Mandamuſque tibi in meritum obedientiæ, ut opportuno tempore ad dictam Civitatem te conferas, habiturus in ejus Eccleſia conciones hac proximè futura Quadrageſima; atque ita te geras, & habeas, ut qui nunc exiens vadis mittendo verbi ſemina, poſt Paſcha rediens, manipulorum ſpiritualium fructus uberes referas, &c.

Alia ad idem.

NOS Fr. N. Recolentes Ordinem noſtrum ad animarum ſalutem prædicatione quærendam ſpecialiter inſtitutum eſſe, & Te Venerandum Patrem Fr. N. zelo ſalutis earum accenſum, tua Catholica doctrina, atque naturali facundia, arte, & gratia differendi id poſſe præſtare, religioſis moribus, quæ dixeris comprobare, & demum verbis, & exemplis ad ædificandam Eccleſiam ſufficere; Eccleſiæ N. ad quam pro hac proximè futura Quadrageſima petitus fuiſti Prædicator, (vel à tuis Patribus Concionator decretus fuiſti) Concionatorem definimus, damus, & deputamus, Mandantes tibi in meritum obedientiæ, ut opportuno tempore Civitatem N. adeas; & in ejus Eccleſia N. conciones habeas hac Quadrageſima: ac ea peracta ad Conventum tuum revertaris. Hortamur denique te, ut Concionatoris munus ſuſcipiens, verbum Dei tanquam ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquaris, &c.

Forma licentiæ peregrinandi in Terram Sanctam.

IN Dei Filio, &c. Quoniam in hac vita peregrinum te (juxta Apoſtolicam ſententiam) eſſe cognoſcis, ad terram, in qua Deus ipſe factus homo peregrinum ſe fecit, religionis cauſa peregrinandi licentiam tibi à nobis dari petiiſti. Nos ergo eo faciliùs petitionibus tuis condeſcendimus, quo vehementiùs cupimus, ut eidem Domino noſtro JEſu Chriſto, per ſpiritum (quæ noſtra perfectio eſt) renaſcaris, mundo moriaris, inque vitæ novitate reſurgas, atque in cœleſtibus tota mente verſeris; ac propterea ad Nativitatis, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis ejus loca videnda, ibique orandum, ubi ſteterunt pedes ejus, proficiſcendi licentiam, & facultatem concedimus per præſentes. Commendamuſque te omnibus, & ſingulis Conventuum, & locorum noſtrorum Præſidentibus, & Fratribus, ad quos eundo, vel redeundo ex itinere declinaveris, ut te recipiant, & hoſpitaliter cum charitate pertractent. In quorum fidem &c.

Alia communis, & teſtimonialis.

NOS Fr. N. &c. Harum exhibitorem Venerandum Patrem Fr. N. Sacerdotem, vel Studentem, vel &c. ad N. cum obedientia, & noſtra benedictione exeuntem, commendamus omnibus, & ſingulis Conventuum, & locorum noſtri Ordinis Præſidentibus, ac Fratribus, ad quos &c. *ut ſupra.*

Forma licentiæ recipiendi, & inſcribendi in Confraternitatem Roſarii.

NOS Fr. N. certiores facti, Te Venerandum Patrem Fr. N. non vulgarem devotionis affectum gerere ad Beatiſſimam Virginem Dei genitricem, ac propterea cupidum propagandi cultum ejus, & devotionem erga illam per Confraternitatem Roſarii pectoribus Fidelium inſerendi: præſentium tenore tibi concedimus, ut ubicumque fuerint hujuſmodi Confraternitates, nomina omnium in eis recipi volentium ſcribere, Roſaria benedicere, & quando ex obedientia ad prædicandum exieris, ubi non fuerit dicta Confraternitas, eam erigere, & inſtituere aliquem, qui ejus curam habeat, & recipi volentes ſcribat, Roſaria benedicat, deputare; & omnia, & ſingula facere poſſis, & ille poſſit, quæ per Fratres noſtros ad id in noſtris Eccleſiis deputatos fieri ſolent, & poſſunt: dummodo pro hujuſmodi ſcriptura, benedictione, &c. nihil recipiatur. In quorum fidem his noſtro ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum, &c.

Alia forma ad Eccleſias extra Ordinem.

NOS Fr. N. &c. Attendentes ad uberes, odoroſque fructus, quos in Sanctæ Eccleſiæ horti concluſi roſeto protulerunt, atque in dies magis proferunt roſea illa plantaria, quæ Roſarium Beatæ Mariæ Virginis appellantur, ubique illa plantari vellemus. Modus enim Deum orandi iis ineſt adeo facilis, ut omnibus ſit pervius; adeo numeri myſterio, & ordine, ac varietate diſtinctus, ut omnibus poſſit eſſe jucundus; adeo frugifer, ut ad Chriſtianæ perfectionis apicem compendioſiſſime ducat, Orationem quippe Dominicam, & Angelicam Salutationem, quibus Roſarium conſtat, nullus Chriſtianus ignorat. Pſalterium proinde dicitur, quod Angelica Salutatione centies, & quinquagies in eo repetita, Pſalmorum Dàvidici Pſalterii numerum referat: utque varietate delectet, ad quamque decimam, unam interſerit Orationem Dominicam. At vero ſi rite perſolvitur fructum reddit ampliſſimum: nam (præter hoc, quod Chriſti vitá, quæ in eo per multa myſteria recolitur meditando) mens inſtruitur, reficitur, & ſpirituali conſolatione pingueſcit; heroicæ illæ virtutes in eadem velut in firmamento ſydera fulgentes, ad conſimilia faciendum, meditantis animum trahere ſufficiunt. Ad quæ præſtanda ſi quid forte ex noſtra infirmitate deficeret, Beatiſſimæ Virginis interceſſio, in eodem ſæpius implorata, facile impetrabit. Cui rei, Sodalium, Confraternitatumque toto Orbe diffuſarum, in meritorum participatione communio ſuffragatur. Indulgentiæ demum, peccatorumque remiſſiones, à diverſis Summis Pontificibus hujuſmodi Sodalibus, & Confraternitatibus collata, ad hæc plurimum conferunt. His forſan, aut aliis, bonis tamen rationibus moti Chriſti fideles Oppidi N. vel Eccleſiæ N. cupientes tanto ditari theſauro, Confraternitatem hujuſmodi in eadem habere, & Altare pro ea deputare cupiunt: atque ut dictarum Indulgentiarum poſſint eſſe participes, noſtram ſuper his licentiam petierunt. Nos igitur Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ cultum augere, & Fidelium animos ad veram pietatem, & devotionem per hæc accendere cupientes; tibi Reverendo N. (vel vobis in Chriſto dilectis Fidelibus Oppidi N.) præſentium tenore concedimus, ut in Eccleſia N. Confraternitatem Roſarii hujuſmodi inſtituere, habere, & Altare pro ea deputare poſſitis; cui nunc primum Reverendum D. N. Rectorem, & Directorem damus, & nominamus, & poſt eum ſucceſſivè, qui per Confratres pro tempore deputabitur, cui nomina omnium in eadem recipi volentium ſcribendi, Roſaria, ſeu Coronulas benedicendi, & omnia, ac ſingula faciendi, quæ per Fratres noſtros ad id in noſtris Eccleſiis deputatos fieri ſolent, & poſſunt, facultatem concedimus. Dummodo pro hujuſmodi receptione, ſcriptura, benedictione, & aliis ſimilibus nihil exigatur, aut recipiatur, ne pietas in quæſtum, & devotio degeneret in avaritiam. Volumus autem pro recognitione, quod nomina eorum, qui nunc primùm ſcribentur, ad Conventum noſtri Ordinis, Eccleſiæ veſtræ propinquiorem deferantur. In quorum &c. Datum &c.

Forma recipiendi ad beneficia Ordinis.

IN Dei Filio, &c. Devotus veſtræ charitatis affectus, quem ad noſtrum Ordinem vos habere multiplici, & grata Fratrum noſtrorum relatione cognovimus, meritò requirit, ut beneficia Ordini noſtro Dei benignitate collata, vobis gratiùs impertiamur. Quare de Omnipotentis Dei miſericordia, & liberalitate confiſi, omnium Miſſarum, Orationum, prædicationum, ſtudiorum, vigiliarum, jejuniorum, abſtinentiarum, laborum, cæterorumque bonorum operum, ac meritorum, quæ per Fratres, & ſorores noſtras Divina bonitas (in noſtra Provincia) vel in Orbe fieri dederit univerſo, communionem, & participationem concedimus, & elargimur: voſque ad ipſius Ordinis (vel Provinciæ) beneficia, & ſuffragia recipimus, & admittimus, in vita pariter, & in morte; ut multiplici ſanctorum ſuffragiorum præſidio adjuti, hic augmentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam. In quorum fidem, &c.

Forma ad induendum Novitios.

CUM aliquis recipi ad Ordinem petit, Prior de conſenſu Capituli eligat tres Examinatores, qui recipiendum examinent, an ſit aptus Religioni noſtræ, an ſit boni ingenii, & competentis litteraturæ, & quanto tempore ipſe habuit hanc voluntatem, & qua ratione ingrediatur, ſi propter devotionem, vel fugam laboris, vel neceſſitatem, vel parentum rigiditates: & ſi eſt conjugatus, vel ſervus, vel habeat reddere rationem de adminiſtratione, vel ſit debitis obligatus, vel profeſſus alterius Religionis, vel habeat occultam infirmitatem; an ſit illegitimus, & cujus ætatis. Cum igitur quilibet de his eum examinaverit, referant Priori, & Capitulo quid ſibi videatur de illo. Tunc Prior quærat conſenſum Fratrum, & ſi major pars conſenſerit, ſi in Clericum eſt recipiendus, poterit recipi: ſi vero fuerit Converſus requiritur authoritas Provincialis, & conſenſus duarum partium vocalium. Vocales autem hic ſunt omnes Clerici profeſſi. Interim Magiſter Novitiorum inſtruat eum quomodo ſe proſternat, & ad interrogationem Prioris petentis, *Quid petat?* quod reſpondeat: *Miſericordiam Dei, & veſtram.* Cum igitur ducendus eſt ad Capitulum, Magiſter Novitiorum eum ducat uſque ad medium Capituli, & oſtendat ei locum veniæ faciendæ. Qui toto corpore in terram proſtratus, & manibus in modum crucis extenſis, Priori petenti: *Quid quærat?* reſpondeat: *Miſericordiam Dei & veſtram.*

Tunc

Tunc Prior faciat eum ſurgere, & dicat ei: Fili chariſſime, in iſta petitione tua duo petis, ſcilicet miſericordiam Dei, & veſtram; ſed miſericordiam Dei tibi dare non poſſumus, bene tamen credimus te fuiſſe eam conſecutum, quia Dominus Deus te inſpiravit ad ingreſſum hujus Religionis. Noſtram autem miſericordiam tibi dare non poſſumus ſine quibuſdam conditionibus, quas ſi non haberes, aut non proponeres obſervare, non poſſes habere miſericordiam noſtram. Nam in primis, ſi eſſes conjugatus, & matrimonium conſummaſſes cum uxore tua, non poſſemus te recipere, quia tu illi eſſes obligatus. Secundo, ſi eſſes ſervus emptitius, ſimiliter non poſſemus te recipere, quia eſſes in poteſtate domini tui. Tertio, ſi haberes debita magna, quæ ſolvere non poſſes, aut eſſes obligatus reddere rationem alicujus adminiſtrationis per te factæ de rebus alterius, donec de illa eſſes expeditus, non poſſemus te ſimiliter recipere: quia Religio eſt pauperrima, & non poteſt ſolvere debita aliorum. Quarto, ſi eſſes profeſſus alterius Religionis, quia illi eſſes obligatus, non poſſemus te recipere. Quinto, ſi haberes aliquam occultam, & manifeſtam infirmitatem, ſimiliter non poſſemus te recipere, quia Religio propter labores ſuns corpora conſumit, & non reſtaurat: & Fratres multa habent agere, quæ ſi infirmis continue ſervire deberent, non poſſent peragere. Habes tu aliquam, vel aliquas iſtarum conditionum? Quo reſpondente: *Pater non*, dicat Prior. Ad conſequendam miſericordiam noſtram non ſufficit non habere prædicta, ſed etiam oportet, quod intelligas, quæ habeas ſervare in Religione: ne poſtea dicas te fuiſſe deceptum, vel non crediſſe tot ardua eſſe in ea. In primis oportet te ſervare tria vota principalia Religionis, ſcilicet obedientiam, paupertatem, & caſtitatem. Quantum ad obedientiam, ſcias, quod eris obligatus ſervare Regulam, & Conſtitutiones noſtras, & obedientias majorum tuorum, ita quod non exiſtimes te ullam habere libertatem, ſed totaliter eſſe ſubjectum, & privatum propria voluntate. Nam non poteris manducare, vel bibere ſine licentia, nec ad aliquem locum accedere, nec tibi aliqua placita facere ſine voluntate tui Prælati. Et ſi velles ſtare Barcinonæ, & tui ſuperiores voluerint quod Romæ, aut Florentiæ, aut Mediolani, aut in Francia, vel in Hiſpania, teneberis obedire eis, & non tibi complacere. Quantum ad paupertatem, ſimiliter non poteris habere aliquid quantumcumque modicum, quod poſſit dici tuum, vel quod tu poſſis dicere, hoc meum eſt; ſed ea, quæ tibi erunt conceſſa, erunt ſubjecta voluntati Prælati tui, qui ea tibi auferre poterit quotieſcumque voluerit, & tu non habebis contra eum jus aliquod. Nec poteris tenere pecunias, & ſi tibi datæ fuerint non poteris eas expendere, nec aliquid de tibi conceſſis donare, alienare, vel commutare ſine licentia Prælati tui, quantumcumque minimum ſit. Circa caſtitatem teneberis non ſolum ſervare caſtitatem corporis, ſed etiam mentis: id eſt: quod non cogites de rebus inhoneſtis, nec delecteris in illis: & ultra hoc non poteris loqui turpia, aut facere alios actus turpes, & inhoneſtos, & lubricos tactus, & fixionem oculorum in mulieres: & ita te exiſtimes in hoc tamquam non eſſes homo, ſed lapis, vel lignum. Et ad melius ſervanda iſta, Regula, & Conſtitutiones ordinaverunt aliqua ad corporis macerationem, ſcilicet vigilias, quia quando placebit tibi dormire, tunc oportebit te ſurgere ad Matutinas, vel ad faciendas alias obedientias. Item jejunia, quia ultra omnia jejunia Eccleſiæ teneberis jejunare à feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha, exceptis diebus Dominicis, & etiam in omnibus feriis ſextis totius anni. Et non poteris comedere carnes unquam ſine neceſſitate, infirmitate, vel licentia. Et quia Religio eſt diſcreta, & non vult à Religioſo, niſi id, quod poteſt, ſcias, quod accedente aliqua neceſſitate, Prior, vel Prælatus poterit diſpenſare tecum in hujuſmodi auſteritatibus aliquando, maxime in vigiliis, & jejuniis. Item oportebit te ambulare longa itinera pedeſtrem, & aliquando ſine pecuniis quæſtuando victum. Item oportebit te ire per villas ad quæſtuandum grana, vinum, & alia pro victu Fratrum, pro pane quærendo cum ſacco, & neceſſe erit tibi etiam aliquando portare veſtes laceras, & viles, & pati multa incommoda, & multos labores; & quando iſta feceris, adhuc habebis tribulationes, & reprehenſiones, & vilificationes, quas omnes oportet te ferre patienter: quæ ſi graves ſint, habent tamen magnam mercedem, ſcilicet vitam æternam, quam tibi ex parte Dei firmiter promitto, ſi prædicta obſervaveris. Vis ergo obſervare omnia prædicta pro poſſe tuo? Quo reſpondente, *quod ſic*, dicat Prior: *Dominus, qui incepit, ipſe perficiat.* Et Conventus reſpondent: *Amen.* Tunc Magiſter Novitiorum ducat eum ad Priorem, & faciat eum genuflectere coram eo, & Veſtiarius ſimiliter portans veſtes præparatas, eas Priori porrigat, & Prior primo eum induat tunica, & poſtea cingat cingulo, poſtea ponat ei ſcapulare, & caputium, & ultimo cappam. Quo induto, omnibus flectentibus genua, Cantor incipiat in cantu Hymnum: *Veni Creator Spiritus, &c.* & Fratres bini, & bini vadant cantando Hymnum ad Chorum. Poſt Priorem vero ſequatur Magiſter Novitiorum ſecum ducens Novitium, uſque ad gradus Altaris majoris, & ibi faciat eum proſterni. Completo Hymno, & dicto *Kyrie eleiſon &c. Pater noſter. ℣. Emitte ſpiritum tuum, &c. ℟. Salvum fac, &c. & Orationibus: Deus, qui corda &c. & Prætende, &c.* à Priore dicendis; Magiſter Novitiorum ducat Novitium ante Priorem, & faciat eum genuflectere, & diſcooperire. & Prior aſpergat ipſum aqua benedicta; poſtmodum vero recipiat eum ad oſculum pacis, & poſt Priorem ſimiliter omnes Fratres primo in Choro dextro, poſtea in ſiniſtro, & interim cantetur: *Te Deum.* Quo facto Magiſter ſuus eum ad Priorem reducat; qui ſi vult, tunc poteſt ei nomen mutare. Poſtea dicat: Ecce fili tu recepiſti miſericordiam noſtram ex parte, quia tibi dedimus Habitum noſtrum ad probationem: reſtat tibi facere profeſſionem, ut ipſam miſericordiam noſtram poſſis habere complete. Et quia forte mores Religionis non placebunt tibi, aut mores tui non placebunt nobis: ideo authoritate Eccleſiæ, & Ordinis tibi concedo unum annum, ut tu poſſis probare mores noſtros, & nos mores tuos. Et ſi tibi placebit nobiſcum vivere, & nobis placebit converſatio tua, recipiemus te ad profeſſionem: alias & nos, & tu erimus in libertate. Conare ergo jugum hoc pro amore Dei libenter ferre, & Magiſtro tuo in omnibus obedire tanquam mihi. Tunc Prior dicat: *Adjutorium noſtrum &c.*

Forma, & modus faciendi profeſſionem.

Circa finem anni poſt receptionem, Prior in Capitulo mandet Magiſtro Novitiorum, quod referat quomodo Novitius ille ſe habuerit. Qui fideliter referens mores ejus, & ſontudines ad Religionem noſtram, dicat opinionem ſuam, an ſit recipiendus ad profeſſionem. Poſtea Prior requirat conſenſum Capituli, quo accedente, completo anno Magiſter Novitiorum ducat Novitium in Capitulum ante Priorem. & facta proſtratione, & petita miſericordia Dei, & Ordinis, & expoſitis ei per Priorem impedimentis, & auſteritatibus, ut ſupra in receptione Novitii notatum eſt;

eſt; & Novitio promittente ſe illas ſervare velle, Prior dicat: *Dominus, qui incipit, ipſe perficiat*, & Conventus reſpondeat, *Amen.* Tunc accedens Novitius genuflectat ante Priorem, & Prior accipiat manus Novitii inter manus ſuas, & liber Conſtitutionum ſuper manus utriuſque ponatur, & ille qui profitetur legat: *Ego Frater talis &c.* ut ſupra habetur pag. 46. Poſtea ſolus Prior recipit ipſum ad oſculum pacis. Completa profeſſione, Prior benedicat ſcapulare, ſicut in Conſtitutionibus ſcriptum eſt ſupra pag. 51. Si fuerint plures Novitii recipiendi, mutetur in ſuprapoſitis numerus ſingularis in pluralem.

Forma tenendi Capitulum quotidianum.

POſtquam Prior ingreſſus fuerit Capitulum, dicat *Benedicite*, & reſponſo ab omnibus, *Dominus*; dicat Prior: *Recitentur Beneficia, quæ ſunt recitanda.* Quibus recitatis, Prior dicat: multa ſunt beneficia, Patres, & Fratres in Chriſto dilecti, quæ continue nobis à Deo conferuntur, quibus vivimus & ſuſtentamur. Unde ne Domino Deo, & benefactoribus noſtris inveniamur ingrati, recommendo Miſſis, & orationibus veſtris bonum ſtatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Capitis ejus Summi Pontificis, & Collegii Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, maximeque Reverendiſſimi Domini Protectoris Ordinis noſtri: ſtatum omnium Prælatorum Eccleſiæ ſanctæ Dei, maxime aſſumptorum de Ordine noſtro: ſtatum Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, vel Archiepiſcopi, vel Epiſcopi hujus Civitatis, cum toto Clero, & Populo ſuo. Quoad Ordinem noſtrum, recommendo ſtatum totius Ordinis noſtri in generali. In ſpeciali autem ſtatum Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, & Reverendiſſimi Procuratoris Ordinis cum ſociis eorumdem; & omnium Provincialium, & Priorum Ordinis, & permaxime Reverendi Patris Provincialis, & omnium Priorum noſtræ Provinciæ, & mei ipſius qui plurimum indigeo. Quoad ſtatum temporalem recommendo Miſſis, & orationibus veſtris in communi ſtatum totius Chriſtianitatis: in particulari vero ſtatum Auguſtiſſimi Imperatoris, & omnium Regum, Ducum, Principum, Dominorum, & Communitatum totius Chriſtianitatis, maxime autem hujus dominii, ſub quo vivimus, & ſuſtentamur: & Sereniſſimi Regis, vel Principis vel magnificæ Communitatis ipſius; ut Dominus pacem, & tranquillitatem eis concedere dignetur ad regendum Populum ſibi commiſſum. Recommendo etiam vobis ſtatum benefactorum, parentum, conſanguineorum, amicorum, benevolorum, & affectorum noſtrorum, & totius Ordinis noſtri, & maxime hujus Conventus, & Civium hujus Civitatis, & maxime talem N qui maxime nobis afficitur, & bonam eleemoſynam contulit. Item N. qui graviter infirmatur, vel eſt in talia N. vel tali N. neceſſitate, tribulatione vel anguſtia conſtitutus. Recommendo etiam omnes Chriſtianos, qui ſunt in tribulatione, in captivitate, in ſervitute infidelium, & quibuſcumque anguſtiis paupertatis vel infirmitatis conſtituti. Multæ ſunt etiam perſonæ, quæ in tribulatione, & anguſtiis poſitæ ſæpe rogant commendari orationibus veſtris, habentes devotionem in eis: illas igitur ſecundum fidem earum vobis recommendo. Quoad ſtatum defunctorum in generali recommendo Miſſis, & orationibus veſtris animas omnium Fidelium defunctorum. In particulari vero animas parentum noſtrorum, Fratrum, Sororum, Ordinis amicorum, & benefactorum, qui nobis annuales, ſive quotidianas eleemoſynas contulerunt: vel pro quibus à ſuis nobis collatæ ſunt, & conferuntur, & maxime illarum, pro quibus eleemoſynæ præcedentes recitatæ fuerunt. Inſuper recommendo animam talis Fratris N., vel talis perſonæ N. quæ his diebus ex hoc ſeculo migravit. Et ſi quæ eſſent obligationes, vel eleemoſynæ datæ pro aliquibus animabus, pro quibus non eſſet ſatisfactum; ego accepto animas illas ad participationem Miſſarum, & omnium bonorum noſtrorum, donec fuerit pro eis ſatisfactum coram Domino Deo. Hos igitur nominatos, & alios merito nominandos tam vivos, quam defunctos, Miſſis, & orationibus veſtris recommendo, pro quibus omnibus in præſentiarum dicemus ad Dominum. Prior ſurgens dicat orationem. *Retribuere, &c.* Pſal. *Ad te levavi*, cum *Gloria Patri. De profundis* cum *Requiem, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter* ℣. *Et ne nos, &c.* ℣. *Oremus pro Domino Papa.* ℟. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.* ℣. *Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.* ℣. *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen. Dominus vobiſcum, &c. Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus; qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum Papam noſtrum, & ſuper cunctas Congregationes illi commiſſas, ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.*

Protende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. ℟. *Amen.*

Forma tenendi Capitulum pro ſcrutinio Prioris, & electione Socii Prioris euntis ad Capitulum Provinciale.

PRimo, Supprior, vel Vicarius Conventus, debet intrare Capitulum cum Fratribus vocalibus, & ſtatuere diem electionis Socii, & ſcrutinii Prioris.

Secundo, exhortetur Fratres ad eligendum pacifice, quiete, & concorditer Socium Prioris.

Tertio, obſerventur omnia, quæ canonice obſervantur in electione Prioris.

Quarto, eligatur Socius à majori parte.

Quinto, fiat ſcrutinium Prioris

Sexto, ſcribantur accuſationes Prioris in ſcrutinio.

Septimo, ſigilletur ſcrutinium per Suppriorem, vel Vicarium Conventus coram toto Conventu ſigillo Conventus, & nullo modo publicetur ante ſigillationem, vel poſt, & ſic ſigillatum detur Socio.

Octavo, ſcribantur in charta petitiones, quæ fiunt à Conventu.

Nono, ſcribantur in eadem charta nomina Fratrum, quos Conventus petit amoveri, & nomina illorum, quos petit aſſignari.

Decimo, ſcribantur in eadem charta obitus Fratrum, qui à tempore Capituli Provincialis proxime præteriti in dicto Conventu obierunt.

Item ſcribantur debita Conventus in eadem charta. Hæc charta ſigilletur ſigillo Conventus, & detur Socio, ut eam portet ad Capitulum Provinciale.

Item Socius debet deferre Capitulo nomina Fratrum ſui Conventus, cum expreſſione ordinum, & officiorum ſuorum, conſcripta in una charta particulari, hoc ordine: Iſti ſunt Fratres, qui aſſignati ſunt in Conventu N. de N.

Sacerdotes.

IN primis Frater N. Prior.
Frater N. de N. Supprior.
Frater N. Sacriſta.
Frater N. Syndicus, & ſic de ſingulis Officialibus.
Frater N.
Et hanc chartam ſimiliter præſentare debet R. Provinciali, & Definitoribus Capituli.

Forma celebrandi Capitula Generalia, vel Provincialia, ſecundum conſuetudinem FF. Prædicatorum.

IN hebdomada præcedente aſſignationem futuri Capituli, fiant quæ ſequuntur:

1. Conſilium de Examinatoribus vocum teneatur, per Patres Nationum ſimul cum Provinciali.
2. Collatio in Capitulo fieri debet.
3. Statuantur cuſtodes, ne ſeculares impediant Capitulum: & pronuncientur in Capitulo, vel in menſa Examinatores vocum.
4. Statuatur unus, qui ſcribat nomina Fratrum advenientium.
5. Provideatur de Fratribus vocandis Conventuum propinquorum ad Proceſſionem.
6. Diſponantur Prædicatores per totum Capitulum.
7. Ordinentur circuli, & diſputationes Cathedrales, & Fratres, qui habent tenere Concluſiones.

Tertia die ante inceptionem Capituli fiant hæc,

DIE JOVIS, VEL VENERIS.

1. SCribantur nomina Patrum vocandorum ad conſilium die ſequenti pro electione Definitorum, & ponatur ſchedula, quod mane, tempeſtive veniant ad conſilium.
2. Mandetur Vocalibus, quod in mane ſequenti conveniant ad Capitulum.
3. Scribatur tabula Officialium Capituli.
4. Scribatur tabula Vocalium pro ſcrutinio Definitorum.
5. Scribantur mandata neceſſaria.
6. Scribantur in una tabula, vel quaterno nomina Conventuum, & dimittatur ſpatium pro Fratribus aſſignandis: & ita fiat de aliis fiendis in Capitulo, puta de ordinationibus, pœnitentiis, & pro cæteris Actis Capituli.

Die ſequenti fiant hæc.

DIE SABBATI.

1. MAne teneatur conſilium de Definitoribus Capituli.
2. Habito conſilio vadant ad Capitulum.
3. Fiant publica mandata neceſſaria.
4. Legatur tabula Officialium Capituli.
5. Audiantur Examinatores vocum.
6. Petantur voces Fratrum, ſi placet ſententia.
7. Fiat proteſtatio.
8. Fiat generalis abſolutio.
9. Provincialis, Prior, & Supprior vadant ad diſcum, & audiant vota Fratrum, & ſit ibi papyrus, atramentum, & calami.
10. Acceptis ſchedulis à præſentibus Vocalibus, vadant ad infirmos, ſi qui ſunt in Domo.
11. Publicetur per Superiorem Electio.
12. Vocentur electi ad medium, & imponatur eis officium definitionis, & poſtea ſedeant in locis ſuis ſuper omnes alios, quem locum teneant durante ipſorum auctoritate.
13. Poſt electionem Definitorum fiat ſermo litteralis.
14. Petatur aſſenſus Definitorum ad omnia, quæ prius ordinata ſunt, & eorum auctoritate confirmentur.
15. Dicatur Prioribus, & Sociis Conventuum, & Fratribus, ut dent in ſcriptis Fratres juvenes, quos noverunt aptos ad ſcientiam.
16. Mandetur Sociis Conventuum, quod portent ſcrutinia, memorialia, petitiones, & debita Conventuum, & ſi quæ voluerint proponere Definitorio, ponant in ſcriptis.
17. Ordinentur ſacculi pro Definitoribus.
18. Ordinetur campſa, campanula, & alia neceſſaria pro Definitorio, & de ſervitoribus provideatur.
19. Invitentur per Priorem ſeculares, & Religioſi ad ſermonem craſtinum.
20. Statuatur dies Proceſſionis, & qui debeant ſe præparare, & committatur alicui.

In Definitorio fiant iſta.

ACcedat Provincialis, & Definitores ad locum Definitorii, & aperiantur ſcrutinia Conventuum.

2. Committatur alicui de Definitoribus dictamen ordinationum.
3. Audiantur Priores, & Socii, & mittatur pro eis.
4. Audiantur Viſitatores, vel Vicarii Nationum, ſi qui ſunt, & mittatur pro eis.
5. Sit in Definitorio aliquod folium, in quo conſcripta ſint nomina omnium Priorum Provinciæ per ſe: & juxta nomen cujuslibet Prioris, ponatur nomen Socii Conventus ſui, & Viſitatoris, & Vicarii Nationum: ut quando Definitorium mittit pro aliquo Priore, mittatur etiam pro Socio, & Viſitatore, & Vicario Nationis, ſi fuerint præſentes.
6. Proponatur in menſa, quod ſi Fratres volunt aliquid proponere in Definitorio, cito ſe expediant, & tales volentes proponere audiantur.
7. Videantur petitiones Conventuum, memorialia Fratrum, & litteræ Dominorum, & Communitatum, ſi quæ ſunt.
8. Videatur numerus Fratrum juxta Conventus Provinciæ.
9. Examinetur qui Priores ſunt abſolvendi.
10. Diſponantur aſſignationes Fratrum pro Conventibus.
11. Fiant Prædicatores generales.
12. Aſſignentur Studentes.
13. Dentur pœnitentiæ.
14. Fiant Vicarii in Conventibus, in quibus Priores ſunt abſoluti
15. Aſſignentur ſuffragia pro vivis, & mortuis.
16. Dentur Socii Provinciali, vel Definitori euntibus ad Capitulum Generale.
17. Aſſignetur ſequens Capitulum Provinciale.
18. Inſtituantur Judices ad cauſas.
19. Taxetur pœna in eorum litteris.
20. Audiantur Judices.
21. Approbentur eorum ſententiæ.
22. Provincialis reddat computum de receptis, & expenſis Provinciæ.
23. Fiat ratiocinium de receptis, & expenſis Capituli.

24. Provideatur Provinciali, & Definitoribus, & aliis qui laboraverunt pro Capitulo.

25. Fiant litteræ reſponſivæ Dominis, & Communitatibus.

Die ſequenti fiant iſta.

DIE DOMINICA, VEL DIE LUNÆ.

1. DEclarentur Judices ad cauſas.

2. Exponantur Examinatores litterarum de beneficiis.

3. Videatur ſi quæ præter conſueta ſint dicenda in Capitulo.

4. Pulſetur ad Capitulum.

5. Poſt Benedicite, legatur Conſtitutio de ſolemni celebratione Capituli à principio uſque ad finem illius §. ſcilicet *Finito ſermone.*

6. Dicatur *Veni Creator Spiritus*, cum ℣. & Collecta.

7. Detur benedictio ſermocinanti; & fiat ſermo.

8. Finito ſermone, legatur Conſtitutio ab illo loco. *Finito ſermone &c.*

9. Recitetur obitus Fratrum.

10. Fiat commendatio vivorum, & defunctorum, & dicatur Pſalmus *Ad te levavi, &c.* & *De Profundis*, cum ℣℣. & Collectis, ut dicitur in eodem Capitulo, ubi ſupra.

Die ſequenti fiant iſta.

DIE MARTIS.

1. EGrediantur qui non ſunt de Corpore Capituli.

2. Legantur qui deficiunt, & excuſentur.

3. Culpæ audiantur ſingulorum de Capitulo.

4. Quando Priores dicunt culpas ſuas, petantur Viſitator, Vicarius illius Nationis, & Socius Conventus.

5. Committatur audientia reliquarum culparum.

Die ſequenti.

DIE MERCURII.

1. TEneatur conſilium de Definitore mittendo ad Capitulum Generale.

2. Pulſetur ad Capitulum.

3. Mandetur Fratribus, quod non diſcedant.

4. Provincialis, Prior, & Supprior vadant ad diſcum.

5. Scrutentur per ſchedulas vota Fratrum, & publicetur electio.

6. Vocetur electus ad medium, & imponatur ſibi officium definitionis.

Die ſequenti fiant iſta.

DIE JOVIS.

1. PRocedatur ad ſcrutinium Provincialis per Definitores.

2. Sigilletur in conſpectu omnium.

3. Requirantur petitiones.

4. Scribatur in ſcrutinio nomen Definitoris, & Socii.

5. Aſſignetur ſcrutinium Definitori, ſi præſens eſt in Capitulo.

Die ſequenti fiant iſta.

DIE VENERIS.

1. PUlſetur ad Capitulum.

2. Legatur Conſtitutio de Capitulo Generaliſſimo §. V. ibi: *De ſolutione autem quæſtionum &c.*

3. Poſt *Benedicite*, recitentur beneficia.

4. Exhortentur Fratres, ut benigne, & humiliter ſuſcipiant, quæ acta ſunt.

5. Legantur Acta Capituli.

6. Priores abſoluti veniant ad medium Capituli; & conſignent ſigilla Conventuum ſuorum.

7. Fiat mandatum, quod nullus Socius Conventuum recedat de Capitulo ſine Actis.

8. Significetur iter Provincialis.

9. Fiat generalis abſolutio.

10. Conſignentur Definitoribus, aut Vicariis Conventuum, vel Sociis ſigilla Conventuum.

11. Terminetur Capitulum per *Adjutorium noſtrum.*

Poſtea iſta fiant.

1. VIdeatur de contributionibus perſolvendis.

2. Exhortentur Fratres ad bene exequenda officia ſua, & Priores ad recipiendos Novitios bene natos, & aptos pro Ordine.

3. Dentur Fratribus litteræ reſponſivæ Dominis, & communitatibus, quas portent.

4. Sollicitentur Fratres, ut cito vadant ad Conventus ſuos.

5. Ordinetur unus quaternus, in quo ponantur puncta litterarum directarum aut Capitulo, aut Magiſtro Ordinis, vel Provinciali, & ſcribatur datum, & dies, qua fuerunt receptæ.

6. Ordinetur de reſponſionibus litterarum receptarum.

Circa Proceſſionem generalem Capituli.

1. SCribantur ſigillatim omnes Fratres juxta gradus ſuos.

2. Provideatur de via Proceſſionis.

3. Ordinetur ubi cantari debet Miſſa.

4. In quibus ſit magis cantandum.

5. Si alicubi debet pauſari Proceſſio.

6. Fiant Ordinatores Proceſſionis, qui prævideant viam, & cum ſilentio corrigant Fratres.

7. Sint Fratres præparati cum reliquiis Sanctorum.

8. Prædicti Fratres, & Cantores ſint raſi.

9. Fiant plures Ordines de Cantoribus.

10. Scribantur XII. Fratres, qui ſint primi parati in Proceſſione.

11. Publicetur Proceſſio in prædicatione.

12. Ante Proceſſionem Provincialis intret Capitulum, & declaret modum Proceſſionis: & hortetur Fratres, ut diſcrete, & honeſte incedant, & faciat aliqua mandata ſuper hoc.

13. Inter Miſſarum ſolemnia fiat ſermo.

14. Finita Miſſa omnes proceſſionaliter redeant ad Conventum.

15. Sint in Proceſſione duæ Cruces cum quatuor Acolythis, una in principio, alia in medio.

Iſta ſunt mandata obſervanda in Capitulis Generalibus, & Provincialibus.

1. NUllus recedat à Capitulo abſque licentia.

2. Fratres ſint ſolliciti circa celebrationem Miſſarum, & ſequelam Chori.

3. Fra-

3. Fratres ſint ſolliciti intrare Capitulum, quando pulſatur, & ſimiliter circa Proceſſiones ſiendas poſt Completorium.

4. Omni die veniant ad Proceſſionem, quæ fit poſt Miſſam Conventus.

5. Officium Divinum, diurnum pariter, & nocturnum in Eccleſia devote dicatur.

6. Nullus recedat, niſi prius conſignaverit pannos, & clavem cellæ Officiali deputato.

7. Nullus tranſmutet pannos de loco ad locum, nec ponat ſchedulas.

8. Nullus mittat extra Conventum utenſilia Capituli, & Conventus, nec etiam cibaria.

9. Nullus contrahat debita in Civitate.

10. Nullus accedat ad loca ſuſpecta, & inhoneſta.

11. Nullus dormiat extra Conventum abſque licentia Provincialis.

12. Quilibet ſit cautus in portando, & tenendo ignem in cella de nocte.

13. Nullus committat defectum in officio ſibi commiſſo.

14. Fratres ſint obedientes Officialibus Capituli, ſecundum quod fuerint ab eis requiſiti.

15. Nullus Frater vadat ſolus in Civitatem, aut ſine cappa.

16. Nullus Frater accedat ad aliquod Monaſterium Monialium, abſque licentia Provincialis.

Forma generalis abſolutionis, quæ fit in Capitulis, vel ſolemnitatibus magnis.

QUando facienda eſt generalis abſolutio in Capitulo, vel Choro, Fratres omnes ſe proſternant. Et dicto *Confiteor*, & *Miſereatur*, ſurgat Prior ſolus, & dicat: *Si tenemini aliquo vinculo, (vel aliquibus vinculis) excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, in quantum ſe extendunt gratia, & privilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & nobis conceſſa, Ego abſolvo vos, & reſtituo vos ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, Communioni, & unitati Fidelium. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Item eadem auctoritate Ego diſpenſo nobiſcum ſuper irregularitate, (vel irregularitatibus) ſi quam (vel ſi quas) contraxiſtis, & habilito vos executioni Ordinum, & officiorum veſtrorum. Item eadem auctoritate Ego abſolvo vos ab omni tranſgreſſione Regulæ, & Conſtitutionum, Ordinationum, & admonitionum majorum veſtrorum, & ab omni pœnitentia oblita, & neglecta, & maxime à pœna, qua debetur propter fractionem ſilentii inter duo Capitula, & ab omnibus aliis, de quibus conſuevit fieri abſolutio in conſimilibus Capitulis (vel ſolemnitatibus) ut ſitis abſoluti hic, & ante tribunal Domini noſtri JEſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſecula ſeculorum, Amen.* Poſtea injungat pœnitentiam ad arbitrium ſuum.

FINIS FORMULARII.

ADDITAMENTUM XXXIV.

CONSTITUTIONES ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI

OBSERVATIO CRITICA.

QUemadmodum *Sæculo undecimo ſurrexerunt variæ* Canonicorum Regularium *Congregationes ſub patrocinio & nomine* Magni S. Auguſtini *florentes; ſic etiam, circa medium Sæculi decimi tertii, ſub ejusdem ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris patrocinio & nomine, diverſi Eremitæ per Hetruriam & alias Italiæ partes diſperſi, in unum corpus congregati, effecerunt* SACRUM ORDINEM FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI. *De Canonicis Regularibus hujus Inſtituti, jam inter Additamenta Superiora tomo ſecundo adducta, ſatis ſuperque egimus; nunc vero de ejusdem Inſtituti Eremitis agendum, cum & hi* Regulam vulgarem Auguſtinianam *pro vitæ Monaſticæ norma ſequantur.*

Hanc verò Eremitarum per Italiam diſperſorum Magnam Unionem primus præcepit ſummus Pontifex ALEXANDER IV. *anno MCCLIV. Cathedram S. Petri occupans, eiſque* Regulam Auguſtinianam *deinceps obſervandam præſcripſit, cùm antea ſuis quiſque Conſtitutionibus viveret, nulli approbatæ Regulæ Monaſticæ aſtrictus.*

Inter hoſ Eremitas celeberrimi erant Sodales B. JOANNIS BONI, *à ſuo primo Inſtitutore appellati* BONITÆ, *ille enim Eremum ingreſſus anno MCCVIII. aut ſequenti, plures diſcipulos ad ſe congregaverat, quibus* INNOCENTUS IV. PAPA *anno MCCLIV. & quidem VII. Decembris defunctus*, Regulam S. Auguſtini *pro norma vitæ Monaſticæ conceſſit, prout ejus Bulla Authentica, data anno MCCXLIV. & die XVII. Januarii, teſtatur his verbis:* Non volentes vos ſine Paſtore ſicut oves errantes poſt gregum veſtigia vagari, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in unum vos Regulare propoſitum conformantes Regulam B. Auguſtini & Ordinem aſſumatis. *Deinde, idem ſummus Pontifex, per aliam Bullam anno MCCLII. datam, qua confirmare voluit quaſdam Conſtitutiones factas à* Cardinali Guilielmo titulo S. Euſtachii, hanc Eremitarum Bonitarum Congregationem *viſitante, & ad quaſdam noviter exortas rixas ſopiendas miſſo, ſic alloquitur:* Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex iis accedentes ad Sedem Apoſtolicam obtinuerunt ab ea, Patris Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in Regularibus obſervantiis inſtrui & regulariter habere. *Adeoque hi* Eremitæ Bonitæ *erant primi, qui ſub Regula Auguſtiniana Deo militare voluerunt, cum reliqui per Italiam diſperſi nulla approbata Regula uſi fuerint, ante Magnam Unionem ab* Alexandro IV. *factam, prout ex mox dicendis patebit.*

Summus namque Pontifex Alexander IV. *in hac Bulla Magnæ Unionis nominat quaſdam Eremitarum Congregationes ad talem Unionem vocatas, quas quidem* ambiguis interdum hominum nuncupationibus vacillare *agnoſcat, licet expreſſe nominet Congregationem* B. Joannis Boni, *prout ex magno Bullario Romano tom.* 1. *pag.* 110. *apparet, cujus tamen Sodales appellati* Bonitæ, *cum* Brittinis Eremitis *confundi ſolent, qui tamen non omnes ante annum MCCLVI. ſequuti ſunt* Regulam Auguſtinianam. *Et quidem* Eremitæ Guillelmitæ à S. Guilielmo Anachoreta Malvalenſi, in Hetruria, *nomen ſumentes, & jam anno MCXXV. ſub* Regula Benedictina *vitam Eremiticam cum Cænobitica conjungentes, quamvis ab ipſo ſummo Pontifice ad ſuſcipiendam magnam Unionem invitati, tamen eoſdem* Regulam S. Benedicti *retinere permiſit Alexander IV. Anno MCCLVI. data* Anagniæ *expreſſa Bulla, ubi hæc verba leguntur:* Licet olim pro Unione facienda inter vos & alios Eremitas; tunc Ordinum diverſorum, fueritis ad præſentiam citati, quieti tamen & ſaluti veſtræ paterno providentes affectu, præſentium vobis tenore concedimus, ut ſub Regula Sancti Benedicti, ſecundum inſtitutiones S. Guillielmi, remanere in ſolito habitu libere valeatis. *Ac ſane ſacer hic* Ordo Guillielmitarum *adhuc ſub* Regula Benedictina *floret, & etiamnum duodecim Monaſteria in Belgio poſſidet, & unum in Lotharingia, ac nuper tria ejuſdem Ordinis Aſceteria in Diæceſi Conſtantienſi ſita,* Benedictinæ Congregationi S. Blaſii in ſylva Hercinia *ſunt unita.*

Non ergo ante Innocentii IV. *tempora, auditi ſunt in Eccleſia* Eremitæ Auguſtiniani, *cùm hucuſque Pii illi Anachoretæ per Italiam diſperſi, diverſo habitu, diſtinctis conſtitutionibus, disjunctis etiam moribus, Eremiticam vitam excolerent, nullam certam & approbatam Regulam Monaſticam ſequentes. Et ideo idem ſummus Pontifex, nolens illos* ſine Paſtore ſicut oves errantes poſt gregum veſtigia vagari, ad Regulare propoſitum, in unum *congregavit, ipſiſque* Regulam Auguſtinianam *pro norma vitæ primus præſcripſit. Fruſtra quippe inquirimus Monachos aut Canonicos immediatos* S. Auguſtini *filios & ſucceſſores, cùm, ſanctiſſimus ille Eccleſiæ Pater & Doctor, nullam Regulam Monaſticæ aut Canonicæ vitæ pro viris conſcripſerit, etiamſi primus fuerit, qui vitam Monaſticam apud Africanos introduxit. Et quidem, quamvis de Monachatu S. Auguſtini nullus ambigendi locus relinquatur, prout Eruditi Benedictini Congregationis S. Mauri, in ipſius vita lib.* 3. *cap.* 5. *fuſius declarant; attamen, nullus fide dignus Auctor monſtrare poteſt illius Monachatum fuiſſe ſibi, ſuiſque Sociis peculiarem, aut ſub ipſius nomine ad poſteros propagatum. Poſtquam enim ille verè ad Deum & Chriſtianam fidem converſus, ut conſilia Evangelica arctius complecteretur, omnia pro Chriſto relinquendo, ejuſque ſacra veſtigia ſequendo, vitam Monaſticam amplexus eſt, Monaſteriis tam* Fargeſtæ *quàm* Hippone *conſtructis, & ad modum Cænobiorum per Italiam erectorum ordinatis.*

Non igitur novam aut ſibi propriam diſciplinam Monaſticam introduxit S. Auguſtinus, *ſed eandem jam in Monaſteriis tam* Mediolani, *quam* Romæ *uſitatam ſequutus eſt; præſertim conſuetudines* Eccleſiæ Vercellenſis *imitatus, quas primus introduxerat* S. Euſebius *Epiſcopus, vitam clericalem cum Monaſtica conjungens. Et quidem nullus inficias ibit, vitam Monaſticam in* Occidentali Eccleſia, *longe ante S. Auguſtini tempora introductam fuiſſe; quamvis nullam talis vitæ normam ab Occiden-*

dentalibus Monachis ſcriptam babeamus, ante S. Cæſarii Arelatenſis & S. Benedicti ætatem, qui tamen ineunte ſæculo ſexto primùm ſuas Regulas ſcripſerunt. Notum quoque eſt omnibus Eruditis, Regulam illam Auguſtinianam nunc Viris æque ac Fœminis adaptatam, eſſe deſumptam ex ejuſdem Epiſtola ad Sororem miſſa, de qua jam egimus in ipſo Codice Regularum Holſteniano, tomo 1. pag. 34. Nec ſane in omnibus ſanctiſſimi Doctoris operibus aliqua fit memoria Fratrum Eremitarum ab ipſo inſtitutorum. Nam ſermones illi ad Fratres in Eremo tanquam tanto Doctore indigni ab omnibus Eruditis rejiciuntur, babentque pro Autbore quemdam Eremitam Auguſtinianum ſæculo XIV. ſcribentem, prout doctiſſimi Benedictini in ſua nova Operum S. Auguſtini editione animadvertunt, atque Lovanienſes jam dudum notare voluerunt.

Adeoque Beati Joannis Boni ſodales, primi erant Eremitæ, qui ſub vulgari Regula Auguſtiniana Deo militare cœperunt, neque illorum Inſtitutor eremum ingreſſus anno MCCVIII. aut ſequenti, de ſequenda aliqua Regula Monaſtica jam approbata ſolicitus erat, ſeceſſus amore captus & omne bominum conſortium fugiens. Piiſſimi ergo illius Anacboretæ diſcipuli jam multiplicati, Regulam Auguſtinianam, ipſo mortuo, amplexi ſunt, qui proin & babitum mutare coguntur, prout pluribus argumentis probat Waddingus, Eximius Ordinis Minorum Annaliſta, in ſuo Apologetico de prætenſo S. Franciſci Mooachatu, tom. 2. Annalium. Nam, ante ſuſceptam Regulam diverſimode incedere ſolebant Eremitæ illi tam Bonitæ, quam alii, ſed poſt unionem à ſede Apoſtolica factam omnes nigrum babitum eligere debuerunt, cum largis & protenſis manicis, quaſi adinſtar cucullarum, quemadmodum bodierni Auguſtiniani Eremitæ extra clauſtrum incedere ſolent. Quæ quidem tam notabilis morum & babitus commutatio, in Bullis Pontificiis adeo ſtricte præcepta, omnino probat bos Eremitas per Italiam diſperſos, ſed nunc in unam Congregationem vocatos, nunquam ante Innocentii IV. tempora juxta aliquam ab Eccleſia approbatam Regulam, multo minus Auguſtinianam vixiſſe, prout idem laudatus Annaliſta ex inconteſtabilibus documentis probat.

Gerræ ergo ſunt, aſſerere B. Joannem Bonom aut quemcunque alium vitæ Eremiticæ Inſtitutorem, ab exordio, & ante unionem à ſummis Pontificibus præceptam mores inſtituiſſe juxta S. Auguſtini Regulam. Nam S. Fraociſcus Seraphicus Ordinis Fratrum Minorum Inſtitutor, aliquot annis ante B. Joannem Bonum, jam eremum ingreſſus cum quibusdam Sociis, nunquam cogitavit de ſuſcipienda Regula Auguſtiniana, ſolis Canonicis Regolaribus ante duo ſæcula nota. Atque idem affirmare debemus de omnibus Eremitarum Congregationibus, ante magnam Unionem ab Alexaodro IV. præceptam, ſeparatim viventibus. Saltem boc ipſum verificatur de duabus eximiis Congregationibus PAUPERUM CATHOLICORUM, qui à Valdenſi bæreſi vere converſi, & veram paupertatem Chriſtianam ac reliqua canſilia Evangelica amplexi, piiſſime vitam Eremiticam, jam à longo tempore per Lombardiam, vicinaſque Provincias ſequebantur, quarum Auctores nominantur: Durandus de Hueſca, & Guilielmus de S. Antonio. Hi ergo PAUPERES CATHOLICI vitam Eremiticam ducentes, ſed ſub nulla approbata Regula viventes, tandem mandato ſummi Pontificis Alexandri IV. obſequi voluerunt, & ad inſtantiam Cardinalis Richardi de S. Angelo ad Unionem Magnam procurandam, deputatos ſuos miſerunt, prout boc ſequens ſuæ ſubmiſſionis Actum publicum teſtatur, quod adbuc conſervatur in Arcbivo Conventus Fratrum Auguſtinianorum ad S. Marcum Mediolaoi, & eſt ſequentis tenoris. In oomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCLVI. Calendas Auguſti Indictione XIV. coram infra ſcriptis teſtibus ad hoc rogatos Ego Fr. Nicolaus Provincialis nomine meo & omnium Fratrum totius Provinciæ & locorum Ordinis PAUPERUM CATHOLICORUM, io quibus commorantur, volens obedire S. Matri Eccleſiæ Romanæ, & Venerabili Patri Domino Richardo S. Angeli Diacono Cardinali, cui à Domino Papa coocceſſa eſt plenitudo poteſtatis ad infra dictam Unionem facieodam, do & offero me, & univerſum Collegium ſuprà dictum & domos omnes in Lombardia, quæ ſont ſub protectione mea, cum omoibus ad ipſas domos pertinentibus, vobia Fr. Jacobo Procuratori totius Ordinis Fratrum Eremitarum; volens incorporare me & univerſos Fratres jam dicti Ordiois, Ordini Fratrum Eremitarum, & uoire jam dictum Ordinem Ordini veſtro, promitto obedientiam & reverentiam nomine meo & omnium Fratrum, qui ſont ſub protectione mea & vice prædicti Fratris Lanfranci, præſentibus omnibus Fratribus meis in civitate Medioleuſi commorantibua Fr. Nicolao, & Fr. Ambroſio Giapa, & Fr. Zanino, & Fr. Alberto de Cureis, & Fr. Bellota, & Fr. Pedreto portæ Romanæ, & Fr. Albertino & Fr. Alberto de Cremona, & Fr. Gaſparo, & Er. Zanebellauo. Actum in Oratorio prædictorum Fratrum ſito in porta orientali extra

ſupra murum foſſati communis Mediolenſis, & pro Notario Fr. Arnaldus de Gariuldis. Interfuerunt ibi teſtes Gueza filius quondam Negronis de Ceſate, & Aniza filius quondam Cazzaguerre.

Pari modo loquendum eſt de aliis Eremitis & aliorum Virorum Religioſorum Congregationibus, quæ per Italiam & Lombardiam diſperſæ, ante Unionem magnam nulli Regulæ approbatæ adſtringebantur. Sic quidem FRATRES SACCATI, *ſive*, DE POENITENTIA JESU CHRISTI, *in Italia viventes, ad Unionem cum reliquis ineundam compulſi ſunt, quamvis eorum Monaſteria extra Italiam ſita, non immediate Magnam Unionem ſuſceperant; cùm, de illis in Angliam introductis ad Annum MCCLVII. ſic loquatur Matthæus Pariſienſis:* Eo tempore novus Ordo apparuit Londinis de quibusdam Fratribus ignotis & non prævíſis, qui quia ſaccis incedebant induti, Fratres Saccati vocabantur. *An verò hi* FRATRES SACCATI *in aliis regnis poſiti, tandem ad Eremitas Auguſtinianos tranſierint, omninò ignoramus; neque diſputare volumus, an iidem fuerint, ac illi viri Religioſi, nominatim* BONI HOMINES, *de quibus loquitur Polydorus Virgilius in ſua Angliæ hiſtoria, lib. 16. pag. 312. Hoc unum certum eſt, quod ſucceſſu temporis plurima eorum Monaſteria in Galliis, ad* Eremitas Auguſtinianos *tranſierint, prout de Pariſienſi Aſceterio omnino conſtat, atque ſub ſummo Pontifice Joanne XXII. ad inſtantiam Ludovici Galliarum Regis, Monaſteria* Fratrum Saccorum Rhotomagi, Aureliani, Tornaci, *ſita, ad præfatos Eremitas pervenerunt.*

Diximus ſupra Eremitas Brittinos, *ab aliquibus cum* Bonitis *confundi, ſi autem verum ſit illos Brittinos jam à ſummo Pontifice* Gregorio IX. *anno MCCXXVII. Cathedram S. Petri occupante Regulam Auguſtinianam ſuſcepiſſe, ſic omninò & illi à* Bonitis *diſtingui debent, cùm hi ante* Innocentii IV. *tempora nulli Regulæ approbatæ adſtricti fuerint, ut ſuprà probavimus, & pluribus monſtravit auctor hiſtoriæ Religioſorum Virorum ſæpius laudatus tom. 3. cap. 2. pag. 11. Et quidem idem ſcriptor reliquos Eremitas ad Magnam Unionem amplectendam invitatos referens, agnoſcit nullos certæ Regulæ approbatæ adſtrictos, ſi excipias quoſdam in Monaſterio* S. Mariæ de Murceto *viventes ſub* Regula Benedictina, *loco cujus*, Regulam Auguſtinianam *deinceps ſequi, & reliquis coadunari præcepit ſummus Pontifex* Alexander IV. *verus Magnæ Unionis auctor.*

Anno igitur MCCLVI. poſt multos exantlatos labores, nec abſque plurimis exortis contradictionibus, tandem perfecta eſt magna illa Eremitarum per Italiam diſperſorum Unio, per quam omnes ſub uno Magiſtro Generali eundem habitum, eandem Regulam, eoſdem Mores excolere debuerunt, & tunc veri Eremitæ Auguſtiniani *nuncupari cœperunt, quartúmque* Mendicantium *Fratrum Ordinem conſtituerunt, eodem quoque anno, & primo die Martii in Conventu* S. Mariæ de populo *habitum eſt primum Capitulum totius Ordinis jam in unum Corpus uniti, in quo Superiores diverſarum Congregationum unanimo conſenſu in Magiſtrum Generalem elegerunt* Lanfrancum Septala Mediolanenſem, *qui antea* Bonitorum Eremitarum *extiterat Superior. Quam ordinationem & alias ſalubres Conſtitutiones ibidem ſancitas confirmavit ſummus Pontifex* Alexander IV., *ac novi Ordinis Protectorem conſtituit* Richardum Diaconum Cardinalem S. Angeli, *cujus ſagaci induſtria, tot diverſæ Eremitarum Congregationes in unum Corpus coaluerunt. Deinde, ſequenti anno optimus Pontifex per ſolennem Bullam XIII. Aprilis datam, novum Ordinem jam in quatuor Provincias diſtributum ab omni juriſdictione Epiſcopali liberum & exemptum declaravit.*

Et cùm ante hanc initam Magnam Unionem, omnes illæ diverſorum Eremitarum Congregationes, ex mandato Gregorii IX. Papæ, *ut magis diſtinguerentur à* Fratribus Minoribus, *debuerint portare in manibus baculos longitudinis octo palmarum, habentes caput in modum furcularum aleatarum ordinatum; ſic deinceps* Eremitæ Auguſtiniani *ab uſu talium baculorum liberantur, & ob Eremo in urbes & oppida vocantur, ad inſtruendum populum & prædicandum Evangelium. Omnes tamen incedere debuerunt habitu nigro cum largis & protenſis manicis adinſtar cucullarum, zonis coriaceis ſatis brevibus præcincti, quamvis domi & in clauſtro habitum album induere potuerint. Interea ex Bulla ejuſdem ſummi Pontificis eodem anno & XVII. Junii data, apparet, quaſdam Magnæ Unionis Congregationes, hunc habitum nigrum portare recuſaſſe, ſed & tales irrefragabiles cito compeſcuntur, omneſque novi Ordinis Provinciæ eundem habitum induerunt. Nam in primo Capitulo Generali habito Romæ in Conventu* S. Mariæ de populo, *hic novus Ordo diviſus*

eſt

eſt in quatuor Provincias, *nimirum*, io Italicam Gallicam, Hiſpanicam & Germanicam, *quæ à quatuor Patribus Provincialibus gubernatæ*, *ab ipſo tamen Priore Generali dependebant.*

Interea Piiſſimi Auguſtinianorum Eremitarum Patres conſcripti, *prudenter conſiderantes* Regulam Auguſtinianam, *non continere omnia ad vitam Monaſticam rite peragendam neceſſaria ſtatuta*, *ſic diverſis temporibus diverſa etiam ſalubria Statuta ad Religioſum regimen conducentia condiderunt. Verum & hæc ſalutaria novi Ordinis Sancita haud ante annum MCCLXXXVII. in Ordinem ſunt redacta & ab omnibus approbata. Nam* Cruſenius *Ordinis Hiſtoricus præcedenti anno referens electionem* Clementis de Auximas *in Magiſtrum Generalem ita infert:* ſequenti anno Comitiis celebratis Florentiæ, examinantur & publicantur Ordinis noſtri primæ Conſtitutiones. *Deinde idem Auctor refert*, *has Sacri Ordinis Conſtitutiones*, *iterum reviſas & approbatas fuiſſe in Generali Capitulo* Ratisbonæ *celebrato*, *circa annum MCCXC. Sed*, *anno MDLXXX. omnes veteres Conſtitutiones iterum ad incudem revocatæ ſunt*, *magnamque mutationem ſubierunt auctoritate ſummi Pontificis Gregorii XIII. in Generali Capitulo Romæ celebrato. Quæ novæ Conſtitutiones examinatæ & in ordinem redactæ ſunt per* Cardinalem Sabelli *Sacri Ordinis Protectorem*, & Thadæum de Peruſa *Magiſtrum Generalem. Has autem Conſtitutiones eſſe eaſdem*, *quas hic adducimus*, *affirmare volumus; cùm ab hoc tempore*, *uſque ad annum MDCLXXXVI.*, *quo præſentes Conſtitutiones editæ ſunt*, *in variis Capitulis Generalibus diverſa Statuta fuerint ſancita.*

Utut hæc ſint, *mirum in modum crevit Sacer hic Ordo*, *dum piiſſimi illius Sodales ex eremo ad prædicandum Evangelium vocati*, *ubique per Europam adeo ſunt multiplicati*, *quòd ante exortam fatalem hæreſin Lutheranam*, *numerati fuerint* 30000. *Religioſi viri poſſidentes ſupra mille eximia Monaſteria. Et quamvis per Germaniam*, *Magnam Britanniam*, *Sueciam*, *Daniam*, *Norvegiam*, *aliáſque Provincias hæreſi infectas*, *plurima Cœnobia ſint in cineres redacta*, *attamen etiamnum hodie horum Eremitarum Provinciæ numerantur quadraginta duæ*, *præter Occidentales Indiæ Provincias*, *aliaſque Congregationes per proprios* Vicarios Generales *gubernatas. Cùm verò Sacer hic Ordo ex variis Eremitarum Congregationibus*, *originem ſuam duxerit*, *ut ſuprà monſtravimus*, *ſic*, *non obſtante magna Unione ab* Alexandro IV. *facta*, *ejúſque auctoritate ſancitis ſalubribus Conſtitutionibus*, *non repugnantibus ſæpius ejuſdem Inquilini*, *in quandam ſtatutorum relaxationem lapſi ſunt*, & *reformationem meruerunt*, *poſtea in diſtinctas Congregationes diviſi. Prima talis reformationis Congregatio exordium ſumpſit anno MCCCLXXXIII. ab ipſo Magiſtro Generali* Ptolomæo de Venetia *exorta*, *qui ex Capitulo Generali* Strigoniæ in Hungaria *celebrato*, *reverſus in patriam*, *apud Cœnobium* de Illiceto *arctioris diſciplinæ obſervantiam introducere cœpit*, *ad quam fovendam & alia Monaſteria numero duodecim acceſſerunt*, *quæ à proprio* Vicario Generali *gubernata*, Congregationem de Illiceto *conficiunt. Secunda Congregatio à Piiſſimis Patribus* Simone de Cremona & Chriſtiano Franco *incœpit* Neapoli, *in Conventu* S. Joannis de Corbonario, *quæ & hodie ſubſiſtit*, *habens ſub uno* Vicario Generali *quatuordecim Monaſteria per regnum Neapolitanum diſperſa. Tertia Congregatio nominatur* de Peruſia, *quam inſtituit* Pater Auguſtinus de Roma *anno MCDXIX. in Priorem Generalem electus*, *quæ etiamnum hodie poſſidet octo Monaſteria ab uno* Vicario Generali *gubernata. Sed celeberrima omnium eſt* Lombardiæ Congregatio, *quæ*, *ſub ſuo* Vicario Generali, *continet octoginta ſex Conventus*, *inter quos primum locum meretur* Conventus S. Mariæ de populo, *in quo Magna Unio totius Ordinis inita eſt*, & *primum Capitulum Generale celebratum; cujus exordium fecerunt piiſſimi Patres* Joannes Rochius Porzii de Pavia, Joannes de Novarra, & Gregorius de Cremona, *circa annum MCDXXXVIII. Taceò plures Congregationes à ſuis propriis Vicariis Generalibus gubernatas*, & *per Italiam ac alibi diſſeminatas; non enim integram Sacri Ordinis hiſtoriam exhibere intendimus.*

Juvat tamen referre novam & ſub ſuis incunabilis ſatis Regularem Congregationem in Germania labente Sæculo XV. inchoatam, *quæ tamen haud longo tempore duravit*, *ſed infelicem exitum habuit. Hæc eſt* Congregatio Saxonica *à Piiſſimis Religioſis Viris* Simone Lindmer, & Andrea Proles *incæpta; qui animadvertentes laxitatem quandam*, *circa ſalubrium Conſtitutionum obſervantiam*, *apud quoſdam Conventus graſſari*, *reformationem morum ubique introducere cœperunt*, *arctam diſciplinam in* Congregatione Lombardica *obſervatam imitantes. Ad hanc ergo reformationem ſuſcipiendam congregati ſunt omnes fere Conventus per amplas*

Saxo-

Saxoniæ Provincias diſperſi, ad quos aſſociati ſunt duodecim Conventus in Bavariâ ſiti, qui ſimul aduuati Congregationem Saxonicam *effecerunt, denominatione ſumpta ex Majori Monaſteriorum numero. Et quidem huic noviter erectæ Congregationi varias Exemptiones & Privilegia concesſerunt ſummi Pontifices Romani, eorumque Legati, precibus Principum Germaniæ rogati, ſed præſertim Electores Saxoniæ votis nimium indulgentes.*

Ille enim ob noviter erectam Academiam Wittenbergenſem, *horum Patrum Auguſtinianorum tutelam in ſe ſuſceperat, Cathedrasque Theologicas & Philoſophicas ipſis tradiderat, atque novæ* Congregationis Saxonicæ *exemptionem à juriſdictione Prioris Generalis obtinere conatus eſt, quam & facile obtinuit. Nam anno MDIII. ſummus Pontifex* Julius II. *per ſolennem Bullam, talem exemptionem ratam habuit, & in rebus ſpiritualibus conſtituit novæ Congregationis Protectores & Inſpectores* Decanum Eccleſiæ Colmarienſis *aliosque Prælatos Sæculares. Deinde, idem Pontifex anno MDVI. & XV. Martii reſcripſit ad Archiepiſcopos* Moguntinum, Magdeburgenſem, & Saltzburgenſem, *pro executione talis Exemptionis; & ſic nova Congregatio à reliquis Sacri Ordinis Conventibus ſeparata eſt, & huc uſque pie gubernata à laudato Patre* Andrea Proles *tanquam Provinciali; nunc autem proprium* Vicarium Generalem à Prioris Generalis *juriſdictione liberum.*

Quod quidem nobile officium conceſſum eſt nobili & docto Patri Joanni Staupizio *SS. Theologiæ Doctori & in* Academia Wittenbergenſi *facultatis Theologicæ primo Decano. Verùm hæc* Congregatio Saxonica *haud diu integra manſit, exorta à* Martino Luthero *illius Inquilino fatali hæreſi, quæ non ſolum Sacri Ordinis Conventus corrupit, ſed tandem Catholicam fidem ex tota Saxonia, viciniſque Provinciis, ablegavit, omniaque aliorum Ordinum Monaſteria in cineres redegit. Accuſatur autem* Staupizius, *quaſi nimium* Luthero *faveret, quod quidem tanquam Ordinis* Superior Generalis *ab exordio feciſſe videtur, quamdiu, de ſolis Ingentiis à* Leone X. Papa *conceſſis, quæſtio verſabatur, quarum promulgationem ad ſui Ordinis Patres pertinere exiſtimavit; ſed poſtquam perceperat* Lutherum *jam hæreſim ſuam palam propagare, nefanda dogmata damnavit, &* Saltzburgum *procul à Saxonia ſecedens, in gremio Eccleſiæ Catholicæ mortuus eſt. Nec ſane omnes hujus Congregationis Conventus, hæreſi ſunt infecti, ſed plurimi adhuc per Germaniam ſuperſunt, qui tamen ſub juriſdictione* Prioris Generalis *vivunt, in varias Provincias diviſi. Et quidem non defuerunt plures hujus Congregationis docti & Religioſi Sodales, qui ſcriptis & admonitionibus* Lutherum *à pravis ſuis moribus & Scriptis revocare conati ſunt, inter quos merito numeratur* Bartholomæus Uſinghem *illius olim Magiſter & Præceptor, prout Epitaphium in Eccleſia conventuali Herbipolenſi teſtatur:*

Olim me Luther ſit præceptore Magiſter:
Fit ſimul & Frater Religione mihi.
Deſeruit ſed ubi documenta fidelia, Doctor
Detexi primus falſa docere Virum.

Interea, non obſtante fatali Lutheri *lapſu, ſacer hic Ordo maxime florere cœpit in varias novæ Reformationis Congregationes diviſus. Sic anno MDLXXIX. initium ſumpſit* Congregatio de Centorbi, *ſive* de Reformatione Siciliæ, *cujus Sodales arctiſſimam vitæ Eremiticæ diſciplinam obſervant, nullas poſſeſſiones habendo, vel eleemoſynas mendicando, ſed labore manuum viventes, qui tamen octodecim Conventus per illam Inſulam diſperſos inhabitant, à proprio* Vicario Generali *gubernatos. Deinde circa annum MDXCI. ſurrexit per* Calabriam *nova* Congregatio Coloritarum, *à primo Conventu ſupra montem ejus nominis ſito, ſic nuncupata; cujus Inquilini piiſſimam vitam in magna abſtinentia ducunt, poſſidéntque duodecim Conventus, qui omnes à regimine* Prioris Generalis *dependent, conficiuntque diſtinctam Provinciam, inter quadraginta duas Ordinis Provincias numeratam. Pari quoque modo loquendum eſt* de Congregatione Burgenſi, *quæ quamvis* Priori Generali *Ordinis ſubjecta, tamen arctioris diſciplinæ regulis gubernatur, & communiter per Galliam ejus Sodales appellantur* Guillielmitæ, & Pariſiis *nominantur* Parvi Auguſtiniani, *vulgo* Petits Auguſtins, *ad diſtinctionem aliorum ejuſdem Ordinis, qui nuncupantur* Grands Auguſtins *ſive* Majores Auguſtiniani.

Verùm,

Verùm, celeberrima bujus Ordinis Reformatio exordium ſumpſit apud Hiſpanos, circa annum MDLXXXVIII. tempore Philippi II. Regis, *quando in Capitulo* Toleti *tento, bujus Reformationis primus Diffinitor electus eſt piiſſimus Pater* Ludovicus de Leone, *licet quodammodo, ante aliquot annos per Religioſiſſimum ejuſdem Ordinis Patrem* Thomam de JESU, *talis arcta Monaſticæ diſciplinæ obſervantia apud aliquos Conventus per* Hiſpaniam *& Portugalliam ſitos introducta fuerit. Hæc* eximia Reformatio, *alium quaſi Ordinem conficere videtur, babitu & moribus ab aliis* Eremitis Auguſtinianis *diſtinctum, cum comprebendat omnes* Eremitas Augustinianos Discalceatos, *in varias & diverſas Congregationes diviſos, quæ quidem à ſuis propriis* Vicariis Generalibus *gubernantur, ſed ſupremo Ordinis Magiſtro olim ſubjectis. Quemadmodum autem apud* Hiſpanos *exorta eſt bæc celebris Reformatio, ſic* Congregatio Hiſpaoica *maxime propagari cæpit per* Italiam, Galliam, *&* Germaniam, *quod in ſolo Hiſpaniarum Regno, quinque amplas Provincias poſſideat, præter plures Conventus in* America *& apud* Canarias Iſulas; *unde recte inferri poteſt, omnes reliquas Congregationes bujus Reformationis ab bac* Hiſpanica *originem duxiſſe, prout ex ſequentibus patebit. Nam* Italica Congregatio *incæpta per piiſſimum Patrem* Andream Diaz *Hiſpanum, circa annum MDXCII. adeo crevit, quòd modò poſſideat ſeptuaginta tres Conventus in octo diſtinctas Provincias diviſos, & à proprio* Vicario Generali *gubernatos. Et forſan ſub bac comprebenditur* Congregatio Germanica, *ab uno eodemque* Vicario Generali *moderata, piiſſimi enim illi* Fratres Auguſtiniani diſcalceati, *apud Germanos ſolum poſſident duos Conventus, ibidem introducti ab* Imperatore Ferdinando III. *Primus eſt* Viennæ *in Auſtria, cujus Inquilinus, erat feſtivus ille Concionator Aulicus* P. Abraham à S. Clara; *alter Conventus babetur* Pragæ *in Bobemia, ſatis quidem amplus, & piorum Religioſorum numero repletus. Celeberrima quoque eſt* Congregatio Gallica *plurimis ampliſſimis Cænobiis cumulata, & proprio* Vicario Generali *gubernata; quæ exordium ſumpſit anno MDXCVII. per piiſſimos Patres* Fraociſcum Amet, *&* Matthæum de S. Franciſco. *Quæ quidem à reliquis Congregationibus omnino diſtinguitur, nam ejus Sodales aliter vivunt, & tam in Clauſtro quam in itinere diverſimode incedere ſolent. Quamvis enim omnes illæ ſuprà nominatæ Congregationes ab* Hiſpanica *exortæ ſint, & nigris veſtibus, & ſine calceis incedere ſoleant, cum brevi Mantello & anguſto Capucio adinſtar* Fratrum Minorum Capucioorum, *attamen diſtincta Statuta apud illarum Congregationum Sodales obſervantur; &* Galli *barbas nutriunt, in omnibus ſimiles* Capucinis, *excepto colore babitus nigro; cum econtra* Itali *barbas radant, &* Hiſpani *nec barbas nutriunt, nec anguſto illo Capucio utantur, ſed Mantellis longioribus veſtiti, & cum Sandalis incedere ſoleant, ſicuti & aliorum Ordinum diſcalceatorum Fratres in Hiſpania degentes. Qui verò plura ſcire cupiunt circa borum Fratrum diſcalceatorum mores & Conſuetudines, adire poſſunt ſæpe laudatum* Hyppolitum Eliot *in ſua Ordinum Religioſorum Hiſtoria gallico idiomate conſcripta tom.* 3.

Verùm, ut revertamur ad ipſum antiquæ obſervantiæ *Ordinem, tunc & ille, non obſtantibus tot diverſis Congregationibus, ab ipſo quaſi disjunctis, & per diverſos* Vicarios Generales *gubernatis, etiamnum bodie in Eccleſia, magna pietatis & doctrinæ laude floret, eximiis privilegiis & bonoribus per ſummos Pontifices cumulatus. Sic bujus ſacri Ordinis* Prior Generalis, *ſemper exiſtit ſummi Pontificis Prælatus Domeſticus &* Sacriſtiæ Pootificiæ Præfectus, *ad quem pertinet cura omnium Sacrorum Ornamentorum, & vaſorum aureorum & argenteorum, imo Sacrarum Reliquiarum, quæ in Capella Pontificia conſervantur. Cùm verò* Prior Generalis, *per boc nobile* Sacriſtani *officium, inter primarios Pontificios Prælatos Domeſticos numeretur, ſic plerumque Epiſcopali dignitate condecoratur.*

Huic etiam bonorabili Sacriſtani *officio conjuncta erat olim cura* Bibliothecæ Vaticanæ, *ſed ſummus Pontifex* Sixtus IV. *circa annum MCDLXXV. conſtituit* Platinam *Bibliothecarium, & Priorem Generalem* Paulum de Boſſis *creavit Abbatem Monaſterii Ciſtercienſis ad* S. Sebaſtiaoum *extra muros civitatis, qui, boc modo, ad Ciſtercienſes tranſiit, retinens tamen* Sacriſtani *officium. Adeoque à Priore Generali* Fratrum Eremitarum Auguſtinianorum *per aliquodboc tempus eximium* Sacriſtani *munus avulſum eſt, atque ſub* Innocentio VIII. Papa, *emanavit liber* de Capellæ Pontificiæ *Cæremoniis, quo Auctor probare conatus eſt, nobile boc* Sacriſtani *officium nulli certo & determinato* Ordini Religioſo *aſcribendum eſſe. Verùm* Alexander VI. *Cathedram S. Petri occupans anno MCDXCVII. per ſolennem Bullam ſancivit, ut nullus* Præfecturam Sacræ Capellæ Pontificiæ *ſuſciperet, niſi* Prior Generalis *bujus Sacri Ordinis, etiamſi nulla dignitate Epiſcopali vel Abbatiali bonoratus.*

Interea, eximium munus Bibliothecarii Vaticani ab officio Sacriſtani manſit ſeparatum, & illud viris doctiſſimis concedi ſolet, prout nunquam non laudandus Lucas Holſtenius eruditus Codicis Regularum Editor Bibliothecæ Vaticanæ curam geſſit; atque plures Purpurati Principes idem officium ſubire dignati ſunt, prout nuper defunctus Eruditorum Phænix, Eminentiſſimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus, ex Ordine Benedictino creatus Epiſcopus Brixienſis, ad dies vitæ titulum & Officium Bibliothecarii Vaticani gerere, haud dedignatus eſt. Interea animadvertendum eſt, quod, præter Priorem Generalem, ſint & alii Superiores Epiſcopalem quaſi jurisdictionem in Conventus ſibi ſubditos exercentes; ſic Prior Conventus Brinenſis in Moravia, perpetuam jurisdictionem obtinet in ſuos ſubditos, nec Ordinis Generali aut alicui Provinciali ſubjectus, ſed ſemel electus in Priorem nec deponi aut amoveri à ſuo officio poteſt, Pontificalibus ornamentis in officio divino utens.

Hoc autem ſacri Ordinis dignitati maxime conducit, quod plurimos Sodales nutriverit, ob ſingularem pietatis & doctrinæ laudem ad ſupremas Eccleſiaſticas dignitates promotos, quorum multi faſtis Sanctorum ſunt adſcripti. Inter quos ſanctiſſimos viros celeberrimi ſunt, Sanctus Thomas de Villanqva Archiepiſcopus Valentiæ, S. Nicolaus Tolentinas, & S. Joannes à S. Facundo, quorum ſancta memoria, feſtive celebratur diverſis diebus, in Breviario Romano. Si autem viros eruditione celebres conſideremus, tunc & plures numerantur, in omni ſcientiarum genere expertiſſimi; quorum paucos hìc adducere lubet, utpote orbi erudito notiſſimos. Imprimis enim Onuphrius Panvinius, abdita Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſecreta propalando, eximios & utiles tractatus in lucem emiſit, plures editurus, niſi præmatura morte præventus, ex hac vita ereptus fuiſſet, anno ætatis trigeſimo nono, à Paulo Manutio appellatus, Helluo antiquarum hiſtoriarum. Si dein conſideremus Chriſtianum Lupum, reperiemus virum profunda eruditione & pietate præclarum, qui, à ſummis Pontificibus Romanis, Alexandro VII. & Innocentio XI. Romam vocatus, honores Eccleſiaſticos & dignitatem Epiſcopalem ſuſcipere recuſavit, ad elucidandos Eccleſiæ canones & concilia maxime occupatus, ſupra quæ concilia ſcripſit eruditiſſimos tractatus quinque voluminibus contextos, aliaque multa doctiſſime ſcripta edidit, cujus Opera omnia duodecim magnis voluminibus contenta, cum ipſius vita, prodierunt Venetiis anno MDCCXXIV. apud Joſephum Sabbatini. Inter alios quoque hujus Ordinis Viros celebres, jure merito numeratur Eruditiſſimus Cardinalis Henricus Noris, qui, ab Innocentio XII. Papa, ad purpuram dignitatem evectus & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus declaratus eſt. Primum doctiſſimi hujus Viri opus erat ejuſdem Hiſtoria hæreſis Pelagianæ, quæ prodiit Paduæ anno 1673. & licet variis eruditis adverſariorum argumentis impugnata, & binis vicibus ad incudem Inquiſitionis Romanæ perducta, ſemper tamen ab omni labe immunis evaſit. Taceo plura alia hujus Eminentiſſimi Cardinalis doctiſſima ſcripta referre, cum omnia ejuſdem utiliſſima opera, quatuor magnis voluminibus comprehenſa, in publicam lucem edita ſint Veronæ, anno hujus Sæculi XXIX. ex txpogtaphia Tümermaniana. Nec ſane omittere debemus Reverendiſſimum Patrem Angelum Roccam variis eruditis ſcriptis jam Reipublicæ literariæ notum, qui Prior Generalis Ordinis electus, & Sacriſtiæ Pontificiæ Præfectus declaratus, ac tandem Epiſcopus Tagaſtæ creatus, ampliſſimam Bibliothecam, optimis libris inſtructam, in magno Conventu Romano collegit, publicóque Eruditorum uſui expoſuit.

Quod autem attinet Conſtitutiones præſentes, illæ videntur eædem eſſe, quas auctoritate Gregorii XIII. Cardinalis Sabellus, Ordinis Protector, & Thadæus Peruſinus Prior Generalis anno MDLXXX. propagaverunt, & obſervandas propoſuerunt, quæque anno MDCLXXXVI. iterum Romæ per Magiſtrum Fulgentium Travalloni totius Ordinis Priorem Generalem, reviſæ & promulgatæ fuerunt.

IN-

INDEX CAPITULORUM

PROLOGUS.

Prima Pars

De Divino cultu, & de his quæ ad eum ſpectant.

CAP. I. *DE Officio Divino à Fratribus & Monialibus noſtri Sac. Ordinis perſolvendo, & de Oratione ſerotina.*

CAP. II. *De Miſſa & proceſſione Defunctorum ſingulis ſecundis feriis celebranda, deque aliis ſuffragiis.*

CAP. III. *Quando Miſſa Conventualis, & Officium in Choro debeat cantari; & de his qui canonicis Horis perſolvendis & Miſſa conventuali intereſſe debent.*

CAP. IV *De his, qui Miſſa vel Horis canonicis non interſunt, vel tardè ad hujuſmodi Miſſam vel Horas veniunt &c.*

CAP. V. *De Officio Divino, ſeu precibus, quæ ſingulis quibuſque Horis perſolvi debent à fratribus Laicis & Converſis.*

CAP. VI. *De libris habendis ad uſum Chori.*

CAP. VII. *De forma circa promovendos ad Sacerdotium & ad alios ſacros Ordines, atque ad audiendum Confeſſiones.*

CAP. VIII. *A quibus ſecrete Confeſſiones Fratrum Ordinis audiantur, & de caſibus reſervatis.*

CAP. IX. *Quoties, & quando Fratres noſtri Ordinis communicare debeant quolibet anno.*

CAP. X. *De Confeſſionibus ſæcularium mulierum audiendis.*

Secunda Pars

De Obſervantiis.

CAP. I. *DE ætate, & qualitate eorum, qui ad Ordinem recipiendi ſunt.*

CAP. II. *De receptione Novitiorum.*

CAP. III. *De educatione Novitiorum, & qualis eſſe debeat Magiſter eorum.*

CAP. IV. *De modo & forma Profeſſionis faciendæ.*

CAP. V. *De forma & qualitate veſtium Fratrum, & quando debeant Cappam juxta temporum varietatem deferre.*

CAP. VI. *Quomodo & quando Fratribus de veſtibus debeat provideri.*

CAP. VII. *De Cellis Fratrum, & earum ſuppellectili, ingreſſu, ac viſitatione.*

CAP. VIII. *Quomodo, & quoties raſura fiat.*

CAP. IX. *Qualiter ad refectionem intrent, & ſedeant Fratres.*

CAP. X. *De uſu ciborum, & jejunio Fratrum.*

CAP. XI. *Qualiter Fratres ad Collationem conveniant in diebus jejuniorum.*

CAP. XII. *Quibus locis & temporibus ſilentium à Fratribus obſervetur.*

CAP. XIII. *De Clauſura noſtrorum Conventuum, & quòd mulieribus ad eos ingreſſus non permittatur, atque de colloquutione Fratrum.*

CAP. XIV. *Quanta & qualis cura, & ſollicitudo haberi debeat circa infirmos.*

CAP. XV. *De cura habenda circa Fratres decedentes ab hac vita, & quid fiet de rebus eorum ſui conceſſis.*

CAP. XVI. *De humanitate hoſpitibus exhibenda, & ad quid hoſpites noſtri Ordinis teneantur.*

CAP. XVII. *Quomodo ſe habere debeant Fratres quando domo exire aliquando contigerit, & quòd ſine litteris teſtimonialibus non vagentur.*

Tertia Pars

De Gubernatione.

CAP. I. *DE obedientia in Ordine noſtro Summo Pontifici D. N. JEſu Chriſti Vicario præſtanda.*

CAP. II. *De electionibus noſtri Ordinis in genere, & de Fratribus qui ad quamcumque Prælaturam extra Ordinem aſſumentur.*

CAP. III. *De forma celebrationis Capituli generalis totius Ordinis noſtri, & Reverendiſſ. P. electione.*

§. 1. *De tempore celebrationis ejuſdem Capituli generalis.*

§. 2. *De modo recognoſcendi Præſidentem.*

§. 3. *De Judicibus cauſarum, & Examinatoribus litterarum.*

§. 4. *De his quæ præcedere debent electionem novi Generalis.*

§. 5. *De electione novi Generalis.*

CAP. IV. *De agendis in Diffinitorio generali.*

§. 1. *De modo ſervando in Diffinitorio, & de publicatione Secretarii Ordinis.*

§. 2. *De electione R. Procuratoris Ordinis, & PP. Aſſiſtentium.*

§. 3. *De litteris Diffinitorio miſſis.*

§. 4. *De diffinitionibus faciendis, & audientia præſtanda, & aliis.*

§. 5. *De electione Venerabilium Provincialium, & Priorum Conventuum generalium.*

§. 6. *De diffinitionibus & electionibus publicandis.*

§. 7. *De modo dimittendi Capitulum.*

CAP. V. *De officio & authoritate Reverendiſſ. P. Prioris Gen. totius Ordinis noſtri.*

CAP. VI. *De Officio & authoritate R. Procuratoris gen. & de ordinatione Conventus Romanæ Curiæ.*

CAP. VII. *De officio & authoritate RR. PP. Aſſiſtentium generalium.*

CAP. VIII. *De officio & authoritate Viſitatorum Reverendiſſ. P. Gen.*
CAP. IX. *De modo celebrationis Capituli provincialis.*
§. 1. *De tempore quo celebrari debet.*
§. 2. *De modo recognoſcendi P. Præſidentem.*
§. 3. *De Judicibus cauſarum, & Rectoribus inſtituendis.*
§. 4. *De Miſſa Spiritus S. & aliis precibus.*
§. 5. *Quomodo Prior Provincialis officio ſuo debeat renunciare.*
§. 6. *De electione novi Provincialis.*
§. 7. *De modo eligendi Diffinitores.*
§. 8. *De Officio & authoritate P. Præſidentis.*
CAP. X. *De agendis in Diffinitorio Cap. provincialis.*
§. 1. *De ordine in Diffinitorio ſervando.*
§. 2. *De audientia à Diffinitorio præſtanda.*
§. 3. *De Viſitationibus Viſitatorum aperiendis ac legendis.*
§. 4. *De deciſionibus & diffinitionibus à Diffinitorio faciendis.*
§. 5. *De ſocio aſſignando Priori Provinciali & ejus officio.*
§. 6. *De inſtitutione Priorum, Suppriorum &c.*
§. 7. *De familiarum diſpoſitione & Fratrum mutatione, ac Deputatis Conventuum nominandis.*
§. 8. *De Collecta pro Provincia reparanda.*
§. 9. *De receptione, & proviſione novi loci.*
§. 10. *De electione Viſitatorum, Diffinitoris, ac Diſcreti Capituli generalis.*
CAP. XI. *De publicatione Actorum Capitularium, & de modo dimittendi Capitulum.*
§. 1. *De Diffinitionibus, atque Familus legendis.*
§. 2. *De Sigillis Provinciarum & Conventuum.*
§. 3. *De Benefactorum vivorum recommendatione, & ſuffragiis injungendis.*
§. 4. *Quid de litteris Diffinitorio delatis fieri debeat.*
§. 5. *De litteris P. Præſidentis, quas ſinguli Priores ad ſuos Conventus portare debent.*
CAP. XII. *De Congregatione in medio biennii celebranda.*
CAP. XIII. *De inſtitutione Priorum, & aliorum Officialium extra Cap. provinciale.*
CAP. XIV. *De Capitulo privato.*
CAP. XV. *De Officio & authoritate Prioris Provincialis, & pro quibus caſibus poſſit privari.*
CAP. XVI. *De Officio & authoritate Viſitatorum Provinciæ, de modo viſitandi &c.*
CAP. XVII. *De Officio & authoritate Prioris localis, & pro quibus caſibus poſſit privari.*
CAP. XVIII. *Quomodo ſe debeant habere Fratres quando eis Prior aliquod Officium, ſeu obedientiam injungit.*
CAP. XIX. *De Officio & authoritate Supprioris.*
CAP. XX. *De Officio Sacriſtæ Conventus.*
CAP. XXI. *De Officio Procuratoris Conventus, & de rebus domus non alienandis.*
CAP. XXII. *De Officio Depoſitariorum.*
CAP. XXIII. *De Officio Deputatorum.*
CAP. XXIV. *De electione, & officio Diſcreti Conventus.*
CAP. XXV. *De ordine præcedentiarum.*

QUARTA PARS

De Cura ac regimine Monialium, & Mantellatarum noſtri Sacri Ordinis.

CAP. I. *De recipiendis ad habitum Monialium ſive Mantellatarum.*
CAP. II. *De electione Prioriſſæ & aliarum Officialium.*
CAP. III. *De Clauſura Monialium Ordinis noſtri.*
CAP. IV. *Quomodo Moniales in locutoriis ſe debeant habere.*
CAP. V. *De audiendis Confeſſionibus Monialium.*

QUINTA PARS

De forma circa ſtudia, ſtudentes, graduatos, ac Prædicatores in Ordine noſtro ſervanda.

CAP. I. *De differentia ſtudii generalis ac provincialis.*
CAP. II. *De Officio & authoritate M. Regentis.*
CAP. III. *De Officio Baccalaurei, Lectorum Magiſtri ſtudentium, Curſorum, ac Magiſtri Biblici.*
CAP. IV. *De promovendis ad ſtudia, & gradus.*
CAP. V. *De forma creandi Magiſtrum in Sacra Theologia.*
CAP. VI. *De ordine præcedentiarum in Gymnaſiis ſervando.*
CAP. VII. *Quando Graduati, ac Studentes Officio intereſſe teneantur, & de ſubſidio ſtudentium, ac de Fratribus amovendis à ſtudio.*
CAP. VIII. *De lectione Caſuum Conſcientiæ.*
CAP. IX. *De Officio Prædicatorum.*
CAP. X. *Quomodo puniendus eſſet is, qui à veritate orthodoxa fidei (quod Deus avertat) quovis modo diſſentiret.*
CAP. XI. *De libraria & Cuſtodia librorum.*

SEXTA PARS

De Culpis, ac Pœnis eis debitis.

CAP. I. *Quando debet fieri Capitulum de culpis & de modo in eo ſervando.*
CAP. II. *De pœnis in genere, ac ſententia excommunicationis.*
CAP. III. *De pœna deſtruentium, falſificantium, vel alterantium litterar &c.*
CAP. IV. *De pœna injungenda ei, qui animo irato aliquem percuſſerit.*

CAP-

CAP. V. *De pœna incidentium in aliquem lapſum carnis.*
CAP. VI. *De pœna revelantiam ſecreta Ordinis, vel Confeſſionis.*
CAP. VII. *De pœnis falsò accuſantis, & falſi teſtis.*
CAP. VIII. *De pœna ſurripientium.*
CAP. IX. *De pœna Proprietarii.*
CAP. X. *De pœna recurrentium ad ſæculares pro ſua promotione, aut impunitate culpæ commiſſæ.*
CAP. XI. *De pœna conſpirantium, & eorum qui in Ordine fuerint Capita factionum.*
CAP. XII. *De pœna infamantium, & mittentium litteras infamatorias ſine nomine.*
CAP. XIII. *De pœna luſorum, hiſtrionum, & maleficorum.*
CAP. XIV. *Quomodo Apoſtatæ ad Ordinem recipiantur, & de pœnitentia eorum.*
CAP. XV. *De purgatione canonica infamia laborantium.*
CAP. XVI. *De pœna privationis vocis & loci.*
CAP. XVII. *De pœna incarcerationis, & torturæ.*
CAP. XVIII. *Quæ ſit levis culpa, & de pœna ei debita.*
CAP. XIX. *Quæ ſit gravis culpa, & de pœna ei debita.*
CAP. XX. *Quæ ſit gravior culpa, & de pœna ei debita.*
CAP. XXI. *Quæ ſit graviſſima culpa, & de pœna ei debita.*
CAP. XXII. *De incorrigibilitate.*
CAP. XXIII. *Quomodo, & à quibus injungendæ ſunt ſupradictæ pœnæ.*
CAP. XXIV. *De frequenti lectione harum Conſtitutionum, & præciſa earumdem obſervatione.*

PROLOGUS.

In Nomine D. N. JESU CHRISTI Benedicti Amen.

Incipit Prologus Conſtitutionum totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Cap. 1. §. 2.

Unitas Ordinis, & morum.

QUoniam ex præcepto Regulæ S. P. N. Auguſtini hujus noſtræ Eremitanæ Religionis Inſtitutoris, ac Fundatoris jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino: rationi conſentaneum eſt, ut qui ſub unâ Regula, ſub uno, & eodem Priore Generali, & ſub unius Profeſſionis jugo vivimus, uniformes etiam in obſervantiis, & inſtitutionibus noſtræ Sacræ Religionis inveniamur; quatenùs unitatem interiùs ſervandam in cordibus foveat, & repræſentet uniformitas exteriùs ſervata in moribus. Quod profectò eò competentiùs poterit obſervari, & faciliùs memoria retineri, ſi ea, quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata, ut omnibus qualiter vivendum ſit, ſcriptura teſte, innoteſcat.

Nihil poteſt Conſtit. addi, vel minui.

Diffinire pro majori Obſervantia poteſt Capitulum generale.

Diffinita per tria Capitula generalia habent vim Conſtit.

2. Hunc ergo librum Conſtitutionum conſcripſimus, in quo quid agere, & qualiter ubique quiſque noſtrum ſe habere debeat, continetur: in eo aliquid mutare, addere, & minuere nulli propria auctoritate licebit; diffinire tamen aliqua pro majori vitæ regularis obſervantia poterit Capitulum generale, quæ poſtquàm fuerint per tria Capitula generalia confirmata, vim habeant Conſtitutionum, eiſque poſſint, & debeant adjungi.

3. Nulla verò conſuetudo quantumvis inveterata, contra has noſtras Conſtitutiones valeat, aut toleretur, ſed corruptela, & abuſus potiùs exiſtimetur: Super hæc autem in Conventu ſuo Prior diſpenſandi cum Fratribus habeat facultatem, cùm ſibi aliquando videbitur expedire; præterquàm in his caſibus, in quibus diſpenſari aliqua Conſtitutio expreſsè prohibet.

Conſuetudo non præjudicat Conſtit.

Neceſſitas, aut utilitas ad diſpenſandum neceſſaria.

4. Advertendum tamen eſt, quòd quandò neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: quandò verò utilitas communis provocat, diſpenſatio laudabilis, cùm verò utrumque deeſt, non planè diſpenſatio, ſed potiùs diſſipatio vocari debet. Priores etiam utantur diſpenſationibus pro loco, & tempore, cùm neceſſe fuerit, ſicut alii Fratres. Nolumus tamen, quòd hujuſmodi diſpenſatio ſit crebra, ne legum vis, & robur paulatim labefactetur, ac demùm corruat. Siquis tamen diutiùs, vel continuò neceſſe habeat communis Conſtitutionis rigorem ſibi relaxari, neceſſitas hujuſmodi in Capitulo Conventus notificetur, ne Fratribus eam neſcientibus ſcandali materia præbeatur: quandò verò Prior domi non fuerit, vicem ejus gerens majori difficultate diſpenſet, aut concedat alicui quidquam, quod communis Conſtitutionis modum excedit.

Diſpenſatio non ſit crebra.

Regula, & Conſtit. non obligant ad culpam.

5. Ut autem Fratrum quieti, & animorum tranquillitati provideamus, declaramus, quòd Regula, & Conſtitutiones noſtræ non obligant nos ad culpam, ſed ad pœnam, niſi propter præceptum, vel contemptum: præceptum autem in Regula noſtra nullum contineri

declaramos, niſi ratione divioæ, aut eccleſiaſticæ Legis, vel rationc trium Votorum: idem de Conſtitutionibus dictum eſſe volumus, excepto ubi ponitur ſenteotia Excommunicationis, aut Præceptum exprimitur per iſta verba, vel alia eis æquivalentia: (*Pracipimus in virtute Sancta Obedientia*) & hoc idem in ordinationibus, & litteris, vel verbis Soperiorum intelligi volumus.

Quando obligant ad Culpam

Abſtinendum à multitudine præceptorum.

6. Portò caveant Prælati omoes, ne aliqoid omqu m præcipiant irati, & à multitudine præceptorum abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum injiciant, nec propter defectum unius, quem fortè non audent corrigere, communltatem involuant; ſiquæ tam ab eis impoſita fuerint, vim habere volumus, etiam quoad Eccleſiaſticas Cenſuras, atque durare donec fuerint revocata per aliquem habentem vel ſuperiorem, vel æqualem poteſtatem, quod etiam de omnibus aliis ordinationibus iotelligi volumus.

Pœnæ ſumunt effectum ex declaratione.

7. Item declaramus, quòd nullus ſit ſubjectus pœnis abſolutionis ab Officio, privationis vocis activæ, vel paſſivæ, & aliis hujuſmodi ipſo facto incurrendis, tàm in Conſtitutionibus, quàm extrà impoſitis, vel imponendis; (excepta tamen, proùt de jure, pœna Excommunicationis latæ ſeotentiæ) niſi ſupervenìat in particulari ſententia, vel declaratio Prælati, quantumcumque etiam notorium facti, vel Juris, aut utriuſque interveniat.

P. Generalis eſt Conſtit. interpres.

8. Si autem aliqoandò in Cooſtitutionibus noſtris aliquod dubium oriatur, ſtabitur interpretationi, & declarationi Reverendiſſimi P. Generalis, nam Obedientia excuſat in dobiis; interim tameo tàm pro his, quàm pro caſibus omiſſis Juri canonico communi ſtandum erit, proùt etiam declaratum fuit in nupero Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

Legitimæ exceptiones excuſant.

9. Timoratis verò conſcientiis ſalobritèr conſulentes, declaramus, quòd in omolbus Conſtitutionibus, & Diffinltionibus noſtris, licèt nonoumquàm ſimpliciter, & abſolotè aliquid præcipiant, mandeot, ſanciant, vel prohibeaot, exceptiooes tameo legitimæ, & rationabiles excuſatlooes exceptæ intelligantur; dummodò à Superiori pro talibus habeantur.

Diviſio Conſtitutionum.

10. Ut autem omoia in iſto Conſtitutionum libro faciliùs invenirl poſſint, diviſus fuit in ſex partes.

Io Prima ponuntur ea, quæ ad Divinum cultum ſpectant.

In Secunda ea, quæ pertinent ad Ordinis Obſervantias.

In Tertia agitur de electionibus, & de iis omnibus, quæ concernuot uoiverſi Ordinis gubernationem.

In Quarta, de cura, & regimine Monialium, ac Mantellatarum noſtri Ordinis.

In Quiota, de Studiis, gradibus, & officio Prædicationis.

In Sexta, & ultima, de culpis, pœniſque eis debitis.

11. Porrò in his Conſtitutionibus nemo offendatur varietate quorumdam nominum, quibus aliquandò utimur: ut cùm de Patribus Votum habentibus in Capitulis quibuſcumque ſit mentio, aliquandò Patres Concilii, aliquandò Patres Vocales, aliquandò Patres Capituli noncupantur, id enim factum eſt, ot conſuetodini aliarum Provinciarum, qooad fieri potult, conformari videremur, ſic etiam ob eamdem cauſam adjecimus quoddam caput de Officio Deputatorum, necnon noviſſimè alterum de Officio Aſſiſtentiom, & quædam alia, quæ io aliis Conſtitutionibus non habebantur.

PRI-

PRIMA PARS

De Divino cultu, & de his, quæ ad eum ſpectant.

CAPUT I.

De Officio Divino à Fratribus, & Monialibus noſtri Sacri Ordinis perſolvendo, & de Oratione Serotina.

Officium divinum fiat devotè.

1. PRimum cùm divinus cultus, & ea, quæ ad Dei venerationem ſpectant, ante omnia præ oculis nobis perpetuò habenda ſint, quoniam hinc actiones omnes, & reliquæ vitæ noſtræ rationes ſunt dirigendæ: propterea præcipimus, & mandamus, ut ubique in Ordine noſtro divinus cultus, & Officium tàm diurnum, quàm nocturnum, tàm cum nota, quàm ſine ea, ſumma cum veneratione diſtinctè, attentè, devotèque ab omnibus Fratribus, & Monialibus in Eccleſia quotidie celebretur, & ut decet excolatur ſanctiſſimè juxtà ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſecundùm quem totum officium per anni circulum à Fratribus, & Monialibus noſtris volumus perſolvi, ſervata forma Breviarii, & Miſſalis Romani Pii V. & ſubſequentium Pontificum juſſu editi, vel quæ pro tempore à Sancta Romana Eccleſia ſervata fuerit.

Officium fiat ritu Romano.

2. In Cæremoniis verò tàm in Choro, quam in Eccleſia ſerventur per omnia, quæ in Ordinario, ſeu Cæremoniali noſtri Ordinis continentur. Siquis verò Prior in prædictis negligens inventus fuerit, à Provinciali, vel Viſitatoribus graviter puniatur.

Priores negligentes puniendi.

3. Si autem Frater aliquis, (quod abſit) tàm immemor divini cultus, ac propriæ ſalutis fuerit, ut divinum non perſolvat Officium, ſi ſufficientèr fuerit convictus, pro prima vice pœnam gravioris culpæ per menſem ſubeat; pro ſecunda verò vice eamdem pœnam per duos menſes ſuſtineat, quòd ſi deinceps ſe emendare neglexerit, tamquàm infamis habeatur, & publicetur, & à quacumque dignitate, & officio deponatur, atque voce activa, & paſſiva perpetuò privetur, proùt diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato Anno Domini 1539.

Frater non recitans puniendus.

4. Ut autem in Horis canonicis perſolvendis ab omnibus Fratribus uniformitas obſervetur, volumus, ut in quolibet Conventu noſtri Ordinis Prior in tabula una, quæ in Choro affixa maneat, deſcribi faciat Calendarium ſecundùm ordinem Romanæ Eccleſiæ, in quo notentur Feſta, & Commemorationes juxtà Breviarium Ordinis nuper impreſſum, atque etiam ea, quæ apud nos ſolemniter conſueverunt celebrari, quem ordinem in quotidiano Officio omnes ſequi debeant, quibus omnibus obſervandis Priores attentiſſimè invigilent. Dicantur etiam ſuffragia S. P. N. Auguſtini, & aliorum Sanctorum Ordinis, quandò dici debent, proùt in Officiis noſtri Ordinis continetur.

Uniformitas in Horis canonicis.

5. Nullus verò cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, præſumat corrigere, vel imprimere, ſeu corrigi, vel imprimi facere Officia Ordinis noſtri abſque ſpeciali licentia Reverendiſſimi P. Generalis petita, & obtenta, ſub pœna depoſitionis ab omni Officio, gradu, & dignitate, vel alia Reverendiſſ. P. Generalis arbitrio limitanda.

Nullus poteſt corrigere Officia.

6. Mandamus etiam, ut quotieſcumque Officium parvum B. Virginis dicendum fuerit in Choro, peracto Officio utriuſque Completorii, incipiatur, & dicatur in laudem ejuſdem Virginis Mariæ de Gratia, *Benedicta*, cum tribus Pſalmis, tribus Lectionibus, & duobus Reſponſoriis, ut in Officiis prædictis noſtri Ordinis continetur; ſingulis autem ſextis Feriis, niſi Completorium ſit Feſti duplicis, prædicta devotè cantentur, ubi fuerint duodecim Fratres de familia adminùs: quotidie etiam poſt Miſſam Conventualem, niſi aliqua Hora ſubſequatur, devotè cantetur genibus flexis Antiphona *Ave Regina Cœlorum Mater Regis Angelorum &c.* cum verſiculo & Oratione, proùt in Ordinario continetur.

Benedicta diebus Ferialibus.

Antiphona poſt Miſſam.

7. Decernimus quoque, ut quotidie Fratres antequam ad quieſcendum vadant, hora, quæ Priori competens videbitur, ſecundùm temporum varietatem, pulſata campanula pro ſigno, nemino excepto, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſi hoſpes fuerit, modò non ſit infirmus, in Choro, ſeu Capitulo cum ſilentio conveniant, ibique genuflexi devotè in ſpiritu aliquandiù orent; poſteà Prior, vel qui major ibi fuerit, ſi neceſſitas expoſcat, pro infirmis, ſeu alio modo afflictis, & indigentibus particulares Orationes injungat, & ſiquid in communi, vel annunciare, vel monere oportet, breviter annunciet, vel moneat, ac in fine dicat *Confiteor Deo &c.*

Oratio Serotina.

Nullus ab illa exemptus.

8. Fa-

8. Facta verò Confeſſione in communi in mediocri tono moroſè, ac diſtinctè, ſurgat Prior, & dicto *Miſereatur veſtri* &c. *Indulgentiam* &c. adjungat ſurgentibus omnibus, *Oremus pro Benefactoribus noſtris vivis, atque defunctis: Retribuere* &c. cum Pſalmo, quem incipiat primus Cantor: *Ad te levavi* &c. *Kyrie* &c. *Pater noſter* &c. Prior, *Et ne nos* &c. *Sed libera* &c. *Salvos fac* &c. *Domine exaudi* &c. *Dominus vobiſcum* &c. *Oremus: Deus omnium Fidelium Paſtor & Rector, Famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice, da ei quæſumus verbo, & exemplo, quibus præeſt proficere, ut ad vitam unà cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam.* ✝ *& Famulos tuos Cardinalem Protectorem, Priorem Generalem cum tota Auguſtiniana Familia ab omni adverſitate cuſtodi; ſalutem, & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, & gentes Paganorum, & Hæreticorum, quæ in ſua feritate, ac perverſitate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur: Per Chriſtum &c.*

9. Deindè alius Cantor Pſal. *De profundis clamavi* &c. cum *Requiem* &c. *Kyrie* &c. Prior, *Pater noſter* &c. *Et ne nos* &c. *A porta Inferi* &c. *Requieſcat* &c. *Domine exaudi* &c. *Dominus vobiſcum* &c. *Oremus: Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, Sorores, Propinquos &c. Fidelium Deus omnium conditor* &c. *Qui vivis, & regnas* &c. *Requiem æternam* &c. *Requieſcant* &c. Deinde genuflectant Fratres, & Prior aſpergat omnes aqua benedicta, dicendo: *Aſperges* &c. poſteà genuflectens, dicat: *Salve Regina* &c. Qui de aſperſorio miniſtravit, dicat in medio Chori genibus flexis: *Ora pro nobis Sancta Dei* &c. deindè Prior ſurgat, & dicat: *Oremus: Beatæ, & glorioſæ* &c. *Concede nobis quæſumus omnipotens Deus S. P. N. Auguſtini* &c. *Per Chriſtum* &c. & in fine omnes benedicat, dicendo: *Noctem quietam* &c. & omnes reſponſo *Amen*, ad ſignum ejus cum ſilentio egrediantur, niſi aliquis orandi causâ ibidem aliquantulùm manere voluerit; eantque ad Cellas ſuas, niſi Oratio fiat ante Cœnam.

Peculiares Orationes non omittendæ.

10. Aliæ verò peculiares Orationes, commemorationes, proceſſiones per Eccleſiam, vel Clauſtrum, Altarium viſitationes cum Antiphonis, & Orationibus, vel ſine illis: Pſal. itèm *Miſerere*, cum diſciplina, in memoriam paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti, & ob carnis mortificationem, ubi ſunt in conſuetudine, nullo modo prætermittantur.

NOTA In Caput I. ✝ Poſt Orationem *Deus omnium Fidelium paſtor &c.* addantur nomina Principum, ſub quorum ditione extant Monaſteria.

Caput II.

De Miſſa, & Proceſſione defunctorum, ſingulis ſecundis Feriis celebranda; deque aliis ſuffragiis Benefactorum vivorum, mortuorum, atque aliorum Defunctorum noſtrorum.

Diebus Lunæ miſſa pro Defunctis.

1. Statuimus, & ordinamus, ut ſingulis ſecundis Feriis Feſto duplici non impeditis, Miſſa pro Confratribus defunctis, & Benefactoribus, quibus obligamur, celebretur: qua finita fiat Proceſſio per Clauſtrum, vel per Eccleſiam, ſicut in Ordinario continetur.

Poſt Feſtum S. Michaelis.

2. Prætereà volumus, & mandamus, ut quilibet Sacerdos pro Fratribus, & Familiaribus, Propinquis, & Benefactoribus Ordinis noſtri defunctis omni anno, poſt Feſtum S. Michaelis, dicat unam Miſſam: Frater verò Clericus tèr Officium Defunctorum, & Frater Laicus, ſeu Converſus centumquinquaginta *Pater noſter*, cum *Requiem æternam* in fine cujuslibet: pro Fratribus quoquè Familiaribus, Propinquis, & Benefactoribus vivis, ſimiliter quilibet Sacerdos eodem tempore, quo ſuprà dicat unam Miſſam de Spiritu Sancto, Clericus tèr Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & Orationibus, Frater Laicus, ſeu Converſus centumquinquaginta *Pater noſter*, cum *Gloria Patri* &c. in fine cujuslibet.

Pro vivis.

In obitu Papæ.

3. Decedente Sanctiſſimo D. N. Papa, infrà decem dies poſtquàm de obitu ſuo conſtabit, in quolibet Conventu noſtri Ordinis Vigiliæ cum Laudibus, & Miſſa Defunctorum ſolemniter decantentur: idem fiat pro Eminentiſſimo Cardinali noſtri Ordinis Protectore, & pro Reverendiſſimo Priore Generali tàm actuali, quàm abſoluto in univerſo Ordine, & pro quolibet Provinciali in ſua Provincia.

Pro Card. Protect. & General.

Pro Sacriſta, Procuratore Ordin. & Aſſiſtentibus.

4. In obitu autem Illuſtriſſimi Sacriſtæ Domini Papæ, qui ſemper aſſumitur ex Ordine noſtro, & Procuratoris Generalis tàm actualis, quàm abſoluti totius Ordinis in quolibet Conventu; Aſſiſtentium verò actualium pariter, & abſolutorum in Provinciis ſibi reſpectivè commiſſis cantetur Nocturnum cum ſolemni Miſſa.

5. Advertendum tamen eſt, quòd pro præfatis Prioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus Ordinis, ac

ac Aſſiſtentibus, & item Provincialibus, præter prædicta ſuffragia, in ſuis Provinciis ea agenda ſunt, quæ pro Fratribus ejuſdem Provinciæ Conſtitutiones noſtræ fieri mandant.

In obitu Fratris cujuſcumque. 6. Decernimus igitur, quòd decedente de Fratribus noſtris aliquo tàm Novitio, quàm Profeſſo, tàm Laico, quàm Converſo, quilibet Sacerdos ejuſdem Provinciæ dicat unam Miſſam, Clerici, & Laici, ac Converſi, ut ſuprà *num.* 2. & in quolibet ejuſdem Provinciæ Conventu cantetur pro eo Nocturnum cum Miſſa; in Conventu autem, in quo Conventualis erat tempore mortis, Officium ſepulturæ ſolemniter celebretur cum Invitatorio, tribus Nocturnis, & Laudibus, prout eſt in Ordinario: cantetur etiam pro eo ibidem Nocturnum cum Miſſa in die trigeſimo, & in fine anni; adjicientes, ut defuncto Priore Generali in unoquoque Ordinis noſtri Conventu ſingulo quoque anno in die obitus ſui cantetur Miſſa ſolemnis pro anima illius, quouſque alius Generalis deceſſerit, pro quo ſimiliter fieri volumus, & ſic deinceps.

Dies trigeſimus, & anniverſarium.

Anniverſarium pro Generali.

1. Anniverſarium pro Patribus &c. 7. Ut autem, quæ interdùm ex infirmitate, vel aliquorum negligentia omittuntur, poſſint ex plurimorum ſuffragiis reſtaurari, volumus, ut in quolibet Conventu Ordinis noſtri Anniverſarium, ſeu commemoratio poſt Feſtum S. Agathæ pro Patribus, Matribus, Fratribus, Sororibus, Familiaribus, & Propinquis celebrari debeat. Quod etiam fiat pro omnibus Benefactoribus noſtris poſt Octavam Apoſtolorum Petri, & Pauli: ſicuti pro omnibus noſtri Ordinis Fratribus, ac Sororibus poſt ſolemnitatem omnium Sanctorum noſtræ Sac. Religionis. Quibus reſpectivè diebus quilibet Sacerdos omninò teneatur in eodem Anniverſario celebrare, exceptis iis, qui aliis obligationibus Conventus detinentur; qui tamen debeant prima die non impedita per ſe ſatisfacere: Frater verò Clericus iſtis pariter reſpectivè diebus dicat tèr Officium Defunctorum; & Frater Laicus, ſeu Converſus centiès quinquagies *Pater noſter*, cum *Requiem æternam* &c. in fine cujuslibet.

2. Pro Benefactoribus.

3. Pro Fratribus, ac Sororibus.

Anniverſarium conſcribendum in Calendario. 8. Et ne prædicta tradantur oblivioni, in Martyrologio. & Calendario conſcribantur, & in Choro, ſuo tempore, ad modum Feſtivitatum recitentur.

Caput III.

Quando Miſſa Conventualis, & Officium in Choro debeat cantari, & de his, qui Canonicis Horis perſolvendis, & Miſſæ conventuali intereſſe debent.

1. Volumus, & omninò obſervari præcipimus, ut in quovis Monaſterio, ubi adminùs fuerint quinque Sacerdotes de Familia, Miſſa Conventualis ſaltèm cantetur ſingulis diebus feſtivis; ſi fuerint plures, cantentur etiam Veſperæ, ſi fieri poſſit. Officium verò dicatur diſtinctè, ac devotè. Miſſa quando cantanda.

2. Sive autem Miſſa Conventualis cantetur, ſive non, quotidie tamen Miſſa una conventualis hora debita celebretur, cujus Miniſter ſe cum ſuperpelliceo, ſeu Cotta præparet, & duo cerei in elevatione Corporis Chriſti accendantur. At ubi fuerint duodecim, vel ſaltem decem Fratres de Familia, ſurgere teneantur ad dicendum Matutinum de nocte per totum annum, juxta laudabilem cujuſque Provinciæ conſuetudinem, excepto à Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis incluſivè, uſque ad feſtum S. P. Auguſtini excluſivè, quo tempore in omnibus Italiæ Conventibus poſt Completorium dici poterit Matutinum, propter noctium brevitatem: cantent etiam ſingulis diebus Miſſam conventualem, & Antiphonam B. Virginis poſt Completorium; diebus verò feſtis etiam & Veſperas: in ſolemnitatibus autem, in quibus parari ſolent Cantores, cantent etiam Tertiam, vel aliam Horam cum Miſſa, & Completorium. Quando Matutinum dicendum.

3. Ubi autem fuerint adminùs viginti Fratres, quotidie cantentur Miſſa, & Veſperæ: in Feſtis verò Tertia etiam, & Completorium; in ſolemnitatibus, in quibus Cantores parantur, cantetur etiam Prima, ubi laudabilis adhùc uſus fuerit: In Monaſteriis autem nobilioribus quotidie cantentur Tertia, vel alia Hora cum Miſſa, Veſperæ, & Completorium: in Feſtis cantetur etiam Prima; in Solemnitatibus autem, in quibus parari ſolent Cantores, cantentur omnes Horæ diurnæ, excepta Nona, quandò poſt prandium dicitur: in Matutinis cantabitur juxta Provinciarum conſuetudinem, & quandòcumque cantari debet *Te Deum laudamus*, ultima Lectio cantetur; quæ omnia ſuis horis debitis, juxta temporis varietatem, à Fratribus in Choro dicantur, vel cantentur. Quando totum Officium cantandum.

4. Præcipimus autem, ut omnia, quæ cantanda fuerint, mediocri, & gravi Modus cantandi.

vi tono cantentur, cum debitis pauſis, & accentus quantitate ſervata. Quapropter curandum eſt, ut Hebdomadarii incipientes Officium, & Sacerdotes, ac Diaconi in Miſſis conforment ſe in tono Fratribus reſponſuris.

Muſicæ indecentes prohibentur.

Seſſ. 22. cap. 4.

Cap. 3. §. 1.

5. Prohibemus etiam in Eccleſiis noſtris Muſicas eas, ubi ſive Organo, ſive cantu laſcivum, aut indecens aliquid miſcetur, juxta Decretum Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi, & juxta præceptum Regulæ noſtræ dicentis: *Nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum; quod autem non ità ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.*

Qui intereſſe debent Sacro, & Horis.

6. Miſſæ Conventus, ac Horis canonicis tàm diurnis, quàm nocturnis omnes Fratres ſimùl interſint in Choro, nec foris quiſquam remaneat, niſi ſit infirmus, aut impotens, aut communi negotio occupatus, quod commodè dimitti non poſſit, aut etiam de Prioris licentia: & ſi aliqui communibus negotiis occupati Miſſæ Conventus intereſſe non poſſint, etiam infirmi, quibus ex motu non ſurgit probabilis de recidiva timor, horas obſervent, in quibus privatas Miſſas omninò audiant, niſi eadem die celebraverint.

Qui ſint exempti à Choro.

7. Excipimus tamen Sac. Theologiæ Magiſtros, & Profeſſores actuales tàm Philoſophiæ, quàm Theologiæ, ac Prædicatores Officium prædicationis exercentes, qui ſolummodò teneantur ſingulis diebus Miſſæ conventuali, & Horis canonicis, quæ unà cum Miſſa prædicta recitantur, atque etiam Veſperis intereſſe, diebus verò Feſtis etiam Completorio interſint: in ſolemnioribus autem Feſtivitatibus, in quibus parati ſolent Cantores, ad Matutinum ſurgere cum aliis debeant; illa tamen hebdomada, qua prædicaverint, ſolùm Miſſæ conventuali quotidiè (die ipſa prædicationis excepta) intereſſe teneantur.

NOTA. In Capitulo Generali 1685. anullatæ, & abrogatæ fuerunt omnes Exemptiones eorum, qui vel Præſentaturas ex Gratia quomodolibèt obtinuerunt, vel de corpore Diffinitorii, aut Priores Conventuum inſigniorum, ſive Procuratores fuerint alicujus Provinciæ, ſive alio titulo quomodòlibet intruſæ; declarando caſſas dein, & nullas exemptiones haberi debere, exceptis, quæ habentur in Conſtitutionibus Ordinis expreſſæ.

Caput IV.

De his, qui Miſſæ, vel Horis Canonicis non interſunt, vel tardè ad hujuſmodi Miſſam, vel Horas veniunt, aut in Choro cantando, vel legendo deficiunt.

Pœna abſentium.

1. Si quis Frater ad Matutinum non ſurrexerit, vel ab eo abſuerit, comedat in terra in medio Refectorii; qui autem ab alia Hora ex diurnis abſuerit, ad prandium, vel cœnam genibus flexis coram Priore dicat culpam ſuam, & ab eo, pro arbitrio, corrigatur. Prætereà quiſquis ad Matutinum, vel ad alias Horas, ſeu ad Miſſam conventualem tardè venerit, intrans Eccleſiam, vel Chorum more ſolito, ante majus Altare, primò genuflectat, poſtmòdum erectus, ſtet immobilis, nec ad locum ſuum vadat, donec ſignum factum fuerit ei à Priore, Suppriore, vel Vicario: quo audito, ante Altare reverenter inclinet, & ſic ad locum ſuum accedat. Excipimus tamen ab hac Lege Magiſtros, & Graduatos, Prioreſque aliorum Conventuum, vel quoſcumque majori aliqua dignitate inſignitos.

& ſero venientium.

Qui dicitur tardè venire.

2. Dicimus autem, illum tardè venire ad Horas, vel Miſſam, qui ad inchoationem earum præſens non fuerit, cùm aliàs intereſſe teneretur; & idcircò ſtrictè inhibemus, ne aliquis eorum, qui Officio intereſſe debent, pulſato ultimo ſigno ad Horas, vel Miſſam, extra Chorum cum aliquo audeat remanere ſine ſpeciali licentia Superioris, niſi forſitan cum venerabilibus Perſonis, quas decenter dimittere non poſſet: nullus etiam in Choro exiſtens, ſine licentia Superioris ab Officio recedat; qui verò ad Horas, vel ad Miſſam majorem tardè venire in uſum duxerit, diutiùs ſtare erectus, ut erubeſcat, cogendus eſt, & pœna alia, ſicut cenſuerit provida Prioris diſcretio, puniendus, & ſi forſitan quiſquam ſuperbia ductus, quamvis tardè venerit, in locis prædictis eo modo ſe habere contempſerit, ſi monitus ſemèl, atque iterùm non ſe correxerit, tamquàm pertinax, & inobediens graviùs puniatur.

Nullus extrà Chorum remaneat.

Pœna errantium in Choro.

3. Volumus præterea, ut qui in divino Officio cantando, vel legendo, aut cæremoniis faciendis, in aliquo erraverit, ſtatim inclinatus manu terram tangens, & pectus percutiens, culpam ſuam recognoſcat. Novitii verò genuflectant, & ſimiliter faciant.

Caput V.

De Officio Divino, ſeu precibus, quæ ſingulis quibuſque Horis perſolvi debent à Fratribus Laicis, & Converſis.

Laicorum preces horariæ.

1. FRatres Laici, & Converſi, præmiſſo *Pater noſter*, quod dicere debent ſicut Clerici ante ſingulas Horas, reverenter incipiant Matutinum de B. Virgine, hoc modo: *Domine labia &c. Deus in adjutorium* &c. cum *Gloria Patri* &c. & dicant

cant *Allel.* ſive *Laus tibi Domine* &c. juxta temporum varietatem; dicant autem pro Matutinis B. Virginis 25. *Pater noſter*, & pro Laudibus decem, & in fine cujuslibet, excepto ultimo, dicant *Ave Maria* &c. in fine autem ultimi *Pater noſter*, cùm dixerint, *Sed libera nos à malo*, ſubjungant *Per Dominum noſtrum* &c. *Amen. Domine exaudi* &c. & *clamor* &c. *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*: *Fidelium animæ* &c. Hoc quoque modo ſingulas Horas tàm de die, quàm de B. Virgine debeant terminare; deinde ſignent ſe ſigno Crucis, & incipiant Matutinum de die eo modo, quo Matutinum de B Virgine inceperunt.

Pro Matutino, & Veſperis.

2. Omni autem tempore dicant pro Matutino diei vigintiquinque. *Pater noſter*, & pro Laudibus decem, & in fine cujuslibet, excepto ultimo, dicant *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat*, &c. Alias Horas omnes tam de die, quàm de B. Virgine, excepto Completorio, ſic incipiant: *Deus in adjutorium*, &c. *Gloria Patri* &c. Completorium autem ſic incipiant: *Converte nos Deus*, &c. *Deus in adjutorium* &c. pro qualibet Hora de die dicant ſeptem *Pater noſter*, ſed pro Veſperis decem, & in fine cujuslibet dicant *Gloria Patri* &c. excepto ultimo: pro qualibet Hora de B. Virgine dicant ſeptem *Pater noſter*, & pro Veſperis decem, & in fine cujuslibet dicant *Ave Maria*, excepto ultimo, & ſemper dicant Officium B. Virginis.

Pro Officio B. M. V.

Pro Officio Defunctorum.

3. Pro Matutinis Fidelium defunctorum in die Commemorationis eorum, & in Anniverſariis Ordinis noſtri dicant vigintiquinque *Pater noſter*, & pro Laudibus decem, & pro Veſperis decem, & in fine cujuslibet dicant, *Requiem æternam dona eis Domine* &c. & cùm orant pro ſingulari Defuncto, dicant *ei*; & in fine cujuslibet Horæ adjungant, *Requieſcant in Pace*: *Amen*.

Quando Cæremoniis Chori ſe conforment.

4. Totum autem ſuum Officium Fratres Laici, & Converſi ſub ſilentio dicant, & quando fuerint in Choro, niſi genuflectant, conforment ſe in inclinationibus, & aliis cæremoniis Conventui.

Laici ne diſcant legere.

5. Inhibemus autem Fratribus Laicis, & Converſis, ne addiſcant, ſi legere neſciverint, quòd ſi contrafecerint, pro prima vice in terra comedant: pro ſecunda imponatur eis diſciplina: pro tertia pœnam gravioris culpæ ſubeant, & ſic deinceps augeatur pœna, & qui eos docuerit eadem pœna puniatur: Si vero ſciverint legere competenter, poterunt legere Officium B. Virginis, & aliquem alium libellum devotionis, de licentia tamen Prioris, & non aliter.

Contravenientium pœna.

6. Cujuſcumque verò ſint litteraturæ noſtri Laici, ſeu Converſi, volumus, & mandamus, ut reſpectu eorum ſervetur Conſtitutio Apoſtolica Clementis X. die 9. Maij Anno 1676. emanata, qua prohibetur, ne de cætetò ullus Frater ad noſtri Ordinis habitum inter Laicos, ſeu Converſos receptus, & admiſſus, ad ſtatum Clericalem, & ad Sacros Ordines promoveri valeat, niſi priùs obtento Indulto Apoſtolico, & item facultate Reverendiſſimi Prioris Generalis, & Prioris Provincialis ſuæ Provinciæ reſpectivè, ſine qua pariter facultate iterum petita, & impetrata poſt impetratum Indultum Apoſtolicum, & nonniſi adimpletis iis, quæ in ejuſmodi Indultis, & litteris Apoſtolicis deſuper expeditis præſcripta fuerint, Indulto ipſo perfrui non valebit, ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis ab exequutione tùm Characteris clericalis, cùm ſacrorum Ordinum & reductionis à ſtatu, & habitu Clericali ad ſtatum, & habitum Converſorum. Superiores autem, qui ad normam præfatæ Conſtitutionis Apoſtolicæ ſe minimè geſſerint, Officiis, quæ tunc obtinebunt, & utraque voce ipſo facto priventur.

Laici ad ſtatum Clericalem qualiter promovendi.

Caput VI.

De Libris habendis ad uſum Chori.

1. Univerſis Prioribus noſtræ Sacræ Religionis ſtrictè præcipimus, & mandamus, ut quilibet ex eis pro poſſe ſollicitè ſtudeat, ac procuret, ut in loco ſui Prioratus adminùs ſit unum bonum Miſſale pro Miſſa conventuali, & pro Miſſis privatis quot fuerint neceſſaria, & duo bona Antiphonaria, ſcilicèt unum diurnum, & aliud nocturnum, & Hymnarium notatum ſaltem in primo verſu, & adminùs unum bonum Pſalterium, & unum Manuale, ſeu Collectarium competentis voluminis, in quo Hebdomadarius Capitulum, & debitas Orationes dicat: item Breviarium, in quo legantur de nocte Lectiones debitæ.

Libri pro Choro.

2. Habeat prætereà librum Martyrologii ad legendum poſt Primam; ſint etiam in Sacriſtia Manualia ad Proceſſiones faciendas, & mortuos ſepeliendos; Ordinarium etiam Ordinis noſtri catenula ligatum ſit in Choro: & hæc faciant Prior Provincialis, & Viſitatores inviolabiliter cum debitis pœnitentiis à ſingulis Prioribus adimpleri, quòd ſi ipſi hæc obſervari non fecerint, per Provincialem in Officio ſuccedentem, vel per Viſitatores acriter puniantur.

Libri pro Sacriſtia.

Pœna Superioribus infligenda.

Caput VII.

De forma circa promovendos ad Sacerdotium, & ad alios Sacros Ordines, atque ad audiendum Confeſſiones.

1. Nemo ad Sac. Ordines promoveatur, niſi ejus & ſufficientiæ, & ætatis fuerit, quam ipſi Sacroſancta Tridentina Synodus præſcribit, ut videlicet: Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, nec ad Diaconatus, ante vigeſimum tertium, nec ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur.

Seſſ. 23. cap. 12.

Ætas Ordinandorum.

2. Sciant autem Superiores Ordinis noſtri non ſingulos in ea ætate conſtitutos, deberi ad Sac. Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. Ad Sacerdotium, & ad alios inferiores Sacros Ordines recipiendos Prior Provincialis, de conſenſu tamen Patrum Capituli illius Conventus, ubi eſt Frater ordinandus, licentiam dare poſſit, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1497. dummodò priùs emiſerit Profeſſionem ſolemnem, & non aliter.

Non omnes ad Ordines promovendi.

Conſenſus Patrum Capituli.

3. Quamvìs autem Fratres noſtri nullatenùs ordinari queant ſine diligenti Epiſcopi examine, juxta Decretum ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi, non tamen ex eo exiſtiment ſe poſſe ſubterfugere Ordinis examen rigoroſum, quin potiùs ſtrictè prohibemus, ne aliquis Frater ordinandus Epiſcopo præſentetur, † niſi priùs diligenter examinatus, & debitè approbatus in Ordine fuerit, ne vituperetur miniſterium noſtrum, ſi indocti, & ignorantes à nobis fuerint præſentati. Quod ut commodiùs fieri poſſit, Prior Provincialis cujuslibet Provinciæ in ſuis Viſitationibus diligenter inquirat de Fratribus ad Sacros Ordines promovendis, quod etiam facere debet de promovendis ad Confeſſiones, de quibus inferiùs dicetur; eoſque diligenter examinet, aſſumptis ſecum duobus Fratribus eruditis de Conventu, in quo id facere contigerit, cum quibus illos tantùm per fabas, vel ballottulas approbabit ad Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ſuſcipiendos, de conſenſu Conventus poſteà eodem modo petendo, qui diſtinctè legere, & cantum firmum cantare ſciverint, ac linquam latinam mediocriter calluerint, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi fuerint.

Seſſ. 23. cap. 12.

Examen Ordinis.

In Viſitatione à Provinciali examinandi.

4. Ad ſuſcipiendum verò Ordinem Presbyteratus de conſenſu Capituli Conventus, poſteà ſupradicto modo requirendo, illos approbabit, quos ad docendum populum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; ac ad Sacramenta adminiſtranda idoneos invenerit: aliter quàm (ut ſupra dictum eſt) promotus à ſuorum Ordinum executione ſuſpendatur uſque ad diſpenſationem Capituli provincialis, & licentiam concedens ab Officio deponatur, & per ſexennium inhabilis ad omnia officia Ordinis habeatur.

Conſenſus Capituli Conventus pro Ordinandis.

Promotus contra Conſtit. ſuſpenditur.

5. Nullus item quantumcùmque doctus, & provectæ ætatis ordinetur Sacerdos ante biennium completum poſt Profeſſionem.

Ante biennium poſt Profeſſionem nullus ordinetur Sacerdos.

6. Statuimus etiam, ut nullus Frater noſtri Ordinis Confeſſiones Perſonarum, quæ non ſunt de Ordine noſtro, & præſertìm mulierum audire præſumat, niſi ſit Profeſſus, & triginta annorum ætatem habuerit, & promotus fuerit modo ſupradicto à Provinciali, & Diffinitoribus ſimùl congregatis, & non aliter, & licentiam audiendi Confeſſiones ab Ordinario obtinuerit, ad quem ne aliquis pro obtinenda licentia ullo modo accedat, nec mittatur, ſtrictè mandamus, niſi priùs fuerit diligenter examinatus à Priore Provinciali, & duobus aliis Fratribus in Caſibus conſcientiæ ſufficienter inſtructis, & per ballottulas approbatus modo, quo ſupra dictum eſt, poſt quorum approbationem, ſi à Priori Provinciali, & Diffinitoribus inventus fuerit vitæ laudabilis, in eaque longo tempore perſeveraſſe, hujuſmodi pro Confeſſore Epiſcopo præſentari poſſit.

De Confeſſoribus extranearum Perſonarum.

7. Aliter autem ad Confeſſiones aſſumens ab omni Officio, & gradu, quo in Ordine potitur, ſit privatus, uſque ad diſpenſationem Capituli generalis, irritam nihilòminus aſſumptionem hujuſmodi decernentes, quam ſtatim præcipimus revocari: Fratrem verò ſubditum contra præſentem Ordinationem ad audientiam Confeſſionum hujuſmodi temerè ſe ingerentem, etiamſi à Priore proprio cum auctoritate Ordinarii Epiſcopi de facto ad hujuſmodi Officium promoveretur, ac etiamſi Sæculares, vel Religioſæ extraneæ tamen Perſonæ eligendi ſibi Confeſſorem facultatem haberent, uſque ad tres annos tunc futuros, & deinde donec cum eo fuerit per Capitulum provinciale diſpenſatum, ad hujuſmodi Officium exercendum inhabilem eſſe decernimus, voceque activa, & paſſiva per biennium privamus.

Pœna malè promoventis, & promoti.

NOTA † Epiſcopo Diœceſano tunc Ordinationes facienti debent præſentari Fratres ordinandi cum litteris dimiſſoriis ſuorum Superiorum, aliàs ad quemcumque alium Epiſcopum, dummodò ab eo, qui ipſis Ordines contulerit, de doctrina examinentur. *Sac. Congreg. Concil. Trident. ex mente Sixti V. ſuper* Seſſ. 23. cap. 6. & Clemens VIII. Conſtit. 10. 15. Martii 1599. Si autem dicti Fratres

tres degant in Monaſteriis ſitis in locis nullius Diœceſis, debent ordinari ab Epiſcopo viciniori *Sac. Congr. Concil. Trid.* Anno 1619.

CAPUT VIII.

A quibus ſecretæ Confeſſiones Fratrum Ordinis audiantur, & de Caſibus reſervatis.

De Confeſſore noſtrorum Religioſorum.

1. AD audiendum Confeſſiones quorumcumque Sacerdotum Ordinis noſtri, & Fratrum Clericorum, Fratrum Laicorum, Converſorum, ac Novitiorum Patres ætate, doctrina, & vita graviores quilibet Prior in Conventu ſuo deligat, præter quos ſiquis alicujus Fratris Confeſſionem audire præſumpſerit, per triennium Confeſſiones non audiat; & Sacerdos, aut Clericus, Laicus, Converſus, vel Novitius, qui tali confeſſus fuerit, ſecundùm Prioris diſcretionem, graviter tamen puniatur: admittitur nihilòminus, quòd neceſſitatis cauſa ad Confeſſiones Fratrum audiendas Priores poſſint deligere Fratrem ætatis vigintiſeptem annorum, ſi ſibi videbitur expedire: non probamus autem, ut Novitii cogi debeant Magiſtris ſuis tantummodò confiteri, ſed Prior providere debet de alio, vel aliis Confeſſoribus, qui ſacras Novitiorum Confeſſiones audiant.

De Confeſſore Novitiorum.

Confeſſio debet fieri noſtris.

2. Inhibemus autem, ne aliquis Frater alicui extraneo Sacerdoti, ſive ſit religioſus, ſive ſæcularis confiteatur, ſi copiam Sacerdotis noſtri Ordinis habere potuerit.

De Confeſſoribus Fratrum itinerantium.

3. Declaramus etiam, quòd quando Fratres iter agunt, vel extra Conventum ſunt, ſi adſit Confeſſor Ordinis, non poſſunt alicui Sacerdoti ejuſdem Ordinis, aliàs non Confeſſori, confiteri, nec in Conventu poterunt confiteri Confeſſori alterius Conventus, etiam ſi Prior fuerit: Fratres tamen venientes ad Conventum non ſuum, poterunt confiteri Fratribus licentiatis ad audiendum Confeſſiones Fratrum ibidem commorantium, etiamſi adfuiſſent Confeſſores, vel etiam Prior ſui proprii Conventus; quibus tamen poterunt, ſi voluerint, liberè confiteri, quemadmodum feciſſent, ſi in proprio ſuo Conventu fuiſſent.

Caſus reſervati Priori locali.

4. Caſus verò, à quibus nullus Confeſſor aliquem Fratrem Ordinis noſtri abſolvere poteſt ſine ſpeciali Prioris licentia, hi ſunt, videlicèt:

1. *Furtum de re notabili, ſive res ablata communis ſit, ſive alicujus uſui deputata.*

2. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.*

3. *Conjuratio omnis, & conſpiratio.*

4. *Simonia tàm in dante, quàm in accipiente.*

5. *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ animo deliberato facta.*

6. *Incendium ex malitia factum, vel procuratum.*

7. *Et ſiquidem contigerit ſine licentia extra Loci ſepta de nocte exire.*

8. *Apoſtaſiam committere, vel alicui perſuadere.*

Et quæcumque alia, vel Prior Generalis, vel Provincialis, aut etiam Localis † (de conſenſu tamen Patrum Conſilii ſui Conventus) ſibi reſervanda duxerit.

5. A quibus ſiquis alium abſolverit abſque licentia reſervantis, præterquàm quòd abſolutio nulla erit, abſolvens ipſe, ac ſi crimen illud commiſiſſet, puniatur, ſi fuerit ſuomet ore de eo convictus. Quando autem alicui peccato reſervato annexa fuerit aliqua Cenſura, non ſufficit petere licentiam abſolvendi à peccato, ſed oportet, ut fiat mentio annexæ Cenſuræ, aliàs non valebit Abſolutio, licèt detur.

Confeſſor Superiorum qualis.

6. Prætereà declaramus, quòd Prior localis abſolvi poteſt à ſuo Confeſſore ab omnibus caſibus ſibi reſervatis, non tamen ab illis, quos Provincialis, vel Viſitatores, ſeu Pater Reverendiſſimus ſibi reſervaverint; Provincialis verò abſolvi poterit ab omnibus caſibus, præterquàm ab illis, quos ſibi Prior Generalis reſervaverit, vel ejus Viſitatores.

Confeſſio quoties facienda, & ubi.

7. Volumus etiam firmiter obſervari ut ſemel adminùs in Septimana quilibet Frater, cujuſcumque gradus, vel conditionis ſit, teneatur debitè confiteri, in Capitulo, in Choro, vel in Sacriſtia, vel denique in aliquo pùblico, & decenti loco: qui autem hoc facere neglexerit, per Superiorem ſuum publicè puniatur. Sacerdotes verò celebraturi, toties confiteantur, quoties conſcientias ſuas aggravatas cognoverint.

Modus confitendi.

8. In Confeſſionibus autem hic modus ſervetur. Confeſſor ſemper ſedeat, cujuſcumque dignitatis ſit pœnitens, hic verò utroque genu flexo, junctiſque manibus, capite diſcooperto incipiat: *Confiteor Deo*, uſque ad *mea maxima culpa*; deinde ſimpliciter, & humiliter, non per clauſulas univerſales ſolùm, ſed in particulari de omnibus peccatis ſuis, ac circumſtantiis, neceſſariò explicandis, ſe accuſet, & in fine ſubjungat: *Et quia peccavi in his, & in aliis, de iſtis, & de omnibus peccatis meis mortalibus, & venialibus, confeſſis, & oblitis, quibus offendi Dominum Deum meum, dico meam culpam, meam culpam, meam maximam culpam: ideò precor* &c. Dicat ei Confeſſor, *Miſereatur tui* &c. *Indulgentiam* &c. tunc abſolvat eum, dicens: *Dominus noſter JEſus Chriſtus* &c. ut in Of-

Forma Abſolutionis.

ficiis Ordinis continetur ; & poſteà imponat ei ſalutarem pœnitentiam ; quæ etiam Abſolutionis forma ſervari poterit, quando Sæcularium Confeſſiones audiri contigerit.

NOTÆ. Ex Decreto Clem. VIII. Anno 1593. 26. Maij confirmato ab Urbano VIII. 21 Septembris 1624. conceſſum fuit Superioribus ſibi reſervandi ſi velint etiam ſequentes Caſus, qui nimirum ſunt : Veneficia, Incantationes, Sortilegia ; Juramentum falſum in Judicio regulari, ſeu legitimo ; Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad Abortum faciendum poſt animatum Fœtum, etiam effectu non ſequuto ; Falſificatio manus, aut Sigilli Officialium Conventus, & malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio Litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores. Præter quos nullum alium caſum poſſunt ſibi reſervare, niſi de conſenſu Capituli generalis, aut provincialis.

Idem Urbanus VIII. declaravit, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominùs Confeſſarii illa vice Pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſolvere.

CAPUT IX.

Quoties, & quando Fratres noſtri Ordinis communicare debeant quolibet anno.

1. FRatres noſtri Ordinis tàm Novitii, quàm Profeſſi, Laici, Converſi, vel Commiſſi ſequentibus diebus in anno Sacratiſſimam Communionem ſuſcipere debent, niſi de licentia Prioris, propter aliquam rationabilem cauſam, quempiam abſtinere contingat, videlicet :

Dies Communionis.

2. In prima Dominica Adventus, in die Nativitatis D. N. JEſu Chriſti, in die Epiphaniæ, in Purificatione B. Mariæ ſemper Virginis ; in prima, & quarta Dominica Quadrageſimæ, in Annunciatione B. Virginis, Feria quinta in Cœna Domini, in Dominica Reſurrectionis Domini, in Aſcenſione ejuſdem, in Die ſancto Pentecoſtes, in Feſto Corporis Chriſti, in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, in Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, in Aſſumptione B. Mariæ Virginis, in Feſto S. P. N. Auguſtini, in Nativitate B. Mariæ Virginis, in Feſto S. Michaelis Archangeli, in Solemnitate omnium Sanctorum.

Alii dies extraordinarii.

3. Volumus autem, ut in illis menſibus, in quibus non occurrerit dies Communionis, Fratres noſtri communicare teneantur, vel prima Dominica Menſis ; vel ea, in qua conſuetum fuerit in loco illo Proceſſionem facere Sanctiſſimi Sacramenti. Hortamur verò omnes Fratres noſtros, ut in omnibus Dominicis tàm Quadrageſimæ, quàm Adventus Domini devotè, & conventualiter, ad excitandos Fideles, communicare ſtudeant. Inſuper jubemus, ut in Dominicis, ac ſolemnibus diebus Diaconus, ac Subdiaconus, qui Altari miniſtraverint, vel alter eorum, qui non fuerit Sacerdos Communionem percipiat. Illis autem diebus, quibus ſolent Fratres ex Ordinis inſtituto communicare, Superior poſt Matutinum faciat Abſolutionem generalem, prout in Officiis Ordinis continetur, & concedat ſemper delectis Confeſſoribus Familiæ Conventus à caſibus reſervatis abſolvendi facultatem, niſi ipſi neceſſarium videretur, ob aliquam rationabilem cauſam, aliquem caſum retinere.

Abſolutio generalis.

4. Siquis autem in aliquo prædictorum dierum à Communione abſtinere petierit ſine manifeſta, & rationabili cauſa, quam probet Prior, ei non concedatur, quam cauſam Priori dicere teneatur ; quod ſi facere renuerit, comedat in terra coram Conventu ſecunda, quarta, & ſexta Feria in pane, & aqua ſolùm jejunando, donec de prædicta culpa ſatisfecerit, ſicut decet ; Sacerdotes etiam cæcitate, vel aliqua alia infirmitate, vel impedimento præpediti, diebus prædictis communicare teneantur.

Pœna non Communicantis.

5. In omnibus diebus Communionis generalis omnes Fratres vel celebrent, vel communicent, & poſt celebrationem, vel communionem, genibus flexis dicant Orationem, *Deus omnium Fidelium paſtor, & rector* &c. aut Orationem Dominicam, ſi prædictam neſcierint, pro conſervatione ſtatus S. M. Eccleſiæ, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis; & tunc ex gratia, & conceſſione Sedis Apoſtolicæ plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam ſingulis diebus prædictis conſequentur.

Indulgentia Communicantium.

CAPUT X.

De Confeſſionibus ſæcularium Mulierum audiendis.

1. CUM ad audiendum in Eccleſia Confeſſiones qualiumcumque mulierum Confeſſor aliquis requiſitus fuerit, id facere non valeat, niſi de licentia, vel ſaltem conſenſu Prioris ſui, & in Confeſſionariis ad id deputatis, in quibus nemini loqui liceat, niſi gratia confitendi, aut ea, quæ Confeſſioni confinia ſunt tractandi : qui contrafecerit à Superiori, prout de jure, debitis pœnis reſpectivè puniatur.

Confeſſoris pœna aliud à Confeſſione tractantis.

2. Cùm autem ad audiendas Confeſſiones qualiumcumque mulierum Confeſſor aliquis extra Eccleſiam, & Monaſterium vadit, ſemper ei provideatur de Fra-

De Socio aſſignando Confeſſori.

Fratre ſocio, qui ſit provectæ ætatis, vel quem opinio bona commendet, & ubique, & ſemper ſic ſe habeat, ut ſocius ſuus patenter videat eum; quòd ſi locus ſit ità arctus, quòd ſocius in eo, ut ipſum videat, manere non poſſit, juxta oſtium manebit, dummodò verba non poſſit intelligere Confitentis.

SECUNDA PARS

Noſtrarum Conſtitutionum, In qua tractatur de Obſervantiis noſtræ Sacræ Religionis.

CAPUT I.

De ætate, & qualitate eorum, qui ad Ordinem recipiendi ſunt.

1. QUoniam refert plurimùm ad divinum ſervitium, & Ordinis profectum, ut conveniens habeatur delectus eorum, qui ad Ordinem admittuntur; diligentia non modica adhibenda erit, ut intelligantur ea, quæ ad eorum perſonas, & vocationem attinent. Quamvis autem charitas, & zelus animarum omnia hominum genera complectatur, nam *idem Dominus omnium*, & ideò teneamur cunctos ad Beatitudinem conſequendam in Domino juvare; non tamen ad Ordinem recipiendi ſunt, niſi qui utiles fuerint, & Ordinem in aliquo juvare potuerint, quo meliùs communi utilitati noſtra Sacra Religio inſervire poſſit: nam qui vult vineam bonam habere, palmites, ex quibus plantanda eſt, cum diſcretione debet eligere.

Rom. c. 10. verſ. 12.

Non recipiendi ad Ordinem niſi utiles.

2. Hi ergo, qui recipiendi fuerint, non ſint minores quatuordecim annis, & quòad fieri poſſit, ſint bonæ conſcientiæ, quieti, amatores virtutum, ac perfectionis, propenſi ad devotionem, & qui habeant vires, quibus ferre poſſint Ordinis noſtri labores; Converſi autem non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ chriſtianæ capita noverint Oblati item non admittantur, niſi & ipſi vigeſimum annum agant, & petita, ac obtenta licentia à Reverendiſſimo Patre Generali, & Provincialibus reſpectivè, ac conſultis Patribus Vocalibus illius Conventus, ad cujus famulitium aſſumentur, iidemque ſine caputio. Recipiantur autem omnes de licentia non modò Prioris Provincialis, verùm etiam de conſenſu primò Patrum Conſilii, deinde majoris partis Capituli. In Italia verò ſerventur Conſtitutiones Apoſtolicæ circa hoc emanatæ.

Qui pro Clericis recipiuntur non ſint minores quatuordecim Annis. Converſi qua ætate recipiendi.

3. Nullus verò recipiatur, qui fuerit de Apoſtaſia à Fide, vel de Hæreſi aliquando juſtè accuſatus (excipiuntur loca, in quibus Hæretici convivunt cum Catholicis) neque qui ſit natus ex Parentibus, aut Avis per Sanctum Inquiſitionis Officium de Apoſtaſia à Fide, vel de Hæreſi, ſeu vehementi ejus ſuſpicione punitis, ſeu damnatis: neque Servus, neque matrimonio conſummato ligatus, niſi à conjuge facultas ei concederetur, obſervatis aliis circumſtantiis, quæ juxta Sacros Canones obſervari neceſſe eſt: nec qui comitiali morbo, vel aliquo gravi judicii defectu laboraverit; nullus prætereà qui aliquo notabili defectu, vel deformitate corporis ſignatus fuerit.

Qui non ſint admittendi.

4. Qui verò poſt receptionem alìquo ſupradictorum impedimentorum detineri deprehenſus fuerit, ſtatim ab Ordine expellatur, tamquàm ad profitendum inhabilis, immò ſi profeſſus jam fuerit, ab Ordine poterit, & debet expelli, ſi ejus Profeſſio fuerit ſub tali fraude, & dolo acceptata. Si autem de aliquo impedimentorum dubium oriatur, ad Provincialem & Diffinitores recurri debet, & Prior, vel quicumque Prælatus, qui vel aliquem ſcienter contra prædictam formam receperit, vel ignoranter receptum, cognito impedimento, non ejecerit, ab Officio deponatur, & per triennium maneat inhabilis ad omnia officia cum cura animarum.

Aliter recepti expellendi ab Ordine.

Pœna malè admittentis, & non eijcientis.

5. Animadvertendum etiam eſt, ne aliquis ad Ordinem recipiatur ære alieno in notabili quantitate oppreſſus, ſeu aliqua infirmitate contagioſa detentus, ne ſi Profeſſionem emittere contingat, Ordini detrimentum ſubſequatur. Pro Clerico autem nullus recipiatur, niſi ſaltem calleat præcepta Grammaticæ, atque aptus videatur ad alia neceſſaria diſcenda; poterit tamen aliquis de nobili genere, etſi minùs noverit, recipi de gratia ſpeciali, modò ſigna docilitatis oſtendat. Superiores verò admittentes hujuſmodi inhabiles ad Habitum, & Profeſſionem, utraque voce, Officiis, gradibus, dignitatibus, & honoribus quibuſcumque ipſo facto in perpetuum priventur, & ad alia quæcumque obtinenda declarantur perpetuò incapaces.

Alia duo impedimenta.

Qualitates Clericorum.

Pœna contra admittentes inhabiles.

6. Cùm verò lepra ſimoniacæ pravitatis infectus, ſit quaſi membrum putridum, & à Corpore S. M. Eccleſiæ alienum, omnibus, & ſingulis Prioribus,

Simonia cavenda.

bus, & quibuſcumque Superioribus, ac aliis Fratribus noſtræ Religionis ſtrictè præcipimus, & mandamus, ut nullus ex eis Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel ut recipiatur conſentiat, vel permittat, re aliqua accepta, vel detenta, pro ſe ipſo in particulari, vel pactione aliqua interveniente tacita, vel expreſſa, ad effectum videlicet receptionis: quòd

Pœnæ Simoniaci.

ſiquis immemor ſuæ ſalutis, contrafecerit, ſi officium habuerit cum cura animarum, ipſo facto ſit tali officio privatus, & ad aliquod officium cum prædicta cura in noſtro Ordine nullatenùs aſſumatur, niſi ſuper hoc ſecum per Capitulum generale fuerit diſpenſatum, & per quinquennium voce activa, & paſſiva careat. Quicumque verò Frater ſubditus inveniatur Simoniam in eodem caſu commiſiſſe, eidem pœnæ ſubjaceat, & pœnam gravioris culpæ per menſem ſuſtinere cogatur.

De aliena Religione recipi non poſſunt.

7. De Ordinibus Fratrum Mendicantium nullus ad noſtrum recipiatur, quantumcùmque extiterit importunus. Alterius verò cujuſcumque Profeſſionis nullus recipiatur, niſi de licentia Capituli generalis, & niſi ſit talis, de quo conſtet, quòd in Ordine ſuo inquietus non fuerit, & quòd honeſtè, & cum bono exemplo ſemper ibidem vixerit: Siquis autem hujuſmodi receptus fuerit, ſicut liber à ſæculo fugiens, in probatione per annum & diem maneat, & expreſſam poſteà in noſtro Ordine, ſicut alii Fratres, Profeſſionem emittat.

Neque Illegitimi.

Nullus præstereà recipiatur, qui de legitimo matrimonio non fuerit procreatus; proùt nobis de mandato Sanctiſſimi D. N. Innocentii Papæ XI. injunctum fuit. Super quo etiam nec ipſe Reverendiſſimus Pater, ſed tantùm Capitulum generale diſpenſandi habeat facultatem.

8. Si verò præfatos cùm exteros, tùm illegitimos contra hanc noſtram Conſtitutionem recipi ad habitum aliquando contigerit, irritam, & nullam receptionem illam fore declaramus, & prædictos habendos eſſe, ac ſi minimè acceptati fuiſſent.

Pœna contravenientium.

Acceptantes verò tàm Provinciales, quàm Priores Conventuum privationem utriuſque vocis, & omnium Officiorum, cum inhabilitate ad illa impoſterùm obtinenda, ipſo facto noverint incurriſſe uſquedum per Capitulum generale cum eis miſericorditer fuerit diſpenſatum.

Nullus admittatur, quin de ejus ætate ac Parentibus Conventui conſtet.

Quapropter præcipimus, & inviolabiliter obſervari mandamus ſub eiſdem pœnis, omnibus, & ſingulis Prioribus, ut nullum ad Ordinem admittant, nec Conventui proponant, quin priùs Patribus Conſilii per publicum Inſtrumentum, in Depoſito Conventus conſervandum, manifeſtè conſtet de ejus Parentibus, Patria, atque ætate; quæ omnia poſteà ipſe Prior Patribus Capituli, dum illum ad habitum recipiendum proponit, notificare teneatur.

NOTA. Quòad qualitates requiſitas in recipiendis ad Ordinem, videndæ ſunt Conſtitutiones, & moderationes Sixti V. Gregorii XIV. & Clem. VIII. quæ authoritate Urbani VIII. innòvatæ ſunt Anno 1624. 21. Septembris. Quibus decreverunt ad Ordinem non eſſe recipiendum homicidam facinoroſum, & ſimilium, vel graviorum criminum reum, vel vehementer ſuſpectum.

Caput II.

De Receptione Novitiorum.

1. Siquis in Ordine noſtro recipi petierit, non ſtatim annuatur ei, quicumque ille ſit, ſed priùs de ejus Parentibus, Patria, deque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur; deinde probetur ſpiritus eius, ſi ex Deo eſt, quia deſideria dilatione creſcunt, & in privatis colloquiis voluntas, mens, & intentio ipſius à Priore Conventus, vel à Magiſtro Novitiorum, ſeu ab alio perfectè exploretur: quòd ſi perſeveraverit in propoſito, Prior eum faciat diligenter examinari à duobus Examinatoribus ad hoc munus deputatis; & ſi inventus fuerit idoneus, legantur ei impedimenta, in Capitulo præcedenti notata, inde ſcilicet: *Nullus verò recipiatur, qui fuerit de Apoſtaſia* &c. & ſi reſponderit, ſe nullo illorum impedimentorum teneri, admonendus erit de juramento ſibi præſtando coram omnibus, faciendaque eſt ei proteſtatio, quòd ſi aliquem horum defectuum patiatur, habita certa cognitione, quocumque tempore expelletur, etiamſi tunc temporis jam fuerit profeſſus, quia talis Profeſſio erit nulla.

Modus recipiendi Novitios.

Cap. 1. n. 3.

De cautione juratoria.

Profeſſio dolo facta, nulla.

2. Quod ſi ſe jurare velle reſponderit, poſt oblatam ei ſpem, à Priore proponatur primò Patribus Conſilii, quòd ſi ab eis approbatus fuerit, proponatur Fratribus in Capitulo; & ſi à majori parte eorum recipiatur, die, & hora, qua Prior providebit, in Choro, ſeu in Eccleſia Fratribus in unum congregatis, ab uno Fratre, qui eum de modo miſericordiæ petendæ diligenter inſtruet, ducatur eodèm, ubi coram Priore proſternat ſe, & interrrogatus ab illo: *Quid petis?* reſpondeat: *Miſericordiam Dei, & veſtram ſocietatem.* Deinde Prior jubeat eum ſurgere ſuper genua, & dicat ei: *Fili chariſſime, miſericordiam Dei tibi dare non valemus, ſed benè credimus, tecum factam fuiſſe, quando Dominus Deus te inſpiravit ad ingreſſum hujus Sacræ Auguſtinianæ Religionis: ad noſtram verò ſocietatem te admittere contenti ſumus,*

Conſenſus Patrum Conſilii, & Capituli.

Petitio.

mus, ſi ex parte tui non obſtet aliquod ex impedimentis, in noſtris Conſtitutionibus notatis.

Proponat Prior impedimenta.

3. Tunc legat ei impedimenta ſupradicta, ab eo diſtinctè inquirens ſub præſtito Juramento, an aliquo illorum teneatur; qui ſi reſponderit aliquo illorum ſe teneri, repellatur tamquàm ſubjectus juri alieno, vel tamquàm ad ferendum pondus Religionis ineptus, & à Sacris Altaribus projectus: ſed ſi ab omnibus his ſe liberum eſſe dixerit, fiat ei ſupradicta proteſtatio.

Proponantur aſperitates Ordinis.

4. Deinde ne aliquandò dicere poſſit, ſe fuiſſe deceptum, vel non crediſſe tot ardua eſſe in Religione, exponat ei Prior aſperitatem Ordinis, videlicèt: abdicationem propriæ voluntatis, vigilias nocturnas, labores diurnos, longa jejunia, macerationem carnis, aſperitatem veſtium, mœrorem Clauſtri, rigorem paupertatis, ruborem mendicitatis, vilitatem ciborum, & citra hæc omnia, reprehenſiones, vilificationes, ſeu mortificationes, continuas pœnitentias, firmiter promittens ei ex parte Dei vitam æternam, ſi prædicta obſervaverit; & de his omnibus voluntatem ejus exquirat.

5. Quòd ſi reſponderit, ſe velle cum Dei adjutorio cuncta ſufferre, & ſervare, inquantùm humana fragilitas ſervare ſinit: dicat ei Prior: *Accipiemus te ad probationem, ſicut mos eſt fieri*; Et poſt hæc dicat: *Dominus, qui incepit in te bonum opus, ipſe perficiat*; & Conventus reſpondeat *Amen*. Deinde tonſis crinibus, ſi debet eſſe Clericus, veſtibus ſæcularibus exuatur à Priore, dicente: *exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis*, & reſpondeatur, *Amen*. Tunc Prior ſurgens, dicat: *Domine exaudi* &c. *Dominus vobiſcum* &c. *Oremus*: *Domine Deus virtutum ſupplices deprecamur clementiam tuam, ut hunc famulum tuum miſerationis tuæ abundantia ab omni vetuſtatis corruptione expurges, & capacem ſanctæ novitatis efficias. Per Chriſtum &c.*

Veſtibus ſæcularibus exuatur.

Coloſ. 3. 9.

Impoſitio habitus albi.

6. Qua Oratione dicta habitu albo, quem in honorem puriſſimæ V. Mariæ univerſus Ordo noſter geſtat, initio induatur. Imponendo tunicam albam dicat: *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis: In nomine Patris &c.* Faciatque ſignum ✝ ſuper eum cum tunica. Imponendo ſcapulare, ſive patientiam, dicat: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve; In nomine Patris* &c. deinde ſuperinduatur Cappa nigra, & cingatur corrigia.

Epheſ. 4. 24.

Matth. 11. 30.

Impoſitio Cappæ, & Corrigiæ.

In quo differant Veſtes Novitiorum

7. Veſtes enim ipſius in hoc ſolùm different à veſtibus Profeſſorum, quòd ante Profeſſionem Cuculla ipſius non benedicetur; & tunc Prior in loco ſuo dicat Novitio genibus flexis manente coram eo: *Dominus vobiſcum* &c. *Oremus: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum bene ✝ dicere dignare, cui in ſancto nomine tuo ſacræ Eremitanæ Religionis habitum dedimus, ut te largiente, devotus in ea perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum &c. Amen.*

à Veſtibus Profeſſorum.

Proſtratur Novitius.

8. Poſteà Cantores incipiant Hymnum *Veni Creator &c.* Interim Novitius proſtratus jaceat ſuper tapetum ad modum Crucis ante Altare, vel in medio Chori, & finito Hymno, dicant Cantores ℣. *Emitte Spiritum tuum* &c. *Ora pro eo Sancta Dei Genitrix &c. Ora pro eo B. P. Auguſtine* &c. Prior in medio Chori dicat: *Dominus vobiſcum &c. Oremus: Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente B. P. N. Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Chriſtum &c.* ℟. *Amen.*

Orationes dicendæ.

Mutet Nomen, ſi expedierit.

9. Poſteà Novitium aſpergat aqua benedicta, & tunc ab Inſtructore erigatur, & ducatur ad pedes Prioris, qui ei mutet nomen, ſi videbitur expedire; præſertim ſi habuerit nomen ethnicum, & imponat ei nomen alicujus Sancti maximè Ordinis noſtri, ut noſtrorum priſcorum Patrum memoria in dies renovetur: & in ſignum ſpiritualis dilectionis, atque ſocialis charitatis eum amplectatur, & poſt eum idem faciant ſucceſſivè cæteri Fratres; Novitius verò genibus flexis manum Prioris deoſculetur, aliorum verò Sacerdotum manus etiam deoſculari debet, non tamen genuflectere, & pace expleta, tradatur Novitius à Priore Magiſtro Novitiorum, de Regula, & Conſtitutionibus, & aliis Obſervantiis Ordinis inſtruendus: Veſtes autem ejus ſæculares à Magiſtro ſerventur uſque ad Profeſſionem.

Inveſtitio Laicorum.

10. Laici, & Converſi in Capitulo, & non in Eccleſia recipientur, & nihil in eorum receptione cantabitur, ſed omnia ſupradicta ſine nota dicentur.

Contra recipientes aliquid à Novitiis.

11. Toto illo tempore, quo in probatione Novitius manebit, excepto victu, & veſtitu, à Parentibus, vel Propinquis, aut Curatoribus ejus ex bonis ejuſdem Monaſterium nihil accipiat, ne hac occaſione Novitius diſcedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat,

Excommunicatio Seſſ. 25. c. 16.

neve difficilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit; quin potiùs declaramus, præcipi à Sancta Synodo Tridentina ſub anathematis pœna, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante Profeſſionem, omnia reſtituantur, quæ ſua erant: *Nulla autem renunciatio, † aut obligatio, ante Profeſſionem facta, etiam cum Juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante Profeſſionem; & non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta Profeſſione: aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expreſſa renunciatione, ſit irrita, & nullius effectus*; proùt Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini ſancitum eſt.

Licentia Epiſcopi neceſſaria in renunciatione. Seſſ. 25. c. 16.

Tempus Probationis.

12. Novitius à die ingreſſionis ad nos uſque ad annum, & diem adminùs in probatione manebit, ut ipſe experiatur aſperitatem Ordinis, & Fratres experiantur mores illius; quo tempore nulli ei Ordines conferantur.

Novitius primo triennio incapax officiorum.

13. A die autem receptionis ſuæ uſque ad triennium quamvis ſit doctus, & grandævus, ad omnia Officia, quæ per electionem dari conſueverunt, ſit ineligibilis: Ad Officia verò cum cura animarum per quinquennium à die receptionis ſuæ nullo pacto eligi poſſit, proùt diffinitum fuit in Capitulo generali Ratisponæ celebrato Anno Domini 1290. Hoc autem præcipimus, ut priùs noſtri Ordinis Fratres ſubeſſe diſcant, quàm præeſſe, poſteà verò eligi poſſint, dummodò tamen toto iſto tempore ſub regulari laudabiliter vixerint diſciplina, & non aliter.

NOTÆ. † Sac. Congregatio Concil. Trident. cenſuit 3. Martii 1594., & 18. Martii 1598. hoc Decretum Concilii non vindicare ſibi locum in Donationibus, & Renunciationibus ante ſuſceptionem habitus, etiam animo, & propoſito Religionem ingrediendi factis. Et 17. Octobris 1594. Renunciationem factam cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii (ubi in uſu eſt) intra duos menſes proximos ante Profeſſionem non cenſeri invalidam, ſi Profeſſio ex rationabili cauſa differatur. Ac tandem 22. Januarii 1598. prædictum Decretum Concilii circa Donationes, non intelligi de Teſtamentis, atque ultimis voluntatibus: poſſunt enim Novitii ad beneplacitum facere Teſtamentum, Codicillum, & quamcumque aliam voluntatem ultimam ex cauſa mortis, ſeu quemcumque alium contractum nutu revocabilem.

In Italia verò quòad receptionem, & qualitates recipiendorum ad Ordinem, exactiſſimè ſervanda ſunt Decreta Sac. Congregationis ſuper ſtatu Regularium de mandato Alexandri Papæ VII. edita Romæ 13. Sept. 1655.

CAPUT. III.

De educatione Novitiorum, & qualis eſſe debeat Magiſter eorum.

1. QUoniam proba Iuvenum educatio inſtituendæ Religionis permaximè noſcitur neceſſaria, ſtatuimus, & ordinamus, ut in unaquaque Provincia noſtri Sacri Ordinis unum Monaſterium, vel etiam plura, juxta Provinciarum indigentiam, ſeu capacitatem, per Provincialem & Diffinitores Capituli provincialis eligantur, in quibus Novitii illius Provinciæ, ut aptiùs inſtrui poſſint, collocentur: nec in aliquo loco Novitii teneantur, in quo adminùs non ſit numerus ſex Novitiorum in Novitiatu clauſo, atque à conſortio aliorum Fratrum ſegregato, à quo nullus Novitius exire poſſit ſine Magiſtri licentia, & cùm ſocio ſibi aſſignato; extra Conventum verò abſque neceſſitate inevitabili non mittantur, nec cum extraneis loquantur.

Novitiatus qualiter eligendus.

Novitiatus ſemper ſit clauſus.

2. Præterea Novitii inter ſe ſilentium obſervent, niſi quando Magiſter cum eis diſpenſaverit, & tunc ſine clamore loquantur, & ſubmiſsè loqui aſſueſcant, quando oportuerit loqui: Provincialis autem & Diffinitores, ſive ſolus Provincialis extra tempus Capituli præponant eis Magiſtrum morum, mediocriter ſaltem doctum, in rebus ſpiritualibus ſufficienter verſatum, ne cibi ſpiritualis defectum patiantur, & de eis poſſit verificari. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Honeſtum item, ac probatum, & noſtri Ordinis præcipuum zelatorem, provectæque ætatis quantùm fieri poterit, cui in omnibus humiliter, ac promptè Novitii obedire teneantur, (ſalvo ſemper, & ubique mandato Prioris) & à quo ad Dei laudem, & noſtri Ordinis decorem cum omni ſanctimonia, & bona doctrina diligenter erudiantur, & inſtruantur, & ad quem in ſuis tentationibus confugiant, cuique confidenter ſecreta ſua detegant, & à quo conſolationem, & auxilium in omnibus ſperent in Domino. Legat idem Magiſter, quæ infra dicentur de Officio Prioris, & quæ ſibi reſpectivè convenerint, notet, & obſervet.

A quibus eligendus Magiſter Novitiorum.

Thren. c. 4. 4.

Qualitates Magiſtri.

3. par. cap. 17.

3. Ante omnia doceat eos Legem Dei, ejuſque amorem, ac timorem, & quòd in omnibus quærant Deum, exuentes ſe amore ſui, atque omnium creaturarum, ut affectum totum in ipſarum Creatorem conferant, cum in omnibus amando, & omnes in eo juxta ſanctiſſimam ejus voluntatem; dirigat etiam eos in exercitiis ſpiritualibus, quæ unicuique tradenda erunt, proùt ei convenire judicabitur, doceatque quomodò

Novitii qualiter inſtruendi.

ab

ab illoſionibus Dæmonis in prædictis exercitiis cavere debeant, & quomodò ſe contra omnes tentationes tueantur: moneat eos, ut libros ſpirituales, & devotos auidè legant, curetque non ſolum, ut addiſcant, quæ conveniunt, ſed etiam ut exerceant, quæ didicerint pro menſura Gratiæ ipſis à Deo communicatæ; doceat item ipſos purè, ac diſtinctè, & frequenter confiteri, ac ſtatim in principio facere generalem Confeſſionem; di- (Jerem. 4. 3.) cit enim Scriptura: *Nolite ſerere ſuper ſpinas*; nullamque celare tentationem, quam Confeſſori, Magiſtro, vel Superiori non aperiant, quibus totam animam ſuam patere pergratum habeant, nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam pœnitentias, mortificationes, & devotiones, optantes in omnibus ab illis dirigi, nolentes ſuo proprio ſenſu duci, niſi cum judicio illorum conveniat, quos Domini noſtri JEſu Chriſti loco habent: doceat etiam eos quotidie de ſero, diligenter, ac breviter conſcientias ſuas examinare, & poſteà Confeſſionem generalem devotè dicere, antequàm ad dormiendum vadant; non enim debet Religioſus quietem corpori dare, donec locum quietum præparaverit in ſe Spiritui Sancto, juxta il- (Pſal. 131. 4.) lud Pſalmi: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino.*

4. Advertat etiam, ut ſtatim in principio à Priore inquirat, quam poteſtatem velit eum habere ſuper Novitios, circa audiendas eorum Confeſſiones. Inſuper eos doceat caſtè, & ſine proprio vivere, & non dicere *meum*, ſed *noſtrum*, juxta præceptum S. P. N. Auguſtini, in Regula dicentis: *Non dicatis aliquid propri-* (Reg. c. 1.) *um*; ſumma diligentia, & cuſtodia cor ſuum ſervare, & portas ſenſuum ſuorum ab omni intemperantia, & vitio cuſtodire, ac ſe in vera pace interna conſervare, linguam refrænare, licèt invitam, (Jacob. 1. 26.) *ne vana ſit eorum Religio*, & libentiùs audire, quàm loqui: cùm verò loquendum fuerit, quòd paucis verbis loquantur, quæ præcedat mentis deliberatio, (Eccleſiaſtici c. 21. 29.) quoniam dicit Scriptura. *In ore fatuorum cor illorum & in corde ſapientium os illorum*; ſpecialiter autem, quòd evitentur relationes rumorum de negotiis ſæcularibus, nam periculum Fratrum videntur amare, qui in navim Religionis undas maris volunt immittere: non multùm ridere, in omnibus potiores partes aliis deferre, omnes in animo ſuo tamquàm ſuperiores ducendo, & ſingulis honorem, ac reverentiam, quam exigit cujuſcumque ſtatus, cum ſimplicitate, & religioſa moderatione exhibendo; ſit autem re- (Signa reverentiæ à Novitiis obſervande.) verentia hæc multis modis, videlicèt cùm tranſeunti aſſurgitur, cùm ante alium non nimis propè tranſitur, cùm ante alium inclinatur, aut genuflectitur, cùm ſedenti decenter aſſiſtitur, cùm juxta ſedentem ſedere volens, aliquantulum à longe ſe collocat, vel ſedere volenti ſedens aſſurgit, vel cedit, vel loqui volens ante alium demittit caputium, vel alium aſſociando, à ſiniſtris ejus vadit, vel denique alio comparente, à deambulatione deſiſtit.

5. Doceat etiam eos de lapſu aliorum non indignari, ſed ſibi potiùs de ſimilibus timere; negotia domus nolle ſcire, virtutes aliorum notare, & pro poſſe imitari, bona in ſe cùm viderit, Deo attribuere, mala verò, à ſe facta, ſibi reputare, nemini invidere, bonum exemplum ſingulis præbere, cum nemine contendere, neminem judicare, ſed omnia, licèt mala videantur, in bonam partem interpretari, ſæpè enim humanum fallitur judicium; nulli injuriam facere, ſed illatam ſibi pariter tolerare, *non reddendo malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, de (Primæ Petri 3. 9.) abſente non loqui niſi bona, neminem in faciem laudare, non jurare omninò, veritatem ex corde, & ore proferre, non eſſe ſuperbos, non edaces, non vinolentos, non ſomnolentos, non pigros, non otioſos, delicias fugere, quia caſtitas periclitatur in illis, paupertatem, vilitatem, ac aſperitatem noſtri ſacri Ordinis amare, & alia, quæ perfectionem, ad quam tendimus, concernunt.

6. Exponat eis Cathechiſmum, & inſtruat eos de Regula, & Conſtitutionibus, atque Ordinationibus noſtræ ſacræ Religionis, de Officio divino, & quòd ſemel in hebdomada ſinguli dicaot (Obligatio Novitii ſemel in ſeptimana.) *ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis &c. & totum Officium Defunctorum* pro Benefactoribus noſtris vivis, atque defunctis, & pro ſupplemento cujuſvis defectus ex igoorantia, vel oblivione provenientis circa antiquas Ordinis obligationes; erudiat quoque eos de cantu, niſi alius ſit ad hoc munus à Priore deſignatus, de moribus, & cæremoniis, & aliis Obſervantiis Ordinis: moneat ſæpè, ut non ambulent extento collo, ſed fixis oculis in terram, manibus ſub ſcapulari, vel intra manicas Cappæ incluſis; ut cùm proceſſionaliter vadunt, ſocium ſuum collateralem ſemper attendant; ut cùm aliquid ſibi datur, utpotè veſtes, calcei, & ſimilia, ſive aliquod officium eis injungitur, genibus flexis dicant: *Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui vivit, & regnat in &c.*

7. Doceat quanta diligentia libros, & veſtes, & alias res domus, vel ſuo uſui conceſſas cuſtodire, & quo modo Cellam mundam, & ordinatam, licèt pau-

pauperem, ſervare debeant; ut non conjungant ſe Conventui, niſi fuerint ſigno, vel verbo vocati; ut ſine licentia munera, vel litteras aliquas nulli mittant, nec dent, nec ab aliquo recipiant: quomodò, cùm corporaliter reficiuntur, temperantiā, modeſtiam & munditiam obſervent; quòd menſæ cubitis non incumbant, & in comedendo ſingularitates non quærant, immò ſi aliquod genus ciborum non conſueverunt comedere, aſſueſcant, ut poſſint vitam communem ſervare, & legat eis aliquem tractatum de doctrina menſæ.

8. Docendi ſunt etiam, ut libentiùs morentur in Clauſtro cum Fratribus, quàm extra cum ſæcularibus; item quòd libentiùs interſint cum Conventu, quàm in locis privatis: item quòd libentiùs declinent ad loca, ubi ſunt maturi & religioſi congregati, quàm ubi ſunt diſſoluti & leves; ut gradus Parentelæ ſuæ non recitent, de Generis nobilitate non ſe jactent, de honore ſæculi, aut Parentum divitiis non extollantur, *ſed de pauperum Fratrum ſocietate glorientur;* ut augmentum Ordinis ardenter diligant, & indefeſsè procurent, ut poſteà temporis decurſu opere adimplere ſatagant, quod à principio animo conceperint.

Cap. 2. Regulæ.

Novitii informandi de ſtatu Religionis.

9. Informet etiam eos de exordio, & progreſſu noſtræ ſacræ Religionis, ita ùt de hoc diſtinctè ſciant reddere rationem quibuſcumque inquirentibus, ſeu hæſitantibus: quatenus hæc, & his ſimilia cum Dei adjutorio facientes, in vinea Domini ſpiritualiter ſeipſos exerceant, & ſe totos Deo Opt. Max. dedicare continuè non deſinant.

Novitiorum ſtudium quale.

10. Deputentur autem Novitii ad ea Studia, quibus eorum ingenia magis apta Priori, & Magiſtro videbuntur; nec enim Sacræ Religionis noſtræ familia Doctoribus, & Concionatoribus ſolùm indiget, ſed & cantoribus, pulſatoribus organi, ſcriptoribus, & aliis diverſis virtutibus inſignitis.

Capitulum de Culpis ſemel in hebdomada.

11. Prætereà ubicumque ſe negligenter habuerint, eos, quantum poterit, ſignis, vel verbis obſecrando, ſeu increpando, ſtudeat emendare, quia eorum cura ei ſpecialiter in ejuſmodi eſt commiſſa. Capitulum ſemel ſaltem in hebdomada eis teneat, ubi de apertis culpis, & negligentiis, de quibus proclamati fuerint, vel coram eo veniam petierint, eos puniat, niſi in aliquo caſu graviori in Capitulo Conventus aliquem proclamare convenientiùs duceret.

Novitii qualiter exercendi.

12. Si viderit aliquem eorum ad ſuperbiam eſſe propenſum, exercere talem debet in obedientiis abjectioribus, quæ ad humiliandum ipſum utiles futuræ videantur; eorum etiam erit probanda patientia, diſcretè tamen, & ſic de aliis animi propenſionibus fieri debet. Novitiis verò ea promptiùs, & alacriùs agere convenit, à quibus ſenſus magis adhorrebit, ſi injunctum eis fuerit, ut in illis ſe exerceant.

Novitiis de neceſſariis provideatur.

13. Sicut autem ſpiritualia eis miniſtrat, ita & neceſſaria apud Priorem, vel Procuratorem procuret temporalia, matremque ſe illis exhibeat, benignitatem oſtendendo, ut eum non refugiant, immò tamquàm *ad ſinum matris*, ad eum recurrant.

Thren. 2. 12.

De ejectione Novitii.

Ejectus pro culpa amplius non recipiendus.

14. Si autem Novitius, quicumque ſit, dùm in probatione fuerit, inhoneſtè ſe habeat, ſeu in ſuperbiam erectus aliquid attentet, per quod poſſit in domo materia alicujus perturbationis ſuſcitari, ſi de ejus emendatione non ſit ſpes probabilis, differri ejus ejectio non debebit, ſed ſtatim ab Ordine expellatur; & Novitius, qui pro culpa expelletur, ulteriùs non recipiatur. Si verò aliquis Novitius infra aſſignatum ſibi tempus probationis aſpexerit retrò, ſi poſtmodùm tranſacta die eadem ſuæ egreſſionis redire voluerit, non recipiatur, niſi ea conditione, & modo, ut iterùm per annum & diem debeat in probatione manere, niſi ejus vita, & converſatio talis fuerit, quòd videatur diſcretioni Prioris Provincialis miſericorditer eſſe diſpenſandum; non tamen cum eo, qui ultra menſem extra Ordinem permanſerit, ullo modo diſpenſari debet.

De alio Magiſtro pro humanis Litteris.

15. Volumus etiam, quòd præter Magiſtrum morum, Prior Provincialis provideat Novitiatui de alio Magiſtro Ordinis noſtri, qui ſit latina lingua, & ſi fieri poſſit, etiam græca ſufficienter eruditus, quatenus ipſos Juvenes utramque linguam rectè doceat: non tamen volumus, quòd in Novitiatu maneat, nec alio, quàm tempore lectionis, & circa pertinentia ad lectionem, ibidem converſetur.

Profeſſi, qui ſunt in Novitiatu legibus Novitiorum teneantur.

16. Declaramus etiam, quòd Profeſſi, quandiù in Novitiatu manſerint, legibus Novitioru teneantur; præterquam quòd extra Monaſterium mitti poterunt, & cum ſæcularibus loqui de licentia Prioris: quandò verò à conſortio Novitiorum ſegregati fuerint, & à Novitiatu receſſerint, quandiù non fuerint Sacerdotes, ſub ſpeciali cura Supprioris maneant, & ei tamquàm Magiſtro obedire in omnibus teneantur, in quocumque ſint Conventu.

NOTA. Obſervanda ſunt Decreta noviſſimè emanata tàm à Reverendiſſimo Dominico Valvaſſorio, quàm à nupero Capitulo generali Anno 1685. circa inſtitutionem, numerum, formam, & diſpoſitionem Profeſſorum pro Provinciis Italiæ.

Caput IV.

De modo, & forma Profeſſionis faciendæ.

1. Strictè præcipimus, & ſub pœna privationis officii omnibus Prioribus noſtri Ordinis mandamus, quatenus ſuos Novitios poſt expletum decimum ſextum annum ſuæ ætatis, & ſuæ probationis annum, expreſſam profeſſionem omninò emittere faciant.

Ætas Profitentis, & tempus probationis.

2. Completo igitur termino probationis Novitii, Prior de vita, & de moribus ejus diligenti examine ab illis inquirat, cum quibus fuerit converſatus, præſertim à Magiſtris ſuis, qui ſive pro eo, ſive contra eum, poſtpoſito odio, vel amore, fidele teſtimonium reddere teneantur. Cujus converſatio ſi adeò honeſta extiterit, ut de ſua perſeverantia in virtute ſpes probabilis habeatur, Prior eum proponat Patribus in Capitulo, ubi iidem Magiſtri ſupradictum teſtimonium coram omnibus reddent, & ſi major pars vocalium de eo recipiendo conſenſerit, tempore, die, & hora, quæ Priori videbitur, Fratribus omnibus congregatis in Choro, vel in Eccleſia, vel alibi, Novitius à Magiſtro ſuo in albis tantùm ducatur ad pedes Prioris, quem poſt miſericordiam petitam, ut in Cap. 2. hujus ſecundæ Partis dictum fuit, ante ſe genuflexum Prior ſic coram omnibus alloquatur:

Examen de moribus Novitii.

Conſenſus Conventus.

3. *Dilecte fili in Chriſto, ecce tempus tuæ probationis completum eſt, in quo expertus es omnem Ordinis noſtri aſperitatem: nunc ergo de duobus oportet te unum eligere, ſive à nobis diſcedere, & abire in viam tuam, ſive renuntiare huic ſæculo, & dedicare, atque offerre teipſum totum Deo, & Ordini noſtro, ſciens quòd poſtquàm te ſic obtuleris, te ſub jugo obedientiæ ejuſdem Ordinis collum tuum quacumque ex cauſa non licebit excutere, quod ſub tàm moroſa deliberatione cùm recuſare liberè poſſes, ſponte ſuſcipere voluiſti.*

Exhortatio facienda à Priore.

4. Quod ſi ipſe reſponderit velle ſic Deo, & Ordini noſtro ſe offerre, Prior legat impedimenta, inquirat Novitium, deferat ei juramentum, faciatque proteſtationem, ut dictum eſt in ſupradicto Cap. de Recept. Novitiorum.

Legantur impedimenta & fiat proteſtatio.

5. Deinde diſtinctè proponat ei tria Religionis eſſentialia Vota, Obedientiam videlicèt, Caſtitatem, & Paupertatem, & ut decet, breviter tamen, explanet qualiter intelligenda, & ſervanda ſint, ut ipſe Novitius antequam voveat, ne dùm declaratione prius ſibi facta ſæpè ſæpius à Magiſtro ſuo, verùm etiam, & dum profiteri debet, à ſuo Priore clarè ſciat, quæ voveat, & quid poſtquam voverit agendum ſibi ſit: prohibuit namque Dominus Levit, 22. ne animal cæcum offerretur ei; poterit autem proponere in hac forma:

Explicatio Votorum.

6. *Quantùm ad Obedientiam ſcias, quòd teneberis obedire tuis Superioribus, ita ut nullam te exiſtimes habere libertatem, ſed totaliter eſſe privatum propria voluntate, nec enim tibi placita facere valebis, licèt bona videantur, abſque voluntate tui Superioris, & ſi volueris manere in Italia, & tui Superiores juſſerint, ut vadas in Franciam, vel Germaniam, vel ſi volueris manere in Hiſpania, vel Portugallia, ipſi autem voluerint, ut proficiſcaris in Indias, vel partes ultra marinas, teneberis obedire eis, & non tibi complacere.*

De Obedientia.

7. *Quantùm ad Paupertatem, non poteris habere aliquid, licèt modicum, quod poſſis dicere, hoc meum eſt, ſed ea, quæ tibi erunt conceſſa, voluntati tui Superioris ſubjecta erunt, qui eis poterit te privare quotieſcumque voluerit.*

De Paupertate.

8. *Circa Caſtitatem teneberis non ſolùm ſervare munditiam corporis, ſed etiam cordis, ut vivas in terra ſicut Angelus Dei.*

De Caſtitate.

9. Quòd ſi propoſitis, & ſibi declaratis hujuſmodi votis, iterum ipſe Novitius reſponderit, ſe velle ſic vovere, & eiſdem votis Deo, & Ordini noſtro uſque ad mortem ſe offerre, inquirat ab eo Prior, *utrum vi, vel metu faciat Profeſſionem?* qui ſi reſponderit, ſe ſponte, & liberè, & non vi, vel metu vovere velle, deferatur à Magiſtro Novitiorum Priori Cappa cum corrigia, præcedentibus uno Acolytho cum aqua benedicta, & alio cum thuribulo, & incenſo, qui imponens ſibi ſtolam, benedicat Cappam in manibus ejuſdem Magiſtri genuflexi, dicens: *Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus: Domine JEſu Chriſte, qui tegumentum mortalitatis noſtræ induere dignatus es: obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus indumenti, quod ſancti Patres noſtri ad humilitatis indicium, abrenunciantes ſæculo, ferre ſanxerunt, tu ita bene✠dicere tua benedictione digneris, ut hic famulus tuus, qui eo uſus fuerit, te induere mereatur: qui vivis, & regnas &c. Oremus: Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, & certiſſime perſolutor, qui veſtimentum ſalutis, & indumentum jucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam humiliter expoſcimus, ut hoc indumentum humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificans, quod hic famulus tuus viſibili eſt informandus propoſito, propitius bene✠dicas, ut beatæ abnegationis habitum, quem te inſpirante ſuſcepit, te protegente cuſtodiat, & quem veſtibus venerandæ Religionis S. P. Auguſtini induere volumus, beata facias immortalitate veſtiri: Per Chriſtum &c. Oremus: Domine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te obnixiùs deprecamur, ut hanc veſtem bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris, quam famulus tuus pro indicio agnoſcendæ Eremita-*

Profeſſio ſpontanea, & libera.

mitanæ Religionis induere deſiderat, ut inter reliquos Auguſtinianos Fratres tibi agnoſcatur dicatus: Per Chriſtum Dominum &c. Amen. Deinde Cappa, & corrigia aſpergantur aqua benedicta, & adoleantur incenſo.

Math. 11. 30.

10. Poſteà Prior induat Novitium Cappa benedicta, dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve: In nomine Patris &c.* Deinde cingat ipſum corrigia benedicta, dicens: *Accipe corrigiam ſuper lumbos tuos in ſignum caſtitatis & continentiæ: In nomine Patris &c.* tunc Novitius genuflectat coram Priore, & Prior dicat: *Dominus vobiſcum &c. Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſub magno P. Auguſtino in Eccleſia tua ſancta grandem Filiorum exercitum contra hoſtes inviſibiles adunaſti, Fratrem noſtrum noviter ſub tanti Patris militia collum jugo ſupponere volentem, amore Sancti Spiritus accende, ut per Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem, quas modò, te inſpirante, profiteri vult, ita militando tibi Regi Regum præſentis vitæ ſtadium percurrere valeat, ut felicitatis æternæ coronam, devicto triumphatoque mundo cum pompis ſuis, te donante, percipere mereatur: Per Chriſtum, &c. Amen.*

11. Sedeat deinde Prior, & cæteri poſt eum, & Novitius accipiat Regulam S. P. N. Auguſtini, & deponat eam apertam in manibus Prioris, & ponens manus ſuas ſuper eam in manibus Prioris profiteatur hoc modo: *In Nomine Domini Noſtri JEſu Chriſti benedicti. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo &c. die tali, menſe tali. Ego Frater N. de N. Filius N. & N. talis loci, & talis Parochiæ, facio Profeſſionem, & promitto Obedientiam Deo omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini, & B. P. Auguſtino, & tibi R. P. Fratri N. de N. Priori &c. nomine & vice Reverendiſſimi P. Magiſtri N. de N. Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. Auguſtini, & ſucceſſorum ejus canonicè intrantium, & vivere ſine proprio, & in caſtitate ſecundùm hanc Regulam ejuſdem P. N. Auguſtini uſque ad mortem.*

Tenor Profeſſionis.

12. Si verò Novitius profiteretur in manibus Reverendiſſimi Prioris Generalis, ſupprimat particulam illam (*nomine & vice*) & omnia verba ad ipſum dirigat.

Acceptatio Profeſſionis.

13. Lecta Profeſſione à novo Profeſſo, Prior dicat: *Et ego nomine & vice Reverendiſſimi P. noſtri Generalis N. & authoritate, qua fungor, accepto Profeſſionem tuam, & unio te corpori myſtico noſtræ Sacræ Religionis, & filium facio hujus Conventus N. vel Conventus noſtri talis loci: In nomine Patris &c.*

Proſtratur Profeſſus.

14. Quo dicto, Profeſſus proſternat ſe ad pedes Prioris ad modum crucis ſuper tapetum, & Prior aſpergendo eum cum aqua benedicta, dicat: *Pater noſter &c. Et ne nos &c.* ℣. *Immola Deo ſacrificium laudis.* ℟. *Et redde Altiſſimo &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoſcis, reſpice quæſumus ſuper hunc famulum tuum, & larga tuæ benedictionis abundantia imbecillitatem ejus corrobora, ut promiſſa nunc Vota, quæ præveniendo aſpiraſti, per auxilium gratiæ tuæ, ſanctè, piè, ac religiosè vivendo, valeat vigilanter obſervare, & obſervando vitam promereri ſempiternam: Per Chriſtum &c.*

Detur candela Profeſſo.

15. Tunc detur novo Profeſſo candela accenſa in manibus, & Cantores incipiant. *Te Deum Laudamus.* Ipſe verò ſtet in medio Chori genuflexus: finito Cantico, dicantur: ℣ *Emitte Spiritum &c. Ora pro eo Sancta Dei &c. Ora pro eo B. P. Auguſtine &c. Oremus: Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Concede hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente B. P. N. Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum: Per Chriſtum &c.*

16. Et deinde ducatur ad oſculum pacis, ſicut dictum eſt in Cap. de Receptione Novitiorum.

Ducatur ad oſculum pacis.

17. Si verò majorem ſolemnitatem voluerit Prior facere, finito *Te Deum laudamus*, & dimiſſis prædictis Orationibus, dicat novus Profeſſus genibus flexis in tono Reſponſoriorum brevium: *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum, & vivam*: & Chorus repetat idem: poſteà Profeſſus: *Et non confundas me ab expectatione mea*: Chorus: *Secundùm eloquium tuum, & vivam;* Profeſſus: *Gloria Patri &c.* Chorus: *Suſcipe me Domine &c.* Profeſſus dicat verſum: *Adjuva me, & ſalvus ero Domine.* ℟. *Et meditabor in juſtificationibus tuis ſemper.* Prior in medio Chori: *Dominus vobiſcum &c. Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus, cujus charitatis ardore ſuccenſus hic famulus tuus ſtabilitatem ſuam tibi in hac Sacra Auguſtiniana Religione promittendo, tuo jugo collum ſubmiſit: concede propitius, ut in ultimo tuo examinis die in dextera tua collocatus cuncta ſuæ devotionis promiſſa ſe adimpleſſe lætetur: Per Chriſtum Dominum &c. Oremus: Agnoſce Domine JEſu Chriſte hunc famulum tuum inter oves tuas, ut ipſe te agnoſcat, & alienum paſtorem non ſequatur, nec audiat vocem alienorum, ſed tuam, qui dicis: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur; qui vivis &c. Oremus: Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum revelare dignatus es, poſtulamus immenſam tuæ majeſtatis abundantiam, ut ſicut*

Joan. 12. 26.

ubi

ubi vis, ſpirat, ſic & huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; & quoniam tua ſapientia conditus eſt, ita quoque providentia gubernetur, quem juxta conſuetam tibi gratiam unctio tua de omnibus doceat, & per interceſſionem Beatiſſimæ & glorioſiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ, & Sanctiſſimi Doctoris P. N. Auguſtini, quem hujus ſanctæ Religionis Inſtitutorem ac Fundatorem dediſti, & omnium Sanctorum ad obſervantiam ſancti propoſiti, fac eum ita fervere, ut in tribulationibus, & anguſtiis tua indeficienti conſolacione valeat reſpirare, & juſtè ac piè per veram humilitatem in fraterna charitate fundatus, tria vota, quæ te donante, promiſit, felici perſeverantia te adjuvante adimplere mereatur: Per Chriſtum &c.

18. Poſteà ablata candela de manu Profeſſi, ducatur ipſe à Magiſtro ſuo ad dandam pacem ſingulis Fratribus modo, quo ſupra. Interim ſi Priori videbitur, vel organa pulſentur, vel cantetur Hymnus: *Magne Pater &c.*

19. Quo finito, & Profeſſo ad pedes Prioris reverſo, dicant Cantores: *Ora pro eo B. P. Auguſtine &c.* & Prior, *Oremus: Deus, qui beatiſſimum Eccleſiæ Doctorem magnum P. Auguſtinum de tenebris gentium revocaſti, mundoque ſpreto tibi ſoli militare feciſti: tribue quæſumus huic famulo tuo, ſub ejus magiſterio ad tuum ſanctum ſervitium feſtinanti, & perſeverandi conſtantiam, & perfectam uſque ad finem victoriam: Per Chriſtum &c.*

Hortatio Prioris ad Profeſſum.

20. Tunc Prior hortabitur eum, ut mores, quos in probatione didicit quando erat Novitius, non negligat ſervare jam Profeſſus, quia quod in probatione impendebat pro libito, nunc reddere tenetur ex voto; & dicto *Adjutorium noſtrum &c.* omnes diſcedant.

Profeſſio Laicorum.

21. Profeſſio Laicorum, & Converſorum fiat in Capitulo ſine cantu, veſtes eorum benedicantur illa ſolùm Oratione: *Domine JEſu Chriſte* &c. poſteà veſtiantur, Vota emittant ſicut Clerici, dicatur: *Te Deum &c.* cum Verſiculo, & Orationibus, & recipiantur ad oſculum pacis, atque pro Profeſſis exinde habeantur. Pro Fratre Laico benedicatur Cappa cum corrigia: pro Converſo, corrigia & mantellum: Commiſſi verò Profeſſionem facere nec tenentur, nec debent.

Supra n. 9.

Præſentia Notarii neceſſaria.

22. Volumus autem, ut quandocumque ſit aliqua Profeſſio, præſens ſit publicus Notarius, qui eadem die de omnibus, quæ viderit, & audierit, publicum conficiat Inſtrumentum, in quo diſtinctè notetur, Profeſſum liberè & ſpontè, & non vi, vel metu ſpopondiſſe, idque verbo protuliſſe. Omnes enim ferè, qui Habitum Ordinis exuunt, hanc cauſam in medium adducere ſolent; quod quidem diffinitum fuit in Capitulo generali Arimini celebrato Anno Domini 1555.

Bona Profeſſi ad Conventum ſuæ Profeſſionis pertinent.

23. Notetur etiam cujus Conventus factus ſit filius, ad ipſum namque volumus omnia bona hæreditaria, ad dictum Profeſſum quocumque tempore pervenientia, omninò pertinere; omniaque hujuſmodi Inſtrumenta in unum Librum ad hoc deputatum conjiciantur.

Qualiter dimittendus Novitius.

24. Si verò Novitius taliter profiteri noluerit, aut de recipiendo eo major pars Capituli non concordaverit, dicat ei Prior: *Frater mi, mores tui non concordant cum noſtris, tolle quod tuum eſt, & egredere liber à nobis.* Et omnia, quæ ſua ſunt, ei dentur, excepto habitu Religionis, vel quibuſcumque veſtimentis ad modum Ordinis factis, à quocumque ea ſuſceperit, licèt etiam ſua propria pecunia ipſe emerit, (de quo, antequam habitum ſuſcipiat, à ductore moneatur) & tàm modeſtè, cautè, & occultè expellatur, ut nec aliis ſit ſcandalum, nec ipſe ſcandalizatus, ſed potiùs, quòad fieri poterit, ædificatus, & cum amore Ordinis, & Fratrum recedat.

Non expellatur ſine cauſa.

25. Volumus autem ad omnem injuſtitiæ rationem tollendam, ut nunquam Novitius invitus expellatur pro illitteratura, vel impotentia aliqua, vel quibuſcumque defectibus, qui ab initio noti fuerunt Fratribus: quare Novitius ſemel receptus non poterit expelli à Priore infra probationis annum, niſi priùs declaratis juſtis, ac legitimis cauſis Patribus Conſilii, ob quas non decet eum in Ordine permitti, quas etiam cauſas explicare tenebuntur Priori ſuffragium ferentes, ſi quando contra bonam de Novitio à ſuis Magiſtris datam informationem, nihilominus non fuerit per dictos ſuffragantes ad Profeſſionem admiſſus: quòd ſi requiſiti à Priore de hujuſmodi cauſis, eas aſſignare renuerint, tunc Prior per litteras rem omnem Provinciali ſignificabit, cui liberam elargimur poteſtatem ejuſmodi Novitium ad Profeſſionem admittendi, niſi ſibi conſtiterit de prædictis cauſis, eaſque rationabiles judicaverit.

In dubiis conſulendus Provincialis.

NOTÆ. Sacra Congregatio Concil. Trident. ſuper illa verba Concil. Seſſ. 25. c. 16. de Regular. (*finito tempore novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è Monaſterio eos ejiciant*) ex mente Pii V. declaravit, & cenſuit 19. Julii 1570. tempus Novitiatus eſſe arbitrarium, & ſi inhabilitas ex infirmitate proveniat, poſſe prorogari tempus, donec duret probabilis ſpes recuperandæ ſanitatis. Et die 31. Maji 1597. eadem Sac. Congregatio cenſuit tempus anni, ad emittendam Profeſſionem à Concil. Trident. præfixum, poſſe arbitrio Superioris Regularis prorogari.

Pius V. Conſtitut. 109. *Summi Sacerdotii* §. *Non igitur &c.* conceſſit Novitiis Dominicanis poſſe in articulo mortis profiteri: Et per con-

fe-

ſequens noſtris, ex communicatione privilegiorum cum illis. Clem. VIII. Conſt. *Romanus Pontifex* §. *Nos ad &c.* in Bullar. Ordinis.

Emittentes Profeſſionem poſt annum probationis, verè confeſſi & pœnitentes, ac ſacra Communione refecti plenariam conſequuntur Indulgentiam: Paulus V. Conſtit. 21. *Romanus Pontifex.* §. *Ac cuilibet.*

Quinquennio à die Profeſſionis elapſo, non eſt audiendus, contra Profeſſionem reclamans. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 19. de Regular. Quòd ſi ante reclamationem ſpontè habitum dimiſerit, nullatenùs audiatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, tamquàm Apoſtata puniendus.

Caput V.

De forma, & qualitate veſtium Fratrum, & quando debeant Cappam juxta temporum varietatem deferre.

Veſtes interiores.

1. FRatres, exceptis ſemoralibus, juxta carnem veſtibus lineis non utantur, ſed laneis, niſi in caſu neceſſitatis, & de ſui Superioris licentia ſpeciali: in quo tamen caſu eas ita coopertas deferant, ut neque quòad collarium, neque quòad manicas ſoris quovis modo appareant. Similiter ſi alicui Fratri conceſſum fuerit portare armillam, ſive thoracem lineum, ſuper manicas nihilominus ex panno, vel ſtaminea alba portare teneatur, itaut nullo pacto aliquid lineum in veſtibus compareat: blancheta, ſive tunichinum, ſeu ſaggium albi ſit coloris, uſque ad mediam tibiam ad portandum ſub tunica, vel cappa, & non aliter.

De ſcapulari nocturno, & tunica alba.

2. Habeant etiam Fratres ſcapulare breve cum caputio conſuto albi coloris ad dormiendum de nocte: tunica ſit alba, ea longitudine, quòd ſi terram tangar, non tamen verrat; quod etiam ſervari volumus in cappa: ſcapulare, ſeu patientia ejuſdem ſit coloris, ejuſdemque poſſit eſſe longitudinis cum tunica, ſcapulas tamen quòad latitudinem non excedat; caputium ſimiliter album ſcapulari non ſit latius, ante pectus ſit palmo longum, cuſpis verò cingulum non excedat: cuculla, ſeu

Qualitas Cappæ nigræ.

cappa nigri tantùm erit coloris, maoicas habebit largas & protenſas: caputium cappæ ejuſdem erit formæ cum caputio tunicæ; ſuper cappas cingantur Fratres

Qualitas Corrigiæ.

zoois, ſeu corrigiis de corio nigro peramplis, latitudinis videlicèt ad minus duorum digitorum, & ad plus duorum cum dimidio, quæ ſi ab extra nervum corii habuerint non raſum, honeſtiores erunt; a quibus nihil dependeat, vel ſuſpenſum deferatur: fibula ſit de oſſe nigro, & non alterius coloris: ſuper tunicas verò anguſtioribus corrigiis cingi poſſint.

Qualitas Pallii.

3. Poterunt etiam habere clamydem, ſive pallium nigrum, quod ad pectus ligatum deferant, ſine ſerici, vel alicujus pretioſi metalli ligatura: caveat autem unuſquiſque ne pallia brevinra (quæ vulgò hac noſtra ætate dicuntur ferraiola) portare audeat, niſi quaodo contigerit extra urbem equitare; quod intelligi volumus, ubi hoc fuerit in conſuetudine, & non alibi, nec aliter, quàm ut dictum eſt.

Caligarum qualitas.

4. Deferant etiam caligas dumtaxat albas, non integras, ſed ad genua ligatas: ſupradicta autem omnia nullo modo ſiut ex panno pretioſo, aut ſargia, vel ſtaminea nobili, ſed potiùs vili, ſicut paupertati, & honeſtati noſtræ Religionis congruit: *qui enim mollibus veſtiuntur*, non in Monaſteriis pauperum, *ſed in domibus Regum ſunt.* Matth. 11. 8.

Materia veſtium.

5. Pretioſum verò pannum, & nobilem illum reputamus, qui nimis eſt carus, ſecundùm conſuetudinem Patriæ, & noſtræ quotidianæ mendicitati non reſpondet.

Tantùm ſit color albus interiùs.

6. Inhibemus igitur omnem alium colorem in veſtibus Fratrum, tàm internis, quàm externis, & quamcumque curioſitatem, tàm in materia, quàm in forma, quæ habitum ſæcularium imitetur, vel noſtram non deceat paupertatem & honeſtatem: præcipimuſque, ut intra nigrum habitum nullus omninò ſit color, niſi albus; pròut diffinitum ſuit in Capitulo generali Venetiis celebrato Anno Domini 1591. itemque quòd veſtes ſint unius, atque ejuſdem modi. Quarè præcipimus omnibus Sacerdotibus ſub

Pœna prævaricantium.

pœna ſuſpenſionis à Divinis, à qua nonniſi à Reverendiſſimo Patre abſolvi poſſint, Clericis verò, Laicis, ſeu Converſis ſub pœna graviſſimæ culpæ per menſem, ut non utantur veſtibus interioribus, tunicæ, vel cappæ adhærentibus, alio colore intinctis, quàm albo, nec ulla arte elaboratis, ſive ornamento ſerico ornatis, quæ noſtræ ſimplicitati, ac paupertati maximè adverſantur. Priores verò, qui in hoc exequendo negligentes reperti fuerint, Officio Prioratus abſque diſpenſatione priventur, pròut diffinitum fuit per Reverendiſſimum Patrem Magiſtrum Nicolaum à S. Angelo quondam noſtri Sac. Ordinis Priorem Generalem, electum in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1614. & approbatum, ac confirmatum in duobus Capitulis generalibus ibidem celebratis Anno 1620. & 1625. in quo pariter declaratum fuit prædictam diffinitionem vim habere Conſtitutionis.

7. Quapropter ſtrictè mandamus Provinciali, & Viſitatoribus, ut quoſcumque invenerint contrarium facientes,

ſive

ſive Priores ſint, ſive Subditi, puniant, & hujuſmodi veſtes ab eis auferant, vendique faciant cum honeſtate Ordinis, & de pretio inde accepto eis emantur veſtes honeſtæ, & humiles; etiamſi tales veſtes prohibitæ datæ illis eſſent à Parentibus, & Conſanguineis, aut aliis perſonis ſæcularibus; quod etiam fieri volumus, ſi aliquid aliud prohibitum in toto hoc capite aliquis habere, vel deferre præſumpſerit.

Vetantur pelles ſylveſtres.

8. Nulli concedatur portare veſtem aliquam de pellibus ſylveſtribus; de domeſticis verò, ſiquis tali neceſſitate laboret, quòd de conſilio Medicorum ea indigeat, in eo caſu Prior licentiam non denegabit, dummodò ſic cautè deferatur, ut pelles nullo modo compareant:

Forma calceamentorum.

calceis de coriu nigro anteriùs non nimis acutis utantur Fratres omnes, altitudinis ſuper claviculam, & ligentur ligaturis dumtaxat nigris, ſine aliqua vanitate, ſeu curioſitate; nulluſque poſſit uti ocreis, præterquàm in itinere: per Civitates verò, vel Oppida nec etiam Procuratoribus concedantur, ſub pœna ſuperiùs taxata: crepidæ, ſive planellæ, quibus utimur domi, ex corio ſint nigro, ac totum pedem tegentes, cum quibus extra ſepta Monaſterii ire non licebit alicui; ubi verò talis conſuetudo non eſt, portandi ſcilicèt planellas domi, nullo modo volumus, ut introducatur.

De pileo.

9. Nullus utatur galero niſi de feltro nigro, qui differat forma ab his, quibus ſæculares in illa Religione utuntur, & qui nihil ſericum habeat birretum more ſæcularium, vel Clericorum nullus portabit.

Prohibitio vanitatum.

10. Inhibemus etiam & burſas, cultellos deauratos, vel deargentatos, vaginas alterius, quàm nigri coloris, ſeu laminas, ſive cordulas niſi nigras habentes, & alia notabilia: ſudariola autem, quæ pro ſudore tergendo, ſeu pro quavis alia cauſa deferunt Fratres, linea ſimpliciter eſſe mandamus: & in eis nihil albo colori miſceatur, nec aliquo modo elaborentur.

Prohibitio armorum &c.

11. Nullo armorum genere uti poſſint, & ſigillis, ſignis, & figuris religioſè utantur, ut nulli ſcandali materia tribuatur; præcipuè verò ne quis armis ſuæ Familiæ more Laicorum utatur univerſaliter prohibemus, niſi Pater Reverendiſſimus ſuper hoc ſpecialiter diſpenſaret.

De habitu Fratrum Laicorum.

12. Habitus Fratrum Laicorum in nullo penitus differat ab habitu Fratrum Clericorum. Converſi verò Ordinis noſtri uti poſſint tunica alba, vel nigra, & birreto albo, vel nigro intra Monaſterium; quando verò extra Conventum ire contigerit, deferant tunicam nigram cum manicis ad modum Cappæ Ordinis, corrigiam ex corio amplam cum oſſea fibula, & mantellum nigrum ante pectus ligatum; ad collum non compareat camiſia linea, ſed lanea; in capite deferant galerum ſive pileum nigrum & honeſtum.

Veſtes Oblatorum.

13. Donati, qui alio nomine dicuntur Oblati, ſeu Commiſſi, qui quidem Ordini perpetuò ſe donant, offerunt, ſeu committunt, non tamen ſicut Fratres Profeſſionem faciunt, veſtibus honeſtis in forma, materia, & colore ad libitum induantur.

Quando Cappa nigra ſit deferenda.

14. Cappam nigram ſemper, cùm extra Monaſterium vadunt Fratres, deferre teneantur, etiam cùm ſunt in itinere, niſi quando ad agros vel vineas gratia recreandi animum, aut alicujus alterius operis exercendi eos ire contigerit; dummodò tamen tunc temporis neceſſe non ſit per medium Civitatis, vel Oppidi, vel principalem aliquam ejus partem tranſire; tunc enim ſine Cappis nullo modo vadant; qui contrafecerit, tribus diebus in terra comedat in medio Refectorii.

15. Item ad omnes Proceſſiones, quæ fiunt per Eccleſiam, vel Clauſtrum apertis januis; in omnibus publicis actionibus, ut ſunt Concluſiones publicæ ac ſolemnes, ubicumque defendantur; in ſepultura quorumcumque mortuorum, etiam Fratrum noſtrorum, quacumque hora ſepeliantur, in Capitulo generali, & provinciali; in omnibus electionibus, & Congregationibus totius corporis Capituli; item Diffinitores in Diffinitorio, & quicumque vocatus, vel non vocatus Diffinitorium ingredi contigerit, vel ibidem miniſtraverit, & toto tempore Capituli generalis, vel provincialis ad Horas, Miſſam, & Veſperas, ubicumque ſit Chorus.

16. Deferant etiam Cappas ad Capitulum, quod fieri ſolet poſt Primam in vigilia Navitatis Domini Noſtri JEſu Chriſti; item quando Confeſſiones audiunt in Eccleſia, vel prædicant; vel in Eccleſia, aut in Academiis publicè legunt, chlamydeſque tunc deponant, ut cujus ſint Ordinis diſtinctiùs cognoſcantur; item ad Horas Canonicas de mane, & ad Miſſam conventualem quotidie, ubi Chorus fuerit in loco interiori, & Populus Officio adeſſe ſolet; ubi verò Chorus in loco fuerit ſuperiori diebus Feſtis ad Horas, & Miſſam, & Veſperas, diebus autem, quibus Cantores parantur, ad omnes Horas ubicumque Chorus fuerit, præterquàm ad Primam, Nonam, & Completorium: ſuper hoc autem Prior non diſpenſet, aliàs à Provinciali, vel Viſitatoribus arguatur, & ſi eis viſum fuerit, puniatur; quibus etiam diebus, & Horis

Prior non poteſt diſpenſare.

Sacriſta in Eccleſia ſine Cappa comparere non audeat, immò Choro ſe conformet.

Uniformitas in habitu.

17. Inhibemus quoque, ac ſtrictè mandamus, ne quis audeat quocumque prætextu Chorum ingredi, ibique manere ſine Cappa prædictis diebus, & Horis; nec alio tempore aliquis, qui tunicam habuerit, indutus Cappa Chorum ſimiliter ingrediatur, ſi Fratres in albis fuerint, ne difformitas habitus cujuſcumque offendat aſpectum, ſed potiùs uniformitas & unanimitas interior appareat in veſtibus exteriùs.

Pœna comparentis ſine habitu Ordinis.

18. Ubicumque verò, vel quandocumque Fratres ſine Cappa fuerint, ſcapulari & caputio albo, longo, vel brevi ſint induti, ita ſcilicet, ut nunquam nec in Cella, nec extra ſine habitu Religionis ſint, & ille, qui ſine habitu inventus fuerit intra Cellam, pro qualibet vice ſemel in terra comedat in medio Refectorii; qui autem extra Cellam fuerit inventus ſine habitu, pro qualibet vice unam ſubeat diſciplinam.

Uti licet habitu nigro tantum.

19. Quòd ſi aliqua Provincia, vel Congregatio Cappa nigra uti tantum voluerit, & elegerit, nullus in ea albis veſtibus uti poſſit, quatenus uniformitas ibidem obſervetur.

Caput VI.

Quomodo, & quando Fratribus de veſtibus debeat provideri.

1. OMnibus Fratribus ſui Conventus Prior charitativè, prout cuique opus fuerit, de veſtibus, & calceamentis unius atque ejuſdem pretii juxta Conventus poſſibilitatem provideat; nec alicui dentur pecuniæ, vel pannus, ſed veſtes factæ, ut juxta Regulam noſtram, *ſicut paſcimur ex uno cellario, ſic induamur ex uno veſtiario.*

Pecunia pro Veſtiario prohibetur.

Regula c. 8.

Omnes Veſtes dentur à Priore.

2. Quapropter nolumus, ut aliquis Frater cujuſcumque gradus, dignitatis, vel conditionis exiſtat, quovis modo poſſit ſibi abſque licentia Superioris emere, vel facere, vel alicui vendere, aut quovis modo diſtrahere, aut ſibi ab alia perſona, quàm à ſuo Priore, vel de ejus licentia datum portare, vel retinere aliquod veſtimentum, ſed omnes omnium & ſingulorum Fratrum veſtes ſint in mera & libera poteſtate Prioris; *ita ut in rem communem* (ſi Prior velit) *redigantur, & cui neceſſe fuerit, præbeantur*: contrafacientes veſte, vel veſtibus, ſeu calceamentis priventur, & graviter à Priore puniantur.

Regula c. 8.

Tempus providendi de Veſtibus.

3. Quia verò congruum tempus ad providendum Fratribus de veſtimentis eſt à Feſto S. Michaelis uſque ad Feſtum omnium Sanctorum, volumus, quòd quilibet Prior infra prænotatum tempus, juxta ſingulorum neceſſitatem, Fratribus faciat diligenter provideri.

Non ſunt dimittendi Fratres ab uno ad alium Conventum ſine veſtibus.

4. Provideant autem Priores locales, ne Fratres, qui à ſuis Conventibus ad alios transferuntur, nudi diſcedant, ſed iis de neceſſariis provideant, habita ratione temporis, quo in illo Monaſterio fuere conventuales: ſi verò tunc veſtes commodè fieri non poſſunt, ea pecuniæ portio, quæ pro emendis veſtibus diſcedenti Fratri provideri debet, nequaquam Fratri hujuſmodi tradatur, ſed à Priore Conventus, unde diſcedit, ad Priorem alterius Conventus, ad quem vadit, tranſmittatur, cum hac declaratione videlicet; cui, quid, quantum, per quem, & pro quibus veſtibus mittatur; qui Frater ſi rurſus ad alium Conventum mutetur, antequam ei de veſtibus provideatur, ſimiliter portio pro rata illi debita, abſque illa ab alio Priore jam recepta mittatur ad illum Priorem, ad cujus Conventum vadit, prout ſupra dictum eſt, & ſic fiat ſi pluriès in eodem biennio talem Fratrem mutari contigerit.

5. Quod ſi Priores facere renuerint, per Provincialem compellantur: interim tamen Frater hujuſmodi à Priore illius Conventus, in quo tempore proviſionis ordinariæ fuerit, de neceſſariis provideatur. Prohibemus etiam, ne Fratres propter qualvis culpas veſtiario priventur, ſed volumus, ut aliis pœnitentiis Ordinis puniantur.

Religioſus non debet privari veſtiario.

Recipientes nova reddant vetera.

6. Fratres autem recipientes quævis nova indumenta vel calceamenta, reddant vetera: hæc verò indumenta ſi adhuc refici potuerint, foris nulli dentur, nec etiam ſervitoribus domus, ſed reficiantur, & in Veſtiario reponantur *ſub uno Cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur*, ut poſteà Fratribus vel tempore hyemali dentur, reddenda poſteà æſtivo tempore, vel etiam quandocumque lavare, vel reficere ſuas veſtes voluerint.

Regula cap. 8.

Prohibetur lotrix particularis.

7. Præcipimus deinde, ut nullus Frater cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtat, pannos ſuos lineos ſive camiſias, tàm lineas quàm laneas, alicui particulari perſonæ lavandas mittat; ſed veſtes noſtræ ſecundùm Regulam *laventur ſive à nobis, ſive à fullonibus*, à Priore pro hoc ſervitio deputatis, ſive domi, ſive foris: qui contrafecerit, pro prima vice à Priore publicè arguatur, pro ſecunda ſemel in terra comedat in medio Refectorii, pro tertia impunatur ei Pſalmus cum diſciplina.

Regula c. 9.

Pœna contravenientium.

Candor veſtium.

8. Nolumus autem, quòd Fratres noſtri laceratas, vel ſordidas deferant veſtes, ſed potiùs volumus, ut in ipſis ſemper appareat munda paupertas, & in habitu B. Virginis candor & puritas.

CAP.

Caput VII.

De Cellis Fratrum, & earum ſupellectili, ingreſſu, ac viſitatione.

Clavis omnium Cellarum ſit communis.

1. FRatres omnes noſtri Ordinis habitent in Cellis ſibi conceſſis, & non alibi, quæ ita claudantur, ut cum clavi communi omnibus ſeris aperiendis coaptata aperiri poſſint; quarum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſumus, conveniat, nihilque ſuperflui in eis ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, deſit.

Parietes Cellæ nudi.

2. Sint prætereà parietes Cellæ nudi, nec liceat in eis quidquam ſuſpendere, niſi fortè Stoream aliquam ratione ſanitatis tuendæ; non ibi ſint hiſtoriæ, vel imagines prophanæ.

Lectus qualis.

3. Provideatur verò unicuique de menſà, de ſede, de candelabro ſive lucerna, de lecto decenti, & religioſo, in quo ſit ſaccus ſtramine ſeu palea infartus, culcitra lanea, & pulvinar ſive cervical capiti ſupponendum, duo linteamina lanea, & coopertorium humile & honeſtum.

Quibus permittantur linteamina linea.

4. Nulli autem permittantur linteamina linea, niſi valdè ſenibus, hoc eſt, ſexagenariis, vel ægrotis: alii verò Fratres cùm in Conventu ſibi aſſignato fuerint, illis non utantur, & alibi quantùm potuerint honeſtè vitent; coopertorium ex ſerico, aut aliàs delicatum ſeu curioſum nullus Frater etiam infirmus in Conventu teneat.

Pœna ingredientis Cellam alterius.

5. Quicumque Frater Cellam alterius intraverit ſine licentia Prioris expreſſa (quam nonniſi pro rationabili cauſa dabit) ſi de die intraverit, ter in terra ſedens in medio Refectorii pane & aqua reficiatur: de nocte verò intrans prædictam pœnam ſuſtineat duplicatam, & ſi quis ſæpius de hoc notatus atque convictus fuerit, tamquàm inobediens à Conventu illo removeatur; eodem modo puniatur ille, cujus eſt Cella, niſi immediatè de illa exiiſſet: quam pœnam non extendimus ad Cellam Prioris, & Supprioris in abſentia Prioris, nec Magiſtri Novitiorum pro Fratribus ſibi ſubjectis, nec Venerabilis Regentis extra tempus ſilentii.

Cella exempta.

Viſitatio Cellarum bis in Anno.

6. Volumus autem, ut quilibet Prior ad minus bis in anno Cellas omnes ſui Conventus viſitet, aſſumptis ſecum uno, vel duobus de gravioribus Patribus Conventus: Fratres verò teneantur Priori, per ſe, vel per alium petenti, dare claves quarumcumque arcarum, ſi eas in Cellis habuerint, vel cujuſcumque repoſitorii loci: & diligenter videat Prior, an ſint aliqui, qui camiſiis, vel ſindonibus lineis abſque licentia, ſeu diſpenſatione utantur, vel aliquid habeant in Cellis ſuis magis delicatum, pretioſum, vel curioſum, quàm quod ſtatui paupertatis noſtræ congruat, & ab illis hujuſmodi auferat, puniatque eos animadverſione condigna: Idem faciat, ſi invenerit libros prophanos & inhoneſtos, epiſtolas, vel aliquid aliud, quod noſtræ profeſſioni ac honeſtati apertè repugnet.

7. De iſtis autem rebus, quas Prior à Fratribus abſtulerit, diſponere debebit, ſicut inferius in Capitulo 15. hujus ſecundæ Partis dicetur.

Caput VIII.

Quomodo, & quoties raſura fiat.

1. RAſura ſuperior, ſive (ut dicitur) corona ſit ampla, uti decet Religioſos, ita ſcilicet, ut inter ipſam & tonſuram, (quæ deſuper aures tàm Clericis, quàm Laicis, vel Converſis Fratribus omnibus æqualiter fieri debet) reſerventur Fratribus Clericis non minùs quàm duo digiti capillorum; Laicis verò, atque Converſis nullo modo concedatur deferre coronam.

Forma coronæ, & tonſuræ.

Laici non poſſunt ferre coronã.

2. Raſura verò fiat de quindecim in quindecim dies in æſtate, in hyeme verò ſingulis menſibus. Nulli autem Fratri cujuſcumque conditionis exiſtat, niſi Infirmitatis cauſa, liceat differre, vel prævenire tempus raſuræ abſque Superioris licentia: concedimus tamen, ut Prædicatores, qui hebdomada immediatè antecedenti Quinquageſimam raſi fuerint, ſi ſequenti Quadrageſima quotidiè prædicaverint, uſque ad Octavam Paſchæ radi non teneantur; aliis verò totius anni temporibus hoc noſtrum Decretum penitus ſervare cogantur.

Tempus, quo raſuræ fieri debet.

3. Tonſuram autem tàm barbæ quàm coronæ ita fieri volumus, ut tantum de barba & capillis incidatur, quantum forcipibus mediante pectine incidi poteſt.

Modus tonſuræ.

Caput IX.

Qualiter ad refectionem intrent, & ſedeant Fratres.

1. HOra competenti ante prandium, vel cœnam Refectorarius, vel alios, cui fuerit injunctum, campanulam aliquibus ex eadem parte ictibus pro primo ſigno pulſet: quo audito Fratres matura feſtinatione ad refectionem conveniant, & abluentes ſibi manus, ſi opus fuerit, locum ſilentii intrent, inclinanteſque reverenter ad imaginem, quæ ibi ſemper ſit, & ad Superiorem, ſedeant ordinatè & honeſtè in locis ſuis cum ſilentio, quod ſervare tenentur, donec poſt prandium exſolverint gratias, vel poſt cœnam de Refectorio egreſſi fuerint.

Ablutio manus, & ſeſſio Fratrum.

Correctio Culparum & lectio Conſtitutionum.

2. Prior pulſato primo ſigoo longam moram non faciat, ſed per ſe, vei per alium Fratres in Refectorium introducat, & ſi priùs alieujus euipam audire, vel aliqoem corripere, vel punire vuiuerit, citò faciat. Facto ſigno à majori, Lector Menſæ ſurgat, & in ioco ſuo legat de Conſtitutionibus, vel de Ordinario Ordinis ooſtri quouſque qui major fuerit, ſignum finiendi iectionem faciat; quo facto, ſurgant Fratres, & pro ſecundo ſigno pulſetur campanula more ſolito, donec benedictio Menſæ incipiatur; tune proceſſionaliter ingrediantur Refectorium, & ad loca ſua pervenientes Imagini inclinent, verſiſque vultibus ex utroque Choro ſtantibus ante menſas, procedatur ad benedictionem, prout *in Breviario Romano in rubrica de benedictione Menſa* per omnia continetur.

Benedictio Menſæ.

Qualiter ſe habeat qui tardè venerit.

3. Frater autem, qui non adfuerit antequam Conventus ſedeat, ſi fuerit Sacerdos, ante Superiorem inciinet in medio Refectorii, & ſtet erectus quouſque ad locum ſuum Superior eum ire innuerit; ſi verò non fuerit Sacerdos, priùs genuflectat, & poſteà ſtet erectus, & faciat ſimiliter: Prior tameo, cujuſcumque meriti ſeu gradus ſit ille, qui coram ſe inclinatur, detegere caput non teneatur, nec debeat. Fratres panem non diſcooperiant, donee Prior ſigno licentiam comedendi dederit, quo andito, comedere incipiant ea cum modeſtia ae totius corporis compoſitione, quæ Religioſos decet.

Signum pro licentia comedendi.

Diſciplina Menſæ.

4. Debet autem unuſquiſque in Menſa in his conſervare diſciplinam in ſemetipſo, videlicet, ut ſe totum cum modeſtia, & quiete contineat, & in ſumptione cibi quid, quantum, & quomodo benè perpendat, ita ut ipſa neceſſitas non carnaliter expleatur, ſed ſicut convenit Servo Dei: Patres verò ſeniores & graviores taliter ſe gerant, ut alii, in eos conijcientes oculos, eorum modeſtiam imitentur.

Cap 4. Regul.

5. Quia verò in Regula dicitur: *Cùm acceditis ad Menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite.* Talem à Sanctiſſimo P. N. Auguſtino inſtitutam conſuetudinem commendantes, præcipimus, ut ubì fuerint ad minus duodecim Fratres de Familia, per totum prandium & cœnam, donec inde ſurgatur, ſemper legatur cui lectioni omnes ſummo cum ſilentio intendant, *ne ſola nobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum*; nam *Juſtus comedit, & replet animam ſuam.* At ubi non fuerint hujuſmodi duodecim Fratres de Familia, ſufficiat legere parum in principio, & parum in fine, ſicut diſcretioni Prioris videbitur expedire: ſemper tamen, etiamſi non legatur, ſilentium in Refectorio à Fratribus obſervetur.

Lectio Menſæ continua.

Regul. ubi ſupra.

Proverb. 13. 25.

6. Ad Menſam ſemper legant Novitii, ſeu Profeſſi, aut Juniores, ut addiſcant, & inſtruantur, & Fratres provectioris ætatis ab hoc onere ſint immunes, niſi aiiter fieri aliquando oporteret: prævideant verò ſemper latinam lectionem cum Correctore, ne in publico ignorantia eorum ſcandalum generet, & ſi io aiiquo inter legendum ad Menſam erraverint, admoniti verbo vel ſigno à Correctore, repetere lectionem proximè pronuntiatam, & ſicut Corrector emendaverit, legere teneantur; ille verò, quem errare contigerit inter iegendum ad Menſam, dicto à Fratribus *Deo gratias*, ante Priorem genuflexus dicat culpam ſuam, & nullus ad Menſam præter Correctorem emendare præſumat, excepto Venerabili Priore.

Debent legere Juniores.

Pœna errantis inter legendum.

7. Ad prandium & cœnam ſemper legatur in tono lectionum, niſi iectio ſit vulgaris, & antequam Lector lectionem incipiat dicat ſtans, in eodem tono: *In Nomine Domini Noſtri JESU Chriſti benedicti Amen*; poſteà ſedeat, & dicat: *Incipit, vel ſequitur tale Caput talis libri*, & ſemper legat capite diſcooperto: quando verò finem fecerit lectioni Sacræ Scripturæ, adjungat: *Explicit Caput tale, vel manet lectio in Capite tali talis libri*; ſemperque lectionem inde proſequatur, ubi priùs finierit.

Modus legendi.

8. Ad prandium ſemper legatur uſque ad finem de Biblia Sacra in principalioribus Conventibus, ut Fratres noſtri familiares fiant Sacræ Scripturæ, niſi in aliquo Feſto aliter Prior ordinaverit: in aliis verò Conventibus iegatur caput unicum in principio, vel pars tantùm, ſi caput longum fuerit.

Materia lectionis ad prandium.

9. Ad cœnam etiam legatur in principio parum de Biblia Sacra, deinde de homilia Evangelii Dominicæ, vel Feriæ, ſeu de hiſtoria Feſti, ſeu Sancti occurrentis, poſtquàm verò homilia, vel hiſtoria finita fuerit, iegatur de Sermonibus S. P. N. Auguſtini, legantur etiam Chronicæ noſtri Sacri Ordinis, & Vitæ, vel Collationes Patrum, ac Liber Fratris Jordani de Saxonia Ordinis noſtri, qui *Vita Fratrum* dicitur.

Ad cœnam.

10. Sextis feriis, *ne per oblivionem aliquid negligatur*, Regula S. P. N. Auguſtini ad prandium legatur, *ut nos in ea tamquàm in ſpeculo poſſimus inſpicere*, quòd ſi tunc finiri non poſſet, finiatur ad coiiationem, ſi vero feria ſexta occurrat aliqua ex præcipuis ſolemnitatibus, in qua debeat in Refectorio prædicari, vel aliquid aliud legi, differatur lectio

Regul c. 12.

Lectio Regulæ.

Concio Juniorum.

Re-

Regul. ubi ſupra.

Regulæ noſtræ in Sabbatum, ita ſcilicet, *ut tota ſemel in Septimana nobis legatur.*

Silentium in utraque menſa.

11. Fratrum domi exiſtentium nullus abſit à prima Menſa, exceptis Miniſtris; & quoquot abſuerint, in ſecunda Menſa comedant, in qua ſicut in prima ſilentium ſervetur, & ſi poſſibile fuerit, legatur: & in principalioribus Conventibus provideat Prior de Fratre aliquo gravi, qui ſecundæ Menſæ præſit, nec tertia Menſa omninò fiat. Intelligimus autem per ſecundam Menſam, quandiù Lector cum Servitoribus Menſæ comederit; propter quod Prior injungat eis, quibus licentiam eundi foras conceſſerit, ut ſic ad Conventum feſtinent reverti, quòd ſaltem ſecundæ Menſæ valeant intereſſe: nulla pitantia fiat in ſecunda Menſa, quæ in prima non ſit facta, niſi forſitan interdùm hoſpites adſuerint.

Modeſtia menſalis.

12. Frater comedens in Refectorio ad primam Menſam, non mittat alteri Fratri aliquid abſque licentia Prioris, ſed de eo, quod ſibi datum à Priore, vel ab alio ex permiſſione ipſius fuerit, poterit dare juxta ſe ſedentibus à dextris & à ſiniſtris. Si quis juxta ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de eo, quod communiter omnibus apponitur, ſigno, ſi ſigna ſint, ſin autem ſubmiſſa voce requirat à Miniſtro; ſiquis præter id, quod communiter apponitur omnibus, aliud petierit, non dabitur ei, quidquid illud ſit, abſque licentia Prioris; rara autem & inſolita, qui eſt in Religione, non debet quærere, & labori miniſtrantium debet parcere.

Frugalitas menſalis.

Correctio inurbanitatis.

13. Signis ad Refectorium manifeſtè, vel latenter aliquid ſine licentia acceptum afferre præſumpſerit, ipſo ſtatim privetur, & Prior talem juxta diſcretionem ſuam corripiat, & puniat: ſollicitè & attentè Prior reſpiciat diſcumbentes, & ſi quos incompoſitè vel indecenter ſe habere deprehenderit, aut mox ſigno, vel per ſervitorem coerceat, aut poſteà in Capitulo durè arguat, ut cæteri terreantur, atque ſi non ſufficiat, pœna eis, quæ eos inſtruat, imponatur.

Nullus extra Refectorium comedat.

14. Nulli Fratri extra Refectorium ſine ſpeciali licentia Prioris, quæ non niſi rationabili ex cauſa dari debet, liceat refici, & ejuſmodi licentia non ſit crebra. In Cellis nullo modo ad comedendum ſæculares admittantur, nec etiam ſine ſæcularibus ibidem contubernia fiant: ad prandium, vel cœnam, vel etiam collationem in Refectorio, dum Conventus reficitur, ſæculares non comedant, niſi raro, & ſi fuerint Perſonæ admodùm graves, aut Parentes, vel Conſanguinei alicujus Fratris in die Profeſſionis, vel celebrationis novæ Miſſæ ejuſdem; cum iſtis autem omni cum modeſtia, & religione agatur in menſa, nec coram eis aliquis publicè reprehendatur, niſi de culpa tunc temporis ipſis videntibus commiſſa, nec aliqua pœnitentia ab aliquo exerceatur.

Coram ſæcularibus nullus reprehendatur.

Pœna delinquentis in Refectorio.

15. Quicumque in Refectorio aliquid commiſerit negligenter, utpotè quia vas confregit, vel aliquid ſua incuria in terram cecidit, vel vinum, ſeu aquam, aut aliquid aliud per menſam diſſudit, ſi fuerit de conſedentibus, ſtatim ſurgens in loco ſuo capite diſcooperto pectus ſuum percutiat, & capite inclinato dicat, *Pater noſter* ſecretò, poſteà ſedeat; ſi autem fuerit de miniſtrantibus, ante menſam Prioris veniens genua flectat, manuque terram tangens pectus ſuum percutiat, nec ſurgat quouſque Prior vel pœnitentiam ei imponat, vel ſurgendi ſignum faciat.

Signum finiendi menſam diſcretum.

16. Prælatus ſic menſam protrahere debet, ut ſenes, qui tardiùs comedunt, comeſtionem interrumpere non cogantur; quare ſignum non faciat, quouſque conſpexerit Fratres ab eſu deſiſtere: quo facto, ſervitores menſæ reliquias colligant, & omnia è menſis amoveant, quæ tunc amovenda ſupererunt; advertant autem ſervitores hujuſmodi, quòd in omnibus diſciplinatè ſe habeant, & maturè incedant, & quòd in frangendo ſilentium, vel clamando, ſeu tumultuando neminem ſcandalizent, præcipuè verò cùm extraneos intereſſe contigerit, circa quos magis ſolliciti eſſe debent, tantòque plus, quantò fuerint Perſonæ digniores; cùm autem tales apud nos comedunt, vel magna multitudo extraneorum, ſi ſervitores non fuerint idonei, alii ponantur.

Servitores menſæ ſint modeſti.

17. Cavendumque eſt ſervitoribus, ne quovis modo occaſionem dent comedentibus frangendi ſilentium, & inter comedendum frequenter circumſpiciant, ne fortè quid alicui deſit, quod ipſi poſſint ſupplere.

Gratiæ in Choro, vel Capitulo dicendæ.

18. Peractis omnibus, ſigno impertet Prior Lectori, ut finem legendi faciat, qui ſtatim ſurgens, dicat: *Tu autem Domine* &c. & reſponſo *Deo gratias*, omnes Fratres egrediantur de menſa Imagini inclinantes, & illis ſtantibus ad gratias procedatur, prout in Breviario Romano continetur. Poſt prandium cum Pſalmo vadant ad Eccleſiam, ſeu Capitulum, ubi gratias finiant: poſt cœnam autem finitis gratiis à Refectorio proceſſionaliter cum ſilentio egrediantur.

CAPUT X.

De uſu ciborum, & jejunio Fratrum.

Abſtinentia & jejunia.

1. FRatribus noſtris liceat per totum annum his diebus, quibus ab Eccleſia non prohibetur, nec ex Inſtituto

Ordinis jejnnare tenentur, omnibus indifferenter cibis nti, exceptis quartis Feriis totius anni, niſi occurrant inter Paſcha & Pentecoſten, vel in eis contingat aliquod ex ſolemnioribus Feſtis primæ, vel ſecundæ Claſſis celebrari, prout diffinitum ſuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1491. Poterunt autem Sabbatis, & quartis Feriis, niſi tunc ſit ſolemne jejunium, ova & lacticinia comedere.

Regul. c. 3.

Jejunia Ordinis.

2. Quia verò in Regula noſtra dicitur: *Carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit* (quod quidem ita conſcientias quorumdam ſcrupuloſè perturbat, ut ſibi propterea videatur ad extremum abſtinentiæ poſſibilis obligari, cùm tamen Doctor prudentiſſimus hoc verbo virtutem diſcretionis potiùa commendaverit, ne cuique licitum ſit pro ſuo arbitrio virtutis hujus medium, ſive terminos tranſgredi) ſtatuimus & ordinamus, quòd præter illa jejunia, quæ ab Eccleſia generaliter, vel in particularibus Provinciis ab Epiſcopis præcipiuntur Fidelibus, Fratres noſtri teneantur jejunare, & verum jejunium obſervare, & cibis tantùm quadrageſimalibus ſemel in die refici Feria ſecunda, & tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, & à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, ac in Vigilia S. P. N. Auguſtini, (pruut diffinitum fuit in Capitulo generali Bononiæ celebrato Anno Domini 1306.) & in omnibus vigiliis cujuslibet diei ad Communionem generalem deputati, atque in omnibus ſextis Feriis totius anni, exceptis his, quæ occurrunt à Paſcha uſque ad Pentecoſten, ut ſacroſanctæ Eccleſiæ conſuetudini conformemur: quòd ſi etiam die Veneris occurrat Feſtum Narivitatis Domini, ad jejunium non cogantur Fratres; in Feſto quoque B. P. N. Augnſtini, ſi ln die Veneris occurrerit, quia veluti dies Paſchatis nobis eſt, Fratres ad jejnnium non teneantur.

Jejunium in die Paraſceve.

3. In Paraſceve pane tantùm & aqua ſuper nudam tabulam ad prandium reficiatur Conventus, & nullatenus niſi cum infirmis, vel valdè ſenibus diſpenſetur, non tamen in Refectorio, in quo præter panem & aquam nihil miniſtrari omninò tunc volumus.

Pœna frangentium jejunia Eccleſiæ.

4. Qui verò jejunia à ſacroſancta Eccleſia inſtituta fregerit, ant violare præſumpſerit, præterquàm in articulo infirmitatis, ſeu in caſibus, in quibus Eccleſia ad jejunium non obligat, atque de licentia Superioris, pro qualibet vice infra octo dies à fractione jejunii, vel poſtquàm Priori conſtiterit, tribus diebus in pane & aqua ſuper nudam terram ſedens abſque ulla diſpenſatione verè jejunare cogatur, & tres diſciplinæ ei imponantur.

Pœna frangentium jejunia Ordinis.

5. Qui autem jejunium à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini præſumpſerit violare ſine licentia Prioris expreſſa, quam non niſi in caſibus magnæ neceſſitatis concedere debet, quia tam ſanctum & religioſum noſtræ Sac. Religionis mandarum infringere non eſt veritus, infra duas hebdomadas à fractione ipſius jejunii, vel poſtquàm Priori conſtiterit, tribus diebus ſedens in terra in medio Refectorii pane & aqua reficiatur. Prior verò, qui prædictas pœnitentias non fecerit obſervare, à Provinciali, vel Viſitatoribus graviter arguatur, atque etiam ſi eis videbitur, puniatur; qui verò alia Ordinis jejunia violaverit, pro qualibet vice in terra comedat.

Portionis ampliatio in diebus jejunii.

6. Volumus etiam, & mandamus, ut Priores juxta locorum poſſibilitatem aliquid plus ſolito in diebus jejuniorum Fratribus in Refectorio miniſtrari procurent, ne ob aſſiduitatem jejunii, & labores alios ſolitos, illi, qui debiliores fuetint, deficiant.

Exempti à Jejunio.

7. Declaramus quoque, quòd exercitiis corporalibus ex obedientia multum laborantes, & aliis caſibus, in quibus ad jejunia Eccleſia non obligat, excuſatos, nec nos ad jejunia noſtra obligare intendimus; ea tamen ſine licentia Superioris nemo etiam cum cauſa violare præſumat.

Diſpenſatio qualiter fieri poſſit.

8. Prior Provincialis, vel localis, in jejuniis Ordinis cum toto Conventu diſpenſare non valebit, ſed cum illis tantùm Fratribus, qui legitimam cauſam non jejunandi habuerint; ita tamen ut nunqnam permittat, quòd Refectorium à medietate Fratrum relinquatur: nec volumus, quòd illi, qui diebus jejuniorum carnes comedere permittontur, eas in Refectorio quando Conventus reficitur, ullo modo comedant; idque tam in majoribus, quàm in minoribus Conventibus volumus obſervari.

Licet prandere foris, ſed rarò.

9. Poterit etiam Prior localis rationabiliter permittere, ut Fratres comedant extra Conventum cum honeſtis & gravibus Perſonis, vel Parentibus. qua in re non facilè conſentiat, nec frequenter, ſed diſcretè ſe habeat in ejuſmodi licentia concedenda, & in ſociis aſſignandis, ne inde occaſio ſcandali ſubſequatur.

NOTA. Quando Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidit in diem Solemnitatis Corporis Chriſti, quia tanti Sacramenti inſtitutio, quaſi è principalioribus totius anni feſtivitatibus, ſumma totius Populi chriſtiani lætitia recolitur: ideò Urban. VIII. Conſtit. 152. *Cum evenire:* ſub die 13. Octobris 1638. ordinavit pro omnibus

bus Chriſti fidelibus non eſſe jejunandum: neque à carnibus abſtinendum in die Feſto hujuſmodi, ſed anticipandum eſſe jejunium die immediatè antecedenti, nempe Feria quarta, prout jejunaretur in ipſa Vigilia. Iſtius autem Conſtit. virtute in tali caſu die Jovis Fratres noſtri non tenebuntur jejunare.

CAPUT XI.

Qualiter Fratres ad collationem conveniant in diebus jejuniorum.

Cap. 9. hujus Partis.

1. IN diebus jejuniorum Fratres poſt Completorium hora competenti ad ſonum campanulæ, à Refectorario ſemel tantùm paucis ictibus pulſatæ, ad locum ſilentii conveniant, ſedentes ibi in ſilentio ordinatè & honeſtè, & facto ſigno à Priore, Refectorium proceſſionaliter ingrediantur, ut ſupra dictum eſt, & in locis ſuis inclinantes, dicant: *Pater noſter* ſecretò, & poſteà intrent ad menſam, & Lector præmiſſo: *In Nomine Domini noſtri* &c. legat ſine nota de aliquo libro ſpirituali & devoto quouſque Prior ſignum faciat, quo audito, erectus dicat *Benedicite*, & Prior in tono ſubjungat, *Largitor omnium bonorum benedicat collationem ſervorum ſuorum*: & reſpondeatur ab omnibus: *Amen.* Tunc Fratres, ſi voluerint, bibant.

Benedictio Collationis.

Collationis parcitas.

2. Ne verò noceat potus, poterit eis aliquid fructus, & etiam fruſtum panis in parva quantitate miniſtrari; & in fine ad ſignum Prioris colligantur, ſi quæ ſuperaverint reliquiæ: deinde dicat Prior: *Adjutorium noſtrum &c.* Conventus reſpondeat: *Qui fecit* &c. & ſic ſurgant omnes, & ſtantibus hinc inde, dicat Hebdomadarius in tono ſine nota: *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc* &c. proſequendo uſque in finem, ut in rubrica de prandio.

Ad Collationem ſecunda menſa non fiat.

3. Ad collationem ſecunda menſa nullo modo fiat, ſed omnes cum Conventu egrediantur, & ſic provideat Prior, quòd Lector, & ſervitor, antequam Conventus egrediatur, collationem ſumant; & egreſſo Conventu Refectorium omninò claudatur, nec alicui aperiatur abſque licentia Prioris.

CAPUT XII.

Quibus locis, & temporibus ſilentium à Fratribus obſervetur.

Iſai. 30. 15.

Quatuor loca ſilentii.

1. QUoniam Spiritus Sanctus per Prophetam docendo dicit: *In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra*: idcirco ſtatuimus & mandamus, ut in Choro, in Dormitorio, in Clauſtro primo, ubi mortui ſepeliuntur, & in Cameris ſecretis ſummum ſilentium die noctuque in noſtro Ordine ſemper & ubique ſervetur.

2. In Sacriſtia verò tempore Miſſarum ſervetur ſilentium, ne devotio celebrantium impediatur; alio tempore ita ibidem Fratres moderatè loquantur, ne in Eccleſia, ſi fuerit aperta, à ſæcularibus audiantur. Sacriſtia tempore Miſſarum.

3. Item in Capitulo quando de culpis agitur, vel *Adjutorium noſtrum* dicitur, & in Refectorio tempore refectionis, tàm in prima quàm in ſecunda menſa, & in Capitulo Refectorii, quando ante refectionem Fratres ibidem congregantur, vel in prima ſeu ſecunda menſa comeditur, ſilentium ſimiliter ſervetur. Capitulum.

4. Declaramus autem, quòd etiamſi in Eccleſia, vel Choro, vel in Cellis de licentia Prioris Confeſſiones Fratrum, vel ſæcularium audiantur, non propter hoc ibi ſilentium frangi dicitur.

5. In Eccleſia verò, vel Choro nihil manibus operari licebit, niſi quod ad decorem & ornatum ſpectet illorum, nec etiam in Dormitorio licebit aliquid operari, quod ſine inquietudine aliorum fieri nequit, in quo per totam noctem lampas ardeat & luceat: in Capitulo primi Clauſtri lectiones & diſputationes fieri non prohibemus; poterunt etiam Fratres ibidem cum ſæcularibus modeſtè & religioſe loqui. Lampas in Dormitorio.

6. In Conventu ubi eſt unum ſolum Clauſtrum, & locus ipſe ita nimis eſt arctus, ut nec domus, nec locus aliquis, ubi Fratres interdum (ſicut mos eſt Ordinis) loquantur, convenienter inveniri poſſit, Prior cum Fratribus, ut in aliqua certa & determinata hora in Clauſtro loqui valeant, diſpenſare poterit: at ubi duo ſunt Clauſtra, in primo ſervetur ſilentium, in ſecundo verò poterunt Fratres cum benedictione Domini honeſtos & utiles ſermones adinvicem conferre, & animum parumper à laboribus continuis relaxare, moderatè tamen ſine tumultu, vociferationibus, aut contentionibus, ſeu quovis alio exceſſu. Silentium in Clauſtro.

7. Prioribus tamen inter alia hoc ſummoperè commendamus, ut ſollicitè curent otioſos per domum vagantes, inanes miſcentes ſermones, & tempore abutentes cohibere, eiſque præcipere, ut tempus rebus utilibus impendant, juxta illud Sapientis: *Fili conſerva tempus, & diſcede à malo.* Prior compeſcat otioſos. Eccl. 4. 24.

8. Prior in Refectorio ad menſam, & in aliis locis ſilentii, & Magiſter Noviciorum cum ſuis Noviciis ibidem, & Cantor in Choro in diſtributione officii, de his, quæ expedierint, ſubmiſſa voce loqui valeant, tamquàm ſi loquerentur ad aurem, quod & omnes alii Fratres obſervare teneantur, quando ob aliquam inevitabilem neceſſitatem ſilentium locale Neceſſitas frangendi ſilentium.

vel

vel temporale violare coguntur, ex eo qnia ſignis conceptus ſuoa exprimere non valeant, breviter tamen tunc temporis loquantur de illis tantùm, quæ ſola neceſſitas poſtolabit.

Signum ſilentii poſt cœnam.

9. Ionovantes diffinitionem à Reverendiſſimo Magiſtro Alexandro de S. Elpidio factam in Capitulo generali, Viterbil celebrato Anno Domini 1312. præcipimus, ut poſt cœnam vel collationem, facto debito intervallo ſecundùm diſcretionem Prioris, quotidiè pulſetur campanula pro ſigno ſilentii, à quo ſigno uſque ad Primam ſequentis diei ſilentium ubique inſra ſepta locorum noſtri Ordinis ſtrictè ſervetur per totum annum.

Signum ſilentii poſt prandium.

10. Similiter à Feſto Inventionis S. Crucis uſque ad Feſtum Exaltationis ejuſdem, diebus quibus non jejunamus, pulſato ſigno poſt prandium uſqne ad Nonam: diebus verò quibus jejunamus, pulſato etiam ſigno poſt prandium, donec à Sacriſta vel alio ſurgendi ſignum fiat.

11. Tempore autem ſilentii, ſi Fratres dormire noluerint, aut orent, aut ſcribant, vel aliquid utile operentur, ſine inquietudine ramen aliorum.

Diſpenſatio ſilentii ſit rara.

12. Priori ſuper ſilentio, cauſa rationabili ſubſiſtente, cum aliqoibus Fratribus vel cum toto Conventu aliquando diſpenſare licebit; non tamen hujuſmodi diſpenſatio ſit crebra, & illi, qui fuerint ad loquendum tonc diſpenſati, ita deprimant voces, ne alios, qui in ſilentio ſunt, inquietent.

Generalis, & Provincialis reſpectivè ad ſilentium non tenentur.

13. Reverendiſſimus Prior Generalis Ordinis noſtri in tota Religione ad ſilentium non cogatur, ſimiliter nec Provincialis in ſua Provincia, liberamque habeant facultatem cum aliis reſpectivè diſpenſandi, quando, & ubi eis videbitur expedite.

Caput XIII.

De clauſura noſtrorum Conventuum, & quòd mulieribus ad eos ingreſſus non permittatur, atque de colloquutione Fratrum

Oſtiarii qualitates.

1. CUſtodia Conventus debet injungi tali Frarri Clerico, Laico, vel Converſo, qui quòad fieri poſſit, ſit maturæ ætatis, exemplaris, de nullo vitio ſuſpectus, prudens ac miris in reſponſis, qui neminem multiplicibus interrogationibus faſtidiat, nec indiſcreta culloquutione commoveat, qui ſcandalizatos ſciat placare, & omnes cum eo moram aliquam trahentes, vel eidem ſe applicantes, verbis & factis ædificare valeat.

Porta ſemper ſit clauſa.

2. Portam ſemper teneat clauſam, ne cuiqne volenti pro arbitrio ingreſſus ad primum Clauſtrum pateat, ſed eis tantùm, quos ipſius diſcretio ingreſſuros judicaverit; quapropter non deber vagari per domum, ſed ibi continuè reſidere, niſi fortè ex rationabili cauſa aliò declinare oporreret; ſi verò non habuerit ſocium ſui loco relinquendum, ſic oſtium claudat, ut nullus intrare aut exire poſſit, priuſquam ipſe revertatut.

Oſtiarii diligentia.

3. Cùm pulſant ad portam, citò debet adeſſe, & per feneſtellam parvam, antequam aperiat, reſpiciat perſonam pulſantem, & ſi fuerint tales, qui non debeant introduci, ſatisfaciat eis ſine introductione, cùm autem introducendi ſunt, ſi fuerint perſonæ mediocris authoritatis, remaneanr propè portam, & ibi vocentur diligenter, qui fuerint vocandi.

Non ſit Religioſis importuna.

4. Caveat autem Oſtiarius, ne Fratres in ſilentio hora debita manentes, vel exiſtentes in Chnro ad Divina, ſeu in Scholis ad lectiones vel diſputationes, aut in Reſectorio hora comedendi, vel in Capitulo, ſollicitet ad exeundum, nec licentiam à Priore petat, uiſi neceſſitas fuerit magna.

Diſcretè admittantur exteri.

5. Si verò fuerint perſonæ nobiles, Prælati, Clerici, aut Religioſi, in primum Clauſtrum introducantur, & ad Capitulum ducantut vel dirigantur, ibique aduocentur ſine mora, qui fuerint aduocandi, nec enim volumus ſine expreſſa licentia Prioris alicui extraneo ad interiora Monaſterii introitum poſſe dari; paucis verò de Clero, & de laicis dabitur ad ſecundum Clauſtrum, vel Viridarium ingreſſus: Fratribus tamen noſtris nullo modo prohibeatur hujuſmodi ingreſſus cujuſcumque Provinciæ vel Congregationis ſint, poſtquàm de licentia ſui Superioris conſtiterit; neminem autem volumus abſqoe reſponſo longa mora detineri, ne faſtidio pertotbetur.

Quo tempore aperienda, & claudenda Porta.

6. Portam Conventus aperiat Oſtiarius de die, ſero autem parùm poſt ſignom *Ave Maria* omninò claudat, neque enim tranſacta luce diei Sæculares in Monaſterio, nec Fratres extra reperiri volomus, niſi fortè de mandato Prioris in domo alicujus in extremo laborantis vel jam defuncti pernoctare contigerit.

Claves Monaſterii de nocte Priori tradantur.

7. Claves Monaſterii ſingulis noctibos Priori tradantnr, & Prior, qui Monaſteril clauſuram neglexerit, vel portam de ſufficienti Oſtiario non providerit, in prima Viſitatione arguatur, & ſi neceſſe fuerit, debitè puniatur, & ſi ſe emendare noluerit, in ſecunda omninò ab Officio deponatur.

8. Ad

Eleëmoſynarum diſtributio.

8. Ad Oſtiarium pertinet eleëmoſynas communes ſecundùm poſſibilitatem domus pauperibus elargiri, niſi aliquis alius ſit huic muneri deſignatus; debet igitur eſſe pius in compatiendo, manſuetus in tolerando importunitates & moleſtias petentium, diſcretus in diſtribuendo, & ſollicitus in congregando, quæ fuerint largienda.

Excluſio mulierum à Choro.

9. Mulieribus exterior tantùm Eccleſia pateat, quæ etiam non ſemper de die ſit aperta, ſed à prima Miſſa uſque ad ultimam, & à primo ſigno ad Veſperas uſque ad occaſum Solis; ſi verò conſuetudo in aliquo loco inolevit, ut in aliqua magna ſolemnitate, vel propter maximum concurſum Populorum, vel ob aliam rationabilem & honeſtam cauſam, Eccleſia de die ac etiam de nocte ſit aperta, uſus (dummodò non ſit potiùs abuſus) ſervetur.

In Eccleſia non loquendum cum mulieribus.

10. Non tamen proinde dum Conventus eſt in Refectorio, aut de nocte dormit, vel de die manet in ſilentio, etiamſi Eccleſia ſit aperta, alicui Fratri licebit ibidem cum muliere loqui etiam in Foro pœnitentiali, nec etiam ad portam Conventus, niſi ex urgenti aliqua neceſſitate Prior licentiam concedat: dum verò canonicæ Horæ in Choro dicuntur, ſi Priori videbitur, Fratres Confeſſiones mulierum audire poſſint, non tamen cum eis extra Confeſſionem loqui valeant in Eccleſia, cujuſcumque gradus vel conditionis illæ ſint.

Prohibitio ingreſſus mulierum in Conventum.

11. Strictè prohibemus, ne aliquis Frater Prælatus, vel Subditus mulierem cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionisve ſit, quacumque etiam dignitate ac præeminentia præditam, etiam Comitiſſam, Marchioniſſam, aut Duciſſam in Monaſteria Fratrum Ordinis noſtri introducere, vel admittere præſumat ſub privationis Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & inhabilitatis impoſterùm ad illa, & alia omnia, ac ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto ſine alia declaratione pœnis incurrendis, præterquàm in caſibus ſequentibus; videlicèt, quando fiunt Proceſſiones, vel mortui ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, tunc namque ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, accedere mulieribus licitum eſt; ✝ ita tamen ut porta, qua intratur ab Eccleſia in Clauſtrum, non claudatur ullo modo, quandiù mulieres intra ſteterint: quæ, eo finito propter quod intraverunt, exire compellantur.

Pœna admittentium, vel introducentium.

Quando admitti licebit.

Cum mulieribus loquendum præſente ſocio.

12. In Eccleſia, ſeu ad oſtium Conventus nullus Frater cum mulieribus loquatur ſine licentia Prioris, & ſocio à Priore aſſignato, qui audiat, & videat, niſi talis cum Matre, vel Sorore carnali, ſeu alia muliere, maximè ſibi conſanguinitate, vel affinitate conjuncta loqueretur, in quo caſu ſufficit, ut ſocius videat, licet non audiat: excipimus tamen viros graviores & ætate maturiores; omnia verò ſupradicta quòad omnes Fratres ſerventur, quoties contigerit aliquem extra Monaſterium egredi, ut cum mulieribus loquatur.

Non tamen fiat crebro.

13. Caveat autem Prior, ne nimis frequenter eidem Fratri licentiam concedat cum eadem, vel eiſdem mulieribus colloquendi, vel eas ad proprias domos viſitandi, niſi fortè talis eſſet perſona, tantæ ſcilicet authoritatis, & tàm claræ famæ, ut ex ejus colloquutione potiùs Religioni noſtræ honor, quàm dedecus accederet.

Quando Fratres ſine ſocio loqui poterunt.

14. Fratres verò foras miſſi pro neceſſariis domui petendis, loqui poterunt cum mulieribus etiam alter ſine altero, ſi tunc neceſſitas ſic loqui exigat, intrare tamen domum ad ſedendum, vel confabulandum non licebit: Procurator & Fratres alii cùm ad procurandum neceſſaria Fratribus vadunt, poterunt, præſente ſocio ſuo & vidente, de hujuſmodi cum muliere ſola loqui, ita tamen ut cum una, eademque muliere frequens non ſit talis colloquutio.

NOTA ✝. Præter caſus explicitos, in quibus permittitur mulieribus ad Clauſtrum ingreſſus. Quando divinum verbum in Clauſtris Monaſteriorum, & Regularium locorum, vel per aliam quamcumque cauſam tantus concurſus Populi fuerit, quòd commodè ingredi non poſſint, & egredi per portam Eccleſiæ, Pius V. perpetuò concedit, ut dictæ mulieres unà cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam Clauſtri Monaſteriorum, & locorum Regularium, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monaſterio: 1570. 16. Julii Pontificatus Anno Quinto: In Bullario nuper Romæ recuſo 1617.

Caput XIV.

Quanta, & qualis cura, & ſollicitudo haberi debeat circa infirmos.

Diligentia Prioris circa Infirmos.

1. Circa Fratres infirmos tàm Profeſſos quàm Novitios, Laicos, Converſos, aut Commiſſos noſtros caveat Prior, ne ſit negligens, quandoquidem cura de eis cum maxima ſollicitudine habenda ſemper eſt, cùm ſoli Chriſto Domino ſerviatur in illis, dicenti in Evangelio: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. c. 25. v. 40.

Infirmitas levis non excuſat à jejunio.

2. Siquis autem talem habeat infirmitatem, quæ nec eum debilitet, nec illi impediat appetitum edendi, ut ſunt infirmitates ex levi cauſa provenientes, talis nec conſueta jejunia frangat, nec cibos Refectorii vitet, niſi aliter Medicus præciperet.

Qualis eſſe debeat Infirmarius.

3. Eorum verò, qui graviter infirmantur, utpote febribus tertianis vel quartanis, duplicibus vel ſimplicibus, continuis vel quotidianis, ſeu alio gravi languore temporario, vel perpetuo, curam Prior injungat uni ex Fratribus ſui Conventus, cujus cor poſſideat timor Dei, qui ſciat eſſe patiens ad moleſtias Infirmorum, & compatiens infirmitatibus & neceſſitatibus eorum, qui ſit dulcis eloquio, & ſi fieri poſſit verbis conſolatoriis affluens, & providus ac diſcretus in procurandis, ſervandis, & miniſtrandis neceſſariis, nec tenax in diſpenſando, nec prodigus in largiendo aliqua ſine cauſa.

Officium Infirmarii.

4. Ad hujus Officium pertinet habere curam de omnibus, quæ ad Infirmariam, vel Infirmos pertinent, & tàm in caſibus ordinariis, quàm extraordinariis ſine defectu opportuno tempore providere.

De Coadjutore Infirmarii.

5. Quod ſi propter multitudinem Infirmorum, vel infirmitatum diverſitatem, ſeu aliquam aliam cauſam ſolus non ſufficeret, dabitur ei Coadjutor unus, vel etiam plures, ſi opus fuerit.

Medicus peritus eligatur.

6. Provideat etiam Prior de conſenſu Patrum conſilii de ſufficienti Medico, ac etiam ſi neceſſe fuerit de Chirurgo: de arte verò Medicinæ, ſeu Chirurgiæ nullus Frater noſtri Ordinis ſe penitus intromittat, niſi in ipſa arte fuerit ita ſufficienter edoctus, quòd Prior Provincialis, & Diffinitores licentiam ei concedant in Facultate hujuſmodi conſulendi; ad inciſionem tamen, ſeu ad exuſtionem membri, ſi morbus hoc requirere videretur, talis licentia Fratri Clerico nullatenus concedatur.

Locus Infirmariæ ſit commodus.

7. Prior quòad fieri poteſt Infirmariam ſanam & bonam, & Officinis commodè aptatam cum omnibus ſupellectilibus, & utenſilibus, juxta Conventus poſſibilitatem pro Infirmis deputet, ſæpè viſitet eos, maximè ſi gravi morbo laboraverint, ac de Confeſſione, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento ſumendo moneat, horteturque ad patientiam, & quantum in ſe fuerit conſoletur.

Prior ſæpe viſitet Infirmos.

Diſcretio Prior's circa Infirmos.

8. Si aliqui ex Infirmis ob phreneſim, in quam inciderint, uſu rationis privati ſint, vel ſi contingeret eſſe aliquos, qui minus ædificationis in ſua ægritudine, quàm par eſt, præberent, utriſque paucos aſſiſtere ex iis, quibus magis confideretur, oporteret.

Patientia Infirmis commendatur.

9. Curent autem Infirmi ex infirmitatibus corporis fructum aliquem capere ſpiritualem, non impatientes ſe exhibendo, ſed potiùs patientiam interiùs habendo, & exterius præſeferendo, & verbis piis & ædificatoriis utendo, quæ oſtendant, ægritudinem ut donum de manu Domini ab eis ſumi, juxta illud: *In tempore infirmitatis oſtende converſationem tuam*; Eccleſiaſtici 18. 22. præſtent etiam obedientiam Medico, & Infirmario in iis, quæ pro ſua ſalute fieri oportuerit.

Infirmis provideatur de omnibus neceſſariis.

10. Sollicitè intendat Prior, ne aliquid deſit Infirmario, quod neceſſitati expediat Infirmorum, etiamſi ob remedium eorum opus eſſet apud Creditores magna debita contrahere, vel etiam bona Conventus diſtrahere & vendere, quando aliter curari non poſſent: licèt autem Infirmis noſtris omne velimus obſequium neceſſarium impertiri, debent tamen ipſi intendere parcitati, & cavere, ne ſibi ſervientes propter Deum ſua ſuperfluitate contriſtent, nec cibos illos exquirant, qui recidivam potiùs, quàm ſalutem inducere conſueverunt.

De ſilentio in Infirmaria.

11. Infirmi, atque etiam Infirmarii quandiù ſunt Infirmorum miniſterio occupati, ad ſilentium non teneantur intra Infirmariam, debeant tamen ſuos moderare ſermones, quia Infirmis conſuevit multiloquium non prodeſſe: Infirmos inquietos, qui moleſti fuerint Infirmario, vel aliis Infirmis, Prior corripiat, & ſi quos aliquid animadverſione dignum feciſſe ſciverit, poſtquàm convaluerint in Capitulo puniat, interim tamen (ſi caſus exegerit) reprehendat.

12. Cùm autem dicat Scriptura: Eccl. 7. v. 39. *Non te pigeat viſitare Infirmos, ex hoc enim in dilectione firmaberis*; hortamur omnes in Domino, ut Infirmos aſſiduè viſitent, horis & temporibus non prohibitis, nec in hoc miſericordiæ opere deficiant: quantum enim conſolationis ex Fratrum viſitatione Infirmi percipiant, unuſquiſque judicet.

Fratres viſitent Infirmos.

Circa Infirmariæ neceſſaria.

13. Infirmarius, quæ in Infirmaria neceſſaria ſunt, & quæ aguntur in illa, & quomodo ſe habeant Infirmi, qui plus, minuſvè graventur, debet ſæpe intimare Priori, ut ipſe tàm in neceſſariis providendis, quàm in moribus corrigendis, poſſit ſemper vigilantior inveniri.

14. Poſt conſequutam de infirmitate ſanitatem, *redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam*: Regul. c. 5. convaluiſſe autem perfectè ille credendus eſt, qui conſueto colori ſuo, aut priſtinæ corpulentiæ reſtitutus eſt, qui paratus eſt diſcurſibus, qui placitos labores non abhorret, & qui cibos ſumit in priſtina quantitate; & ideò ſi quis poſt hujuſmodi convaleſcentiæ ſigna redire ad communitatem diſtulerit, ut redeat compellatur, & de facto ſubtrahantur ei cibaria Infirmorum.

De Convaleſcentibus.

De infirmis hoſpitibus.

15. Siquis Frater noſtri Ordinis extra Conventum, de cujus eſt familia, in Con-

Conventu aliquo noſtri Ordinis, vel ejus diſtrictu fuerit infirmatus, Prior illius Conventus teneatur ei in omnibus neceſſariis ſubvenire, ac ſi eſſet de ſua familia. Conventus autem, de cujus familia fuerit, prædicto loco de expenſis, quas pro tali Infirmo fecerit, teneatur plenariè reſpondere, ſi ad hoc fuerit requiſitus.

Balnea qualiter, & quando concedenda.

16. Cum ex frequentatione balneorum multa proveniant pericula animarum, ſtrictè præcipimus, ne quis vadat ad balnea, ſive ſtuphas, ſine magna & evidenti neceſſitate, de conſilio Medicorum, & expreſſa licentia Prioris; qui contrafecerit, à Priore ſuo graviter puniatur.

Balnea fiant intra Conventum.

17. Quapropter præcipimus, ut quando aliquis balneo ob aliquam infirmitatem indiguerit, Prior in Conventu balneum efficiendum curet, quo utatur quoties opus fuerit de conſilio Medici.

Ad balnea naturalia qualiter ſit eundum.

18. Ad balnea verò naturalia poterunt Fratres ire de Medici conſilio, & Prioris Provincialis licentia in ſcriptis habita, & non aliter, prout determinatum fuit in Capitulo generali Ratiſponæ celebrato Anno Domini 1290.

Pœna Prioris negligentis erga infirmos.

19. Si verò aliquis Prior Infirmos ſui Conventus rarò admodum viſitaverit, vel eis de Medico, Infirmario, Medicinis, & aliis neceſſariis, ſecundùm loci poſſibilitatem non providerit, vel ejus incuria & negligentia domus pro Infirmis cum omnibus ſupellectilibus, & utenſilibus neceſſariis deputata non fuerit, Prior Provincialis in prima Viſitatione eum durè arguat, & coram omnibus reprehendat; ſi vero non ſe correxerit, & in ſecunda Viſitatione &c. eiſdem negligentiis convictus fuerit, (in quo caſu Infirmarius, & aliqui ex Infirmis, qui ſunt, vel fuerunt, & ſeniores Conventus interrogandi erunt) ab Officio ſuſpendatur, ac poſteà privetur, & inhabilis maneat ad omne Officium cum cura animarum uſque ad quinquennium.

Pœna Provincialis non punientis Priorem negligentem.

20. Provincialis verò, vel Viſitatores, qui eum ſic convictum, ab Officio non ſuſpenderint, ac poſteà privari non fecerint, à Diffinitorio eadem pœna inhabilitatis afficiantur.

Caput XV.

De cura habenda circa Fratres decedentes ab hac vita, & quid fiet de rebus eorum uſui conceſſis.

De Fratribus in extremo laborantibus.

1. Unuſquiſque Frater noſtri Sacri Ordinis eniti, & curare debet, ut quando Deo Opt. Max. placuerit eum ex hac vita ad aliam transferre, Fratribus ſuis adſtantibus exemplum præbeat patientiæ, & conformitatis cum divino beneplacito, ac fortitudinis cum fide viva, ſpeque firma, & amore bonorum illorum æternorum, quæ nobis Dominus noſter JEſus Chriſtus tàm incomparabilibus vitæ ſuæ temporalis laboribus, paſſione, ac morte promeruit, & acquiſivit.

Cura ſpiritualis erga Infirmos.

2. Cùm autem aliquando talis fuerit qualitas morbi, ut uſum rationis probabiliter impedire poſſit, ſollicitè advertat Prior, ut qui juxta Medici judicium de vita periclitatur, antequàm uſu rationis privetur, omnibus Sacramentis acceptis, tamquàm armis à Chriſto Domino nobis liberaliter conceſſis, ad tranſitum à temporali vita ad æternam ſe muniat, atque corroboret.

Quomodo admonendi qui in extremo laborant.

3. Ab eoque inquirat, ſi in aliquo teneatur alicui, vel quòad reſtitutionem bonorum, vel etiam famæ & exiſtimationis, aut ſi alius ei teneatur; ſi ſciat alicujus culpam, per quam poſſit Ordini ſcandalum generari, vel etiam domui, aut Fratri, & quæ eo decedente probari non poſſit; aut ſi habeat alicubi repoſitum aliquid, quod ipſe Prior ignoret: & ſi neceſſe fuerit, faciat de omnibus bonis, ab Ordine ſibi ad uſum conceſſis, ſeu permiſſis lucidum Inventarium, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Viennæ celebrato Anno Domini 1362. Si verò prædictus ægrotans Inventarium facere renuerit, Prior eum compellat ſub pœna proprietarii; quod ſi noluerit, & mori contigerit, privetur Eccleſiaſtica ſepultura, prout ordinatum fuit in Capitulo generali Senis celebrato Anno Domini 1365.

Proprietarius privetur ſepultura Sacra.

Pœna Prioris non facientis Inventarium.

4. Prior autem, qui dictum Inventarium, ſi neceſſe fuerit, fieri non procuraverit, per triennium voce paſſiva privetur.

Cuſtodia circa Fratres moribundos.

5. Circa Infirmum in extremis laborantem omnis cuſtodia adhibeatur, nec ſine Cuſtode, die noctuque relinquatur, Orationibus Fratrum, ad id ſerio adhibitis, eum juvari curet Prior: & præter alios, qui ingredi poſſunt, Prior deligat aliquem, vel aliquos, qui Infirmum morti proximum inviſant, eique aſſiſtant, & animoſiorem reddant, eaque ſuggerant, eiſque auxiliis eum juvent, ac verbis dulcibus conſolentur, quæ eo tempore conveniant, juxta illud: *Conſolare mortuum in exitu ſpiritus ſui;* & cùm jam alia officia parum erunt utilia, eum Domino efficaciter commendent.

Eccleſiaſtici 38. v. 24.

Pœna Prioris omittentis miniſtrare Sacramenta.

6. Si autem Fratrem aliquem ſine Sacramentis Eccleſiæ ob Prioris incuriam è vita migrare contigerit, Prior abſque ulla diſpenſatione Officio privetur, at-

que inhabilis ad illud permaneat, quouſque cum eo per Capitulum generale fuerit diſpenſatum.

Preces pro agonizantibus.

7. In hora egreſſionis animæ illius de corpore ad ſignum Infirmarii omnes Fratres conveniant circa eum, & officium commendationis animæ debitè perſolvant, ſicut in Breviario continetur: poſtquàm mortuus fuerit, ſpolietur, & lavetur honeſtè ab illis, quibus Prior injunxerit, & ſit memor unuſquiſque ſuæ conditionis, quoniam *mors porta eſt, per quam tranſit omnis caro:* deinde camiſia, ſcapulari, & cuculla deſuper cincta corrigia indutos, & caligis, calceiſque calceatus ponatur in feretro, & in Capitulum deferatur, apponanturque luminaria cum Cruce, & vaſe cum aqua benedicta & aſperſorio, & ſic Fratres ſucceſſivè & ordinatè à Priore per horas dividantur, ut à duobus adminus Fratribus, Pſalterium ſemper cum *Requiem æternam* dicentibus, cadaver non relinquatur ſolum, quouſque, peractis quæ debentur ex Ordine, honeſtè ſepeliatur.

Religioſi quomodo ſepeliendi.

Quid faciendum in morte ſubitanea.

8. Si verò (quod abſit) morte ſubitanea & improviſa Frater deceſſerit, ſepeliri non debeat, niſi tranſacto termino vigintiquatuor horarum vel circa.

Suffragia pro Defunctis.

9. Sepulto eo, & omnibus aliis expeditis, conveniant in Capitulo Fratres, quibus Prior injungat, ut ſinguli quàm citius ſolvant, ſecundùm Ordinis ſtatuta, debitum pro defuncto; ſtatimque, vel quàmcitius poterit, Priorem Provincialem, ubicumque fuerit, de morte hujuſmodi Fratris certiorem facere procuret, quatenus ipſe omnibus Provinciæ Conventibus Fratris obitum per ſuas litteras denunciet, ſuffragiaque debita pro eo fieri mandet.

Religioſi ſeparatim ſepeliantur.

10. Ordinamus autem, ut in Cœmeteriis, vel Eccleſiis noſtri Fratres à Sæcularibus ſeparatim ſepeliantur, & ſepulturæ Fratrum à ſepulturis ſæcularium diſtinguantur.

Quid faciendum de rebus defuncti.

11. Omnia, quæ in uſu habebat hujuſmodi defunctus, illius ſint Conventus, ubi tempore mortis erat conventualis, præter libros, qui erunt eorum Conventuum, in quibus acquiſiti fuerint, prout conſtabit ex unoquoque libro, in cujus fronte ſcriptum erit manu Prioris pro tempore exiſtentis; *hic liber pertinet ad Conventum N.* cum ſubſcriptione proprii nominis; quòd ſi aliquis liber ſine hujuſmodi ſubſcriptione aliquando inventus fuerit, Bibliothecæ illius Conventus, in quo Frater tunc erit, continuò applicetur.

De librorum diſpoſitione.

12. Omnes autem libri Fratrum decedentium in Bibliotheca collocabuntur, niſi fortè magis expedire judicaverint Prior & Patres conſilii, quòd vendantur, & ex pretio alii utiliores emantur, in Bibliotheca ſimiliter collocandi, nullo tamen modo pretium aliter expendi poſſit, ſuper quo conſcientias Priorum oneramus.

Conventui Profeſſionis debentur bona defuncti.

13. Si verò Frater tempore mortis aliquas pecunias de licentia ſui Superioris pro libris emendis, vel quovis alio, in Depoſito vel alibi habuerit, quotquot illæ ſint, ad Conventum ſuæ profeſſionis devolvantur, niſi eſſent in quantitate contemnenda.

De hoſpitibus morientibus.

14. Si autem aliquis exiſtens hoſpes in aliquo Conventu noſtri Ordinis, vel ejus quæſta diem ſuum obierit, ſepelietur tamquàm conventualis, & veſtes quas ſecum detulit, erunt Monaſterii, in quo, vel in cujus quæſta deceſſit, quodque eum ſepelivit, vel ſepeliri fecit; reliqua verò ſupellex, ſi quam habuerit, attinebit ad Monaſterium, in quo tempore mortis erat conventualis: quòd ſi tempore mortis nullum habuerit deſignatum Conventum, erunt Conventus profeſſionis; de libris idem erit judicium quod ſupra.

De defunctis Fratribus non adfiliatis.

15. Si verò Frater aliquis alicujus Provinciæ, nullius tamen Conventus filius fuerit, ea, quæ in uſum habuerit, erunt communitatis illius Provinciæ, cujus fuit filius; ſi autem fuerit Profeſſus Ordinis, nullius tamen Provinciæ filius, erunt ſupradicta communitatis totius Religionis.

De rebus Generalis mortui.

16. Mortuo Reverendiſſimo Priore Generali pecuniæ Collectarum Ordinis, deductis expenſis infirmitatis & ſepulturæ, ad manus Succeſſoris perveniunt, ex quibus nihilominus perſolvi volumus ſtipendia famulorum, & alia debita fortè contracta.

17. Si verò moriens declaraverit, ſe aliquas habere pecunias, non ab Ordine, ſed aliunde ſibi donatas, illas eſſe volumus illius Conventus, in quo Profeſſionem emiſit; ex quibus tamen deduci debeant expenſæ, & ſolvi omnia ſupradicta, ſi pecuniæ Collectarum non inveniantur, vel non ſufficiant.

18. Utenſilia, ſine quibus domus habitari non poteſt, in Camera Reverendiſſimi Generalis cum Inventario relinquantur; reliqua verò omnia tàm libri quàm ſupellex cujuſcumque qualitatis vel valoris ſint, ex æquo inter Conventum ſuum, & Conventum Romanum dividantur.

Scripturæ Ordinis in Archivio reponantur.

19. Regiſtrum autem totius temporis ſui Generalatus, & omnes aliæ Bullæ, Litteræ, Scripturæ ad Ordinem per-

pertinentes in Archivio totius Religionis fideliter reponantur.

De Procuratore Ordinis defuncto.

20. Mortuo autem Rev. Procuratore generali Ordinis noſtri, de pecuniis, & utenſilibus idem erit judicium, reliqua verò omnia ad Conventum Curiæ devolvantur.

21. Quandocumque verò R. Procurator Ordinis ad Officium Generalatus aſſumptus fuerit, nihil ſecum deſeret ex iis, quæ in Inventario ſuæ Cameræ continebuntur, quod in Depoſito Conventus Curiæ volumus ſervari cum ſupradicto Inventario Cameræ Reverendiſſimi Generalis.

De rebus Apoſtatarum.

22. De rebus Apoſtatarum, qui ante menſem ad Ordinem non redierint, & eorum Fratrum, qui pro ſuis culpis perpetuò carcerabuntur, vel ab Ordine expellentur, ſimile judicium fieri volumus, ſicut ſuperius de mortuis dictum eſt.

Caput XVI.

De humanitate hoſpitibus exhibenda, & ad quid hoſpites noſtri Ordinis teneantur.

Officium hoſpitarii.

1. AD receptionem, ac miniſterium hoſpitum talis Frater Clericus, Laicus, ſeu Converſus ponendus eſt, qui ſit diſciplinatus moribus, promptus in omni obſequio, & qui ſciat moribus aliorum prudenter & religiosè ſe conformare, & gratum cunctis ſervitium exhibere, cui dentur unus, vel plures ſocii quando propter multitudinem, vel diverſitatem hoſpitum ſolus ſufficere non poſſit.

Hoſpitium ſeparatum à Dormitorio.

2. Statuimus etiam, & mandamus, ut ordinetur domus communis in quolibet Conventu pro hoſpitibus advenientibus, ne propter hoſpites ſit inquietudo Fratribus in communi Dormitorio reſidentibus: in quo Hoſpitio poſſunt in lectis eſſe linteamina linea non curioſa, nec pretioſa; hujuſmodi autem Hoſpitium nullius privato uſui deputetur; habeantur etiam ibi arcæ, vel armaria, & vaſa, ſeu utenſilia, prout fuerit neceſſe.

Qualitates hoſpitum.

3. Hoſpites ſiquando ad nos venerint, maximè Religioſi, & præſertim Ordinum Mendicantium non habentes ibidem Monaſterium ſui Ordinis, ſine murmuratione, imò cum vultus & cordis hilaritate, omni cum charitate & devotione juxta Monaſterii facultatem recipiantur; quoniam Chriſtus Dominus, in cujus perſona ipſi recipiuntur, dicturus eſt in Judicii magni die: *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.* (Matth. 25. 35.)

Qualiter, & ubi recipiendi.

4. Quòd ſi hoſpites ipſi venerabiles & religioſæ Perſonæ fuerint, Prior eos ad habitacula interiora introducere poterit, cum quibus, licèt ſint Fratres Ordinis noſtri, quandoque comedere, ſive in Hoſpitio, ſive in ſecunda menſa poterit, aſſumpto ſecum nunc uno, nunc alio de gravioribus Patribus Conventus; non autem indifferenter debet eſſe in menſa cum quibuſvis hoſpitibus, ne ſi ſæpiùs abfuerit à prima menſa, Conventus ſcandalizetur.

5. Si hoſpites à remotis Regionibus venerint, vel aliàs defeſſi fuerint, pedes eis charitativè laventur, ſi ſint Religioſi. Omnibus autem patere volumus, quòd ſi lotor inter lavandum dixerit Pſal. *Miſerere*, aut *De profundis* cum *Gloria Patri* &c. *Kyrie*, *Pater noſter* &c. *Et ne nos* &c. *Salvos fac* &c. *Mitte eis Domine* &c. *Domine exaudi* &c. *Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulis tuis, & quidquid eis in via ſurripuit viſus, auditus, vel cogitatus mala rei, aut otioſi ſermonis, totum ineffabili pietate abſterge: Per Chriſtum* &c. ex tunc omnes, qui lotioni hujuſmodi tam activè, quàm paſſivè interfuerint, ſeptem Annos, & totidem Quadragenas Indulgentiarum, quoties id fecerint, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ſinguli conſequentur.

Indulgentia conceſſa lavantibus pedes.

Diſcretio ergà hoſpites habenda.

6. Non autem parem familiaritatem cuilibet volumus exhiberi; cunctis tamen, etſi non æqualiter, charitativè & hilariter, ſecundùm quod facultas domus & honeſtas Ordinis permiſerit, ſerviatur; debetque magna cura adhiberi à Priore, & hoſpitario, quòd hoſpites cum conſolatione ac ædificatione recedant.

De modo tractandi hoſpites Fratres.

7. Hoſpites noſtri Ordinis cujuſcumque Provinciæ, vel Congregationis ſint, ſive de propè, ſive de longè veniant, ſupradicto modo recipiantur tamquàm Fratres, habita tamen ratione qualitatum perſonarum, non enim perſonarum acceptor eſt, qui merita conſiderat, non perſonas: quantò autem de remotioribus Nationibus venerint, tantò majori charitate tractandi erunt; paucis tamen hoſpites noſtri ſint contenti, tamquam ii, qui in domo propria & non aliena hoſpitio recipiuntur.

De ſilentio in Hoſpitio habendo.

8. Recumbentibus verò hoſpitibus, illi tantùm ibi compareant, quibus injunctum fuerit, ut eis deſerviant, ne potiùs illis ſint impedimento quàm conſolationi: noſtri verò hoſpites, maximè ſi tempore ſilentii venerint, nulli ſe conjungant, nec loquantur niſi eis, ad quos ſpectat hoſpites ſuſcipere, vel de ſpeciali licentia Prioris, cùm & ipſi eodem tempore, quantum commodè poterunt, intendere ſilentio debeant: ſi autem loqui oporteat, ſic loquantur, ut Fratres in ſilentio manentes non inquietent.

Quæ pertineant ad hoſpitarium.

9. Ad hoſpitarium pertinet ſollicitè cavere, quantum in eo fuerit, ne fiant aliquæ diſſolutiones in Hoſpitio, & facientes ſuo tempore proclamare in Capitulo, vel coram Priore, & ſi aliqua dicuntur in Capitulo, quæ ad hoſpites pertineant, ipſis referre, ſi præſentes non fuerint.

Hoſpites Priori ſua exponant negotia

10. Præterea hoſpites noſtri, ſtatim ut venerint, Priori Conventus negotium exponant; poſt exhibitam à Priore hoſpitibus noſtris humanitatem, conſideratis eorum meritis & labore, ſi ulterius aliquis eorum in domo moram traxerit, ſicut unus ex conventualibus tractetur.

Ad quod teneantur noſtri hoſpites.

11. Poſt tres autem dies, niſi fuerint legitimè impediti, vel Prior cum eis diſpenſaverit, ad Miſſam majorem, & Horas, quæ cum ipſa dicuntur, atque ad Veſperas, & Orationem de ſero, quotidiè conveniant: in majoribus autem Solemnitatibus omnibus Horis tam diurnis quàm nocturnis intereſſe debeant, prærerquàm Primæ, & Nonæ, niſi poſt gratias immediatè dicatur; ad ſacra facienda ſicut alii Fratres Conventus teneantur, & Capitulo de Culpis ſemper interſint, niſi ſint Priores aliorum Conventuum.

Non impediendi à quis negotiis.

12. Licèt autem velimus hoſpites in omnibus obedire Priori, ſi tamen ex ipſis aliquis habuerit aliquid à Priore ſuo in mandatis, ſeu quodcumque aliud negotium utile & honeſtum, cui oporteat ipſum attendere, Prior loci eum non occupet aliquibus negotiis, ne illud, propter quod venit, impediri vel differri valeat, ſed ſicut diſcretioni ſuæ videbitur, ei de ſocio providebit, cum quo illud tale valeat expedire.

Ubi eſt Conventus Ordinis ad illum adire tenentur.

13. Statuimus præterea, ut nullus Frater noſtri Ordinis veniens ad locum ubi Ordo habet Monaſterium, in domibus ſæcularium, vel aliorum Religioſorum prandere vel cœnare præſumat, antequàm ad Conventum vadat, ſub pœna comedendi in terra tribus diebus panem & aquam in medio Refectorii: qui verò præſumpſerit in locis prædictis pernoctare, ultra hoc eiſdem diebus recipiat diſciplinam; quòd ſi per duas noctes pernoctaverit, duplicetur ei pœna, & ſic deinceps, ac præterea ſic pernoctantes carceri mancipentur, quouſque hujuſmodi pœnitentia ſit adimpleta, quam eis imponat Prior loci, ſi ei conſtiterit, vel Prior ſuus quando poſteà eorum culpæ ad ſuam notitiam pervenerint.

Pœna pernoctantium extra Conventum.

A quo pœnæ hoſpitibus ſint imponendæ.

14. Quòd ſi Prior aliquis tale quid commiſerit, à Provinciali, vel Viſitatoribus graviter puniatur, Provincialis verò à Capitulo provinciali. Si Frater aliquis extra Conventum, de cujus fuerit familia, quidquam commiſerit correctione dignum, ſi illud tale ſufficienter probatum fuerit, à Priore, in cujus Conventu vel quæſta eſt, de hujuſmodi delicto ſecundùm ſtatuta Ordinis corrigatur.

15. Quòd ſi Prior Fratrem, qui in Conventu ſuo vel quæſta ſui Prioratus deliquit, corrigere abſque ſcandalo non poſſit, Priori ſuo, vel etiam Provinciali exceſſum hujuſmodi Fratris, quàm citiùs poterit, lucidè & diſtinctè cum omnibus circumſtantiis, delictum aggravantibus vel alleviantibus, ſcribat & notificet.

De hoſpitibus ſæcularibus.

16. Hoſpites ſæculares † a. non diù morentur inter Fratres, ne levi aliqua occaſione fama Ordinis, Fratrumque forſan imminuatur: ſupra quindecim autem dies ſub nullo prætextu retineri poſſint; illi verò, qui Religionem noſtram ingredi voluerint, ſupra menſem in habitu ſæculari non poſſint retineri, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1497.

Malefactores non recipiendi.

17. Item malefactoribus & ſceleratis † b. ad domos noſtras metu pœnæ confugientibus nullo modo aditus pateat, & ſi fortè ob aliquam cauſam omninò introducendi eſſent, Prior aſſignabit eis locum à Fratribus totaliter ſeparatum, nec Frater aliquis loquatur cum illis abſque licentia Prioris, & quamprimùm fieri poſſit, à Conventu ejiciantur, ne eorum cauſa Ordo inquietari poſſit; ſi verò ultra diem in Conventu manere voluerint, Prior eis non annuat abſque conſenſu Patrum conſilii.

Pœna Prioris inhumani.

18. Quicumque Prior, vel vicem ejus gerens in conſuetudinem duxerit hoſpites minus charitativè, quàm par eſt, juxta poſſibilitatem loci recipere, vel Hoſpitium ſeparatum, ut dictum eſt, accommodare noluerit, à Priore Provinciali in prima Viſitatione publicè arguatur; ſi verò in ſecunda Viſitatione de eadem culpa convictus fuerit, (de qua hoſpitarius & ſeniores Conventus interrogandi erunt) ab Officio ſuſpendatur, & demum privetur, & ad omne officium cum cura animarum per triennium ineligibilis permaneat.

Pœna Provincialis negligentis.

19. Provincialis verò, vel Viſitatores, qui hujuſmodi ſic convictum ab Officio non ſuſpenderint, vel poſteà privari non fecerint, eadem pœna inhabilitatis à Diffinitorio puniantur.

NOTÆ † a. Cùm noſtrum municipatum habeamus in Cœlis, poſtquàm mundo, & iis, quæ mundi ſunt, renunciavimus, converſationem noſtram minimè verſari decet cum ſæculi ſectatoribus: ideò in Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1655. diffinitum fuit ſub pœnæ ſuſpenſionis ab Officio quòad Priores,

ores, & expulſionis ab illo Conventu quòad alios tranſgreſſores, ut nullus ſæcularis ad comeſſationes, & menſam ſive communem, ſive particularem intra clauſtra Monaſteriorum admittatur, niſi forrè propter hoſpitalitatis aut gratitudinis officia erga Magnates, Viroſque præclaros de Ordine benemeritos.

‡ b De mandato Clementis VIII. Anno 1601. die 17. Aprilis Sac. Congregatio Regularium prohibuit Regularibus ſub pœna privationis Officiorum, ne retinerent bannitos, facinoroſos, ſeu fallitos: circa quod videndæ ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum Pii V. Conſtit. 20. *Ex ſuperna*: Gregorii XIII. Conſt. 65. *In tanta*: Sixti V. Conſt. 6. *Hoc noſtri*: & Clem. VIII. Conſt. 15. *In regendis*: &c.

CAPUT XVII.

Quòmodo ſe habere debeant Fratres quando domo exire aliquando contigerit, & quòd ſine litteris teſtimonialibus non vagentur.

E Conventu ſolus nemo exeat.

1. STatuimus, ut nullus Frater noſtri Sacri Ordinis ſive conventualis ſit, ſive hoſpes, cujuſcumque dignitatis vel gradus, vadat ad Civitatem vel Oppidum abſque ſocio Fratre Ordinis noſtri Clerico, vel Laico, ſeu Converſo à Priore ſibi aſſignando, neque aliquem Prior ſolùm mittat, niſi ob gravem & urgentem neceſſitatem, ita quòd aliàs vel domui, vel Fratri alicui detrimentum immineret, vel fraterna charitas ad id urgeat; in quibus caſibus talis mittatur, de cujus honeſtate & gravitate non dubitetur; ſed nec ipſe Prior ſolus vadat, niſi pro inevitabili neceſſitate: Converſi verò, præcipuè ſi non ſint valde juvenes, pro neceſſitatibus Conventus ſoli ad hujuſmodi loca mitti poſſint.

Pœna Prioris & ſubditi contravenientis.

2. Superior contrafaciens pro prima vice durè coram omnibus arguatur; pro ſecunda ab Officio per quindecim dies ſuſpendatur, pro tertia Officio omninò privetur. Frater verò ſubditus activa paſſivaque voce ſit privatus per annum, ſi ſolus iverit, niſi Superior eum ſic ire juſſiſſet.

Iter agentes abſque ſocio ire poterunt.

3. Cùm autem Fratres iter agunt, vel equitare oportet; poterunt ſoli ire: paupertas namque Ordinis non patitur, ut cuilibet itineranti, vel ob aliquam neceſſitatem equitanti provideatur de ſocio: ſi verò ſit commoditas cum ſocio equitandi, nullus ſolus vadat ad minus per Civitates, vel Oppida.

Abſque Prioris licentia non exeundum à Conventu.

4. Inhibemus inſuper, ne aliquis Frater etiam aſſociatus, & eum animo revertendi, & licèt etiam de facto ſtatim revertatur, extra ſepta Monaſterii abſque licentia Prioris exeat.

Pœna contravenientium.

5. Siquis contrafecerit, pro prima vice, ſi de die exierit: pœnam gravioris culpæ ſuſtinere cogatur; ſi verò de nocte, pœnam ſubeat culpæ graviſſimæ per menſem, & à Conventu illo omninò removeatur, nec foras mittatur, quòuſque Prior Provincialis de Conventu ei provideat: ad locum verò illum ulterius non veniat, niſi per longa tempora ita religioſè converſatus fuerit, ut Diffinitoribus Capituli Provincialis cum eo diſpenſandum eſſe videatur. Præter hæc autem per triennium voce careat, pro ſecunda vice duplicetur ei pœna reſpectivè, & ſic deinceps.

Modus in exeundo ſervandus.

6. Fratres antequàm domo exeant genuflexi benedictionem petant à Superiore, dicentes: *Benedicite Pater*; Superior verò det illam tamquàm deprecans Deum, ut in eundo, ſtando, & redeundo, eos ab omnibus animæ & corporis periculis ſervare dignetur.

Modus ambulandi per plateas.

7. Per plateas verò honeſtè ac compoſitè bini & bini æqualiter ambulantes, capitibus coopertis, manibus intra manicas junctis, & oculis demiſſis ita procedant, *ut in inceſſu, habitu, & in omnibus motibus ſuis nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod eorum deceat ſanctitatem.* Regul. c. 6.

Modus à redeuntibus tenendus.

8. Redeuntes verò cappis induti eodem modo benedictionem petant & accipiant; excipimus tamen Venerabiles Magiſtros, ac Priores aliorum Conventuum, alioſque Patres majoris, vel æqualis authoritatis, quorum ſociis in eundo & redeundo ſufficit, ut benedictionem petant a Superiore.

Quo ituri Fratres Priori ſpecificent.

9. Siquis verò de Fratribus cujuſcumque conditionis exiſtat, etiamſi hoſpes ſit, (Procuratore domus, ac Eleëmoſynariis exceptis) aliquò viſitandi gratia, vel quacumque aliqua ex cauſa exire debet, domos & perſonas, ad quas intendit ire, Priori ſpecificet, ſocium nullum petens ex nomine, contentus eo, de quo Prioris diſcretio providebit.

Socius à Priore deligendus.

Domus inhoneſtæ cavendæ.

10. Prior verò non concedat Fratribus licentiam eundi ad domos infamium perſonarum, ſeu muliercularum, ne Ordinis fama & honor periclitetur; quam etiam legem & ipſe ſervare teneatur, ne Fratribus materiam ſcandali præbeat.

Diebus Feſtis nemo exire debeat.

11. Diebus feſtis, niſi urgens & admodùm neceſſaria cauſa ſe offerat, è Conventu nullus egrediatur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Venetiis celebrato Anno Domini 1529.

Diſcurſus evitandi.

12. Evitentur etiam quòad fieri poterit Fratrum diſcurſus per Civitates & Oppida, nec enim Religionis opinio ac devotio apud ſæculares ex eo augetur, imò in dies magis ac magis minuitur.

Per totam Provinciam Prior localis Fratres mittere poteſt.

13. Prior localis dare poterit licentiam Fratribus ſui Conventus eundi intra Provinciam, quò ſibi videbitur, pro aliqua rationabili neceſſitate communi vel par-

particulari, ac etiam cauſa viſitandi Parentes, vel relaxandi animi gratia, & hoc cum litteris teſtimonialibus, in quibus cauſa hujuſmodi, nomen & cognomen Fratris, loci ad quem vadit, ac redeundi terminus exprimatur, qnod intelligi volumus, ſi longum iter facturus, vel foras per longum tempus fuerit permanſurus.

Extra Provinciam ſolus Provincialis.

14. Præcipimus autem, ne aliquis Prælatus noſtri Ordinis concedat alicui ſubdito ſuo licentiam gratioſam aut pœnalem, quin ſit ibi millesimus cum centeſimo currente, & dies determinata illius Menſis; extra Provinciam aliquem de Fratribus ſuis mittere ſine ſpeciali licentia Prioris Provincialis in ſcriptis habita, nulli Priori licebit, ſine qua nec ipſemet extra Provinciam ire poterit, niſi ſit Prior alicujus loci in Provinciarum confinibus conſtituti, qui poſſit ire, vel mittere ſuos Fratres ad propinqua loca pro caſu utili & honeſto.

Nullus Frater alienis ſe implicet negotiis.

15. Legationem alicujus Principis, vel Domini Eccleſiaſtici, aut ſæcularis, ſeu Communitatis, abſque licentia Superioris nullus Frater aſſumat: in cauſis verù ſuſpectis, periculoſis, ſive odioſis nullo qoovis modo ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ per quinquennium.

Qualiter recipiendi Fratres ſine licentia itinerantes.

16. SI antem Frater aliquis extra propriam Provinciam ſine litteris teſtimonialibus ſui Provincialis exiverit, veniens ad Conventum aliquem noſtri Ordinis ab Oſtiario intromittatur, & poſtquàm prædictas litteras non oſtenderit, Prior eum in carcerem includi faciat, nec inde extrahatur, donec Provincialis providerit quid de eo ſit agendum. Idem ſit omninò judicium de Fratribus ejuſdem Provinciæ ſine litteris teſtimonialibus venientibus.

Itinerarium recitandum.

17. Cùm Fratres debent aliqnò ire, eadem die non reverſuri, in eundo & redeundo ante majus Altare dicant Pſalmos cum precibus & Orationibus, prout io Officiis noſtri Ordinis cootinetur.

TERTIA PARS

DE UNIVERSI ORDINIS GUBERNATIONE.

CAPUT I.

De Obedientia in Ordine noſtro Summo Pontifici D. N. JEſu Chriſti Vicario præſtanda.

Sedi Apoſtolicæ obediendum.

ANtiquam diffinitionem Capituli generalis Anno Domini 1324. in Conventu noſtro de Monte Peſulano celebrati præſenti Conſtitutione innovamus, quæ ſic habet: *Cùm conſervatio ſtatus noſtri Ordinis à favore Summi Pontificis omninò dependeat, diffinimus, & præſenti Conſtitutione firmamus, omnibus Fratribus cujuſcumque conditionis exiſtant mandantes, quatenus cum omni ſollicitudine & reverentia mandata Summi Pontificis, & Dominorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum inviolabiliter ſtudeant obſervare: rebellibus autem & inobedientibus ipſius S. M. Eccleſiæ verbo vel facto, occultè vel publicè, ſollicitè ſtudeant obviare, ac eorum ambaſciatas, ſervitia, & favores tamquàm Eccleſiæ rebellium debeant reſpuere, eorumque converſationem & familiaritatem penitus evitare.*

Pœna inobedientium Sedi Apoſtolicæ.

2. *Quòd ſiquis ita immemor ſuæ ſalutis extiterit, ut rebellibus S. M. Eccleſiæ favores, ambaſciatas, vel ſervitia per ſe, vel per alium modo aliquo præbere præſumpſerit, illum, vel illos, cujuſcumque conditionis exiſtant, præſenti diffinitione pœna carceris per ſex menſes adjudicamus, ut confuſionem & ſcandalum, quod Ordini inferendum procurabant, in humilitatis ſpiritu ac diſciplina Ordinis recognoſcant.* Cui quidem diffinitioni addimus, quòd hujuſmodi facientes voce activa & paſſiva in perpetuum priventur abſque ulla ſpe diſpenſationis, niſi Summus Pontifex cum eis diſpenſandum judicaret.

CAPUT II.

De Electionibus noſtri Ordinis in genere, & de Fratribus, qui ad quamcumque Prælaturam extra Ordinem aſſumentur.

Electio canonica qualis ſit, & quomodo fiat.

1. ELectiones noſtræ in duplici ſunt differentia, aliæ namque ſunt canonicæ, in quibus major pars Electorum convenit, ita ut ſi viginti fuerint Electores, uni & eidem undecim ad minus ſuffragari debeant; aliæ verò ſunt non canonicæ, in quibus ille cenſetur electus, in quem plures voces conveniunt, etiamſi non excedant medietatem: in qua electione ſi duo, vel tres concurrant in eodem numero votorum, illum ipſo jure pro electo volumus haberi, qui priorem locum habuerit in Ordine noſtro.

Seſſ. 25. c. 6.

Electio per vota ſecreta qualiter facienda.

2. *In electione Superiorum quorumcumque, & aliorum Officialium, quò omnia rectè & ſine fraude fiant*, inhærentes Decretis Sacroſancti Concilii Tridentini *ſtrictè præcipimus, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Præterea non liceat Provincia-

Abſentium ſuffragia à nemine ſupplenda.

ciales, Diffinitores, Priores, aut Diſcretos ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere.

Contravenientes puniendi, & electio irritanda.

3. Si verò contra hujus Decreti Conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit, & is, qui ad hunc effectum ſe in Generalem, Provincialem, Diffinitorem &c. creari permiſerit, deinceps ad omnia Officia in Religione obtinenda inhabilis omninò exiſtat.

Abſentes vocem non habeant.

4. Nullus in electionibus noſtris vócem activam habeat, niſi ſit præſens, nec abſentes poſſint Procuratores pro ſe ipſis in particulari ſubſtituere: nullus prætereà poſſit habere plures voces activas in eadem electione.

Unus in eadem electione plures voces non habet.

5. Nullus item poſſit voci ſuæ renunciare ſub pœna privationis vocis activæ per biennium, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato à Fundatiſſimo Doctore B. Ægidio Romano noſtri Sacri Ordinis Priore Generali Anno Domini 1292.

Pœna voci ſuæ renunciantis.

In propria electione nemo ſibi ſuffragetur.

6. Nullus poſſit in aliqua electione ſuffragium ferre, in qua fuerit ipſe propoſitus, vel nominatus: nullus item eligi vel aſſumi ad Officium cum cura animarum poſſit, niſi fuerit Sacerdos, & in Ordine noſtro profeſſus † a. nullus etiam excommunicatus, irregularis, ſuſpenſus, aut interdictus, ſeu quavis alia de cauſa inhabilis ad hujuſmodi Officia eligatur vel aſſumatur: nullus prætereà, qui non ſit bonæ famæ, hoc eſt, qui ſine ſatisfactione & emendatione longi temporis de aliquo vitio ſeu peccato gravi confeſſus, vel convictus fuerit, aut communiter infamatus, niſi ſe canonica purgatione purgaverit; nullus etiam, qui pro ſuis demeritis hujuſmodi Officio privatus fuerit, niſi poſt quatuor annos elapſos: nullus prætereà, qui unquam fuerit ad perpetuum carcerem judicatus, prout diffinitum fuit In Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1312.

Qui & quales eligi nequeant.

Habitantes extra Clauſtra, pro tunc nullam habent vocem.

7. Siquis Frater cum aliquo Prælato, vel Domino ſæculari commoratur, de ejus exiſtens familia quantùm ad domicilium, & menſam, nullam vocem habebit in noſtris Capitulis & electionibus, cujuſcumque gradus & conditionis ille ſit, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Graſſæ Anno Domini 1335. celebrato: idem erit judicium de Beneficiatis, vel ad beneficia habilitatis, niſi antè beneficio, vel habilitationi mediante Inſtrumento publico renunciaverint abſque aliquo regreſſu, vel quacumque reſervatione fructuum; ita ut hujuſmodi fructus merè & integraliter proveniant ad communem utilitatem Conventus vel Provinciæ.

8. Reelectiones † b. in Ordine noſtro non permittantur; ita ſcilicet, ut nec Provincialis, neque Viſitatores in eadem Provincia, nec Prior in eodem Conventu, nec Diffinitores in ſequenti Capitulo provinciali ejuſdem Provinciæ immediatè reeligi poſſint.

Reelectiones vitandæ.

9. Excipimus tamen illos Conventus, qui de novo ædificantur, vel in quibus aliqua fabrica magni momenti incepta cernitur: in his enim poterit idem Prior bis, & pluriès reeligi, ſi ædificationi Conventus conducere videbitur.

Quando reelectiones admittendæ.

10. Si Frater aliquis, cujuſcumque conditionis ſit, inveniatur procurare voces pro ſe, ſeu pro quocumque alio Fratre eligendo ad curam animarum, vel ad quodcumque aliud Officium Ordinis, uſque ad triennium careat voce activa, ſi voces pro alio hujuſmodi procuraverit; ſi verò pro ſe, careat voce activa & paſſiva per idem tempus. † c.

Pœna procurentis ſuffragia.

11. Declaramus, quòd ubicumque in iſtis noſtris Conſtitutionibus dicitur: *per Vota ſecreta, & per electionem canonicam debere procedi*, poſſit etiam per Compromiſſum unanime hujuſmodi electio fieri, cùm talis modus eligendi electio canonica cenſeatur, prout declaratum fuit in Capitulo generali Viennæ celebrato Anno Domini 1372. ita tamen, ut per Scrutinium unanime perficiatur, & non aliter, prout declaratum fuit in Cap. gen. Romæ celebrato Anno Domini 1685. Quòd ſi omnes, nemine excepto, communi inſpiratione, non expectato ordine ſuffragiorum quempiam eligerent, ille canonicè electus cenſeatur: verumtamen electio compleri omninò debet per Scrutinium, prout pariter declaratum fuit in eodem Cap. gen. Romæ celebrato.

Per Compromiſſum etiam canonica electio.

12. Innovamus atque confirmamus Conſtitutionem à Reverendiſſimo P. Magiſtro Alexandro de S. Elpidio quondam noſtri Ordinis Priore generali factam, & in Capitulo generali Arimini Anno Domini 1318. celebrato approbatam & confirmatam, ita ut de cætero corpori Conſtitutionum copularetur, & pro una ex eis haberetur & ſervaretur, cujus tenor talis eſt.

13. *Cùm doctrina Apoſtolica ſuadente, quilibet in vocatione, qua vocatus eſt, ad cultum divini obſequii debeat immobilis permanere, omnes & ſingulos noſtri Ordinis Fratres hortamur, & rogamus primò, ſecundò, & tertiò peremptoriè, ac etiam omnibus & ſingulis mandamus per obedientiam ſalutarem, quatenus ad Prioratum, ſive Abbatiam, ſive Epiſcopatum, ſive ad electionem aliquam de eo factam cujuſcumque prælationis ſeu dignitatis extra noſtrum Ordinem, nullus aſſentire debeat, ſeu modo aliquo aſſenſum dare, cùm & hoc de*

Frater quamcumque dignitatem extra Ordinem abſque Superioris licentia acceptare nequeat.

Præceptum.

jure

jure non poſſit ſine licentia ſpeciali Prioris Generalis, vel alterius, qui talem licentiam de jure poſſit dare: nec etiam aliquis talis, habita licentia, facta de ſe electioni aſſenſum præbeat, niſi prius ſuo Priori locali, vel Provinciali in Fratrum præſentia libris, pecuniis, aliiſque rebus ad uſum ſibi conceſſis, quas in Ordine retinebat, vel in Depoſito habebat, integraliter aſſignatis.

Mobilia ſibi conceſſa tradere debeat.

14. *Quòd ſi quis hæc noſtra mandata, vel alterum ipſorum contempſerit adimplere, trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis, (licèt inviti) illum, vel illos ex nunc, prout ex tunc Excommunicationis vinculo innodamus.*

Excommunicatio.

15. Fratres verò noſtri Ordinis, quando fuerint ad aliquam Dignitatem extra Ordinem nominati, vel electi, infra tres dies à notitia talis promotionis, omni Officio cum cura animarum intra Ordinem ſibi commiſſo cedant, niſi prædictæ promorioni publicè renunciaverint. Quarè præcipimus omnibus & ſingulis Fratribus præſentibus & futuris, ne prædictis obedire præſumant ultra terminum præfixum.

Aſſumptus ad dignitatem extra Ordinem, Officio, quo fungitur cedat.

NOTÆ ✠ a. In Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685. diffinitum fuit, nullum aſſumi poſſe ad Officium cum cura animarum, niſi in trigeſimo ſaltem ſuæ ætatis anno conſtitutum.

✠ b. Reelectiones in Ordine noſtro non permittuntur, niſi ad tenorem Conſtitutionis decimæ Clementis VIII. §. 5. de qua infra fiet ſermo in Cap. 10. hujus Tertiæ Partis §. 6. n. 10.

✠ c. Conſtitutionibus Apoſtolicis Clem. VIII. *Quoniam nemo &c.* Anno 1604. die 1. Decembris, & Pauli V. *Admonemur &c.* Anno 1605. die 4. Julii vetitum eſt Fratribus noſtri Ordinis, ne pro obtinendis quibuſcumque gratiis vel dignitatibus intra Ordinem, ad favores quarumcumque Perſonarum extra Religionem recurrant, ſub pœnis Excommunicationis & perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque Officia: Superiores verò prædictorum favorum intuitu talia concedentes ipſo facto excommunicantur.

CAPUT III.

De Forma celebrationis Capituli generalis totius Ordinis noſtri, & Reverendiſſimi Patris electione.

§. I.

De Tempore celebrationis ejuſdem Capituli generalis.

1. CApitulum generale totius Ordinis noſtri de ſexennio in ſexennium omninò celebrari mandamus loco determinato per Diffinitores præcedentis Capituli generalis in diverſis Regionibus ad honorem Ordinis, & ut Reverendiſſimus Pater meliùs & liberiùs poſſit ſingulas Provincias Ordinis viſitare, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1284.

Quando & ubi Capitulum generale celebrari debeat.

2. Hæc autem aliter diſponere Prior Generalis minimè poterit, niſi interveniente aliqua urgentiſſima neceſſitate, & conſenſus adeſſet Summi Pontificis pro tempore exiſtentis.

3. Et ne numerus ac multitudo Fratrum ad Capitulum convenientium confuſionem pariat, ſtatuimus ne ad hujuſmodi Capitulum conveniant, niſi Reverendiſſimus Pater Prior Generalis tum actualis cùm abſolutus; Rev. P. Procurator Ordinis actualis & abſolutus; PP. Aſſiſtentes tam actuales, quàm abſoluti; Provinciales omnium Provinciarum, ac Vicarii Congregationum, Diffinitores ſimiliter, ac Diſcreti ipſarum; præter quos venire quoque teneantur Priores, ac Regentes Conventuum generalium Italiæ, ſi in Italia Capitulum celebretur, & quotquot à Reverendiſſimo P. Generali per litteras publicas, vel privatas ad prædictum Capitulum vocati fuerint.

Qui de jure ad Capitulum generale venire poſſint.

4. Statuimus autem, & præcipimus inviolabiliter obſervari, ut unaquæque Provincia, ſive Congregatio noſtri Ordinis mittat de facto ad Capitulum generale, in quo novus totius Ordinis Generalis eligendus eſt, Provincialem cum aliis duobus Vocalibus, Diffinitore ſcilicet ac Diſcreto, ita ut ex unaquaque Provincia tres Vocales ad novam electionem Prioris Generalis conveniant; alioquin Provincialis ex inobedientia non veniens cum Diffinitore & Diſcreto ad Capitulum generale, ipſo facto Excommunicationem latæ ſententiæ incurrat, quam trina canonica monitione præmiſſa præſenti Conſtitutione ex nunc prout ex tunc (licèt inviti) in ipſum ferimus, à qua nonniſi à Priore Generali abſolvi poſſit.

Ab unaquaque Provincia tres Vocales mittendi.

Pœna Provinciali contravenienti infligenda.

Excommunicatio.

5. Prioribus Provincialibus, & aliis Electis pro Capitulo generali provideatur rationabiliter de expenſis à tota Provincia pro eundo & redeundo juxta quantitatem itineris, ac Regionum qualitatem, ſecundùm quod à Capitulo provinciali taxatum fuerit.

Expenſæ pro itinere à Provincia ſumendæ.

6. Provincialis verò, vel Diffinitor quando Provincialis non iverit, portet ſecum in ſcriptis numerum Fratrum viventium ſuæ Provinciæ, & quot defuncti poſt ultimum Capitulum generale fuerunt, & nomina aliquorum Dominorum Ordinis Benefactorum, ſi illo ſexennio diem ſuum obierunt: ſi verò qui ad Capitulum generale venerint, ex infirmitate vel aliquo alio caſu impediti fuerint in itinere, quominus ad locum Capituli generalis pervenire poſſint, nulla ſit eis

Quid portare debeant euntes ad Capitulum.

facul-

Vota abſentium non ſupplenda. facultas aliorum ſubſtituendorum, † prout diffinitum fuit in Cap. gen. Venetiis celebrato Anno Domini 1519.

Etſi Vocales abſentibus pauciores ſint, Capitulum non protrahendum. 7. Statuimus nihilominus, ut Patres, qui ad Capitulum ipſum convenerint, etiam ſi fuerint abſentibus pauciores, ipſum Capitulum poſſint, & debeant die & loco determinato celebrare, & quidquid in ipſo Capitulo ordinatum vel ſtatutum fuerit, univerſus Ordo per omnia ſervare teneatur.

Qualitates Vocalium. 8. Volumus autem, ut Provinciarum, vel Congregationum ſuffragia laturi ad hujuſmodi generale Capitulum non deſtinentur, niſi probitate, gravitate, conſilio, & doctrina præditi.

Reſignatio P. Generalis. 9. Si Prior Generalis aliquo rationabili impedimento detentus non poſſit ad generale Capitulum venire, mittere Vicarium ſuum valeat, qui vice ejus poſſit, & debeat Sigillum Ordinis reſignare, & ad voluntatem Diffinitorum, & aliorum Vocalium Generalatus Officio renunciare.

Pœna Generalis non reſignantis. 10. Quòd ſi ipſe Generalis ad Cap. gener. tempore ſtatuto non venerit, nec Vicarium aliquem ſuum miſerit, à die ſtatuta & præfixa ad dictum Capitulum celebrandum, impoſterum ipſo facto ſit Generalatus Officio privatus, & in eo caſu Prior Provincialis illius Provinciæ, in qua Capitulum congregatum eſt, omnia faciat, quæ Prior Generalis præſens faceret, quouſque Præſidens publicetur, & non ultra, qui publicatus ad electionem novi Generalis procedere faciat.

Vocales quando convenire debeant. 11. Omnes igitur & ſinguli prædicti Patres Vocales Feria quinta ante Feſtum Pentecoſtes, in qua ſacra Solemnitate Capitulum generale Ordinis noſtri celebrari volumus, ſimul ad locum Capituli ſtudeant convenire, atque congregatis omnibus in Eccleſia, Reverendiſſimus P. Generalis, vel alius de ejus mandato Miſſam de Spiritu Sancto cum *Gloria in excelſis*, *& Credo*, & duabus Collectis, altera Beatæ Virginis, & altera S. P. N. Auguſtini ſolemniter cantet; cui omnes præcipuè Vocales interſint, aut ſaltem Miſſam de Spiritu Sancto eadem die celebrent.

NOTA. † Non ſolùm non poſſint abſentes pro ſeipſis in particulari vota ſubſtituere, ut in Cap. quoque ſecundo hujus Tertiæ Partis num. 4. diſponunt Conſtitutiones, ſed Clement. VIII. Decreto, uſu recepto, cautum eſt, ne ipſæ quoque Provinciæ Ultramontanæ, & Ultramarinæ pro ſuis ſuffragiis in Capitulo generali ferendis, delegare, ſeu deputare poſſint Fratres Italos, nevè deputati, ſeu delegati ullatenus tamquàm Vocales admittantur. *Decretum Sac. Viſitationis Apoſtolicæ in audientia ejuſdem Sanctiſſimi die 1. Aprilis 1601.*

§. II.

De modo recognoſcendi Præſidentem.

Modus aperiendi Capitulum. 1. EAdem verò Feria quinta immediatè poſt Veſperas fiat ſignum congregandi Capitulum, campanula Clauſtri ter pulſata, ut moris eſt, & ſtatim campana minor in Campanili ter pulſetur ſimiliter cum debito intervallo, ad quod ſignum omnes Fratres Vocales ad Capitulum, vel aliò, ubi decenter eſſe poſſint, conveniant, quibus conſedentibus, Prior Generalis dicat ℣. *Adjutorium* &c. *Benedicite* &c. deinde verbum habeat aliquod opportunè.

Præceptum pro oſtenſione litterarum Præſidentiæ. 2. Quo expleto, omnibus & ſingulis in virtute S. Obedientiæ præcipiat, ut ſiquis illorum litteras habeat Sanctiſſimi D. N. Papæ ad Capitulum directas, eas protinus oſtendat, & legendas conſignet; hoc autem præceptum, ſi litteræ non oſtendantur, parvo temporis intervallo ter ſucceſſivè faciat, tertia vice ſub pœna Excommunicationis præcipiendo.

Præſidens Apoſtolicus. 3. Si verò quiſpiam hujuſmodi litteras præſentaverit, volumus et decernimus, ut illæ ab omnibus debita cum veneratione, ut decet, ſuſcipiantur, & ibidem in Capitulo coram omnibus publicè legantur, eiſque, ut decet, in omnibus obediatur, & ſi virtute illarum litterarum aliquis illius Capituli Præſidens inſtitutus fuerit, is ab omnibus debita cum veneratione pro Præſidente habeatur, & Præſidentis Officio fungatur tanta cum authoritate, quantam Sanctiſſimus D. N. Papa ei conceſſerit, cujus mandatis tamquàm Dei & Domini noſtri JEſu Chriſti Vicarii omnes Ordinis noſtri Fratres tam in Capitulis, quàm extra obedire teneantur. *Præſidentis authoritas quanta.*

Ordinarius Præſidens primus Diffinitor. 4. Si verò hujuſmodi litteræ, aut nullatenus, aut non tempore debito, nec publicè, & efficaciter præſentatæ fuerint, Prior Generalis Diffinitorem deſignatum pro generali Capitulo ab ea Provincia, in qua Capitulum celebratur, inquirat, quem pronunciet in tali caſu eſſe Capituli generalis tunc celebrandi authoritate ordinaria Præſidentem. Si verò dictus Diffinitor præſens non fuerit, pronuncietur pro Capituli Præſidente primus Diffinitor, qui præſens fuerit, ſervato ordine Provinciarum in hoc Capitulo adnotato, & ſtatim, qui Præſidens nominatus fuerit, à Patribus circa ipſum ſedentibus ad titulum Capituli deductus, ſuperiori loco ſedeat, ante quem Prior Generalis ſtatim genua flectens in ſignum obedientiæ & reverentiæ manum ei reverenter deoſculetur, poſteà ſurgens ad ſiniſtram Præſidentis ſedeat, & poſt eum ordi-

ordinatè ſic faciant omnes Patres ſucceſſive.

Deputatio Priorum Capituli.

5. Præſidens ſi ſibi videbitur, obedientia ſibi data, ſermonem habebit, dicto *Adjutorium* &c deinde de Patrum, & præcipuè Provincialis Provinciæ, in qua Capitulum celebratur, conſilio, duos deputabit divini Cultus Magiſtros, ſive Priores Capituli, ſine quorum, aut alterius eorum licentia nemo domo exire præſumat, quibuſque Fratres omnes obedire teneantur in omnibus, quæ ad divinum cultum pertinent, tam quòad Horas Canonicas, quàm quòad Miſſas celebrandas, qui etiam menſis præeſſe debent.

§. III.

De Judicibus cauſarum, & Examinatoribus litterarum.

Deputatio Judicum cauſarum.

1. DE eorumdem † a. quoque conſilio tres peritos & expertos Patres deputabit Judices cauſarum omnium Capituli, tam Fratrum, quàm ſæcularium cum Fratribus, qui ſingulorum cauſas audientes, ea, quæ pacis ſunt, in omnes intendant, & quæ graviora fuerint Diffinitorio referant, ipſi tantùm leviora judicantes & determinantes, ſola rei veritate inſpecta, omneſque ſuas deciſiones in uno libro ſcribentes, in cujus fine omnes tres manu propria ſubſcribant, à quorum ſententia nulli poſt Capitulum dimiſſum liceat apellare, niſi fortè abſens, vel non auditus fuiſſet.

Quales cauſæ ſint adducendæ.

2. Nullus tamen ad Capitulum generale, vel ad Judices cauſarum ejuſdem ducat cauſas, quæ per Capitulum provinciale, vel per Provincialem ipſum poſſent expediri, ſecus verò faciens non audiatur, & pro temeritate puniatur.

Deputatio Examinatorum litterarum.

3. Deputabit etiam eorumdem cum conſilio tres † b. Examinatores litterarum teſtimonialium, quas Patres Vocales à ſuis Provinciis attulerint, vel ab hujuſmodi Provinciis eis miſſæ fuerint, qui omnem controverſiam de habentibus, ſeu non habentibus vocem tam activam quàm paſſivam, ſecundùm Ordinis Conſtitutiones diriment. † c.

Deputatio Correctorum.

4. Deputabit ſimiliter decem Correctores, quorum duo ſervient Divini cultus Magiſtris, duo Judicibus cauſarum, duo Patribus Diffinitorii, quatuor omnia ad victum neceſſaria providebunt, ac menſæ Lectores, & Servitores deputabit, & Fratribus ad Capitulum venientibus hoſpitium, & refectionem aſſignabit.

Miſſa, & proceſſio pro Defunctis.

5. Sequenti verò ſexta feria Officium & Miſſa Defunctorum cum Proceſſione, ut in primo Anniverſario Ordinis noſtri ſolemniter cantentur. Poſteà habeatur Oratio in recommendationem Defunctorum, in qua ultra numerum eorum collectivè & ſummatim relatum, in particulari fiat mentio aliquorum graviorum & digniorum Patrum, atque etiam Illuſtrium Dominorum noſtri Ordinis benefactorum intra ipſum ſexennium defunctorum, juxta relationem Provinciarum.

Oratio pro Defunctis.

6. Oratione finita, dicat P. Præſidens iſta verba, ſcilicet: *Debitum reliquarum Miſſarum tam Fratrum & Sororum, quam Confraternitatis Litteras habentium, & iſtorum, & aliorum omnium Benefactorum Ordinis noſtri defunctorum in finem Capituli reſervamus injungendum, cùm Benefactores vivi recitabuntur, ut pro his omnibus integrè ſatisfaciamus; nihilominus pro eiſdem dicamus in præſentiarum; De profundis &c.*

Preces pro Defunctis.

7. Et ex tunc Fratres ſurgentes, proſequantur Pſalmum totum cum *Requiem æternam, Kyrie &c.* tunc Præſidens dicat: *Pater noſter &c. Et ne nos &c. A porta Inferi &c. Requieſcant &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus: Abſolve quæſumus Domine animas famulorum, famularumque tuarum, & omnium Fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum &c. Requiem æternam &c. Requieſcant in pace: ℟. Amen.*

Abſolutio generalis de more

8. Denique fiat Confeſſio in communi, & data Abſolutione de more, cum injunctione, ut die ſequenti omnes Miſſam de Spiritu Sancto celebrent, dicat P. Præſidens: *Adjutorium &c.* & ſic egrediantur de Capitulo.

NOTÆ. † a. Ad eliminandas difficultates, quæ non rarò in Comitiis generalibus inſurgunt circa individuam Patrum Conſilii intelligentiam, de quibus in hoc §. declaratum fuit in duobus generalibus Capitulis Romæ celebratis Anno 1679. & 1685. tales eſſe PP. Generalem, ſeu Vicarium Generalem actualem, necnon abſolutos, item PP. Procuratorem generalem, & Aſſiſtentes tum actuales, cum abſolutos reſpectivè, necnon PP. Provinciales actuales, & Vicarios generales Congregationum itidem actuales, qui Capitulo generali pro tempore interſunt.

† b In Capitulo generali celebrato Anno Domini 1685. diffinitum fuit (ut pro reviſione litterarum teſtimonialium, & judiciis ferendis in iiſdem generalibus Comitiis, Viri præficiantur jura, conſuetudines Regionum, & privilegia callentes, ac inter Nationes æqua diſtributio obſervetur) quatuor litterarum Reviſores & Examinatores, quatuor item Judices cauſarum, nempe, unum pro ſingulis Nationibus conſtituendos eſſe.

† c. Declaratum inſuper fuit in duobus prædictis Capitulis generalibus, quòd non ſit ampliùs jus Patrum Examinatorum litterarum teſtimonialium excludere vota, & vocales rejicere

cere. ſed ſi quas compererint difficultetes, has tamquàm de grevioribus deferant Præſidenti & Patribus Conſilii ſupradicti dirimendas.

§. IV.

De bis quæ præcedere debent electionem novi Generalis

Die Sabbati Miſſa de Spiritu Sancto.

1. DIE ſequenti ſummò mane Prima cantetur, poſteà P. Præſidens, vel alius de ejus mandato, Miſſam de Spiritu Sancto ſolemniter cantabit, ut ſuperiùs dictum eſt.

Sacrum faciendum de Spiritu Sancto in omnibus Conventibus.

2. Præcipimus antem & mandamus, nt in qnolibet Conventu noſtri Ordinis, non ſolùm in vigilia, ſed etiam in vigilia vigiliæ Capituli generalis Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter celebretur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Florentiæ celebrato Anno Domini 1326.

Preces in Eccleſia dicendæ.

3. Expleta Miſſa, adjnſſum P. Præſidentis pulſata campannla pro Capitulo convocando, ut moris eſt, omnes tam Vocales quàm non Vocales ad Eccleſiam conveniant; quibus ordinatè congregatis ante majus Altare, & ſacto ſigno à P. Præſidente, Correctores divini cultus in medio Eccleſiæ Hymnum incipiant *Veni Creator* &c. omnibus ad illas tres dictiones primas genuflexis, qui poſteà ſurgentes alternatim ex ntroque Choro totum Hymnum decantent: deinde prædicti Correctores in medio dicant ℣. *Emitte &c.* ℟. *Et renovabis &c.*

4. Poſteà P. Præſidens in loco ſuo in cantu dicat ℣. *Domino &c. Oromus: Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratinne docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur. Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus; & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente B. P. noſtro Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifico conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Chriſtum &c.*

Oratio pro electione novi Generalis.

5. Deinde ſedentibus omnibus dicat P. Præſidens *Benedicite*, & reſponſo ab omnibus *Deus*: habeatur Oratio, quam habeat R. Procurator Ordinis, in qua aget de nova electione, in genere tamen, & de totius Ordinis moderatione ac reformatione.

Ordo Vocalium.

6. Quibus finitis, omnes proceſſionaliter ad locum Capituli vadant, ibique conſedentibus nominentur Vocales hoc ordine, videlicet: Primò Præſidens generalis Capituli, mox Reverendiſſimus P. Generalis, vel Vicarius Apoſtolicus, deinde R. Ordinis Procurator, poſteà Aſſiſtentes tam actuales quàm abſoluti, deinde Diffinitores, poſteà Provinciales, ac Vicarii Congregationum, tandem Diſcreti; & ſecundùm quod nominati fuerint, ſic ſtatim ſedeant.

Ordo Provinciarum.

7. Nominentur autem ſinguli juxta ordinem Provinciarum, qui eſt hujuſmodi: Primnm locum obtineat poſt illam Provinciam, in qua celebratur Capitulum, quæ ſemper primnm locum habebit,

1. Provincia S. Auguſtini, aliàs Lombardiæ.
2. Provincia S. Monicæ, aliàs Romana.
3. Provincia S. Nicolai de Tolentino, aliàs Marchiæ Anconitanæ.
4. Provincia S. Auguſtini, aliàs Franciæ.
5. Provincia S. Guilelmi, aliàs Bituricenſium.
6. Provincia Caſtellæ.
7. Provincia Bethicæ.
8. Provincia Coronæ Aragoniæ, aliàs Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ.
9. Provincia Portugalliæ, ſive Luſitaniæ cum Vicariatu Indiæ Orientalis.
10. Provincia Marchiæ Taruiſinæ, aliàs Venetiarum.
11. Provincia Tholoſæ, & Aqnitaniæ.
12. Provincia Coloniæ, & Belgica.
13. Provincia Gallobelgica.
14. Provincia Romandiolæ.
15. Provincia Umbriæ.
16. Provincia Provinciæ.
17. Provincia Bavariæ.
18. Provincia Tyroli Salisburgenſis.
19. Provincia Auſtriæ.
20. Provincia Bohemiæ.
21. Provincia Terræ laboris, ſive Neapolitana.
22. Provincia Narbonæ, & Burgundiæ.
23. Provincia Siciliæ.
24. Provincia Piſana.
25. Provincia Senarum.
26. Provincia Terræ Sanctæ.
27. Provincia Apuliæ.
28. Provincia Aprutii.
29. Provincia Calabriæ Ulterioris.
30. Provincia Calabriæ Citerioris.
31. Provincia Poloniæ.
32. Provincia Rheni, & Sueviæ.
33. Provincia Hungariæ.
34. Provincia Angliæ.
35. Provincia Hyberniæ.
36. Provincia Saxoniæ, & Thuringiæ.
37. Provincia Sardiniæ.
38. Provincia Mexicana, aliàs novæ Hiſpaniæ, ſive Nominis JESU.
39. Provincia Peruntina.
40. Provincia Inſularum Philippinarum.
41. Provincia Mechoacanenſis.
42. Provincia Quitenſis.
43. Provincia Novi Regni Granatenſis.
44. Provincia Chilenſis.

45. Provincia Inſularum Canariarum.
46. Provincia Styrocarinthiæ.
47. Congregatio Lombardiæ.
48. Congregatio Illicetana, ſive S. Salvatoris.
49. Congregatio S. Joannis de Carbonara.
50. Congregatio Peruſina, aliàs S. Mariæ de Populo.
51. Congregatio Januenſis, aliàs Baptiſtinorum.
52. Congregatio Montis Orthoni.
53. Congregatio Dalmatiæ.
54. Congregatio Diſcalceatorum Hiſpaniæ.
55. Congregatio Diſcalceatorum Italiæ.
56. Congregatio Diſcalceatorum Franciæ.
57. Coogregatio Centum Urbium.
58. Coogregatio Colloritana.

Reſignatio Sigilli Ordinis.

8. Poſteà P. Præſidens dicat, *Adjutorium &c. Benedicite &c.* Deinde Prior Generalis, cujus vita eſſe debet aliis quibuſcumque in exemplum, ne de ambitione prælationis notari poſſit, quod in Religioſis eſt deteſtabile cogitare, & deteſtabilius opere adimplere, Sigillum Officii Generalatus Præſidenti efficaciter, & cum effectu genuflexus reſignet, (quod erit ſemper illud, quod in principio harum Conſtitutionum impreſſum cernitur, quodque mutare vel io aliquo alterare nulli unquàm licebit) & Generalatus Officio renunciet, & cùm dixerit ſuam culpam, proſternat ſe, ac à P. Præſidente abſolvatur; moxque omnes, præter Vocales, exeaot à Capitulo.

Ordinis Sigillum quale ſit.

Generalis poteſt eſſe Præſidens.

9. Si autem evenerit, qoòd Prior Generalis authoritate Apoſtolica munere Præſidentis fungatur, reſignabit Sigillum, Officioque Generalatus renunciabit, ac dicet culpam ſuam coram Diffinitore illo, ad quem Præſidentia Capituli (niſi adeſſent litteræ Apoſtolicæ) pertioeret; qui nomine omniom Vocalium dictam renunciationem accepret, & eum ab Officio Generalatus immediatè abſolvat, eique protinus præcipiat, ut de eo ulteriùs nullatenus ſe intromittat. Hoc idem obſervabitut quandocumque Præſidens io Generalem electus fuerit in confirmatione ipſius, & aliis cæremooiis faciendis.

Pœna Generalis non reſignantis Officium.

10. Quòd ſi Prior Generalis Sigillom ſui Officil reſignare noluerit, vel ad mandatum, ſeu requiſitionem P. Præſidentis, ac Diffinitorum Officio Generalatus noo renunciaverit, ſoa inobedientia permanente, tamquàm Ordini ac Apoſtolicæ Sedi rebellis omni communione Fratrum ſit penitus deſtitutus.

§. V.

De electione novi Generalis.

1. IN electione aotem novi Generalis hic modus ſervabitur, videlicet: Primò nomina Vocalium per Examinatores litterarum teſtimonialium deſcripta, audientibus omnibus, recitentur; ſi verò aliqui ex eis, qui à Provinciis miſſi fuerant, non ſint nominati, ſtatim egrediantur.

Modus electionis.

2. Quibus egreſſis, proponentur à P. Præſidente publicè ex Vocalibus tres † a. Patres fideles & graves, in celebrandæ electionis prædictæ Scrutatores eligendi, quorum (ſi poſſibile fuerit) unus erit ex Provinciis Galliæ, alter Germaniæ, vel Angliæ, tertius ex Provinciis Hiſpaniæ, † b. vel Portugalliæ, qui ſtatim ac ſe ſenſerint nominari, è Capitulo egrediantur, de quibus P. Præſidens omnium Vocalium vota requirat, † c. in quos ſi major pars conſenſerit, P. Præſidens eos ad ſe venientes jurare publicè faciet ſe ſummam fidem ſervaturos in diſcuſſione & collatione calculorum; deinde eos confirmabit dicens: *Et ego N. Præſidens præſentis Capituli authoritate, qua fungor, confirmo vos in Scrutatores electionis de Priore Generali noſtri Ordinis de novo in præſenti Capitulo celebrandæ, dans vobis omnem authoritatem & poteſtatem, quam cæteri Scrutatores hujuſmodi electionis ſolent habere: In nomine Patris &c.*

Deputatio Scrutatorum.

3. Si verò contigerit tres nominatos Patres, aut aliqoem, vel aliquos eorum non acceptari, P. Præſidens alium, vel alios ex iiſdem Patribus (ſi fieri poſſit) proponat, donec de tribus Scrutatoribus proviſum fuerit, ut ſupra.

4. Ex tunc Vocales juxta ordinem, quo recitati fueruot, accedant ſucceſſivè ad menſam, in qua ſiot atrameotaria, calami, & ſchedulæ; ibique, cæteris neſciis, ſcribat quilibet nomen in una è ſchedulis illius Patris, quem in Priorem Generalem eligit, hancque ſtatim clauſam deſerens ad aliam menſam paratam juxta Præſidentem, in qua ſit vaſculus & cations, reponat io dicto vaſculo, & ad ſuum locum redeat.

Modus ferendi ſuffragia.

5. Demom Scrutatores, facta priùs collatione oumeri Vocalium, quem ootaveraot, ad oumerum votorum ſeu vocum, quas in prædicto vaſculo inveoerint, calculabuot numerum vocum, quas in plures diverſos Patres conveniſſe repererint: Si autem in quempiam major pars eligentium coovenerit, procedetur ad publicationem, ut infra; ſi verò in nullum major eligentium pars cooſenſerit, iterum, procedetur ad Scrutinium, quòuſque electio ſit canoooica.

Scrutinium vocum. In Demon.

6. Fa-

Publicatio electionis Generalis.

6. Facta autem electione, campana Capituli ter pulſabitur pro Capitulo congregando, & Fratribus omnibus congregatis, primus Scrutatorum electionem pronunciando publicè dicat alta voce: *In nomine Domini N. JESU Chriſti benedicti. Amen. Anno ejuſdem milleſimo &c. die &c. menſis &c. Ego F. N. primus Scrutatorum præſentis electionis, Spiritus Sancti gratia invocata, nomine meo & nomine omnium, ad quos præſens pertinet electio, eligo in Priorem Generalem totius noſtræ Auguſtinianæ Religionis Admodum R. in Chriſto Patrem Fratrem N. de N.*

Proceſſionaliter eundum in Eccleſiam.

7. Et ſtatim facto ſigno cum campanula Capituli, Campanæ omnes pulſentur, & Cantores ſolemniter incipiant: *Te Deum laudamus*, & omnes Fratres bini & bini, ut moris eſt, ad titulum Capituli ſe inclinantes, & proceſſionaliter cantantes, præcedente Cruce cum Acolythis, Eccleſiam ingrediantur, & is, qui in Priorem Generalem electus fuerit, poſt cæteros cum P. Præſidente incedens, genua flectat ante majus Altare, & P. Præſidens dicat: *Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum. Oremus: Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum N. & ſuper congregationes illi commiſſas Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi placeat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum &c.*

Confirmatio Generalis.

8. Quibus expletis, P. Præſidens ante Priorem Generalem electum ad medium Altaris accedat, & ſedeat è regione, confirmabitque eum hoc modo: tradet namque in manibus ejus Sigillum magnum totius Ordinis, dicens: *Et ego authoritate, qua fungor in hac parte, confirmo te in Priorem Generalem totius Ordinis noſtri, dans tibi omnem authoritatem & poteſtatem in ſpiritualibus & temporalibus, quam cæteri Priores Generales ejuſdem Ordinis ſolent habere: In Nomine Patris &c.*

Obedientia à ſingulis præſtanda.

9. Deinde P. Præſidens, pulſantibus Organis, erigat illum, & ſedere faciat ad medium Altaris, & genibus flexis ante eum deoſculetur ei manum, poſteà ſurgens, ſedeat ad dexteram ipſius, ac deinde Reverendiſſimus P. Generalis abſolutus ſimili modo faciat, & ſedeat ad ſiniſtram, & ſic cæteri ſucceſſivè per ordinem faciant in ſignum obedientiæ & reverentiæ, & ad loca ſua vadant; quibus expletis, dicto à P. Præſidente: *Adjutorium &c.* omnes bini & bini ab Eccleſia egrediantur.

NOTÆ. ✠ a. In Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1685. ſtatutum fuit, ut deinceps adderetur alter Scrutator ex Provinciis Italiæ: ideòque in futurum quatuor eligendi erunt in Scrutatores.

✠ b. In duobus Capitulis generalibus Romæ celebratis Anno 1679. & 1685. declaratum fuit, quòd in Scrutatorem pro Provinciis Hiſpaniæ, ſub quarum nomine comprehenditur etiam Luſitania, poſſit quoque aſſumi ex Provinciis Indiarum.

✠ c. Quòad Scrutatorum eligendorum propoſitionem, in multis jam habitis generalibus Capitulis factum eſt Scrutinium per Ballottulas de iis, quibus non acceſſit uniformis Patrum conſenſus. Quod videtur magis conforme Conſtitutioni Pauli V. *Nuper à Nobis* 13. Julii 1614. in Bull. Ordinis.

CAPUT IV.

De agendis in Diffinitorio generali.

§. I.

De modo ſervandò in Diffinitorio, & de publicatione Secretarii Ordinis.

Qualiter gerendum in Diffinitorio.

1. Diebus ſingulis ſequentibus, quòuſque Capitulum generale concludatur, Diffinitores omnes cum P. Præſidente, Reverendiſſimo Priore Generali tam actuali quàm abſoluto, ac R. Procuratore Ordinis, & PP. Aſſiſtentibus tum actualibus cum abſolutis, manè antequàm aliquid tractare incipiant, Miſſam audiant in loco ad hoc deputato & præparato, niſi eadem die vel Miſſæ conventuali intereſſe, vel privatas Miſſas celebrare debeant.

2. Audita verò Miſſa, vocati à Correctoribus Diffinitorii, qua hora P. Præſidenti videbitur, conveniant omnes in aliquo decenti ac ſecreto loco, ubi Altare, vel Imago aliqua poſita ſit, coram qua genibus flexis incipiat P. Præſidens ſine nota Hymnum: *Veni Creator &c.* cum Oratione: *Deus, qui corda &c.* Deinde ordinatè ſedeant ad negotia totius Ordinis diſcutienda, & P. Præſidens dicat: *Adjutorium &c. Benedicite &c.* quando verò ſolvitur Diffinitorium, dicat: *Sit nomen Domini &c.* ℟. *Ex hoc nunc &c.*

Diffinitorium generale mutare poteſt Conſtitutiones.

3. Prædicti autem P. Præſidens, Reverendiſſimus P. Generalis tam actualis quàm abſolutus, R. Procurator Ordinis, PP. Aſſiſtentes tum actuales cum abſoluti, ac cæteri PP. Diffinitores de corpore Conſtitutionum demere & mutare, atque Conſtitutiones novas facere poterunt, ſi eorum providæ deliberationi videbitur expedire; ita tamen, ut Conſtitutio facta in uno Capitulo generali ſervetur tamquàm ſtatutum, ſed robur non habeat, ita ut Conſtitutio dici poſſit, niſi in ſequenti generali Capitulo fuerit confirmata; & è converſo nulla Conſtitutio aliàs confirmata, abrogata cenſeatur, niſi per duo immedia-

Quid requiratur, ut Conſtitutio dici poſſit.

diata Capitula generalia fuerit immutata, quamvis intereà obſervanda non ſit.

Deputatio & publicatio Secretarii Ordinis. 4. Cùm ad Priorem Generalem electum ſpectet proviſio de ipſius Scriba ſeu Ordinis Secretario, proinde idem Prior Generalis poterit hoc loco illum Præſidenti ſignificare, qui mox toti Diffinitorio eumdem publicabit, & coram ſe vocatum ac genuflexum confirmabit, dicens: *Et ego authoritate, qua fungor in hac parte, confirmo te in Secretarium Ordinis, dans tibi omnem facultatem, quam cæteri Ordinis Secretarii habere conſueverunt: In nomine Patris &c.* Ipſe verò deoſculata Præſidentis manu, ſi de corpore Diffinitorii fuerit, ibi remanens, publicè leget quæcumque legenda ſunt, & reliqua etiam Capituli Acta notabit.

§. II.

De electione R. Procuratoris Ordinis, & PP. Aſſiſtentium.

1. IN primis, & ante omnia R. Procurator Ordinis ad juſſum P. Præſidentis ſurgat, & coram eo humiliter genuflectat, & cùm dixerit ſuam culpam, proſternat ſe, & erectus ad vocem P. Præſidentis exeat è Diffinitorio, & ex tunc P. Præſidens diligenter & ſollicitè vitam & merita ipſius inquirat, & cum aliis conſideret & diſcutiat, & ſi eum dignum, promptum, ſollicitum, & fidelem invenerint ad omnia, & ſingula, quæ ad negotia totius Ordinis tractanda requiruntur, nihilque in eo compererint, propter quod ſit meritò Officio privandus, debent potiùs ipſum in adminiſtratione Officii retinere, quàm ad aliam novam electionem de eo, vel alio faciendam procedere; dummodò aliàs fuerit à Diffinitorio Capituli generalis legitimè electus.

Inquirendum de vita Procurat. Ord.

Non facilè mutandus.

Renunciatio Procurat. Ord. 2. Si autem, conſiderata ipſius Procuratoris Ordinis vita, ſollicitudine, ac fidelitate, videatur ipſis Patribus Diffinitorii, vel majori parti ex eis non ulteriùs in hujuſmodi Officio tolerandum eſſe, ſtatim ad requiſitionem P. Præſidentis coram omnibus Officio prædicto renunciet, qui renunciationem acceptet, & eum ab Officio de facto abſolvat, eique præcipiat, ut de eo ulteriùs ſe nullatenus intromittat, & ex tunc Officio Procuratoris Ordinis ejuſque adminiſtratione ſit & habeatur privatus.

Modus electionis ejuſdem. 3. Cum autem hac, vel alia de cauſa electionem Procuratoris Ordinis fieri oportuerit, hic modus ſervabitur, videlicet: Reverendiſſimus Prior Generalis (cui præſertim ex Officio incumbit curare, ut res Ordinis noſtri per providos & diſcretos Viros adminiſtrentur, & eò magis in Rumana Curia per egregium aliquem & circumſpectum Procuratorem generalem, qui eidem Patri Reverendiſſimo in pertractandis Reipublicæ noſtræ negotiis, veluti dexter oculus, aut altera manus futurus ſit) adminus tres Patres Diffinitorio Capituli generalis proponat, qui vitæ & famæ laudabilis in Ordine ſint, & præter ſufficientem ſcientiarum notitiam, facundia etiam atque elegantia latini ſermonis polleant, cùm ad Procuratoris generalis Officium præter alia pertineat Sac. Theologiam in Romano Gymnaſio † publicè profiteri, & Sermonem in Capella Domini Noſtri Papæ in Adventu & Quadrageſima facere.

Tres Patres proponendi à Generali.

4. Ex quibus unus per ſecreta ſuffragia, hoc eſt, per ſecretas ſchedulas à Patribus Diffinitorii eligatur, ita ut in quem plura ſuffragia Patrum convenerint, is pro Procuratore totius Ordinis babeatur, & à P. Præſidente confirmetur; & licèt in hujuſmodi electione priori loco ſit proponendus, qui priùs Magiſterii gradum adeptus fuerit, ſi tamen contingat aliquem extra tempus generalis Capituli à Reverendiſſimo Patre ad Officium Procuratoris Ordinis per modum proviſionis aſſumptum fuiſſe, is reliquis omnibus in prædicta propoſitione præferatur. Eodem modo procedendum eſt in electione Patrum Aſſiſtentium.

Electio Procuratoris non eſt canonica.

Electio PP. Aſſiſtentium.

NOTÆ † Lectio Sac. Theologiæ in Romano Gymnaſio ſublata fuit per Sixtum V. & loco ejus Cathedra Sac. Scripturæ Ordini, non autem Procuratoris Officio aſſignata.

Procuratores Ordinis abſoluti iiſdem exemptionibus, loco, & jure ferendi ſuffragium in Comitiis generalibus potiuntur, quibus Aſſiſtentis Officio perfuncti potiuntur & gaudent; prout decretum fuit, & uſu receptum in Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1620.

§. III.

De litteris Diffinitorio miſſis.

1. UNus Diffinitorum de P. Præſidentis mandato litteras omnes Diffinitorio directas accipiet, & coram omnibus prædictis Patribus, ipſis videntibus & audientibus, leget; alter verò eorum quidquid ex litteris decidendum, reſpondendumve fuerit, in aliquo ſpeciali quaterno ſeriosè notabit.

Cancellarii Diffinitorii. 2. Poſteà duos, aut plures eligant Diffinitorii Cancellarios fidus ac providos, & qui ſecreta ſervare norint, quos de ſingulis litteris nomine Diffinitorii tam reſponſivis, quàm aliis ſine mora expediendis informabunt, illud memo-

ria

ria retineotes : *Dedecus eſſe litteris non reſpondere* , præcipuè Principum , ac Prælatorum , & aliorum , qui reverentialibus forent reſpectibus proſequendi.

§. IV.

De diffinitionibus faciendis , & audientia præſtanda , & aliis.

Quid agendum in Diffinitorio.

1. TRactanda autem per bos Patres hæc præcipuè ſunt : Primò ſiquid mutandum ſit in Conſtitutionibus totius Ordinis , vel in Diffinitionibus aliorum Capitulorum generalium , & ſi quid de novo diffiniendum , aut ordinandum pro morum reformatione , vel meliori totius noſtræ familiæ gubernatione ſit.

Diſcreti audiendi.

2. Deinde examinandl ſunt Diſcreti de ſtatu Provinciarum , vel Diffinitores , ſi Diſcreti non adſint , audiendique ſunt, ſi aliqua proponere habent ad ſtatum ſuarum Provinciarum pertinentia , juxta tenorem tamen litterarum teſtimonialium.

Legendi ſtatus Conventuum generalium.

3. Legendæ præterea litteræ referentes ſtatum omnium Conventuum , qui ſub immediata cura Reverendiſſimi P. Generalis poſiti ſunt.

Computum Generalis , & Procuratoris Ordinis.

4. Videndæ etiam rationes accepti & expenſi in toto ſexennio tam per Reverendiſſimum P. Generalem , quàm per R. Procuratorem Ordinis , quod intelligi volumus de pecunlis publici ærarij , ſeu Depoſiti , vel cujuſcumque extraordinariæ Collectæ , quæ non ſit ad cujuslibet eorum ſuſtentationem ordinata.

§. V.

De electione venerabilium Provincialium , & Priorum Conventuum generalium.

1. UT autem Fratrum diſcurſus , & expenſæ nimiæ vitentur, ordinamus ; quòd nec eo anno , quo Capitulum generale celebratur , neque etiam anno ſequenti in Provinciis Italiæ Capitula provincialia celebrentur ; quare dictis Provinciis de Provincialibus pro biennio ſequenti providebitur hoc modo :

Proponentur tres pro Provincialatu.

2. Reverendiſſimns P. Generalis (licèt P. Præſidens interſit) tamquàm is , qui Fratres Ordinis meliùs cognoſcere ex officio tenetur , pro unaquaque Provincia tres Patres (ſi fieri poſſit ejuſdem Provinciæ)probos ac graves proponat , non habita quidem ratione antiquioris promotionis ad Magiſterium , ſed potiùs probitatis, doctrinæ , ac rerum experientiæ (nemini namque injuriam Inferri exiſtimamus ſi digniores dignioribus præferantur) ex quibus incipiant ballottare eum,qui priorem locum in ordine tenet , hoc modo:

Modus eligendi Provinciales.

3. Qui fuerit ultimus in Diffinitorio dabit unicuique ballottulas duas ex panno conſutas , unam albam , alteram nigram , & in medio tabulæ ponat buſſulam unam , & dicat : *Qui vult eligere iſtum Patrem N. in Provincialem Provinciæ N. ponat in hac buſſula ballottulam albam ; qui verò noluerit , ponat nigram* ; & incipiendo à P. Præſidente per ordinem ſinguli ponent manum ſuper buſſulam , & abſconditè relinquent ballottulam albam , vel nigram , quam maluerint.

4. Quòd ſi plures ballottulæ albæ , quàm nigræ inveniantur , is electus eſſe cenſeatur , nec ampliùs procedatur : ſin minùs , ſecundus ſimili modo ballottetur ; ſi verò nec in ſecundo , nec in tertio convenerint , Reverendiſſimus Pater alios proponat , quòuſque de Provinciali illi Provinciæ ſit proviſum : ſubinde ad aliarum Provinciarum proviſionem ſimiliter procedatur.

Simili modo fiat de Prioribus Conventuum general.

5. Simili modo eligantur Priores Conventuum generalium Italiæ , qui ſuum jam biennium compleverunt. Regentes & Familias prædictorum Conventuum Reverendiſſimus Pater Inſtituet.

Aſſignandus locus futuri Capituli generalis.

6. Deinde aſſignetur locus Capituli generalis proximè celebrandi ; & ſi quæ ſunt alia ſecundùm exigentiam temporum tractanda , ea omnia per P. Præſidentem proponentur , & ab omnibus decidantur, quæ omnes deciſiones ſcribantur diſtinctè , & in fine manu P. Præſidentis , & omnium aliorum ſubſcribantur : quibus Reverendiſſimus Pater (quòad ea quæ attinent ad ſuam moderationem) humiliter obedire tenetur , & debet ; quia etſi Pater eſt Ordinis excellentia ſingularis prælationis, Frater tamen etiam & par eſt voto profeſſionis.

Subſcribantur deciſa ab omnibus Diffinitoribus.

Litteræ P. Generalis ad Imperatorem , & Reges.

7. Scribantur quoque Litteræ per Reverendiſſimum P. Generalem , & Diffinitores Imperatori , Regibus , & Principibus Chriſtianis commendatoriæ , & ſupplicatoriæ , ut Ordinem noſtrum Domino Noſtro Papæ commendent , & favoribus proſequantur , notificeturque eis de ſuffragiis & Orationibus pro eis ordinatis , pront diffinitum fuit in Capitulo generali Coloniæ celebrato Anno Domini 1374.

§. VI.

De diffinitionibus , & electionibus publicandis.

Publicatio Decretorum

1. DIe ultimo quando dimittendum eſt Capitulum , congregentur omnes Fratres tam Vocales , quàm non Vocales in loco Capituli , ter pulſata campanula clauſtri , ac poſteà pulſata campana

minori ter etiam in Campanili, & dicto à Præſidente, *Adjutorium &c. Benedicite &c.* Primò legantur alta & intelligibili voce Decreta à Diffinitorio facta.

Reſignatio Provincialatus.

2. Deinde Provinciales & Priores Coovenruum generalium dicant culpas ſuas ſigillatim, & illi qui ſuum jam biennium compleverunt, reſignent ſigilla P. Præſidenti, & ab eo abſolvantur his verbis: *Et ego, authoritate qua fungor, accepto renunciationem tuam; & abſolvo te ab Officio Provincialatus talis Provinciæ, vel Prioratus talis Conventus: In Nomine Patris &c.*

Publicatio Provincialium.

3. Tertiò legantur novæ Provinciarum, & Conventunm generalium proviſiones, atque Familiarum diſpoſitiones io hac forma, videlicet: Si Provincialis Provinciæ S. Auguſtini, qui pro tempore fuerit, ſuum biennium nondnm complevit tempore Capituli, ſic dicatur. *In Provincia S. Auguſtini ſuum biennium proſequatur Ven. Pater N. de N. pro ſequenti biennio præficimus in Provincialem Venerabilem Patrem N. de N.*

4. Si verò Proviocialis prædictæ Provinciæ ſuum biennium jam complevit, Officioque renunciavit, dicatur hoc modo: *In Provincia S. Auguſtini præficimus in Provincialem Ven. Patrem N. de N.* Ipſe verò, ſi præſens fuerit, ſtatim ſurgat, & coram P. Præſidente genua humiliter flectat, cui P. Præſidens Sigillum illius Provinciæ tradens in manus, ipſum in Officio Provincialatus confirmabit, dicens hæc verba: *Et ego, authoritate qua fungor in hac parte, confirmo te in Provincialem Provinciæ S. Auguſtini, dans tibi omnem authoritatem, & poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, quam cæteri Provinciales ejuſdem Provinciæ ſolent habere: In nomine Patris &c.* & Provincialis confirmatus deoſculata manu P. Præſidentis, accipiat Sigillum, & ad iocom ſuum revertatur.

Confirmatio Provincialium.

5. Eodem modo quòad reliquos Provinciales, ac Priores Conventuom generalium, qui confirmandi ſunt, reſpectivè & ordinatè fiat.

Pronuncietur locus futuri Capituli gen.

6. Poſt hæc pronuncietur locus futuri Capituli generalis; quo facto, dicat P. Præſidens alta & intelligibili voce: *Reſervamus Nobis authoritatem, & poteſtatem determinandi, diffiniendi, ſtatuendi, reformandi, corrigendi, necnon mutandi, & confirmandi quæcumque geſta ſunt, quamdiu Nos & Diffinitores omnes ſimul erimus; & ob hoc volumus, & præcipimus, ut nullus Diffinitorum poſſit intra illud tempus à loco Capituli generalis ſe abſentare:* prout diffinitum fuit in Capitolo generali Florentiæ celebrato Anno Domioi 1326.

§ VII.

De modo dimittendi Capitulum.

1. TUnc ad ſignum P. Præſideotis Correctores divini cultus incipiant Hymnum: *Magne Pater Auguſtine &c.* quem cantando Fratres bini & bini, ut moris eſt, ad titulum Capituli inclioantes, Eccleſiam intrent ordinatè: finito verò Hymoo, Correctores divini cultos dicant in medio: *Ora pro nobis B. P. Auguſtine &c.* P. Præſidens dicat Orationem: *Adeſto ſupplicationibus &c.* poſteà ſedeat ipſe P. Præſidens, & cæteri poſt eum, & dicat: *Benedicite*, & reſponſo: *Deus*; habeatur Oratio in gratiarum actionem pro felici Comitiorum celebratione.

Oratio pro gratiarum actione.

2. Commendenturque Fratrnm tam præſentium, quàm abſentium Sacrificiis & Orationibns primò Summus Pontifex, Eminentiſſimi Cardinales, ſpeciatim Eminentiſſimus Dominus Ordinis noſtri Protector, Reverendiſſimus Prior Generalis, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Patriarchæ, cæterique Prælati omnes, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, maximè illi, in qnorum locis Monaſteria noſtræ Sac. Religionis exiſtunt; deinde Sereniſſimus Imperator, Reges, Principes, Reipublicæ, Doces, aliique Domini Chriſtiani Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ obedieotes, & noſtræ Sacræ Religiooi faventes.

Memoria Benefactorum virorum.

3. Particularis autem fiat eorum mentio, qui ſingularibus auxiliis noſtrum Ordinem proſequuntur, ſpecialia etiam beneficia, ſi quæ eo ſexennio contulerunt, referendo: deinde mentio fiat in genere omnium Benefactorum noſtrorum utriuſqoe ſexus tunc temporis viventium.

4. Ultimo gratiæ referantur eis, qoi Capitulo noſtro ſuis eleemoſynis ſubvenernot, vel actus ooſtros, ſcilicet quotidianas Conciones, & Concluſiones publicas ſuo adventu & conſpectu decoraverunt.

Præſcriptio Miſſarum.

5. Finita verò Oratione, legantur litteræ P. Præſidentis, quibus ſtrictè præcipiat omnibus & ſingulis Prioribus Cooventnum totius Religionis noſtræ quatenus poſtquàm ad Conventus ſuos pervenerint, vel eis conſtiterit de hujuſmodi litteris, infra ſpatium duorum menſium quilibet eorum in ſuo Conventu celebrari faciat tot Miſſas; ſcilicet, unam pro felici & tranquillo ſtatu Sanctiſſimi D. N. Papæ, & pro S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis; unam pro Sereniſſimo Imperatore, aliiſque Regibus, ac Principibus Chriſtianis, eorumque pace, ac victoria contra Infideles; unam pro ſalute Eminentiſſimi Domini Cardinalis Protecto-

Pro Papa, & Cardinalibus.

Pro Imperatore & Regibus.

Pro Cardinali Protectore. Pro Generali. Pro Benefactoribus.

tectoris Ordinis noſtri: unam pro Reverendiſſimo Patre noſtro Generali, aliisque noſtræ Religionis Prælatis; unam pro Benefactoribus noſtris utriuſque ſexus vivis; unam denique pro Benefactoribus noſtris utriuſque ſexus defunctis.

Preces dicendæ.

6. Lectis litteris ſurgant omnes, & P. Præſidens dicat: *Oremus pro Papa Noſtro N.* ℟. *Dominus conſervet eum &c.* P. Præſidens, *Oremus pro Benefactoribus noſtris vivis*, & proſequatur idem: *Retribuere dignare &c.* ℟. *Amen.* Tunc Correctores divini cultus incipiant ſine nota Pſal. *Ad te levavi &c.* Fratres proſequantur totum cum *Gloria Patri*; deinde Correctores, *Kyrie &c. Pater noſter* ſecretè; P. Præſidens, *Et ne nos &c. Salvos fac &c. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus: Deus omnium Fidelium Paſtor & rector, famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice, da ei quæſumus, verbo, & exemplo quibus præeſt proficere, ut ad vitam unà cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam. Prætende Domine &c.*

Confeſſio, & Abſolutio generalis.

7. Deinde flexis genibus fiat Confeſſio in communi: P. Præſidens facta abſolutione generali, ſecundùm quod in Officiis noſtri Ordinis continetur, concedat licentiam omnibus & ſingulis Fratribus noſtri Ordinis, tam præſentibus quàm abſentibus, ut poſtquàm ad eorum loca reverſi fuerint, vel poſtquàm abſentibus conſtiterit, infra octo dierum ſpatium poſſint eligere Sacerdotem idoneum noſtri Ordinis, à quo in foro conſcientiæ ſemel tantùm poſſint abſolvi, quemadmodum ab ipſo abſolvi poſſent.

8. Quo dicto, Correctores divini cultus cum nota incipiant: *Te Deum laudamus.* Quo completo, P. Præſidens ante gradus Altaris dicat: *Salvos fac &c. Mitte eis Domine &c. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes hujus vitæ, & vitæ varietates tuo ſemper protegantur auxilio: Per Chriſtum &c.*

Benedictio Præſidentis dimittentis Capitulum.

9. Deinde dicat cum nota, *Adjutorium noſtrum &c. Benedicite*, ℟. *Deus*: poſteà vertat ſe ad Fratres, & det eis Benedictionem generalem, cum qua ſolvat Capitulum, dicens in cantu: *Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.* Ex tunc Fratres recedant, & ad loca ſua in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti pergant.

Quid faciendum de litteris Diffinitorio delatis.

10. Antequàm verò omninò Diffinitorium ſolvatur, litteræ, quæ ſunt Diffinitorio delatæ, producantur in medium, inter quas, ſi fuerint aliquæ Sanctiſſimi D. N. Papæ, ſeu Eminentiſſimi Domini Protectoris, vel aliorum Prælatorum, aut Principum, vel Univerſitatum, alicujus etiam privatæ perſonæ, quæ ad futura porrigantur, aut commodum Ordinis, vel alicujus Provinciæ, ſeu Conventus concernere, aut aliàs memoria dignæ eſſe videantur, in Archivio Ordinis noſtri Romæ reſerventur, ✝ vel in Regiſtro Ordinis fideliter de verbo ad verbum regiſtrentur, ſicut viſum fuerit expedire: reliquæ autem omnes igne comburantur.

Archivium Ordinis.

11. Diffinitiones verò Capituli generalis à Reverendiſſimo Patre impreſſioni abſque dilatione dentur, Provinciiſque omnibus, atque Congregationibus noſtri Ordinis quamcitiùs mittantur, ut ab omnibus & ſingulis pro viribus obſerventur, & exequutioni debitæ mandentur.

Diffinitiones Typis mandandæ.

NOTA. ✝ In Capitulo generali Anno 1685. diffinitum fuit inſtituendum eſſe à Reverendiſſimo Patre Archiviſtam generalem totius Ordinis, qui ſit Vir doctus, & antiquitatis ſtudioſus, toto vitæ ſuæ tempore duraturus (non amovendus niſi propter notabiles defectus) qui maxima diligentia cuſtodiat, ordinetque omnes Ordinis Scripturas.

Caput V.

De Officio, & Authoritate Reverendiſſimi P. Prioris Generalis totius Ordinis noſtri.

Obedientia P. Generali præſtanda.

1. REverendiſſimo Patri noſtro Priori Generali totius Ordinis pro tempore exiſtenti, tamquàm Patri, & legitimo ac univerſali Paſtori omni cum reverentia, & ſubjectione, tam Provinciæ, quàm Congregationes omnes, ac univerſi & ſinguli Fratres & Moniales noſtri Sac. Ordinis in omnibus, ut decet, obediant, memores profeſſionum ſuarum, in quibus eidem Obedientiam ſolemniter promiſerunt.

Pœna inobedientium.

2. Qui verò Priori Generali obedire recuſaverit, & in ipſa inobedientia obſtinatus per diem & noctem permanſerit, ultra pœnam impoſitam eis, qui Priori ſuo per diem & noctem inobedientes exiſtunt, quam omninò ſubire debet, per tres annos utraque voce careat. 6. par. c. 20.

Aliquando retardari poteſt executio litt. P. Gen.

3. Quòd ſi contigerit, ut aliquando in litteris Reverendiſſimi Patris aliquid contineatur, circa quod, ſi melius fuiſſet informatus, aliter forſitan ſenſiſſet, ac ſcripſiſſet, permittimus, ne hujuſmodi litteræ exequutioni mandentur, quin priùs ſuper ea re Reverendiſſimus Pater à Provinciali per litteras conſulatur, & plenè informetur: Si verò poſt prædictam informationem Prior Generalis in ſua perſtiterit ſententia, volumus,

Primo Reg. 15. 22.

mus, ut ei omuinò obediatur: *melius namque eſt obedire, quàm ſacrificare.*

Pœna dividentium ordinem.

4. Si quis autem verbo vel facto, directè vel indirectè, per ſe vel per alium, quovis colore quæſito, diviſionem noſtri Sacti Ordinis, cujus unitas in unitate Capitis conſiſtit, procurare auſus fuerit, tamquàm Schiſmaticus & deſtructor Ordinis habeatur, & voce, officio, gradu, & quavis alia gratia ab Ordine ſibi conceſſa privetur, nec ad prædicta valeat reſtitui niſi pet Capitulum generale.

Pœna introducentis novum inſtitutum.

5. Eamdem ſubeat pœnam qui inconſulto Priore Generali aliquod novum Inſtitutum vivendi in noſtra Sac. Religione introducere attentaverit, vel procuraverit, ut ipſe vel alius ab Obedientia Prioris Generalis eximatur. Eamdem quoque pœnam ſubeat qui, ſive Provincialis, ſive Prior exiſtat, attentaverit aliquem Conventum ab aliqua Provincia ſeparare, & alteri unire inconſulto Priore Generali.

Pœna ſeparantis Conventum ab aliqua Provincia.

Regul. c. 11.

Qualis eſſe debeat P. Generalis.

Miſericors, & Juſtus.

6. *Ipſe verò Reverendiſſimus Pater, qui omnibus praeſt, non ſe exiſtimet, poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem: circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplam*; liber etiam ab omnibus inordinatis affectionibus ſit, oportet; ne interiùs judicium rationis perturbent; eoque modo labotet, rectitudinem & ſeveritatem neceſſariam cum benignitate & manſuetudine miſcere, ut nec ſe flecti ſinat ab eo, quod ex officio facere tenetur, nec filiis ſuis, ut convenit, compati deſinat.

Magnanimus, & Fortis.

7. Animi etiam magnitudo ac fottitudo eſt ei maximè neceſſaria ad res magnas pro augmento, & reformatione Ordinis aggrediendas, in eiſque conſtanter perſeverandum; non propter contradictiones (licèt à magnis & potentibus excitatas) animum deſpondendo, nec ab eo, quod tatio & divinum obſequium poſtulat, eorum precibus, aut minis ſe ſeparari ſinendo: paratiſſimus, ſi opus eſſet, ad mortem pro Ordine ſubeundam; nam *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

Joan. 10. 11.

Vigilantiſſimus circa ſubſtantialia Ordinis.

8. Prior Generalis, iu cujus cura & providentia Ordo totaliter requieſcit, circa ea, quæ ſubſtantialia ſunt Ordinis, & ſtatum obſervantiæ concernunt, diligentiſſimè invigilare, & ad ea Diffinitorum Capituli generalis, Provincialium ac Priorum Conventuum generalium ſæpe ſæpius animos incitare debet; maximè autem Prioribus Provincialibus præcipiendo, ut Priores omnes vitam communem cum Fratribus ſuis obſervare faciant; nam ex particulari vita Fratrum, ac eorumdem ptoptietate Monaſteria diripiuntur, & ipſi Fratres ad omnem communem utilitatem, in qua Ordinis ſtatus conſiſtit, redduntur tepidi, & ob affectum proprium quandoque communi utilitati domeſtici inimici.

Proprietas à Fratribus eradicanda.

9. Cum ergo tadix & fomes omnium ferè malorum ſit proprietas Fratrum, eam Reverendiſſimus Pater omninò eradicare procuret, nulloque modo in noſtra Religione tolerari permittat, ſed quod juxta Sanctorum Apoſtolorum morem, ac D. P. noſtri Auguſtini Regulam communis omnibus vita, ac omnium rerum temporalium inter ipſos Fratres ſit beata communitas, unde omnia bona profluentet proſperèque ſuccedunt, totis viribus contendant.

Act. 4. 32. Regul. c. 1.

10. Ut autem univerſum Ordinem in ſancta regularis vitæ obſervantia faciliùs continere poſſit & valeat, benevolentiam Sedis Apoſtolicæ in primis, deinde Regum & Ptincipum Chriſtianorum habere, & conſervare procuret: faciat Conſtitutiones, ordinationes, ac diffinitiones noſtri Sac. Ordinis obſervari, eas verò inviolabilitet quæ diſpenſationem ptohibent: cùm Leges condere, & eas non obſervare nonniſi Ordinem deludere, & animas Fratrum illaqueare dicatur; in aliis verò diſpenſationem minimè prohibentibus, ſive ſint pœnales, ſive non, in omnibus & ſingulis plenam authoritatem habeat diſpenſandi ob rationabilem cauſam.

P. Generalis leges curet obſervari.

Curet, ut Studia floreant.

11. Diligenter quidem provideat quomodo Studia, in quibus, poſt Dei cultum & inculpatos vitæ mores, fundamentum Religionis conſiſtit, per univerſum Ordinem ſollicitè continuentur, & maximè quomodo generalia Studia in fervore & aſſiduitate lectionum & diſputationum conſerventur, & apti ad Studium per ſingulas Provincias Ordinis promoveantur, & ad hæc non ſolùm in genetali Capitulo vigili & ſollicita cura debet intendere, ſed crebrò per litteras in provincialibus maximè Capitulis Provinciales, Diffinitores, Priores, Regentes, & Lectores debet inducere, & monere.

Curet de augmento Ordinis.

12. Prætereà curet ſollicitè, & provideat quomodo Ordo noſter, ſi in aliquibus partibus mundi debilis eſt, roborari & augeri poſſit, & ad hæc vigilet & inſiſtat, ac Provinciales inſtantiſſimè moneat & hortetur.

Ordinem ſemel viſitet.

13. Ordinem univerſum intra ſexennium (ſi hoc ſine vitæ ſuæ diſcrimine facere poſſit) vel per ſe, vel per fidos ſibi Viſitatores viſitet, ut cognoſcere valeat vultum totius Pecoris ſui, atque in Capitulo generali de ſtatu totius Ordinis poſſit Diffinitores diſtinctè informare.

14. Re-

De familia P Generalis.

14. Reverendiſſimi Patris ordinaria Familia hoc perſonarum numero conſtabit, quo etiam aſſociatus Ordinem luſtrare, ac viſitare ſibi licitum erit, videlicet: duobus Patribus Aſſiſtentibus juxta Bullam, eo maximè aſſumpto, cujus Provincias viſitare decrevit, uno Magiſtro Socio, gravi atque experto, uno fido Scriptore linguæ latinæ non vulgariter perito, uno alio Fratre Laico rei familiaris curam gerente, uno Coco, & duobus aliis Servitoribus ſæcularibus.

Qualiter recipiendus in itinere.

15. Quandocumque autem Reverendiſſimum Patrem per Provinciam aliquam Ordinis quacumque ex cauſa tranſire contigerit, Conventus, ad quos declinaverit, eum tamquàm Patrem totius Ordinis cum omni reverentia & charitate recipiant, omniaque ſibi, & ſociis, famuliſque ſuis quòad cibum & potum, juxta Ordinis facultatem libentiſſimè ſubminiſtrent, nihil à communitate Provinciæ poſteà recepturi; ipſe tamen P. Reverendiſſimus caveat & advertat, ne ſua longa mora Conventus Ordinis, præcipuè tenues, nimis graventur.

De occurſu Provincialis P. Generali.

16. Cùm autem viſitandi gratia alicujus Provinciæ limites ingreditur, obviam illi veniat Prior Provincialis illiuſmet Provinciæ, eumque comitetur ſemper quòuſque ad primum alterius Provinciæ locum perveniat: expenſas autem cibi & potus in eundo ab uno ad alium Conventum, & alias extraordinarias ſanitatis vel infirmitatis, Conventus à quo receſſerit, ſolvat, recepturus poſteà à Priore Provinciali quidquid in hujuſmodi proviſionibus expendiſſe oſtenderit; ipſe verò Provincialis cum Diffinitoribus cuilibet Conventui Provinciæ pro rata quantum debeat ſolvere taxabunt, à qua ſolutione immunes ſint Conventus illi, in quibus Pater Reverendiſſimus iter faciens commoratus fuerit.

Taxa pro expenſis P. Generalis.

In defectu Procuratoris Ordinis, alium ſubſtituere poteſt.

17. Ad ejus Officium pertinet, ſi contingat infra ſexennium Officium Procuratoris Ordinis quacumque ex cauſa vacare, de alio Ordinis Procuratore, Viro gravi, ſufficienti, & ſollicito providere, prout diffinitum fuit in Cap. generali Florentiæ celebrato Anno Domini 1371. de conſilio tamen PP. Aſſiſtentium tamquam in re graviſſima. Quod tamen intelligi volumus uſque ad tempus Cap. generalis proximè celebrandi; tunc enim vel idem, vel alius erit à Diffinitorio eligendus.

Authoritas Generalis circa Provinciales.

18. Ad ejus etiam Officium pertinet Priores Provinciales canonicè electos confirmare, & eoſdem corrigere, ſuſpendere, & etiam privare, ac abſolvere, ſi ſecundùm Ordinis ſtatuta caſus emerſerit privationis vel abſolutionis. Inſuper Priores conventuales canonicè electos, ſi eorũ electioni interſit, aut electio ſibi delata ſit, vel ſi electi ex alia Provincia aſſumantur, Prior Generalis confirmet, & tam eos quàm omnes alios Officiales Ordinis (ſi opus fuerit) abſolvere poterit. Ad illum etiam pertinebit, quos in litterarum Studiis profeciſſe cognoverit, Gradibus decorare.

Gradus conferre poteſt.

19. Provincias Ordinis dividere, vel unire poterit, prout ſuæ diſcretioni videbitur expedire, ſicut ei commiſſum fuit in Capitulo generali Montiſpeſuli celebrato Anno Domini 1324. Poterit item locellos, & eorum poſſeſſiones Conventibus majoribus & proximioribus unire, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Paduæ celebrato Anno Domini 1358. & ſicut edicto Pii V. cautum eſt; nemini tamen concedat Conventum aliquem ad vitam, niſi quiſpiam locum ipſum de novo fundaverit, vel aliàs quomodolibet de novo acquiſierit.

Facultas dividendi Provincias.

20. Conventibus generalibus providebit tam de Capite, quàm de membris, tamquàm iis, qui ſub ejus immediata cura, regimine, ac protectione poſiti ſunt, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato Anno Domini 1539. ſunt autem hi, qui ſequuntur, videlicet, *in Italia*.

Facultas erga Conventus generales.

Conventus generales Italiæ.

Conventus S. Auguſtini Papienſis.
S. Auguſtini Romanus.
S. Auguſtini Neapolitanus.
S. Jacobi Bononienſis.
S. Marci Mediolanenſis.
Eremitarum Patavinus.
S. Stephani Venetus.
S. Spiritus Florentinus.
S. Auguſtini Peruſinus.
S. Auguſtini Senenſis.
S. Auguſtini Genuenſis.
S. Nicolai Piſanus.
S. Auguſtini Anconitanus.
S. Joannis Evangeliſtæ Ariminenſis.
S. Auguſtini Piſaurenſis.
S. Margaritæ Taruiſinus.
S. Euphemiæ Veronenſis.
S. Auguſtini Firmenſis.
S. Auguſtini Panormitanus.
S. Auguſtini Montis S. Savini.
S. Auguſtini Recanatenſis.
S. Auguſtini Eugubinus.
S. Auguſtini Meſſinenſis.
S. Mariæ Novellæ Brachianenſis.
S. Auguſtini Theatenſis.
S. Michaelis Vincentinus.
S. Marci Tridentinus.
S. Auguſtini Aquilanus.
S. Antonii Pulcinenſis.
S. Auguſtini Cæſenatenſis.
S. Laurentii Placentinus.

S. Auguſtini Calaritanus.

Extra Italiam.

Extra Italiam verò ,

Conventus S. Auguſtini Pariſienſis.
S. Auguſtini Viennenſis.
S. Auguſtini Tholoſanus.
S. Auguſtini Montiſpeſulanus.
S. Joannis Evangeliſtæ Avenionenſis.

Novos deputare ad Capitulum generale ſpectat.

Et quicumque alii per Capitulum dumtaxat generale ſub immediata cura Reverendiſſimi Patris pro tempore poſiti fuerint.

21. Loca de novo capienda vel mutanda de Prioris Generalis licentia capiantur, vel mutentur, ſi commodè haberi poteſt, hoc eſt, ſi ab illis partibus non nimis diſtat, aliàs ſufficere volumus licentiam Provincialis ac Diffinitorum.

Generalis tantùm removere poteſt de una Provincia ad aliam.

22. Fratres de una Provincia ad aliam Reverendiſſimus Pater, & non alius removeat, niſi adſit conſenſus utriuſque Provincialis: querelas Fratrum patienter audiat, & diſcretè, ſi opus fuerit, provideat, cui tamen nullus querelam facere audeat, niſi propter defectum Prioris Provincialis; aliàs non ſolùm non audiantur, ſed etiam corripiantur hujuſmodi querelas facientes.

Ad ipſum ſpectet Apoſtatas abſolvere.

23. Apoſtatæ quidem de Citramontanis Provinciis, qui ultra tres menſes in Apoſtaſia ſteterint, & Apoſtatæ de Ultramontanis Provinciis, qui eadem vagatione diſcurrerint ultra annom, ſi ad Ordinis gremium recipi mereantur, à Reverendiſſimo Priore Generali, vel de ejus licentia expreſſa, & non aliter ſint recepti.

Item Præſidentes conſtituere.

24. Vicarios, ſeu Præſidentes in Capirulis Provinciarum, ſive Congregationum, quando ipſe Reverendiſſimus Pater adeſſe non poterit, omninò ſaciat, ſicut ſuæ diſcretioni videbitur expedire, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1497. ſub hac forma: *Quia authoritas Ordinis in P. Generali immediatè ex Papa deſcendit, & ab ipſo Generali in Prioribus Provincialibus & Vicariis Congregationum diffunditur; volumus & mandamus, ut Prior Generalis pro poſſe conetur Capitulis Provinciarum, & Congregationum ſingulorum intereſſe; ubi verò id fieri non poſſe viderit, per Litteras ſuas clauſas Fratribus in Capitula congregatis unum ſignificet, qui locum ſuum teneat, & hoc nullo modo omittat, ne exinde Ordinis authoritas aut tollatur, aut frangatur.* Hæc ibi.

Provinciales in Præſidentes non eligendi.

25. Nullum verò pro hujuſmodi munere deſignet ex his, qui illo anno fuerunt Provinciales vel Vicarii Congregationum, hoc enim prohibitum fuit in Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1284.

Privilegia Generalis abſoluti.

26. Si autem Reverendiſſimus Prior Generalis fortè, aut ob ſenectutem, aut ob adverſam valetudinem, quæ ipſum ab exequutione Officii Generalatus Aſſiſtentium judicio perpetuò impediret, vel etiam quia ipſe inſtantiſſimè abſolvi poſtulavit, fuerit à Generalatu Officio miſericorditer, & legitimè abſolutus, ipſi nihilominus tamquàm perſonæ venerandæ, qui omnium noſtrum curam geſſit, reverentiam & honorem omnes ubique humiliter exhibeant, omneſque ei locum cedant, Priore Generali excepto.

Nullum aliud Officium à Generalatu habeat.

27. Ipſe verò exemplum ædificationis & ſanctitatis, moribus & vita omnibus præbeat: officium quidem nullum inferius à Generalatu de cæterò in Ordine habeat; nullus enim ſine deſpectu Ordinis poteſt ad aliquod Officium particulare aſſumi, qui multitudini præfuit univerſæ.

In omnibus Diffinitoriis vocem habeat.

28. In Diffinitoriis Capitulorum generalium & provincialium quorumcumque, ſi adeſſe voluerit, vocem habebit.

Quemcumque Conventum ſibi poſſit eligere.

29. Et ſicut fuit diffinitum in Capitulo generali Paduæ celebrato Anno Domini 1306. poterit ipſe in quacumque parte Ordinis noſtri ad ſuam quietem, pacem, & conſolationem eligere ſibi unum locum, in quo ipſe degat cum uno Socio, qui ei ſerviat, & conventualis exiſtat, nec inde invitus ipſe, vel Socius ejus per aliquem Officialem Ordinis valeant removeri: provideatur etiam eidem loco de Priore & ſamilia, prout idem Reverendiſſimus Pater poſtulabit.

Solus Generalis ſuper factis ejus intendat.

30. Item volumus & præcipimus, quòd ſolus Prior Generalis, vel ejus Vicarius ad hoc ſpecialiter deputatus ſuper factis ejus poſſit viſitare, vel ipſum corrigere, ſi errare in aliquo (quod Deus avertat) contigerit.

Privatus Officio privilegiis non gaudet.

31. Nolumus tamen hujuſmodi gratiis illum frui, qui ob ſua demerita Officio Generalatus fuerit privatus. Exceſſus verò pro quibus Prior Generalis poterit privari, ſi de re ſufficientiſſimè conſtiterit, & probationes exceſſuum fuerint efficaciſſimæ, morali modo loquendo (nam qui curam aliorum habent præcipuè tam univerſalem, injuſtè calumniam à multis pati, varias ob cauſas poſſunt) exceſſus, inquam, ſunt iſti videlicet:

Exceſſus, pro quibus privari poteſt.

32. Si minus benè in Fide Catholica ſenſerit; ſi Dei timore poſtpoſito inhoneſtam vitam duxerit; & ſi Conſtitutiones ac ordinationes, diffinitioneſque laudabiles noſtri Sac. Ordinis per Ordinem ſervari non fecerit, ita ſcilicet ut probàtas, vel maniſeſtas, graves, &

enor-

enormes Fratrum culpas ſæpè diſſimulet, nec ſecundùm Ordinis ſtatuta corrigat.

Vicarius Apoſtolicus

33. Prætereà ſtatuimus, ut decedente Reverendiſſimo Priore Generali, Vicarius Ordinis ſit quicumque à Sanctiſſimo D. N. Papa pro tempore exiſtente fuerit inſtitutus, cui obedire nemo recuſet, ac ſi eſſet Prior Generalis: ipſe verò Capitulum generale celebrari omninò curet primo Feſto Peotecoſtes, ſi ante illud adminus per ſex menſes Vicarius Inſtitutus fuerit; ſin minùs in Feſto Pentecoſtes anni ſeqoentis; niſi jam per Generalem defunctum Capitulum generale convocatum fuiſſet: tunc oamque brevitas temporis noo obſtabit, quomioùs ſtatuto tempore Capitulum generale celebretur.

Debet monere Provincias de ſua inſtitutione.

34. Debeat autem de ſua inſtitutioue, mox ut fuerit Vicarius inſtitutus, ad omnes Provincias Ordinis litteras mittere, & omnibus caſibus emergentibus providere uſque ad tempus Capituli generalis; dummodò locum deſigoatum pro Capitulo generali celebrando non mutet, neque de electiooe eorum, qui vocem in eo ſunt habituri, ſe peoitus intromittat.

35. Eodem etiam modo procedendum erit quando Prior Generalis ad aliquam ſuperiorem Dignitatem aſſumptus fuerit, vel Officium Generalatus extra tempus Capituli geoeralis quavis ex cauſa vacaverit.

Deficiente Generali ejus Vicarii perdurant.

36. Volomus aotem & declaramus, ot deficiente quocumque modo Priore Geoerali, Vicarii ejus in Provinciis, vel Conventibos Vicariatus Officiom oihilominos exerceant, quòuſque à ſuccedente in Officio Generalatus eorum authoritas expreſſè interdicatur.

Litteræ etiam Præſidentiæ in ſuo robore manent.

37. Litteræ quoqoe Præſidentiæ alicujus Capituli provincialis ſuum ſortiantur effectum, ac ſi Prior Generalis io Officio eſſet, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Veronæ celebrato Aono Domini 1377. per B. Bonaventuram Patavinum Martyrem, & Sanctæ R. E. Cardinalem, uoſtri Sac. Ordinis tunc temporis Geoeralem.

Caput VI.

De Officio, & authoritate R. Procuratoris generalis Ordinis noſtri, & de ordinatione Conventus Romanæ Curiæ.

Facultas Procuratoris generalis.

1. Rev. Procorator Ordinis omnia negotia noſtræ Religionis in quocumque caſu io ipſa Romana Curia tractaoda, authoritate præſentis Conſtitutionis agere, & proſeqoi in omnibus & ſingulis plenariè poſſit: cui etiam facultatem concedimus, quandocumque neceſſe fuerit, ot liberè poſſit unum vel plures Procuratores ſubſtituere ad lites & cauſas, ac cætera oegotia expedienda.

Alios Procuratores ſubſtituere poteſt.

2. Volumos tamen ut in arduis negotiis Revereodiſſimus Pater, ſi poſſibile fuerit, conſulatur. Curiam ipſam Romanam ſemper comitetur, neque ab ea diſcedat niſi ad breve tempus, vel ob urgentiſſimam cauſam, ac de licentia Reverendiſſimi Patris, ſi noo nimis diſtaverit. Coram etiam habeat publici Depoſiti totius Ordinis ſimul cum aliquo per Priorem Generalem deputando, & de ejuſdem Ærarii pecuoiis ſimul cum ſocio deputato in Capitolo generali rationem reddere teneatur.

Semper ſit in Curia Romana.

Curam habeat publici Depoſiti.

3. Eidem quoque R. Procuratori Ordinis omnes & ſinguli Fratres, ad locum Curiæ declinantes, litteras Obedientiæ præſentent, niſi adſit Pater Reverendiſſimus, & quamprimùm fieri poſſit, cauſam totam, pro qua venerunt, aperiant & exponant ei, & tam in his quàm in aliis negotiis ipſi obediant, & ſecundùm ejus conſilium & mandatum ſe regant.

In abſentia Reverendiſſimi Patris Obedientiales ipſi oſtendendæ.

4. Quòd ſi quis ad locum Romanæ Curiæ accedere auſus fuerit ſine debita licentia, † pœnam ſubeat in Cap. de Apoſtatis taxatam, de qua ſi aliqua difficultas oriatur, judicare habebit R. Procurator Ordinis cum PP. Aſſiſtentibus, ac Venerabilibus Priore & Regente in Curia memorata: ſimiliter ſi quis cauſam aliquam vel ſupplicationem adverſùs aliquem præſumpſerit proponere in Curia Romana abſqoe ſcitu & voluntate prædicti R. Procuratoris Ordinis, pœnam ſubeat gravioris culpæ per doos menſes.

Pœna Romam venientium abſque licentia.

† 6. par. c. 14.

Pœna recurrentium inſcio Procuratore.

5. Nullus quidem tam de forenſibus, quàm de conventualibus ad Curiam Domini Papæ, nec ad palatium alicujus Cardioalis, oec ad domum Camerarii, Vicecaocellarii, Notariorum, Auditoris contradictarum, vel alterius Curialis vel Officialis, ſeu quorumcumque Prælatorum in Romana Curia exiſtentium, pro aliquo negotio perſonaliter accedere, vel mittere ſine licentia ipſius R. Procuratoris audeat ullo modo.

Nemini licet frequentare Curiam.

6. Priori vel Supprioti ipſius Conventus liceat Dominum Papam & univerſos Cardinales, ac etiam alios Curiales, interdum pro devotione & benevolentia eorum captanda, & retinenda viſitare, & pro eleemoſynis Conventus dumtaxat petendis (ut moris eſt aliorum Religioſorum) ire vel mittere: alioquio oihil Prior vel Supprior, ſeu aliqois alius Frater Ordinis pro ſe, vel pro Ordine, ſeu pro ali-

Priori, ac Suppriori Conventus Urbis licet.

Pœna Contravenientium.

aliqua alia perſona, vel loco petere, vel impetrare, vel procurare præſumat, abſque Rev. Procuratoris ſcitu & licentia; illum ſanè, qui aliter aliquid petere, procurare, vel impetrare præſumpſerit, tamquàm temerarium prævaricatorem mandatorum increpet, & corrigat ſecundùm quod delicti merita ſibi ſuadebunt, tenore Conſtitutionum ſervato.

7. Illos autem, qui in eundo Curiam, vel ibidem ſtando, aliquid dicto vel facto commiſerint, propter quod poſſit Ordini ſcandalum aliquod exoriri, vel ipſe Ordo nota infamiæ denigrari, corrigat & puniat, ſecundùm quod culpa delictorum requirit: propter quod præter carcerem Conventus Curiæ Rev. Procurator Ordinis habeat unum alium carcerem firmum cum compedibus pro Apoſtatis & ſcandaloſis Fratribus in conſpectu Curiæ Ordinem denigrantibus, inibi detrudendis.

Authoritas Procuratoris Ordinis.

8. Exceſſus tamen in Conventu ipſo commiſſos diſciplinæ Prioris in omnibus relinquat: ſiquando autem Conventus Curiæ à Fratribus forenſibus nimium gravaretur, aliquibus de eis magis neceſſariis retentis, alios ad loca circumadjacentia mittat, in quibus morentur de ejus mandato, donec ipſi viſum fuerit expedire.

In negotiorum expeditione vigilantia.

9. Cùm ergo in omnibus, quæ de rebus Ordinis in Romana Curia ventilantur, univerſus Ordo in providentia & circumſpectione Rev. Procuratoris generalis quieſcat, omni ſollicitudine & providentia in promotione, & expeditione ipſorum negotiorum vigilet, & perſiſtat, ne irrecuperabiliter pereat Ordini, quod deberet ſua ſollicitudine procurari. Ipſi verò Rev. Procuratori Prior & Regens, & cæteri alii Fratres de Conventu tamquàm legitimi ſuæ Religionis Filii in opportunitate, ut par eſt, aſſiſtant, ipſumque revereantur.

10. Habeat unum Socium, ac etiam unum famulum, & tam ipſi, quàm ſociis à Conventu, in quo reſidebit, conveniens & honeſtus cibus & potus juxta poſſibilitatem loci ſubminiſtretur, & cùm ad Palatium ſeu aliò ire voluerit, Fratrem aliquem de forenſibus ſecundùm ſuam voluntatem accipiat; qui ſi de conventualibus ducere, vel cum aliquo forenſi Fratre aliquem mittere voluerit, illum à Priore benedictionem petere jubeat: in caſibus tamen repentinis & improviſis, qui nullam dilationem patiuntur, recipiat ſocium ad votum, quoties talis neceſſitas apparebit, ſine ſcientia & requiſitione Prioris.

Familia Procuratoris Ordinis.

11. Quia verò Ordo noſter poteſt à familia Conventus Romanæ Curiæ nota ſcandali non modica denigrari, ad ordinationem ejus deliberatione, & diligentia prævia eſt procedendum. Statuimus igitur inviolabiliter obſervari, ut in ipſo loco Curiæ à Reverendiſſimo Priore Generali Frater aliquis pro Priore ponatur, quem fama & vita probet laudabilem, & longæva & religioſa ejus converſatio Ordinis Zelatorem.

Qualis eſſe debeat Prior Conventus Urbis à Reverendiſſimo P. eligendus.

12. Familia quoque tam ſtudii, quàm Fratrum de Conventu ab eodem Priore Generali ex toto Ordine deligatur, in qua fulgeat doctrina, & morum honeſtas tanta, quanta eſſe debet in oculis Vicarii Domini Noſtri JEſu Chriſti, & Sacroſancti Cardinalium Senatus, ac tot Prælatorum, qui quotidiè Romanam Curiam frequentant. Vita quoque Prioris & Fratrum in cibo & potu ſit communis, tantaque in eis reſplendeant ſigna Religionis & Obſervantiæ, ut in omnibus Ordinis noſtri Conventibus ad exemplum eorum regularis vitæ inſtitutio reſtauretur, & reformetur.

Familia Romani Conventus quanta, & qualis.

Vita Communis

NOTA ✝ Sub pœna privationis utriuſque vocis per biennium, & aliis arbitrio Superiorum infligendis, debita licentia Romam veniendi habenda eſt à Reverendiſſimo P. Generali, vel ab Eminentiſſimo Domino Protectore juxta Decretum Clementis VIII. 25. Julii 1599. Quam etiam concedere poterit Provincialis ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat, prout decrevit idem Pontifex 20. Martii 1601. Addita reſervatione prædictæ pœnæ Sanctitati Suæ: & Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori eamdem moderandi ac relaxandi facultate penitus interdicta. Hæc autem de mandato Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. nuper innovata ſunt, & confirmata 21. Septembris 1624.

Caput VII.

De Officio, & authoritate RR. PP. Aſſiſtentium generalium.

1. Conſtitutione Clementis Papæ VIII. perpetuò valitura ſtatutum fuit, ut in Ordine noſtro duo ✝ in Reverendiſſimi P. Generalis Aſſiſtentes conſtitui, & deputari deberent in Capitulo generali: eorum verò alter Citramontanus, alter Ultramontanus, ſed uterque in Sac. Theologia Magiſter, ac Sacerdos, & in quadrageſimo ſaltem ſuæ ætatis anno conſtitutus, vitæque innocentia, rerum uſu, ac doctrina maximè commendatus eſſe debeat.

Qualitates Aſſiſtentium.

2. Aſſiſtentium autem prædictorum conſilio Reverendiſſimus Pater, ut facilius & accuratiùs univerſa Ordinis negotia, quæ ad ſuum pertinent Officium expedire poſſit, aſſiduè uti debet; ipſique Aſſiſtentes in decernendis Ordinis negotiis perpetuò eidem aſſiſtant, illumque quòcumque ierit comitentur & aſſocient,

Abſque eorum conſilio nil Generalis decernat.

&

& Reverendiſſimus ipſe abſque eorum conſilio nihil decernere valeat.

Aſſiſtentium Officium quantum duret.

3. Ipſorum Aſſiſtentium Officium ad ſexennium tantùm duret, quo finito alii duo ſimiles in Capitulo generali hujuſmodi (ut prædicitur) eligi debent.

Electio intra ſexennium ad Papam ſpectat.

4. Sed ſi intra ſexennium Aſſiſtentes prædicti, aut alter eorum deceſſerit, vel ipſorum Officium per dimiſſionem vel amiſſionem, vel aliàs quomodocumque vacare contigerit, tunc aliorum Aſſiſtentium, qui uſque ad proximè futurum generale Capitulum durent, in deficientium locum ſubrogatio & electio ad Romanum Pontificem Sedemque Apoſtolicam ſpectet, & reſervata exiſtat.

Sedi Apoſtolicæ immediatè ſunt ſubjecti.

5. Aſſiſtentes hujuſmodi eorum Officio durante Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti ſint; ſi verò interim crimen aliquod (quod abſit) commiſerint, propter quod eorum Officio de jure privandi ſint, tunc Proceſſus informativus contra illos à P. Reverendiſſimo, de licentia tamen Eminentiſſimi Protectoris Ordinis fieri, & ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, Sedemque Apoſtolicam tranſmitti debeat, ad quos ejus cauſæ cognitio & definitio pertineat. Exacto verò Aſſiſtentis Officio Priori Generali immediatè ſubjecti remaneant.

Finito Officio, Generali ſubjiciuntur.

Congregatio cum Aſſiſtentibus in hebdomada.

6. Hi prætereà Aſſiſtentes in omnibus prædicti Ordinis negotiis votum habeant conſultivum, Paterque Reverendiſſimus pro illorum expeditione bis in hebdomada ipſis Aſſiſtentibus negotia hujuſmodi communicare, eorumque conſilium ſuper illis requirere debeat.

In gravioribus negotiis votum habent pluſquam conſultivum.

7. In quibuſdam tamen gravioribus caſibus, veluti in Vicarii Generalis nominatione, Provincialium privatione, aut Legum, Statutorum, & Decretorum, quæ ad univerſum Ordinem ſpectant promulgatione, in Commiſſariis Generalibus alicubi inſtituendis, Viſitatoribus Provinciarum deputandis, pœna triremium, & carceris ultra annum, aut exilii ultra biennium irroganda, aut vocis activæ & paſſivæ privatione, aliiſque ſimilibus: ſi Aſſiſtentes fuerint concordes, & in voto contrario Reverendiſſimi P. Generalis, tunc (retardata exequutione voti Generalis) ejus rei cognitio ad Sac. Congregationem Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitam, ſpectet, quæque prout ſibi expedire videbitur, determinet, & exequi faciat, prout declaratum fuit per Urbanum Papam VIII. die 15. Aprilis Anno Domini 1628. Si verò contingat vota eſſe diverſa, tunc ea ſententia præferatur, quæ à Reverendiſſimo Patre magis probabitur.

Pœna triremium infligi poteſt ab Ordine.

In votorum diſcrepantia quid faciendum.

Præcedentia Aſſiſtentium actualium.

8. Cæterum iidem Aſſiſtentes pro tempore dum eo munere funguntur, in quibuſcumque locis, & actibus Ordinis noſtri locum habeant immediatè poſt Rev. P. Procuratorem generalem actualem; finito verò Officio, habeant locum immediatè poſt Aſſiſtentes pro tempore exiſtentes.

Abſolutorum præcedentia.

Aſſiſtentium Collecta.

9. Utque pro ejus muneris qualitate congruè ſuſtentari poſſint, eiſdem Aſſiſtentibus, dum in Officio fuerint, congrua ad eorum ſuſtentationem ſtipendia ex communibus Provinciarum, & domorum Ordinis noſtri redditibus aſſignari debeant; dummodò eorum Officio finito, in Capitulo generali de habitis & receptis, expenſiſque per eos factis, fidele computum reddant, cum reliquorum ſatisfactione eorum, quæ ſupererunt.

Abſoluti vocem habeant in Capitulo generali.

10. Ne autem Dignitatis memoria poſt Officii functionem ſordeſcat, declaramus, quòd RR. PP. Aſſiſtentes poſt abdicationem Officiorum jus habeant ferendi ſuffragium in Comitiis generalibus, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Recineti celebrato Anno Domini 1602.

Ultramontani finito Officio ad ſuam Provinciam redeant.

11. Aſſiſtentes verò Ultramontani finito eorum Officio ad ſuam Provinciam redire teneantur, & ad id per Reverendiſſimum P. Priorem Generalem (ſi opus fuerit) opportunis Juris, & Facti remediis cogendi erunt, prout ſancitur in Brevi Apoſtolico Urbani Papæ VIII. ſub die 25. Novembris 1626.

Eorumdem privilegia

12. Eiſdem autem Ultramontanis Aſſiſtentibus abſolutis authoritate Apoſtolica indultum fuit, quòd ex privilegiis ſibi aliàs jam conceſſis, & revocatis, nullo alio niſi ſolo loco præcedentiæ, & voce, ſeu voto in Diffinitoriis (ſed in propria tantùm cujuſque Provincia) frui, & gaudere liberè, & licitè poſſint; & ne in aliis Provinciis tanti Officii memoria ſordeſcat, conveniens reputatum fuit, ut ſi tales Aſſiſtentes abſoluti ad illas ex aliqua rationabili cauſa declinaverint, ſic recipiantur & tractentur, ut memoria Officii apud eas etiam in veneratione conſervari valeat, prout in litteris Apoſtolicis ejuſdem Urbani Papæ VIII., ſub die 10. Julii 1631. latiùs continetur.

NOTA. ✝ In Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1655. electi fuerunt tres Aſſiſtentes generales pro omnibus Provinciis Ultramontanis; idemque obſervatum fuit ſucceſſivè in quinque aliis Capitulis generalibus ſubſequentibus: ideòque jam non duo tantùm, ſed quatuor Aſſiſtentes in Ordine noſtro inveniuntur, unus ſcilicet Citramontanus, & alii tres Ultramontani.

Caput VIII.

De Officio, & authoritate Viſitatorum Reverendiſſimi Patris Generalis.

Viſitatores generales quales eſſe debeant.

1. Reverendiſſimus P. Generalis ſemel in ſexennio, niſi ipſe perſonaliter viſitare voluerit (quod quidem, quotieſcumque ſibi videbitur, facere poterit) per ſuos Viſitatores providos & diſcretos, juſtitiæ & religionis præcipuos zelatores, ac in ſacris litteris ſufficienter eruditos, univerſum Ordinem viſitare faciat, quibus tantam communicet per ſuas litteras authoritatem, quantam ſibi videbitur expedire: quos etiam, propter nimias expenſas vitandas, ex ipſis Provinciis, vel ex propinquioribus deſignabit, niſi aliter ſua diſcretio judicaverit faciendum. Ipſi verò Viſitatores officium ſicut eis commiſſum fuerit, & non aliter omni ſollicitudine & diligentia adimplere curent; nec unus ſine alio in actu viſitationis quidquam facere etiam de alterius conſenſu poterit, ſed ambo omnia & ſingula exequentur.

Ne unus ſine alio quidquam faciat.

Authoritas & poteſtas Viſitatorum.

2. Corrigant & reforment, & delicta in unoquoque juxta Ordinis noſtri inſtituta puniant; nullum tamen Provincialem, nec Priorem alicujus Conventus generalis privare, ſeu abſolvere poterunt: ſi tamen invenerint aliquem ex prædictis privatione dignum, ſtatim Reverendiſſimo Patri culpam & exceſſum ejus per ſuas ſpeciales litteras debent intimare, & intereà, ſi caſus arduus id requirat, ab Officio illum ſuſpendere valebunt. Priorem autem localem, quando cauſa evidens, & cogens apparuerit abſolvendi, nonniſi convocatis & requiſitis venerabili Provinciali, ſi aderit, & aliquibus Patribus de ſenioribus Provinciæ, non tamen ejuſdem Conventus, abſolvant.

Quæ geſſerint in Viſitatione Reverendiſſimo referant.

3. Præterea quidquid invenerint reformandum vel corrigendum, tam in vita & moribus, quàm in Officiis, atque in omnibus regularibus Obſervantiis, ſive illud correxerint, ſive non, ad Reverendiſſimum Patrem deferant, vel mittant in ſcriptis, ut per relationem hujuſmodi poſſit Prior Generalis de ſtatu & conditione totius Ordinis notitiam habere, perſonas benè vel malè de Religione meritas cognoſcere, & ſic ſuo modo vitiis obſiſtere, & virtutibus ſubvenire, ac Diffinitores Capituli generalis plenè de omnibus, ad reformationem Ordinis pertinentibus, informare.

Qualiter tractandi Viſitatores generales.

4. Prioribus omnibus Provincialibus, & localibus totius Ordinis noſtri mandamus, quatenus præmiſſis venerabilibus Viſitatoribus, cùm ad eos pervenerint viſitandi gratia, cum omni diligentia & charitate de Provincia ſua ad aliam Provinciam, & de loco ad locum juxta paupertatem Ordinis provideant in expenſis, ſicut dictum eſt de Reverendiſſimo P. Generali: ipſi verò diligenter viſitent, & breviter, (ſi fieri poſſit) ſe expediant, ne Provinciis, & Conventibus ſint onerofi, & in Provinciis, quas viſitaverint, ſemper & ubique Provinciales præcedant, ac etiam Vicarios generales cujuſcumque Provinciæ, ſi qui fuerint.

3. p. cap. 5. n. 16.

Præcedentia Viſitatorum.

Caput IX.

De modo celebrationis Capituli Provincialis.

§. I.

De tempore, quo celebrari debet.

Vocales ordinarii Capituli provincialis.

1. Cujuslibet Provinciæ venerabilis Provincialis cum Socio ſuo, omnes conventuales Priores cum ſuis Diſcretis, Diffinitores Capituli præcedentis, atque Viſitatores ipſius Provinciæ ad locum cebrandi Capituli præordinatum opportuno tempore ſingulo quoque biennio, vel triennio, vel etiam quadriennio ſecundùm uſum Provinciarum, ſtudeant convenire (Provinciali ſtrictè tenente ad omnes per litteras convocandos juxta formulam in fine hujus §. præſcriptam) quod ſemper celebrari volumus Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis, vel quarta, ubi uſu receptum eſt, vel etiam alio tempore, ſi uſus invaluerit; anno tamen quo generale Capitulum celebratur dumtaxat excepto, in quo provinciale Capitulum celebrabitur poſtquàm Provincialis à Capitulo generali diſcedens in ſuam Provinciam pervenerit, niſi in Capitulo generali de Provinciali hujuſmopi Provinciæ proviſum fuerit, tunc enim Capitulum provinciale minimè celebrabitur.

Provincialis Capitulum intimare tenetur.

Tempus celebrationis Capituli.

3. p. c. 4. §. 5. n. 1.

Vocales ex dignitate, aut privilegio.

2. Qui ex dignitate gradus, vel ex privilegio jus ferendi ſuffragium obtinuerint, ad Capitulum venire poterunt, ſi voluerint; ſed Conventus non tenebuntur eis expenſas facere (exceptis Prouinciis ubi aliter fieri convenit) niſi eſſent ex vocalibus ordinariis, puta ſi aliquis eorum eſſet Prior, Diſcretus &c.

Pœna venientium abſque licentia.

3. Præter hos autem nullus ad Capitulum provinciale venire præſumat abſque licentia venerabilis Provincialis in ſcriptis habita, ſub pœna carceris toto tempore durationis Capituli, & privationis vocis activæ per annum.

Quibus poſſit licentia concedi.

4. Provincialis verò nulli licentiam concedat hujuſmodi, niſi juſtè negari non poſſit, vel niſi Prior Conventus, in

quo

quo Capitulum debet celebrari, petierit aliquos Fratres pro honore, vel commoditate Capituli celebrandi, vel eos eadem de cauſa mittendos Prior Provincialis judicaverit; ſi verò aliqui venerint ex propinquioribus locis cauſa honorandæ Proceſſionis, illa finita ad propria revertantur.

Tempus accedendi ad Capitulum celebrandum.

5. Fratres non veniant citiùs, quàm oporteat, præter venerabilem Provincialem, qui aliquantulùm tempeſtiviùs aliis venire debet ad aliqua, ſi expedierit, providenda: cæterorum autem nullus ante Feriam quintam immediatè præcedentem prædictam Dominicam locum Capituli celebrandi abſque ſpeciali venerabilis Provincialis licentia ullo modo ingredi audeat.

Expenſæ ſint moderatæ.

6. In Capitulo provinciali non fiant expenſæ cibi & potus ſuperfluæ, & immoderatæ, ſed illæ, quæ communiter illis in partibus fieri ſolent inter nos diebus ſolemnioribus, parum plus vel minus: nec Cellæ parentur more ſæcularium, ſed honeſtè & religioſè, ſicut decet pauperes: pro quibus expenſis detur illi Monaſterio, in quo Capitulum celebratur, ab aliis ſingulis Monaſteriis, quod Patrum Diffinitorum judicio fuerit taxatum, niſi Civitas, aut Dominus aliquis, vel alia perſona devota Ordinis faceret pro ſua benignitate, & devotione Capituli expenſas, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1544.

Litteræ patentes de ſignificatione Capituli provincialis ad ſingulos Conventus transmittendæ à Priore Provinciali.

Magiſter N. Prior Provincialis hujus Provinciæ N. Ordinis Erem. S. P. N. Auguſtini &c.

Præſentium tenore, noſtrique muneris authoritate certiores facimus omnes RR. PP. Diſfinitores, Viſitatores, Priores, ac Diſcretos præfatæ Provinciæ noſtræ, qualiter die N. menſis N. anni N. celebrandum erit Capitulum provinciale in Conventu noſtro N., prout diffinitum fuit in præcedenti Capitulo; ad quod omnes præfatos Patres per has litteras convocamus, & congregari mandamus, quatenus Feria quinta immediatè præcedenti præfatam Capituli diem, & non anteà omninò conveniant in prædicto noſtro Conventu N. ut omnibus electionibus in eo peragendis intereſſe valeant: alios verò quoſcumque PP. quibus jus competit ſuffragandi, ut eòdem accedere non dedignentur, in Domino hortamur ac monemus. Præcipimus tamen in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœnis in noſtris Sac. Conſt. ſtatutis 3. p. c. 9. §. 1. n. 3. ne ullus Religioſus, præter præfatos Patres jure ſuffragandi fruentes, abſque expreſſa licentia à nobis ſpecialiter conceſſa ad locum prædicti Capituli provincialis toto tempore durationis ejus accedere ullo modo audeat. Datum &c.

§ II.

De modo recognoſcendi P. Præſidentem.

Tempus inchoationis Capituli.

1. SExta Feria immediatè ſequenti, ſtatim poſtquàm Veſperæ fuerint decantatæ, de mandato Prioris Provincialis ad ſonum campanulæ Clauſtri ter pulſatæ, ut moris eſt, fiat ſignum convocandi Capitulum, & ſucceſſivè ſtatim campana minor in Campanili ter pulſetur prolixiùs ſimiliter cum debito intervallo: ad quod ſignum omnes Patres Vocales ad Capitulum conveniant, vel aliò ubi decenter adeſſe poſſint, ſicut Priori Provinciali videbitur expedire: quibus cum gravitate conſedentibus Prior Provincialis dicat: *Adjutorium &c. Benedicite &c.* & immediatè legatur Conſtitutio à Socio ipſius, ut ſciant omnes quidnam, & quomodo ſit agendum, quod ſemper, antequàm aliquid fiat, obſervari volumus.

In principio cujuslibet congreſſus ſemper legenda Conſtitutio.

Præceptum.

2. Deinde verbum habeat aliquod opportunè, quo expleto, publicè ab omnibus in communi requirat, immò omnibus & ſingulis Patribus in virtute S. Obedientiæ præcipiat, ut ſiquis illorum habeat Reverendiſſimi Patris litteras ad illius Provinciæ Capitulum directas, eas protinus oſtendat, & legendas conſignet; hoc autem præceptum, ſi litteræ non oſtendantur, parvo temporis intervallo ter ſucceſſive faciat; tertia vice ſub pœna excommunicationis præcipiendo.

Excommunicatio.

Obedientia præſtanda litteris Reverendiſſimi.

3. Si verò quiſpiam hujuſmodi litteras præſentaverit, volumus ac decernimus, ut illis ab omnibus debita cum veneratione, ut decet, perfectè obediatur; & ſi virtute illarum litterarum aliquis illius provincialis Capituli Præſidens inſtitutus fuerit, is ab omnibus pro Præſidente habeatur, & Præſidentis fungatur Officio.

Primus Diffinitor Præſidens ordinarius.

4. Quòd ſi hujuſmodi litteræ, aut nullatenùs, aut tempore debito (id eſt ante electionem P. Provincialis incœptam, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.) & publice ac efficaciter præſentatæ non fuerint, Prior Provincialis antiquiorem Capituli proximè præteriti Diffinitorem inquirat, quem compertum pronunciet in iſto caſu eſſe Capituli tunc celebrandi authoritate Reverendiſſimi Prioris Generalis Præſidentem: Si autem antiquior ex ſuperſtitibus ex quacumque cauſa non adfuerit, antiquiorem ex ſuperſtitibus, qui adfuerint, præfati Capituli proximè præcedentis Diffinitorem Præſidentem pronunciabit.

Obedientia Præſidenti præſtanda.

5. Quòd ſi nullus immediatè præcedentis Capiruli adſit, ad alius mediatè præcedentis eodem modo & forma, quibus ſupra, recurratur, & ſtatim qui Præſidens nominatus ſuerit, genua flectat in loco ſuo, cui omnes Patres aſſurgant: & ipſe Prior Provincialis cum reverentia accedens erigat eum, & ad ritulum Capiruli deductum, locum illi cedat priorem, ſtatimque genuflectens ante ipſum in ſignum Obedientiæ ac reverentiæ manum ei humiliter deoſculetur: poſteà ſurgens ad ſiniſtram ejus ſedeat, & poſt eum ordioatè ſic ſaciant omnes Patres ſucceſſivè: quibus finitis, P. Præſidens dicat: *Adjatorium &c. Benedicite &c.* deinde, prout ſibi videbitur, ſermonem habeat.

Præſidente Diffinitore ſi litteræ Reverendiſſimi advenìant quid faciendum.

6. Si autem contingat, quòd poſt recognitionem Patris Diffinitoris juxta præfatam diſpoſitionem in Præſidenrem, exhibeantur litteræ Reverendiſſimi P. Generalis, quibus aliquis Capituli Præſidens conſtituatur (dummodò non ſir inccepta novi Provincialis electio) ipſe pro Præſidente habeatur, validis tamen remanentibus præcedenribus Actis per alium habitis, prout declaratum ſuit in prædicto Capitulo generali Romæ celebrato Anoo Domini 1685.

§. III.

De Judicibus cauſarum, & Rectoribus inſtituendis.

Officium Judicum cauſarum.

1. EO autem completo, de Parrum † a conſenſu per ballotulas expreſſo, deputet tres Judices cauſarum peritos, & expertos, qui ante omnia literas Diſcretorum examinent, ac de habentibus vocem tam activam quàm paſſivam omnem controverſiam dirimant. † b.

Graviores cauſas Diffinitorio referant.

2. Hi tres cauſas omnes tam Fratrum, quàm ſæcularium cum Fratribus audientes, aliaque negotia, ſiquæ ſibi à Diffinitorio commiſſa fuerint, diſcutientes ea, quæ pacis ſunt, in omnes inteodant, & quæ graviora ſuerint Diffinitorio referant, ipſi tantùm leviora judicantes, ac determinantes, ſola rei veritate inſpecta: omnes deciſiones in libro uno vel quaterno ſcribentes, in cujus fine omnes tres manu propria ſubſcribent, à quorum ſententia nulli poſt Capitulum dimiſſum liceat appellare, niſi fortè abſens, vel inauditus fuiſſet: quæ omnes ſententiæ in Archivio Provinciæ poſteà cuſtodiantur.

Judices cauſarum ſint ſemper tres.

3. Si verò aliquis eorum eligeretur in Provincialem, vel Diffinitorem, P. Præſidens alium loco ejus ſubſtituere deber, ita ut non ſior minus quàm tres cauſarum Judices; oullus tamen ad Capitulum provinciale, vel ad Judices cauſarum afferat cauſas, quæ per Priorem Provincialem vel lòcalem poſſent aliàs determinari & judicari: ſecus verò faciens non audiatur, & pro temerirate ſua puniatur.

Ad Capitulum provinciale non deducantur cauſæ à Provinciali, vel Priore locali dirimendæ

4. Prior verò Provincialis ſeu localis, qui quæſtiones, vel caſus Subditorum ſuorum ad ſe deductos, qui per eum poſſeor determioari, ad Capitulum provinciale deduci ſecerir, vel permiſerit, ſit voce paſſiva per biennium privatus. Idem ſit judicium, ſi Prior Provincialis prædictas cauſas ad Reverendiſſimum Patrem, vel Prior localis ad Priorem Provincialem deduci ſecerint, vel permiſerint, niſi hoc facereot ad hoc, ut eorum rectitudo Superioribus pateſieret.

Quatuor Rectores Capituli deputentur.

5. Deputet quoque maximè de Prioris loci conſilio Capiruli celebrandi Rectores quatuor, quorum duo divini cultus Officium ordinent, quibuſque omnes obedire teneantur in his, quæ ad prædictum culrum pertinebunt: duo alii ad victum neceſſaria provideant, ac menſæ Lectores & Servitores deputent, & Fratribus ad Capitulum venienribus in omnibus provideri faciant.

Item duo Procuratores.

Admonitio Præſidentis.

6. Deinde P. Præſidens dicat alta, & intelligibili voce: *Si quis noverit cauſam, propter quam vocem quis activam, vel paſſivam, habere non debeat in præſenti Capitulo, eam referat Judicibus cauſarum, aliàs enim ſine vitio pertranſibunt omnes electiones; nec poſtquàm electio Prioris Provincialis erat incœpta fuerit, alicujus ſuper hac re proclamatio admittetur.*

Nullus abſque licentia Præſidentis extra Conventum vadat.

7. Demum facta Confeſſione in communi genibus flexis, & data generali abſolutione à P. Præſidente, ſedente ſecundùm formam in Ordine conſuetam, dicto *Adjutorium &c.* de Capitulo egrediantur, & ex tunc nullus Vocalium ſine P. Præſidentis licentia ſpeciali extra Conventum vadat, quòuſque ultimo die Capitulum provinciale ſolvatur.

NOTÆ. † a Reverendiſſimus Hippolytus Montius Finalenſis litteris ſuis emanatis die 1. Junii 1643. declaravit, quòd in electione Judicum cauſarum per ballotulas facienda, vocem activam habere debeant omnes illi, qui juxta Bullas Apoſtolicas, & Conſtitutiones noſtras in hoc eodem Cap. 9. §. 5 titul. *Quomodo Prior Provincialis Officio ſuo debeat renunciare:* vocem activam habent in electione Prioris Provincialis, exceptis Diſcretis etiamſi adfuerint. Idem declaravit Reverendiſſimus F. Nicolaus Oliva ſub die 20. Octobris 1677. quæ declaratio confirmata fuit per Sanctiſſimum D. N. Innocentium XI. in ſua Conſtitutione incipien. *In ſupremo* num. 2.

† b. In duobus Capitulis generalibus Romæ celebratis anno 1679. & 1685. declaratum fuit, quòd imminente celebratione Capituli provincialis non ſit admittenda querela aliqua, ſeu

lis

tis contra quemlibet Electorum ſeu eligendorum objecta de criminibus, quæ ante duos meſes perpetrata ſupponuntur: ſecus ſi intra id temporis quis gravis & notoriæ culpæ deprehendatur reus, cui à Jure inflicta ſit pœna privationis vocis. Hæc eadem declaratio jam antèa emanata fuerat à Reverendiſſimo Oliva, & confirmata per Sanctiſſimum D. N. Innocentium XI. Conſtit. *In ſupremo.* num. 1.

§. IV.

De Miſſa Spiritus Sancti, & aliis precibus.

Omnes Vocales vel celebrent, vel communicent.

1. DIe verò Sabbati Prima cantetur, poſteà P. Præſidens Miſſam de Spiritu Sancto ſolemnitèr & devotè cantabit cum *Gloria in excelſis*, & *Credo*, atque duabus Collectis, una B. Virginis, & alia S. P. N. Auguſtini: omnes etiam Vocales Miſſam de Spiritu Sancto ſimiliter celebrabunt; qui verò propter temporis anguſtiam celebrare nequiverint, de manu P. Præſidentis Sacratiſſimam Hoſtiam recipiant.

Omnes Conventus Provinciæ Miſſam de Spiritu Sancto cantent.

2. Præcipimus autem, quòd in ſingulis Conventibus ejuſdem Provinciæ eadem die Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter cantetur ſine *Credo*, cum eiſdem Collectis; deinde verò per octo dies continuos ubique in Miſſa conventuali, & in privatis Miſſis addatur Collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis* &c. poſt Laudes verò, & Veſperas flexis genibus dicatur Pſalmus: *Ad te levavi &c.* cum *Gloria Patri. Kyrie. Pater noſter. Et ne nos. Salvos fac. Mitte eis Domine. Nihil proficiat. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis &c.* In Conventu autem, ubi Capit. celebratur, quotidiè poſt Primam Miſſa de Spiritu Sancto, ut ſupra, ab aliquo de Capitularibus cantetur, & Feria ſecunda poſt tertiam Dominicam Vigiliæ cum Miſſa pro noſtris Defunctis ſolemniter celebrentur: his omnibus ut Capitulares interſint, ſollicitare teneantur Rectores divini cultus.

Feria ſecunda fiat Officium Defunctorum.

3. Expleta Miſſa de Spiritu Sancto, pulſata ter campanula pro Capitulo convocando, ut moris eſt, omnes tam Vocales quàm non Vocales ad Capitulum conveniant, & inde bini & bini proceſſionaliter ad Eccleſiam vadant, atque ordinatè coram majori Altari genuflectant: Cantores verò in medio etiam genoflexi incipiant cum nota Hymnum: *Veni Creator &c.* poſt primas tres dictiones ſurgant omnes, & alternatim ex utroque choro totum decantent; poſteà Cantores in medio cantent ℣. *Emitte* &c. deinde P. Præſidens cantet in loco ſuo: *Dominus vobiſcum. Oremus: Deus qui corda &c. Actiones noſtras &c. Adeſto ſupplicationibus &c.*

Hymnus Veni Creator &c.

4. His peractis ſedeant, & dicat P. Præſidens: *Benedicite* in tono, ℟. *Deus*: Habeatur Oratio de electione celebranda latino ſermone, qua in genere (nullo dato ſigno, quo particularis aliqua perſona ſignificetur) ad electionem ejus Provincialis, qui ad majus Dei obſequium, & Provinciæ profectum conveniat, admoneantur omnes.

Oratio de electione facienda.

5. Qua finita P. Præſidens dicat: *Recitentur obitus Fratrum, Sororum, Familiarium, Propinquorum, & Benefactorum noſtræ Provinciæ, qui hoc biennio diem ſuum obierunt, vel ſua bona aliquando Monaſteriis noſtris reliquerunt.* Et primò venerabilis Provincialis recitabit nomina Benefactorum totius Provinciæ, deinde ſinguli Priores ordinatim, incipiendo à primo, ſurgentes commendabunt omnibus animas Fratrum, qui illo biennio in ſuis Conventibus mortui ſunt; vel Monialium noſtri Ordinis & Obedientiæ, quæ mortuæ fuerint in Conventibus eis ſubjectis. Item Patrum vel Matrum, Fratrum ſuorum Conventuum, & particularium Benefactorum, qui illo biennio diem ſuum obierunt. Recitabunt etiam nomina eorum, qui ſuis Conventibus bona ſua pro ſuſtentatione Fratrum reliquerunt.

Memoria Benefactorum.

6. Quibus omnibus recitatis, P. Præſidens dicat iſta verba: *Debitum Miſſarum & Officiorum tam Fratrum & Sororum, quàm Fraternitatis litteras habentium, & iſtorum omnium Propinquorum, & Benefactorum noſtræ Provinciæ Defunctorum in fine Capituli reſervamus injungendum, cùm Benefactores vivi recitabuntur, ut pro his omnibus integrè ſatisfaciamus; nihilominus oremus pro ſupradictis Defunctis.* Tunc Cantores in medio incipiant ſine nota: *De profundis &c. Kyrie* &c. P. Præſidens dicat: *Pater noſter. Et ne nos. A porta inferi. Requieſcant. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus: Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus Clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, Sorores, Confratres, Familiares, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, B. Maria ſemper Virgine intercedente cum B. P. noſtro Auguſtino, & omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas: Per Chriſtum &c. Requiem &c. Requieſcant &c.*

Preces pro Defunctis.

7. Tunc P. Præſidens dicat: *Omnes Fratres tam Vocales, quàm non Vocales accedant ad Capitulum.* Et Fratres bini & bini ad medium coram Altari genuflectentes, ſi ibi fuerit Sacratiſſimum Corpus Domini, cum ſilentio ad Capitulum accedant.

 §. V.

§. V.

Quomodo Prior Provincialis Officio ſuo debeat renuntiare.

Provincialis legitimè impeditus mittat Sigillum Provinciæ.

1. SI venerabilis Provincialis caſu aliquo infirmitatis, vel alterius impedimenti inevitabilis occaſione detentus, ad Capitulum non venerit, per Socium ſuum Sigillum Provinciæ mittat nomine ſuo coram omnibus reſignandum, cum litteris propria manu ſubſcriptis, quibus rationem reddat Patribus Capituli, quare ipſe perſonaliter provincialibus Comitiis intereſſe non poſſit. Ab ipſa verò die præfixa ſit ipſo facto à Provincialatus Officio abſolutus, & ad electionem alterius penitus procedatur: quòd ſi Provincialis, juſtam excuſationem non habens, ad memoratum Capitulum venire contempſerit, ex tunc uſque ad decennium ad omne Officium cum cura animarum ineligibilis permaneat.

Renunciatio Provincialis.

2. Patre igitur Præſidente, & omnibus aliis tam Vocalibus, quàm non Vocalibus, in Capitulo cum ſilentio maturè conſedentibus, Prior Provincialis ſurgens, omnibus ei reverenter aſſurgentibus, genua flectat ad pedes P. Præſidentis, & Officio Provincialatus ſimpliciter omni cum modeſtia & humilitate renunclet, & Sigillum Provinciæ in manibus ejus conſignans, ab Officio petat abſolvi; & tunc P. Præſidens reſpondeat, dicens: *Et ego authoritate, qua fungor in hac parte, accepto renunciationem tuam, & abſolvo te ab Officio Provincialatus hujus Provinciæ N. In Nomine Patris &c.* Et ex tunc ad Officium Provincialatus ejuſdem Provinciæ, nec in illo, nec in ſequenti Capitulo ullo modo aſſumi poſſit, & ſi aſſumatur, electio irrita ſit. Deinde Provincialis abſolutus deoſculata manu P. Præſidentis à ſiniſtra ejus ſedeat.

Nominatio Vocalium.

3. Poſt hæc unus ex Judicibus cauſarum ſurgat, & pronuntiet hoc modo, videlicet. *Hi ſunt illi RR. PP. qui in præſenti electione novi Provincialis habere debent vocem activam, ſcilicet: Admodum R. P. N. Præſidens hujus præſentis Capituli, R. P. N. Provincialis abſolutus; PP. Diffinitores Capituli præteriti, ſcilicet: P. N. & P. N. &c. PP. Viſitatores totius Provinciæ, ſcilicet: P. N. & P. N.* Poſteà nominentur venerabiles in Sac. Theologia Magiſtri, poſt quos ſtatim illi nominabuntur, qui ejuſdem Provinciæ fuerunt aliquando Provinciales, quos in Capitulis provincialibus vocem habere volumus, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Papiæ celebrato Anno Domini 1348. per inſignem Doctorem Magiſtrum F. Thomam de Argentina tunc temporis noſtri Sac. Ordinis Priorem Generalem.

Ordo precedentiæ inter Priores.

4. Poſteà nominentur Priores omnes, non quidem ſervato ordine gradus, vel primogenituræ in Ordine, ſed dignitatis, ſeu præeminentiæ Conventuum, dummodò Conventus, in quo Capitulum celebratur, primum ſemper obtineat locum inter omnes alios, quicumque ille ſit (quapropter præcipimus, ut in ſingulis Provinciis ordo ſervandus inter Conventus ſtatuatur) ex tunc Socius venerabilis Provincialis, poſteà cæteri Vocales ex gratia, ✝ a. ſi qui fuerint, ultimo loco omnes Diſcreti ſervato ordine ſuorum Conventuum. ✝ b.

5. Et ſicut prædicti omnes nominati fuerint, ſic ſedebunt, primus à Choro Prioris, & ſecundus à Choro Supprioris, & ſic de cæteris: & hic ordo ſedendi ſervetur à primo Capitulo Feriæ ſextæ uſque ad ſolutionem Capituli provincialis in omnibus publicis actionibus, vel quandocumque & quotieſcumque Fratres ſimul congregari contigerit: tunc enim volumus, quòd Capitulares eos, qui non ſunt Capitulares, omninò præcedant, ordine prædicto inter ſe ſervato.

Admonitio Præſidentis.

6. Deinde P. Præſidens admoneat omnes, ut ſint ſolliciti circa celebrationem Miſſarum, & frequentiam Chori, & ut intrent diligenter Capitulum & Diffinitorium, quando vocati fuerint; ut Officium Divinum in Eccleſia graviter & ſolemniter cantent, & devotè dicant; ut nullus accedere audeat ad loca ſuſpecta, vel inhoneſta; utque omnes obediant Officialibus Capituli: poſteà dicat hæc verba: *Omnes quotquot non fuerunt nominati inter vocem activam habentes in hac novi Provincialis electione celebranda, Capitulum egrediantur*; cujus juſſioni omnes ſimpliciter obediant.

NOTÆ. ✝ a. Hujuſmodi Vocales ex gratia in omnibus Provinciis, & Congregationibus Ordinis noſtri omninò ſublati ſunt, & ut de cætero in perpetuum in Capitulis provincialibus vocem activam habere non poſſint, niſi li, quibus de jure juxta Ordinis Conſtitutiones licet, ſancitum eſt per Conſtitut. Urbani VIII. *Alias per*, die 14. Septembr. 1628.

Idem Urbanus VIII. Conſtitutione ſua: *Inter cæteras*; die 16. Maij 1629. ſub pœna excommunicationis incurrendæ prohibuit, ne concederentur exemptiones Officiorum ulli, qui ea priùs non exercuerit, abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia.

✝ b. Clemens VIII. Conſtitutione X. in Bull. Ordinis *Univerſalis Eccleſiæ* ſub die 28. Februarii 1596. ſtatuit, ut in Capitulis noſtris provincialibus, aut Congregationibus duo, vel plures in primo vel ſecundo gradu Conſanguinei, vel Affines nullatenus ſimul conveniant, & votare poſſint; & multominùs Diffinitorium ſimul ingredi, & concurrere etiam ad tertium uſque gradum, eodem biennio vel triennio valeant. Quando autem duo, vel plures hujuſcemodi Conſanguinei, vel Affines vo-

votum caſu aliquo habeant, ille tantùm, qui ratione Officii digniorem locum habuerit, ad Capitulum accedat, cæteri verò non accedant, nec accedere permittantur. At ſi contingat, quòd multi non ratione Officii, ſed legis, ac privilegii concurrant, tunc Profeſſione antiquior ſi voluerit, votare poterit.

§. VI.

De electione novi Provincialis.

Qualis debeat eſſe Provincialis eligendus.

1. IN Provincialem non eligatur niſi talis, qui ſit bonæ vitæ & famæ, & in ſacris litteris mediocriter eruditus, ac qui aliquando in Officio Prioratus per aliquod tempus laudabiliter ſe geſſerit; excipimus verò hac in parte venerabiles Gymnaſiorum Regentes, qui ſua opera Ordinem noſtrum plurimùm quidem juvant, atque illuſtrant, haud obſcurum interim de ſeipſis periculum facientes, ſeque hujuſmodi Præfecturis non indignos eſſe reipſa oſtendentes; cùm enim Sapientes dominantur, Reſpublicæ rectè ac feliciter adminiſtrantur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1575. & qui quadraginta annorum ætatem habuerit, & laudabiliter vivendo in Ordine quindecim compleverit annos, aliòquin electio irrita ſit, prout diffinitum fuit per Reverendiſſimum Patrem, & acutiſſimum Doctorem Gregorium de Arimino quondam noſtri Sac. Ordinis Generalem in Capitulo generali Montiſpeſulano Anno Domini 1357. celebrato; & qui nunquam apoſtataverit.

2. Si tamen in juventute ſua non propter ſcandalum alicujus delicti commiſſi, ſed animi levitate quis à noſtro Ordine ſemel tantùm exiverit, & reverſus quaſi ſtatim ad Ordinem in eodem ſemper laudabiliter vixerit, poterit, immò debebit Capitulum provinciale cum hujuſmodi diſpenſare, ut ad omnes indifferenter obedientias Ordinis (ſi aliàs fuerit idoneus) aſſumatur, & electiones de eo factas confirmare.

Incapax ad Provincialatum etiam ſit ad Vicariatum generalem.

3. Ille verò qui ad Provincialatus Officium ſecundùm Ordinis noſtri Statuta aſſumi legitimè non poteſt, nec ad Vicariatus Generalis Officium aſſumi poſſit, cùm hujuſmodi aſſumptio honori Ordinis non ſit conſona, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato Anno Domini 1300.

Admonitio Præſidentis ad Electores.

4. Igitur P. Præſidens Electores admonebit, ut nec precibus, nec favore, nec timore, odio, vel amore à vero electionis tramite diſcedant, ſed illum eligant, quem ſuggerente Spiritu Sancto, teſtimonium illis perhibente conſcientia, ad ſpiritualium & temporalium bonorum regimen fore utiliorem cognoverint: & poſteà proponat publicè in communi ex Vocalibus tres Patres fideles ex diverſis Conventibus Provinciæ in Scrutatores omnium electionum Capituli, eligendos per ballotulas: ſi verò contingeret, tres nominatos Patres aut aliquem, vel aliquos ipſorum non acceptari, ex tunc P. Præſidens alium, vel alios eorum loco proponat, donec de tribus Scrutatoribus proviſum ſit: in eorum verò confirmatione procedetur ſicut in Capitulo generali: ad abſentes, vel ob adverſam valetudinem, vel ob aliquod aliud impedimentum Scrutatores accedere non teneantur, & in omnibus electionibus in Capitulo celebrandis officio fungantur ſuo.

Electio Scrutatorum. 3. par. c. 3. §. 5. n. 2.

5. Ex tunc procedetur in electione Prioris Provincialis uſque ad ejuſdem confirmationem præcisè & adæquatè, ſicut dictum eſt in Capite de electione Reverendiſſimi P. Generalis, niſi quòd loco *Generalis* legatur *Provincialis*, & loco *Ordinis*, *Provinciæ*.

Electio novi Provincialis. 2. par. c. 3. §. 5.

6. Volumus tamen, & decernimus, ut præter illam per P. Præſidentem factam confirmationem, omnes Provinciales per Reverendiſſimum P. Generalem ſeſe confirmandos curent, quamcitiùs fieri poſſit, habita ratione majoris, vel minoris diſtantiæ Provinciarum, atque itineris difficultatum: ſi verò aliquis Provincialis negligens notabiliter in hoc repertus fuerit, à Reverendiſſimo P. Generali puniatur uſque ad privationem Officii, ſi ſibi videbitur expedire.

Confirmatio Patris Generalis petenda à Provinciali.

Pœna Provincialis negligentis.

§. VII.

De modo eligendi Diffinitores.

Electio Diffinitorum non canonica.

1. EAdem die Sabbati immediatè poſt Nonam congregato Capitulo Vocalium, ut ſupra, P. Præſidens hortabitur omnes ad electionem Diffinitorum ritè & providè celebrandam per vota ſecreta: & unuſquiſque nomina quatuor Patrum in buſſulam mittet, & illi quatuor in quos plures conſenſerint pro Diffinitoribus habeantur. Non eligantur autem in Diffinitores nec Provincialis abſolutus, neque Viſitatores illius biennii præcedentis.

Publicatio Diffinitorum.

2. Facta autem electione, primus Scrutatorum publicè in Capitulo pronunciet hoc modo: *Ego F. N. primus Scrutatorum hujus Capituli provincialis nomine meo, & nomine omnium ad quos præſens Diffinitorum pertinet electio, eligo in Diffinitores præſentis Capituli noſtræ Provinciæ N. RR. PP. in Chriſto Fratrem N., & Fratrem N. &c.* Et tunc ii quatuor, qui electi fuerint coram P. Præſidente genua flectant, & ipſe eos confirmet, dicens: *Et ego authoritate, qua fun-*

Confirmatio eorumdem.

ſunger confirmo vos in Diſſinitores præſentis Capituli noſtræ Provinciæ N. dans vobis omnem authoritatem & poteſtatem, quam cæteri Diſſinitores hujuſmodi Capituli noſtri ſolent habere: In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Præcedentia Diffinitorum.

3. Ipſi verò confirmati deoſculata manu P. Præſidentis ſedeant poſt Provincialem abſolutum, ordinem inter ſeipſos in noſtra Religione conſuetum ſervantes; poſt quos nihilominus, ut jam dictum eſt, ſedeant Diffinitores Capituli præteriti.

Publicatio trium PP in ſupplementum.

4. Publicabuntur etiam illi tres Patres, qui poſt Diffinitores electos, plures quàm alii voces habuerint, & ſtatim declaretur quis eorum plures habuit, quod etiam adnotabitur in Libro Provinciæ, ut ex illis poſſit aliquando ſuppleri defectus Diffinitorum, ſi caſus emerſerit, pruût inferiùs dicetur.

Diffinitorium Provinciæ queis Patribus conſtare debeat.

5. Diffinitorium cujuslibet provincialis Capituli novem Patrum numero integrari volumus, videlicet, P. Præſidente, (niſi adſit Reverendiſſimus P. Generalis) Priore Provinciali electo, & Provinciali abſoluto, quatuor Diffinitoribus electis, & duobus Viſitatoribus biennii tunc proximè præteriti: & ideò ſiquem prædictorum in Provincialem eligi contingeret, ſive alio, aut aliis morte præventis, vel aliàs abſentibus, numerus novem Patrum in Capitulo celebrando opportuno tempore non inveniretur, tunc, & in eo caſu is, vel ii, qui poſt quatuor Diffinitores electos, plures aliis voces habuerint, pro Patribus additis Diffinitorio pronuntientur, confirmentur, & numero aliorum aggregentur conſueto ordine cum aliis obſervato, ita tamen, ut ex tribus, qui plures voces habuit, primus ſubſtitui debeat, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

Quomodò ſuppleatur num. Diffinitorum.

6. Quibus expletis, P. Præſidens jubeat, ut qui litteras habent Diffinitorio porrigendas, eas omnes ultimo ex Diffinitoribus præſentent, qui eas in ſacculo colligens P. Præſidenti, & cæteris Diffinitorio annumeratis præſentabit.

Officium ultimi ex Diffinitoribus.

§. VIII.

De Officio, & authoritate P. Præſidentis.

Officium Præſidentis.

Acta omnia à Patre Reverendiſſimo confirmanda.

1. AD P. Præſideotis ſpectat Officium omnibus & ſingulis tam in Diffinitorio, quàm in communi omnium Vocalium Collegio proponendis, tractandis, & expediendis perſonaliter intereſſe ac præeſſe, & expedienda omnia proponere, & Acta omnia, & Geſta deciſa, electa, deliberata determinare; diffinita, ordinata, ſtatuta, & ritè facta tunc confirmare; modò tamen diffinitiones hujuſmodi poſteà à Patre Reverendiſſimo confirmentur.

Reſtrictio auctoritatis Præſidentis.

2. Non poterit autem ſe intromittere de caſibus, qui Priori Generali in Conſtitutionibus reſervantur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Paduæ celebrato Anno Domini 1315.

Nil contra Conſtitutiones diffiniatur.

3. Caveant etiam Patres Diffinitorii, ne quidquam diffiniant, quod iſtis noſtris Conſtituriunibus contradicat, ſub pœna privationis vocis paſſivæ ad arbitrium Patris Reverendiſſimi.

NOTA. Ad viam ambitus omninò præcludendam, & plurima alia inconvenientia impedienda, quæ in Provincialis electione Præſidentium poteſtate evenire quandòque experientia docuit, Decreto Clementis VIII uſu recepto prohibetur, ne Præſidens Capituli provincialis in Provincialem eligi poſſit 1. Aprilis 1601.

CAPUT X.

De agendis in Diffinitorio Capituli provincialis.

§. I.

De ordine in Diffinitorio ſervando.

Modus ſervandus in Diffinitorio.

1. COllectis igitur litteris, hora quæ P. Præſidenti videbitur opportuna, idem P. Præſidens unà cum cæteris de corpore Diffinitorii in aliquo loco decenti & ſecreto, ubi ſit Altare paratum, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Tholoſæ celebrato Anno Domini 1341. collegialiter conveniant, & omnibus genuflexis ante ſacram Imaginem, P. Præſidens incipiat ſine nota: *Veni Creator &c.* & alternatim totum dicant: P. Præſidens, *Emitte Spiritum &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum. Oremus: Deus, qui corda &c. Actiones noſtras &c. Adeſto ſupplicationibus noſtris &c.*

Ordo conſedendi in Diffinitorio.

2. Deinde ſurgentes ad paratam ibidem tabulam, ſuper qua commodè ſcribere poſſint, in qua ſint omnia hujuſmodi actui neceſſaria, hoc ordine conſedebunt, videlicet: primò P. Præſidens ſolus in titulo tabulæ, Prior Provincialis electus à dextris, Provincialis abſolutus à ſiniſtris, primus Diffinitor à dextris, ſecundus à ſiniſtris, tertius à dextris, quartus à ſiniſtris, primus Viſitator à dextris, ſecundus à ſiniſtris, ordinem inter ſeipſos in noſtra Religione conſuetum ſervantes, qui etiam eodem ordine ad propoſita reſpondebunt.

Admonitio Præſidentis ad Diffinitores.

3. Ipſis igitur ſic conſedentibus, P. Præſidens dicat; *Adjutorium &c. Benedicite &c.* ſubinde hortabitur omnes, ut in omnibus & ſingulis in ipſo Diffinitorio per ipſos tractandis, & diffiniendis, ſeda-

datis paſſionibus, odio, amoreque, ac ſimultatibus depoſitis, zelum Dei & Religionis præ oculis habentes, ea, quæ Dei honorem, animarum ſalutem, morum correctionem, regularis vitæ reformationem, & Religionis conſervationem ac propagationem, profectumque in Domino concernere viderint, exequantur; præcipuè verò quatenus id efficere valeant, quòd ſit eis animus in conſulendo liber, nec alicui privato affectul obnoxius.

Præceptum de ſervando ſecreto.

4. Præcipiat quoque eis omnibus ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ per quinquennium ſine diſpenſatione, ut tam ea quæ in Diffinitorio proponi, tractari, decidi, ac fieri contigerit, quàm ea quæ ſuper hujuſmodi à quovis in ipſo Diffiniturio exiſtente prolata ſuerint, nullo quovis modo abſque totius Diffinitorii ſpeciali commiſſione vel licentia, alicui extraneo à corpore Diffinitorii revelent durante tempore celebrationis Capituli; nec ullo alio tempore ea, quæ vergere in detrimentum, vel infamiam alicujus, vel diſcordias inter Fratres poſſunt ſeminare, evomere audeant: quod obſervare omnes jurabunt, ponenres manus ſuper Sancta Dei Evangelia: & primus omnium juret P. Præſidens.

Juramentum ſuper ſecreto.

Pœna Perjurii.

5. Quòd ſi aliqois aut animi levitate, aut quavis alia de cauſa hoc tam ſalubre ac rationabile præceptum, ac jusjurandum infringere præſumpſerit, prætaxatam pœoam ſine aliqua diſpeoſatione ſe noverit incurriſſe. Si verò tranſacto quinqueonio per miſericordiam in Diffinitorem aſſumi iterum contigerit, & ipſe denuò, aut propoſita in Diffinitorio, aut ſententias, ſive verba prolata alicujus, vel aliquorum Patrum de Diffinitorio, ut ſupra, detegere, aut propalare non erubuerit, ipſum tamquàm ad hujuſmodi dignitatem penitus inhabilem præſenti Conſtitutione à quovis noſtræ Religionis Diffinitorio perpetuis futuris temporibus abijcimus, & omninò relegamus.

Oſtiarii Diffinitorii duo.

6. Deinde pro aptiori negotiorum expeditione duos vigiles Oſtiarios ordinent, quorum alter ſemper propè oſtium Diffinitorii præſtò ſit, alter verò per Domum vocatos inquirendo, ſicut oportuerit, matura feſtinatione diſcurrat. In fine verò quando Collegium ſolvere, & è loco Diffinitorii exire voluerint, puta ad prandium vel cœnam ituri, P. Præſidens dicat: *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc &c.* Quandocumque autem ad ipſum locum Diffinitorii deinceps collegialiter eos congregari contigerit, fiet ut ſupra noratum eſt.

De Proceſſione ſolemni.

7. Die Domioica ſpiritualibus præſertim vacabuot, prout diffinitum fuit In Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1284. De manè fiat ſolemnis Proceſſio, ſcribantur ſigillatim omnes Fratres juxta gradus ſuos, provideatur ubi debeat cantari Miſſa, & de via Proceſſionis fiant Ordinatores, qui cum modeſtia & ſilentio ordinent, & admoneant Fratres: parentur plures Cantores: ante Proceſſionem Prior Proviocialis intret Capitulum, & declaret modum Proceſſionis, & hortetur Fratres, vt honeſtè & æqoaliter incedant, & ut *nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum.* Infra Miſſam fiat Sermo, & aliqua dicantur in laudem & commendationem noſtræ Sacræ Religionis ſine præjudicio tamen aliarum. Finita Miſſa, proceſſionaliter redeant ad Conventum.

Regul. c. 6.

Concluſiones poſt prandium tenendæ.

8. Poſt prandium teneantur ſolemnes Concluſiones Sac. Theologiæ in aliquo loco publico & deceoti, quibus interſint omnes PP. Vocales, & alii ſi voluerint, omnes Cappis induti: ex tunc verò uſque ad Feriam quintam incluſivè quotidiè habeatur Sermo ad Populom, & Concluſiones publicè defendantur: provideat autem Prior Provincialis multis antè diebus quinam ſint prædicaturi, & qui Concluſiones deſenſuri, qui etiam debeant præſidere: non autem eligantur ad bujuſmodi munera quicumque, ſed doctiores, & qui magis ſatisſacere valeant audituris. His autem, qui ad hæc muoera obeunda electi fuerint, provideatur de neceſſariis in eundo & redeundo, vel de eleëmoſynis quæ pro Capitulo celebrando collectæ fuerint, vel, ſi non ſufficiant, de communitate Provinciæ.

Modus tractandi negotia à Diffinitor.

9. Ad ea, quæ diſponenda fuerint, procedetur hoc modo: primò unus ex Patribus Diffinitorii de P. Præſidentis mandato litteras omnes ac ſingulas, tam in forma clauſa quàm patente Diffinitorio directas accipiet, & coram omnibus videntibus & audientibus diſtinctè leget: alter autem eorum quidquid ex litteris ipſis lectis decidendum, & ad quid reſpondendum fuerit, in aliquo ſpeciali quaterno (qui *Decidenda* inſcribetur) ſerioſè notabit; in alio verò (qni *De Fratribus mutandis* inſcribetur) Fratrum petitiones circa mutationem locorum ſcribat, annotando Conveotum quem petit uouſquiſque, & eum, in quo reſidet: & ſicut ſucceſſivè litteræ hujuſmodi lectæ fuerint, alius aliquis de Diffinitorio eaſdem in diſtinctis filis inſigat ad finem uſque Capituli & Diffinitorii omnimodam ſolutionem, & quòuſque opus eſſe videbitur, reſervandas, in uno videlicet filo litteras Fratrom & Monialium, in alio verò litteras ſæcularium inſerendo.

Cancellarii Diffinit.

10. Poſteà juxta numerum litterarum ſic unum vel plures eligant Diffini-

torii Cancellarios, ſive Secretarios fidos ac diſcretos, & qui ſecreta ſervare norint, quos de ſingulis litteris nomine Diffinitorii ſine mora expediendis, tam reſponſivis, quàm aliis informabunt; illud memoria retinentes; *Dedecus eſſe litteris non reſpondere*, præcipuè Pincipum ac Prælatorum, & aliorum, quorum cum omni reverentia habenda eſt ratio.

Examinatores pro Confeſſariis, & ordinandis.

11. Deputabunt etiam tres ſufficientes Examinatores pro his, qui ad Confeſſiones audiendas, vel ad Ordines, ſeu Studium de præſentibus erunt promovendi, qui quidem ſub præſtito juramento de uniuſcujuſque ſufficientia Patres Diffinitorii plenè informabunt.

Computa Conventuum examinanda.

12. Deinde litteras rationum introituum & expenſarum legant & calculent, atque eorum ſummas ſcribi faciant, ut Provinciali electo poſteà tradantur, & cum originalibus libris Conventuum ſuo tempore conferantur, & cuilibet Priori reſtituant litteras ſui Conventus, ne fraus aliqua poſſit fieri.

§. II.

De audientia à Diffinitorio præſtanda.

Quid diſcreti petere poſſunt.

1. POſteà Diſcretos ✝ Conventuum ſingulorum, vel Priores illorum Conventuum, qui Diſcretos ad Capitulum non miſerunt, per ordinem vocari faciant: ipſi verò Diffinitorio referant circa ſtatum ſuorum Conventuum, quæ ad eorum officium juxta tenorem litterarum teſtimonialium ſpectare videbuntur, neque enim volumus aliquem eorum, nomine ſui Conventus, quidquam à Diffinitorio poſtulare, abſque Patrum ſui Conventus conſenſu litterarum teſtimonio roborato: nec etiam nomine alicujus Fratris particularis quidquam petant abſque litteris clauſis, vel apertis, propria manu prædicti Fratris ſignatis.

Petitiones Fratrum maturè conſiderandæ.

2. Advertant autem PP. Diffinitorii, ne alicujus petitioni ſatisfaciant, qui vocem activam vel paſſivam ſibi reſtitui petierit, niſi in petitione prædicta expreſſa fiat mentio cauſæ privationis, & temporis, quo fuit privatus: quod obſervari etiam volumus in quacumque alia petitione cujuſcumque pœnitentiæ relaxandæ. Quilibet autem Diſcretus relinquat in Diffinitorio catalogum omnium Fratrum ſui Conventus cum titulis officiorum, & ordinum.

NOTA. ✝ In Provinciis ubi uſu receptum eſt non eligere Diſcretos, qui ad Capitulum provinciale vadant, Priores referre debent Diffinitorio ſtatum ſuorum Conventuum, & omnia alia facere, quæ in hoc §. facienda præſcribuntur Diſcretis.

§. III.

De viſitationibus Viſitatorum aperiendis ac legendis.

Lectio Actorum Viſitationis.

1. POſteà Viſitatores producant litteras, ſive Acta ſuæ viſitationis, quibus productis Provincialis abſolutus, facta Patri Præſidenti debita reverentia, è Diffinitorio egrediatur, non reverſurus quouſque fuerit juſſu P. Præſidentis vocatus. Quòd ſi fortè aliquis ex Prioribus ad Diffinitorium aſſumptus fuerit, idem omninò faciat, quando ſui Conventus legenda & judicanda fuerit viſitatio.

Fratres amovendi ſcribantur.

2. Lectis viſitationibus, nomina Fratrum, qui ex cauſa rationabili amovendi erunt, licèt ipſi non petant, in quaterno mutandorum ſcribantur, ſinguli ſub titulo Conventus, in quo fuerint, & cum cauſa aſſignata.

§. IV.

De deciſionibus, & diffinitionibus à Diffinitorio faciendis.

Petitiones omnes decidendæ.

1. POſt hæc decidatur, & diffiniatur ſigillatim de omnibus ac ſingulis litteris, querelis, & petitionibus Diffinitorio delatis, quid in ſingulis reſpondendum, judicandum, corrigendum, mandandum, ſtatuendum, ordinandumve ſit.

Diffinitiones antiquæ examinandæ.

2. Præterea omnes Diffinitiones aliorum Capitulorum ejuſdem Provinciæ, quæ in viridi fuerint obſervantia, coram omnibus legantur, & ſiquid mutandum, delendum, vel juxta temporum mutationes de novo diffiniendum fuerit, mutetur, deleatur, aut diffiniatur, & quæ intacta remanſerint de novo confirmentur per aliquam clauſulam generalem; & ea omnia ſerioſè in alio quaterno ſcribantur, ſubinde in libro Provinciæ tranſcribantur, & manu P. Præſidentis, & omnium de corpore Diffinitorii ſubſcribantur.

§. V.

De Socio aſſignando Priori Provinciali, & ejus Officio.

Officium Secretarii.

1. DEinde provideatur Priori Provinciali de Socio maturo & gravi, quem ſine conſenſu Diffinitorum relinquere, vel mutare non poterit, niſi fortè in caſu infirmitatis; quemque ſecum ſemper habeat, quando actualiter viſitaverit, ut ſcribat quæ dixerint Fratres, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Florentiæ celebrato Anno Domini 1326. cujus etiam prudenti conſilio, cùm ne-

neceſſe fuerit, uti poſſit; quique expeditè valeat quibuſcumque litteris de mandato Prioris Provincialis tamquàm ejus Secretarius reſpondere, Regiſtrumque Provinciæ ordinare, atque in eo quæcumque notabilia regiſtrare diſtinctè & fideliter.

Sigillum Provinciæ apud ſe retineat.

2. Habeat magnum & parvum Sigillum Provinciæ ad ſigillandas litteras in forma clauſa vel aperta, ſcribatque minutim quidquid Prior Provincialis à Provincia, vel aliunde (pro ipſa tamen) receperit, & quidquid, & quomodo expenderit, & poſteà cum ipſo ſcripta conferat, ad reddendum rationem in Capitulo provinciali Judicibus cauſarum, ut ipſi Diffinitorio referant.

Rationem reddat de acceptis.

3. Socius prædictus Prioris Provincialis, quòad fieri poterit, Subditorum inter ſe, & cum Provinciali unionem ſemper procuret, & inter eos velut Angelus pacis incedat, & ſtudium adhibeat, ut omnes Priorem Provincialem ament, honorent, atque revereantur. In Conventibus primum poſt Suppriorem locum habebit; ſubminiſtrabuntur autem ei omnia neceſſaria pro indumentis à communitate ejuſdem Provinciæ.

Præcedentia Secretarii.

§. VI.

De inſtitutione Priorum, Suppriorum, Confeſſorum Monialium, Magiſtrorum Novitiorum, Sacriſtarum, Procuratorum &c.

Maturè procedendum in Priorum electione.

1. SUbinde verò ad inſtitutionem Priorum localium matura diligentia procedatur, nam licèt omnia maturè debeant P. Præſidens, & alii Diffinitorii Patres determinare, ſpecialem nihilominus, ac præcipuam diligentiam debent adhibere in inſtitutione Priorum, quibus ex officio animarum cura incumbit, quæ eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum; ſcientes nihil eſſe, quod Religioni magis officiat, quàm quòd ad curam animarum aſſumantur indigni: neceſſe eſt enim ut tales ſint familiæ, quales earum exiſtunt Priores.

Priores à Diffinitorio eligendi.

2. Ut autem Fratres noſtri majori quiete, ac animorum tranquillitate Altiſſimo famulari poſſint, & à Conventibus noſtris ſimultates totaliter eradicentur, plenam & omnimodam authoritatem, & poteſtatem eligendi quoſcumque Conventuum Superiores in Patribus Diffinitorii impoſterùm collocatam eſſe volumus, ordinamus, ſtatuimus, ac præſenti Conſtitutione de facto collocamus, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Senis celebrato Anno Domini 1486. præcipientes in virtute & præcepto Sanctæ Obedientiæ quibuſcumque

Præceptum.

Fratribus cujuſcumque noſtri Ordinis Conventus, ut electis ſibi à prædicto Diffinitorio Superioribus ſubiici, ac obedientiam præſtare, nullo quæſito colore recuſent; ſecus facientes à Conventu mutentur, & tamquàm rebelles Ordini & Priori Generali ſine diſpenſatione puniantur.

Nullus de corpore Diffinitorii Prior eligatur.

3. Ad hoc autem, ut prædicti PP. Diffinitorii hujuſmodi authoritatem & poteſtatem ſine aliqua ambitionis nota exercere liberè poſſint, ſtrictè prohibemus, ne aliquis eorum eligi poſſit ad aliquod Officium, cujus proviſio ad Diffinitorium pertineat, ſed inter alios Provinciæ Patres Officia prædicta diſtribuant, Dei timore, atque Ordinis honore ante oculos propoſito, ſemotoque timore, odio, vel amore, conceſſa ſibi poteſtate adeò modeſtè utentes, ut in Priores tales præficiant, qui ſint bonæ famæ, & quos ætatis maturitas, † a. & morum gravitas commendent, & qui ſint Ordinis zelatores manifeſtè, & præter hoc litteris ſacris eruditos Priores conſtituant, maximè in nobilioribus Conventibus: in minoribus autem adminus circumſpectos & bonos.

Qualitates eligendorum in Priores.

4. Ad præcipuarum verò Domorum adminiſtrationem nemo aſſumatur, niſi priùs in aliis Prioratus Officio per aliquod tempus functus fuerit, & in eo laudabiliter ſe geſſerit. Nemo prætereà ad Officium Prioris, vel Vicarii cujuſcumque Conventus admittatur, qui ab Examinatoribus in qualibet Provincia deputandis non fuerit adjudicatus idoneus, & ab Ordinariis locorum ad audiendas ſæcularium Confeſſiones non fuerit admiſſus. Qui ſecùs in Priorem, aut Vicarium aſſumptus fuerit, eum tamquàm inhabilem ipſo facto ab Officio ſuſpenſum declaramus, prout diffinitum fuit in Capit. generali Romæ celebrato Anno Domini 1625. ac innovatum, & confirmatum in Capitulo generali ibidem celebrato Anno Domini 1685.

Pro majoribus Conventibus quales eligendi.

Non approbatus ab Ordinariis pro Confeſſionibus incapax eſt ad Prioratum.

5. Caveant denique P. Præſidens, & PP. Diffinitorii, quorum communibus utilitatibus Provinciæ, pro locorum exigentia, intereſt providere, ne DEI timore, & Religionis amore (quod abſit) poſtpoſitis, quos corrigere deberent, præficiant & honorent; nevè deprimant & conculcent, quos pro meritis conveniret honorare: nec alia Officia negligenda ſunt. Quæ omnia niſi bonis committantur, confuſio in Ordine cauſetur oportet: ſemper enim mali in oppoſitum nituntur bonorum, qui ſi viribus aucti fuerint, ut bonis prævaleant, actum erit de rebus Ordinis. Ideò PP. Diffinitorii diligentiſſimè animadvertant, ne aliquis im-

Solertia habenda à PP. Diffinitorii.

improbus, vel Obſervantiæ contrarius ad Officia quæcumque admittatur.

Juramentum eligendi magis idoneos.

6. Ad electionem igitur Priorum antequàm procedatur, juret unuſquiſque, quòd in omnibus Prioribus, & aliis Officialibus eligendis, eis ſemper ſuffragium ſuum dabit, quos ad hujuſmodi munera ſubeunda magis idoneos in Domino ſenſerit.

Modus eligendi Priores.

7. Poſteà P. Præſidens, & PP. Provinciales electus & abſolutus, atque primus & ſecundus Diffinitor tres Patres, vel etiam plures viva voce nominabunt, ut eorum unus in Priorem primi Conventus eligatur ab omnibus PP. Diffinitorii per ballotulas eo modo & forma, qua Provinciales eliguntur in Capitulo generali: quòd ſi nullus eorum fuerit electus, alios ſimili modo nominent iidem Patres, quòuſque de Priore ſit tali Conventui proviſum: idem facient pro ſecundo Conventu P. Præſidens, & tertius atque quartus Diffinitor cum duobus Viſitatoribus, & ſic de cæteris alternatim. (3. par. c. 4. §. 5.)

In eodem Conventu nullus reeligendus.

8. Itaque inſtituant pro omnibus Conventibus Priores, nullum in eodem Conventu reeligendo, niſi prout diſpoſitum eſt in hac 3. par. cap. 2. n. 9.

In diverſo Conventu quomodo ſeeligi poſſit.

9. In diverſis verò Conventibus toties idem pro Priore conſtituatur, quoties PP. Diffinitorii Dei honori, animarum ſaluti, ac Ordinis profectui convenire viſum fuerit, quibus hoc judicandum relinquimus, eorum tamen conſcientias graviter ſuper hoc onerantes, non obſtantibus quibuſcumque prohibitionibus in contrarium, cujuſcumque ſint roboris, vel quibuſcumque temporis limitationibus, etiam per Reverendiſſimum Patrem, & per quamplurima Capitula confirmatis, quas omnes irritas, & nullius valoris eſſe volumus, & declaramus: dummodò electio fiat de communi omnium Electorum conſenſu, & non aliter, juxta formam Conſtitutionis Apoſtolicæ Clementis VIII. uſu receptæ, incipientis, *Univerſalis Eccleſiæ*, cujus tenor talis eſt: (Conſtit. X. in Bull. Ord. 28. Februarii 1596.)

Ultra Sexennium reelectio prohibetur.

10. *Secundò, ut ambitionis & dominandi cupiditatis ſemina radicitùs evellantur, ſtatuimus, & declaramus, quòd qui per continuum ſexennium* † b. *Priores, Diffinitores, Viſitatores, ſive Diſcreti, quorum electio omninò juxta formam Conſtitutionum fiat, alternatim, vel ſucceſſive fuerint, dicto termino extincto ad aliquod Officium habens votum in Capitulo provinciali illius biennii; vel triennii eligi minimè poſſint.* † c. *Ne tamen videamur Spiritui Sancto reſiſtere, decernimus, quòd caſu emergente, in quo Electores de communi omnium conſenſu, nemine penitus diſcrepante, quempiam ad quodcumque eligant Officium, ratam, & validam fore electionem hoc minimè obſtante mandato.*

Reelectio de omnium conſenſu valida.

Electio Supprioris, aliorumque Officialium.

11. Eodem modo & ordine eligentur Suppriores, Monialium Confeſſores, ſive Vicarii, Magiſtri Novitiorum, Sacriſtæ, & Procuratores Conventuum ſingulorum poſt familiarum diſpoſitiones.

Promovendi ad Ordines, & Confeſſiones.

12. Siquis de novo ad Sacerdotium, vel ad alios Sac. Ordines, ad audiendum Confeſſiones ſæcularium, vel ad prædicandum fuerint promovendi, hoc loco per ballotulas admittantur.

NOTÆ. † a. In Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685. diffinitum fuit, nullum aſſumi poſſe ad Officium Prioratus cujuſcumque Conventus, niſi in trigeſimo ſaltem ſuæ ætatis anno conſtitutum.

† b. Ad computandum ſexennium non comprehenduntur Officia Provincialis, Præſidentis Capituli, Secretarii Provinciæ, nec omnia alia Officia, ſi quæ fuerint, votum in Capitulis habentia, præter quatuor memorata in dicta Conſtitutione; nec comprehenduntur Officia quorumdam Superiorum localium, qui non Priores, ſed Rectores vocantur aliquorum Collegiorum Ordinis, & non à Diffinitorio juxta formam Conſtitutionum, ſed ab ipſis Fratribus Collegialibus eliguntur, quandocumque vacare contigerit, prout multoties à Reverendiſſimis Patribus declaratum fuit, juxta regulam XV. de Regul. Jur. in 6.

† c. Pluriès item declaratum eſt, in dicta clauſula generali non comprehendi Officium Provincialatus, nec Officia, quæ à Reverendiſſimo Patre per deputationem conferuntur; ideòque qui per ſexennium continuum fuerunt Priores, Diffinitores, &c. ad Officium Provincialatus aſſumi poſſunt, quamvis non omnes electores pro eis ſuffragentur, & ſimiliter deputari in Præſidentes Capituli proximè futuri.

§. VII.

De familiarum diſpoſitione, & Fratrum mutatione, ac Deputatis Conventuum nominandis.

1. SUbinde ad Familiarum diſpoſitionem, & Fratrum mutationem cum ſana maturitate, & cum charitate procedant, & unicuique Conventui Provinciæ, quòad fieri poſſit, de numero & idoneitate Fratrum provideant reſpectivè, prout ſtatul Provinciæ, & Fratrum ſaluti & conſolationi ſecundùm Deum viderint expedire.

Numerus Fratrum in unoquoque Conventu conſtituendus.

2. Is verò tantummodò numerus conſtituatur, & conſervetur, qui vel ex propriis redditibus Monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis Fidelium commodè poſſit ſuſtentari: nec in uno Conventu omnes habiles & utiles, in alio verò omnes inhabiles & inutiles Fratres collocentur: quapropter innovamus antiquam

dif-

diffinitionem in Capitulo generali Mediolani Anno Domini 1564. celebrato factam, & in ſequenti generali Capitulo Patavii Anno Domini 1568. celebrato confirmatam, quæ eſt hujuſmodi:

Per diverſos Conventus Magiſtri diſtribuantur.

3. *Quia in variis Conventibus Magiſtrorum ea penuria eſt, quæ in aliis ſæpè abundare contingit, ſtatuimus, & ordinamus, ut Magiſtri per Monaſteria Provinciarum alternatim diſtribuantur; ita tamen ut communis utilitatis ratio potior ſit, quam particularis; innovantes in hoc ſexageſimam diffinitionem Mediolani factam.* Hæc ibi. Super quo tamen conſcientias Patrum Diffinitorii graviter oneramus.

Fratres diſſoluti quo loco ponendi.

4. Advertendum etiam eſt, ne Fratres diſſoluti ponantur in Conventibus, in quibus minus, quàm par eſt, regularis Obſervantia viget, ſed in illis, in quibus meliùs poſſint corrigi & cuſtodiri.

Ordo ſervandus in diſpoſitione familiarum.

5. In diſpoſitionibus Familiarum primò ſcribantur Sacerdotes, ſecundò Profeſſi, tertiò Novitii, quartò Laici & Converſi, & ſcribantur tituli Officiorum ipſorum; videlicet, ſi fuerint Prædicatores, vel Confeſſores, ſeu utrumque, & de Profeſſis, an Diaconi, vel Subdiaconi ſint, ordinem debitum inter ipſos ſervando.

Nominatio Deputatorum.

6. Nominabunt quoque pro majoribus Conventibus quatuor, pro minoribus verò duos Patres Deputatos ad negotia Conventuum cum Officialibus & aliis, ut inferiùs dicetur, tractanda: & licèt Conventus aliquis ſit ingens & nobilis, non proinde major numerus Patrum requiratur, ſed prædicti ſufficiant. Poterunt etiam Patres Diffinitorii, ſi ſibi videbitur expedire, Deputatos iſtos ex ipſis Officialibus, vel aliis Vocalibus nominare.

3. par. c. 23.

Expellendi ab Ordine

7. Siquis à Provincia licentiandi, ſive juxta Regulæ & Conſtitutionum formam, *ne contagione peſtifera plurimos perdant*, de noſtra ſocietate projiciendi fuerint, *cum dilectione hominum, & odio vitiorum*, fiat hoc loco.

Regul. c. 7.

NOTA. Quòad Fratres incorrigibiles ejiciendos ab Ordine videnda, & ſervanda ſunt Decreta Sac. Congregationis Concilii Urbani Papæ VIII. juſſu edita 11. Septembr. 1624. de quibus infrà 6. par. cap. 22.

§. VIII.

De Collecta pro Provincia reparanda.

Collecta pro Provincia reparanda.

1. STrictè præcipimus omnibus & ſingulis Conventibus cujuſcumque Provinciæ Ordinis noſtri, ut contribuant certam pecuniæ ſummam, quæ taxabitur in Capitulis provincialibus per P. Præſidentem & PP. Diffinitorii, & per eoſdem applicabitur Conventibus egentioribus, uno biennio uni, & altero alteri; habita ſemper ratione majoris & urgentioris neceſſitatis, ita ut omnibus ſubveniatur.

2. Volumus autem, ut iſtis pecuniis ædificia conſtruantur nova, vel antiqua reparentur, & cùm nulla ſe obtulerit ædificandi neceſſitas, Conventui tradatur prædicta ſumma, ut ex annua annona frumenti, vini, & olei &c. tempore debito ematur, atque infra annum paulatim ea pecuniæ portio, quæ ad emendam annonam expendenda erat, Depoſito reſtituatur; ita ut ſemper remaneat integra illa pecuniæ maſſa in Depoſito ad eumdem effectum. Conventus autem qui hoc non indiget, ſummam ſic ei applicatam redigat in redditus annuales.

Qualiter expendenda Collecta.

3. Strictè autem præcipimus in virtute Sancti Spiritus, & præcepto ſalutaris Obedientiæ, omnibus & ſingulis Prioribus, qui pro tempore fuerint, ut in nihil aliud tales applicationes expendant. Prior verò, qui ſecus fecerit, vel ſummam illam pro annona annuali emenda integram non reliquerit in Depoſito Conventus, cùm ad Capitulum provinciale iverit, ad Officium Prioratus perpetuò ineligibilis permaneat, & voce careat in eodem Capitulo, niſi oſtenderit fidem Depoſitariorum ſui Conventus, quatenus dictam ſummam in Depoſito integram reliquerit.

Præceptum.

Pœnæ Priori contravenienti infligendæ.

4. Prioribus autem Provincialibus diſtrictè præcipiendo mandamus, quòd quandòcumque contigerit novas domos, vel etiam antiquas graviter moleſtari, vel ſuo jure privari, & propter paupertatem proprio adjutorio deſtitui, de aliis domibus ſuæ Provinciæ exhiberi faciant domibus hujuſmodi ſubſidium opportunum, quòuſque pacis & juſtitiæ obtineant complementum.

Gravatis Conventibus ſuccurrendum.

§. IX.

De receptione, & proviſione novi loci.

1. REceptionem, & proviſionem novi loci PP. Diffinitorii in ſolo Prioris Provincialis arbitrio non relinquant; immò præcipimus, ut nullus locus de novo recipiatur abſque Diffinitorum conſilio, & aſſenſu, & aliquorum etiam ſeniorum de Provincia. † Novis autem Conventibus provideatur de Fratribus ſelectis, ut ſtatim à principio Religionis rigor inibi ſervetur, & Ordinis bonus odor, & fama in illis partibus incipiat divulgari.

Novi Conventus qualiter recipiendi.

2. De habitis quoque nullus locus alibi quàm in ipſo Capitulo provinciali, & de conſenſu majoris partis totius Capituli, & non aliter quocumque prætex-

Antiqui qualiter relinquendi.

tu relinquatur; nec etiam hoc fiat abſque conſenſu Reverendiſſimi P. Generalis, qui, ubicumque ille ſit, debet poſtulari, & in ſcriptis de facto obtineri.

Quæſta inter Conventus dividenda.

3. Quæſtam in Provincia ita prudenter inter Conventus dividant, & de ea ita modeſtè & religioſè diſponant, quòd ex multitudine Fratrum petentium nullum poſſit ſcandalum generari, nec Fratres unius Provinciæ in limitibus alterius petant abſque licentia Provincialis illius Provinciæ, niſi fortè in eadem Civitate duo, vel plures fuerint Conventus diverſarum Provinciarum, ſeu Congregationum.

Locus futuri Capituli aſſignetur.

4. Locum etiam futuri Capituli celebrandi omninò determinent, & in eodem quaterno familiarum ſcribant; advertantque diligenter, ne quid diffiniendum indiffinitum relinquant, quatenus omnibus ritè ordinatis, Provincia tota uſque ad ſequens Capitulum provinciale quieſcere valeat in ſancta pace.

NOTA ✠ Quòad fundationem, & erectionem novi Conventus videnda, & ſervanda eſt Conſtitutio Clementis VIII. *Quoniam ad inſtitutam* 32. Julii 1603., necnon Decreta de mandato ejuſdem Clementis, & Gregorii XV. quæ quidem (revocatis quibuſcumque facultatibus in contrarium) obſervari præcepit Urbanus VIII. Conſtit. 25. *Romanus Pontifex* 28. Auguſti 1624.

§. X.

De electione Viſitatorum, Diffinitoris, ac Diſcreti Capituli generalis.

1. DEmum eligantur duo Viſitatores, qui ſint viri religioſi & graves, & in ſacris litteris mediocriter ſaltem eruditi, circumſpectæ perſonæ, & bonæ famæ, qui totam Provinciam ſemel ante Capitulum provinciale viſitare * teneantur, & efficaciter viſitent, in quorum electione ſervabitur iſte modus; videlicet:

*Servetur conſuetudo Provinciarum, quòad ipſarum Viſitationem.

Electio Viſitatorum canonica.

2. Congregato Capitulo, ut moris eſt, P. Præſidens congruum de Viſitatoribus eligendis ſermonem faciet, poſteà fiat electio per vota ſecreta, & illi duo, in quos major pars Vocalium convenerit, pro Viſitatoribus habebuntur; quòd ſi in nullum major pars convenerit, iterum procedetur ad ſcrutinium, quòuſque electio ſit canonica, ſicut in electione Reverendiſſimi P. Generalis dictum eſt.

9. par. cap. 9. §. 5. nu. 4. & 5.

Qui non ſint in Viſitatores eligendi.

3. Nolumus autem quòd aliquis de corpore Diffinitorii in Viſitatorem eligatur, ne numerus Patrum Diffinitorii minuatur. Si verò acciderit, quòd aliquis ſit in Viſitatorem electus, qui in Diffinitorio fuerit pro Priore in aliquo Conventu aſſignatus, utraque de tali facta electio ſit rata & valida, non tamen Conventum, cujus fuerit Prior, viſitabit, ſed loco ſui ſuccedet in illius Conventus ſolùm viſitatione Prior propinquioris Conventus ejuſdem Provinciæ.

Electio Diff. & Diſcreti pro Capit. generali.

4. Et ſi ſequenti biennio Capitulum generale debeat celebrari, eligantur Diffinitor & Diſcretus, qui pro illa Provincia ad dictum Capitulum vadant: eligantur autem modo ſupradicto, non tamen canonicè ſicut Viſitatores, ſed ille cenſeatur electus in Diffinitorem vel Diſcretum Capituli generalis, in quem plura ſuffragia convenerint.

Extra tempus Capituli quomodò eligendi.

5. Quando autem extra tempus Capituli electionem Diffinitoris vel Diſcreti fieri neceſſe fuerit, ſufficit, ut Prior Provincialis cum PP. Diffinitorii ad hujuſmodi electionem conveniant, & fiet tunc per ballotulas, ſicut fiunt Priores in Capitulo provinciali.

Qualis eſſe debeat Diffinitor generalis.

6. Ad Diffinitoris munus (ſi fieri poſſit) hi tantùm eligantur, qui Officio Provincialatus functi jam aliquando fuerint: cuperemus etiam, quòd hujuſmodi eligerentur, qui generalis Capituli Diffinitores eatenus non extiterint, habita etiam ratione antiquitatis, ita ut nemini (ſi fieri poſſit) hac in parte injuria fieret. Diſcreti verò Provinciarum, ſive Congregationum ſemper ſint Studiorum Regentes, nullo ab ejus munere Gymnaſio rejecto; ubi verò nulla fuerint ſtudia, alii poſſint eligi, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Peruſiæ celebrato Anno Domini 1570.

Qualis Diſcretus.

Quales Diffinit. & Diſcreti Ultramontani.

7. Hujuſmodi autem Conſtitutio in Ciſmontanis Provinciis tantummodò ſervetur, in Ultramontanis verò earumdem Provinciarum mos & conſuetudo; ita tamen ut qui ſemel Diffinitoris munus, cùm potuit ac debuit, obire renuit, ad ejuſmodi Officium nequaquam ampliùs admittatur, prout fuit diffinitum & declaratum in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1575. Ituri etiam ad Capitulum generale, adminus ſciant diſtinctè loqui latinè, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato Anno Domini 1300.

Qualitates Viſitatoris, Diffinitoris, & Diſcreti.

8. Ad Viſitatoris Provinciæ, Diffinitoris, vel Diſcreti Capituli generalis Officia, talis eligendus erit, qui non ſit juvenis in Ordine, ſed ſaltem per quindecim annos in Ordine ſteterit, & qui nunquam cum ſcandalo ab Ordine apoſtataverit, nec fuerit de aliquo vitio notabili convictus, vel confeſſus, ſine ſatisfactione longi temporis, vel communiter infamatus, niſi ſe canonica purgatione purgaverit.

Capitulum de culpis.

9. Poſteà vel tunc immediatè, vel alia hora quæ videbitur opportuna, ter

pul-

pulſata campanula, ut moris eſt, de culpis agatur: & primùm Provincialis abſolutus genibus flexis dicat, & confiteatur culpas ſuas, cui jam tunc Patres non aſſurgant, & P. Præſidens condignam ſuis culpis injungat ei pœnitentiam, quam ipſe patienter acceptans, deoſculata humiliter manu P. Præſidentis, ad locum ſuum revertatur.

Renunciatio Priorum.

10. Poſteà Priores ſigillatim dicentes ſuam culpam, Officio Prioratus in manibus P. Præſidentis ſigillum præſentantes, ſimpliciter renunciabunt; quæ Sigilla P. Præſidens acceptando, & eoſdem ab Officio Prioratus abſolvendo,

Abſolutio Priorum.

dicat unicuique: *Et ego authoritate qua fungor in hac parte, accepto renunciationem tuam, & abſolvo te ab Officio Prioratus Conventus noſtri N. In nomine Patris &c.* Ab eis verò, qui ſuum biennium nondum compleverunt, & Officium Prioratus proſequi debent, acceptet ſigilla, ſicut ab aliis, non tamen eos abſolvat.

Correctio delinquentium.

11. Poſteà ſi aliquis Vocalium habet dicere ſuam culpam, vel debet proclamari in particulari, id breviter fiat. Deinde unus Diſcretorum in medio genuflexus, brevi Oratione latina, magna cum humilitate, nomine omnium Vocalium & ſingulorum Fratrum totius Provinciæ culpam ſuam dicat, atque terra deoſculata, ad locum revertatur, interim verò omnes ſtent. P. Præſidens juxta culparum exigentiam, & noſtræ Religionis ſtatuta unicuique dicenti ſuam culpam, vel pœnitentiam imponat, vel gratias referat ſuæ bonæ adminiſtrationis, omnibuſque pro communibus culpis imponat pſalmum unum, ſtatim communiter genibus flexis dicendum: dictoque; *Adjutorium &c.* Capitulum culparum ſolvat.

Caput XI.

De publicatione Actorum capitularium, & de modo dimittendi Capitulum.

§. I.

De Diffinitionibus, atque Familiis legendis.

Modus concludendi Capitulum.

1. SUpradictis igitur ritè peractis, vel tunc immediatè, vel hora, quæ P. Præſidenti videbitur opportuna, campanula Clauſtri ter pulſetur pro ſigno Capituli, & ſucceſſivè ſtatim campana minor in Campanili ter pulſetur prolixiùs cum debito intervallo, ad quod ſignum omnes tam Vocales, quàm non Vocales ad Capitulum conveniant, quibus cum gravitate conſedentibus, P. Præſidens dicat: *Adjutorium &c. Benedicite &c.*

Publicatio Actorum.

2. Deinde hortetur omnes, ut diſpoſitiones Capituli prompta & ſimplici obedientia, abſque ulla contradictione hilariter excipiant, & humiliter cum omni diligentia ſtudeant adimplere, & ſtatim legantur acta, & intelligibili voce ab uno ex Cancellariis Diffinitorii, præmiſſo: *In nomine Domini &c.* prænotato etiam anno, menſe, die, & loco, in quo celebratum eſt Capitulum, & quis fuerit Præſidens, & quis Provincialis electus, nominatiſque per ordinem omnibus & ſingulis Diffinitorii Patribus, & hoc ſuperadjuncto, videlicet: *Qui omnes unanimi conſenſu authoritate eis à noſtris Conſtitutionibus conceſſa, ea, quæ ſequuntur, ſtatuerunt, ac publicè notificari mandarunt.* Tunc legantur Diffinitiones, & poſteà Familiarum diſpoſitiones.

3. Cùm autem pronunciatum fuerit quem Priorem conſtituerint Conventus talis N. is, qui nominari ſe ſenſerit, ſtatim ſurgat, & coram P. Præſidente genua in terra humiliter flectat, cui P. Præſidens Sigillum illius Conventus tradens, ipſum in Officio Prioratus confirmabit, dicens: *Et ego authoritate qua fungor, confirmo te in Priorem Conventus noſtri N. dans tibi omnem authoritatem & poteſtatem, quam cæteri Priores ejuſdem Conventus habere ſolent tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus. In nomine Patris &c.* & Prior hujuſmodi deoſculata manu P. Præſidentis Sigillum accipiat, & ad locum ſuum revertatur, & ſucceſſivè legatur ejus Familia.

Confirmatio Priorum.

Prior de novo non electus, non confirmatur.

4. Si autem Prior aliquis de novo non conſtituatur, ſed in Officio, ſicut anteà erat, relinquatur, huic quidem P. Præſidens tradat Sigillum ſui Conventus, non tamen eum confirmet, ſicut anteà ab Officio non abſolvit; prima namque confirmatio tenet, quouſque abſolvatur.

Confirmatio Priorum abſentium.

5. Si verò Prior electus non fuerit præſens, Diſcretus illius Conventus, & ſi Conventus non habuerit Diſcretum, Prior propinquioris Conventus accipiat pro eo Sigillum, & P. Præſidens eum, licèt abſentem, in Priorem confirmabit, dicendo: *Et ego authoritate qua fungor, confirmo Ven. P. F. N in Priorem &c. dans ei &c.* In omnibus aliis Officiis publicatio habeatur pro confirmatione abſque aliqua alia ceremonia.

Pœna non acceptantium.

6. Statuimus inſuper, prout diffinitum fuit in Cap. gen. Romæ celebrato Anno Domini 1575., ut ſiquis ad aliquod Officium Ordinis exercendum promotus & accitus, illud nulla rationabili cauſa impeditus ſubire contempſerit, graviter puniatur; ſi verò Prioratus Officium acceptare renuerit ſine cauſa prædicta, quam judicare tenentur Prior

Pro-

Provincialis & Diffinitores, ad Officium Provincialatus, vel Prioratus alicujus nobilioris Conventus de cætero inhabilis permaneat.

Adhortatio Præſidentis ad Priores. 7. Deinde P. Præſidens hortetur omnes Priores, qui ſtatim capitibus detectis ſurgant, quatenus in moribus ac regimine, juxta noſtræ Sac. Religionis ſanctas ac laudabiles Conſtitutiones & ordinationes, ac Provinciæ diffinitiones, ſtudeant eſſe, & inveniri conformes.

§. II.

De Sigillis Provinciarum & Conventuum.

Forma Sigillorum Provinciæ. 1. Sigilla omnia Provinciarum noſtri Ordinis, tam magna, quàm parva Imaginem S. P. N. Auguſtini cum cappa, ſive cuculla Ordinis, corrigia præcincta, pluviali, ac deſuper capucio, mitra, & baculo paſtorali habeant expreſſam: different autem in circumcirca ſcriptione, quæ diſtinguere debet cujuſnam Provinciæ, ſeu Congregationis ſit Sigillum.

Sigilla Conventuum. 2. Sigilla verò Conventuum noſtrorum tam Fratrum, quàm Monialium, habeant expreſſam Imaginem illius Sancti vel Sanctæ, cujus nomine Eccleſia nuncupatur uniuſcujuſque Conventus, cum circumcirca ſcriptione cujus ſit Conventus. Volumus autem, ac ſtrictè præcipimus, ut quilibet Conventus Ordinis noſtri proprium habeat Sigillum. Prior verò qui vel ob negligentiam, vel incuriam, Sigillum ad Capitulum provinciale non portaverit, à P. Præſidente debitè puniatur.

Publicatio Viſitatorum, & loci pro Capit. futuro. 3. Publicentur Viſitatores Provinciæ, & pronuncietur locus Capituli provincialis futuri, quo pronunciato dicat P. Præſidens alta voce: *Reſervamus Nobis authoritatem, & poteſtatem determinandi, diffiniendi, ſtatuendi, reformandi, corrigendi, & emendandi, necnon mutandi, & confirmandi quæcumque geſta ſunt, quandiù nos, & PP. Diffinitorii omnes ſimul erimus; quapropter volumus, & præcipimus, ut nullus Diffinitorum ſe poſſit intra illud tempus à loco Capituli abſentare.*

Eundum in Eccleſiam. 4. Ex tunc ad ſignum P. Præſidentis Cantores incipiant Hymnum *Magne Pater Auguſtine &c.* quem cantando Fratres bini & bini, ut moris eſt, ad titulum inclinantes in Eccleſiam vadant ordinatè, atque ante majus Altare (ſi ibi fuerit Sacratiſſimum Corpus Domini) genuflectentes, ad loca ſua ſe conferant: Finito Hymno, Cantores dicant; *Ora pro nobis B. P. Auguſtine &c.* P. Præſidens in loco ſuo dicat Orationem: *Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus &c.*

§. III.

De Benefactorum vivorum recommendatione, & ſuffragiis injungendis pro Vivis atque Defunctis.

1. POſteà ſedeat P. Præſidens, & cæteri poſt eum, & ipſe dicat in tono; *Benedicite*, & reſponſo ab omnibus, *Deus*, habeatur Oratio in laudem noſtræ Sac. Religionis, in gratiarum actionem pro felici Comitiorum celebratione; commendenturque Fratrum tam præſentium, quàm abſentium Sacrificiis & orationibus, primò Summus Pontifex pro tempore exiſtens, deinde Eminentiſſimus Cardinalis Protector, Reverendiſſimus Prior Generalis, R. Procurator Ordinis, & Epiſcopi Ordinarii illorum locorum, in quibus Monaſteria illius Provinciæ exiſtunt, poſteà Rex, vel Princeps illius Regni, vel Provinciæ. Oratio in gratiarum actionem.

2. Specialis etiam eorum fiat mentio, qui particularibus auxiliis illam Provinciam proſequuntur, ſpecialia etiam & notabilia beneficia, ſi quæ eo biennio contulerunt, fideliter referendo, juxta informationem Priorum. Deinde mentio fiat in genere Benefactorum Provinciæ utriuſque ſexus tunc temporis viventium. Ultimò gratiæ referantur illis, qui Comitiis provincialibus ſuis eleëmoſynis ſubvenerunt, vel Actus noſtros, ſcilicet quotidianas & publicas Concluſiones, & Conciones ſuo adventu & conſpectu ornare dignati ſunt. Memoria Benefactorum.

3. Finita Oratione, legantur Litteræ P. Præſidentis, quibus præcipiat omnibus & ſingulis Prioribus illius Provinciæ, quatenus poſtquàm ad Conventus ſuos pervenerint, vel de hujuſmodi Litteris in ſuis Conventibus conſtiterit, diligenter curent, ut quilibet Sacerdos ſuæ Familiæ pro Fratribus & Sororibus, Familiaribus, Propinquis, & Benefactoribus illius Provinciæ vivis dicat unam Miſſam de Spiritu Sancto, Clericus ſemel *Pſalmos Pœnitentiales*, & Frater Laicus, ſive Converſus quinquaginta *Pater noſter* cum *Gloria Patri*: pro Fratribus verò, ac Sororibus, Familiaribus, propinquis, & Benefactoribus Provinciæ defunctis ut quilibet Sacerdos dicat unam Miſſam, Clericus ſemel Officium integrum Defunctorum, Frater Laicus, ſive Converſus quinquaginta *Pater noſter* cum *Requiem æternam &c.* Miſſæ dicendæ in ſingulis Conventibus.

4. Litteris lectis, ſurgant omnes, & P. Præſidens dicat, *Oremus pro Papa noſtro N.* ſicut in Capitulo generali. Deinde flexis genibus fiat Confeſſio & Abſolutio generalis, ſicut ibidem; ſimili etiam modo abſolvatur Capitulum, & Fratres ad loca ſua in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti ire pergant. 3. par. c. 4. §. 7. n. 6. 7. 8. & 9. Abſolvitur Capitulum

5. No-

Exequutio diſpoſitionum Capituli.

5. Nolumus autem, quòd Prior Provincialis ſuper diſpoſitiones Capituli, & Fratrum mutationes diſpenſare poſſit, niſi priùs exequutioni mandentur, ne unus ſit ædificans, & alter deſtruens: quæ enim tanta Patrum conſideratione & matura deliberatione diſpoſita ſunt, de facili mutare non convenit, nec decet; quòd ſi ſecus fecerit, ab Officio per PP. Viſitatores ſuſpendatur.

§. IV.

Quid de litteris Diffinitorio delatis fieri debeat.

1. ANtequàm Diffinitorium omninò ſolvatur, litteræ, quæ ſunt Diffinitorio delatæ, producantur in medium, inter quas ſi fuerint litteræ aliquæ Summi Pontificis, vel ejus Legati, aut Eminentiſſimi D. Card. Protectoris, vel Reverendiſſimi Prioris Generalis, ſeu aliorum Prælatorum, aut Principum, vel Univerſitatum, ſeu alicujus etiam perſonæ privatæ, quæ adſutura porrigantur, aut quæ commodum Provinciæ, vel alicujus Conventus concernere videantur, in Regiſtro Provinciæ per Secretarios Diffinitorii regiſtrentur, vel ad Archivium Provinciæ ſervandæ mittantur, in quo hujuſmodi omnia ſervari debent, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Ratiſponæ celebrato Anno Domini 1290. cæteræ autem omnes igne comburantur.

Acta Capituli à Reverendiſſimo confirmanda.

2. Diffinitiones verò Capituli provincialis cum proemio conſueto, nomina Priorum, Conventuum, & Viſitatorum, & Diffinitoris, ac Diſcreti Capituli generalis, ac locus Capituli proximè celebrandi fideliter ſcribantur, & majori ejuſdem Provinciæ Sigillo muniantur, & deinde ad Reverendiſſimum Priorem Generalem, ut ab ipſo, ſi ſibi viſum fuerit, confirmentur, mittantur quamcitiùs fieri poſſit. Quòd ſi occurrat aliquas electiones ſive Provincialium, ſive Priorum, ſive Officialium reſpectivè à Reverendiſſimo P. Generali legitimè annullari, eò tunc in ejus poteſtate eſſe novos Superiores, & Officiales ſubrogare jure ſibi devoluto, prout declaratum fuit in duobus Capitulis generalibus Romæ celebratis, Ann. 1679. & 1685.

Formularium Actorum Capitularium, quæ mitti debent ad Reverendiſſimum P. Priorem Generalem.

IN nomine Domini Noſtri JEſu Chriſti benedicti. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem ..... Menſe N. celebrata ſunt Comitia provincialia Fratrum Erem. S. P. N. Auguſtini hujus Provinciæ N. in Conventu N. à Rev. Patre N. de N. dictæ Provinciæ Priore Provinciali in diem ...... ſupradicti menſis indicta; ad quæ die prædicta, quæ erat Feria quinta poſt Dominicam ſecundam poſt Paſcha, convenerant Patres vocem habituri.

(Si verò Capitulum alio tempore celebretur, ſecundùm conſuetudinem aliquarum Provinciarum, reſpectivè erunt denunciandi dies.)

Itaque poſtera die, quæ erat Feria ſexta, ſtatim poſtquàm Veſperæ fuerunt decantatæ, ſigno campanulæ ter dato, Patres omnes capitulariter congregati fuerunt, & præfatus Pater Provincialis mandavit, ut ſi quis à Reverendiſſimo Patre Generali litteras haberet ad iſtud Capitulum directas, eaſdem ſtatim proferret. Mox Rev. Pater N. de N. litteras Reverendiſſimi Patris N. de N. Prioris Generalis præſentavit, per quas dicti Capituli Præſidentem conſtituebat Rev. Patrem N. de N., qui renuente nullo, ab omnibus reverenter pro Præſidente fuit recognitus.

(Si tamen Litteræ Patris Reverendiſſimi præſentatæ non fuerint, ponatur hoc modo: *Et cum litteræ Reverendiſſimi Patris prolatæ non fuiſſent, dictus Rev. Pater Provincialis antiquiorem Capituli proximè præteriti Diffinitorem inquiſivit, compertumque Rev. Patrem N. de N., ipſi ut legitimo Præſidenti omnes obedientiam præſtiterunt.*)

Deinde per ballotulas electi ſunt tres Judices cauſarum, Venerabiles Patres N., N., & N.

Sequenti Sabbato Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter cantata, aliiſque expletis in noſtris Conſtitutionibus præſcriptis, coram omnibus in loco Capituli conſidentibus, R. P. Provincialis Officium ſuum in manus Præſidentis humiliter reſignavit. Qua reſignatione acceptata, recitata fuerunt per Venerabilem Patrem N. de N. Judicem cauſarum nomina eorum, qui vocem habere debebant, hoc ordine: Rev. P. N. Præſidens præſentis Capituli. Rev. P. N. Provincialis abſolutus.

(Poſteà ponantur Diffinitores præteriti Capituli, Viſitatores Provinciæ, cæterique Vocales ſecundùm ordinem præſcriptum in Conſtitutionibus 3. par. cap. 9. §. 5.)

Emiſſis autem vocem non habentibus, deſignati ſunt tres Scrutatores vocum per ballotulas RR. Patres N. N. & N. & ab ipſis juramento fidelitatis præſtito, ad novi Provincialis electionem proceſſum eſt, atque prima (vel ſecunda, aut tertia) *electione & ſcrutatione peracta, electus fuit in Provincialem omnium ſuffragiis* (vel tantis votis) *Rev. Pater N. de N. ac à primo Scrutatorum publicatus, proceſſionaliterque ad Eccleſiam deductus, deoſculata fuerunt ei manus in ſignum obedientiæ, & tradito ei per Rev. P. Præſidentem Provinciæ Sigillo, ab eodem in Officio Provincialatus confirmatus eſt.*

(Si electio non fuit omnium ſuffragiis celebrata, hic apponi debent alii Patres, qui aliquas voces habuerunt, hoc modo; Rev. Pater N. habuit tot ſuffragia.)

Eadem die poſt Nonam ad ſonum campanulæ ter pulſatæ, ut moris eſt, in Capitulo omnes Patres Vocales convenerunt, & proceſſerunt ad electionem Diffinitorum, & ab illis, omnibus ſervatis ſervandis, fuit electus in primum Diffinitorem Rev. Pater N. de N. tantis ſuffragiis; *in ſecundum Rev. Pater N. de N.* tantis ſuffragiis; *in tertium Rev. Pater N. de N.* tantis ſuffragiis; *in quartum Rev. Pater N. de N.* tantis ſuffragiis.

Electio Diffinitorum non eſt canonica.

(Poſteà nominentur tres alii Patres, qui ultra prædictos quatuor aliquas voces habuerunt; & primò nominetur, qui plures habuit, hoc modo.)

Rev. Pater N. habuit tot ſuffragia, Rev. Pater N. tot. & Rev. Pater N. tot.

Diebus verò ſequentibus ſervatis omnibus in noſtris Conſtitutionibus præſcriptis, congregati fuerunt diffinitorialiter prædicti Adm. RR. Patres N. de N. Præſidens, N. de N. Provincialis electus, N. de N. Provinciacialis abſolutus, ac PP. Diffinitores N. N. N. & N., qui ſimul cum RR. Patribus N. & N. Viſitatoribus biennii (vel, triennii, aut, quadriennii) *præteriti, authoritate eis à noſtris Conſtitutionibus conceſſa, ea, quæ ſequuntur, ſtatuerunt, ac publicè notificare mandarunt.*

Diffinitiones, ſeu Decreta.

(Hìc regiſtrentur de verbo ad verbum Diffinitiones omnes, ac reſolutiones, ſive Sententiæ, vel Decreta facta in Diffinitorio. Poſteà ſubſequantur diſpoſitiones Familiarum Conventuum, hoc ordine.)

Diſpoſitiones Familiarum.
Proviſio Conventus N.

Electus fuit in Priorem Ven. Pater N. de N.
In Suppriorem Pater N. de N.
In Deputatos Patres N. & N.
In Magiſtrum Novitiorum Pater N. de N.
In Sacriſtam Pater N. de N.
In Procuratorem Pater N. de N.
In Prædicatorem Pater N. de N.
In Examinatores Ordinandorum, & Confeſſariorum PP. N. & N.
In Conventuales verò nominati ſunt Patres N. N. &c. (exprimendo gradus, & officia ſingulorum, ac ordinem debitum inter ipſos ſervando; prout in 3. par. cap. 10. §. 7. n. 5. necnon ſcribendo, qui de novo locati, vel amoti fuerunt; & ſimili modo fiat reſpectivè de omnibus aliis Conventibus.)
In Secretarium Provinciæ, & Socium Rev. P. Provincialis electus eſt Pater N. de N.

(Poſteà ſi quæ fuerint aliquæ aliæ electiones, ſeu nominationes factæ à Diffinitorio, putà, Confeſſariorum Monialium &c. hoc loco regiſtrentur.)

In Viſitatores Provinciæ electi canonicè ſunt RR. PP. N. & N.

(Si autem facta fuerit electio Diffinitoris, & Diſcreti Capituli generalis, hìc notetur.)

Locus Capituli provincialis proximè celebrandi, deſignatus eſt Conventus N.

Hæc ſunt, Reverendiſſime Pater, Capituli noſtri electiones, & Acta, pro quorum approbatione & confirmatione ad pedes Paternitatis Veſtræ Reverendiſſ. ſubmiſſè provolvimur, humillimè obſecrantes, ut iiſdem favoribus, ac paterni amoris affectibus, quibus ſemper, nos proſequatur; Deus Opt. Max. P. V. Reverendiſſimam Eremitico Orbi diù ſervet incolumem. Dat..... ſub die .... Menſis N. Anno....

Poſteà manu propria omnium Patrum Diffinitorii ſubſcribantur, & majori ejuſdem Provinciæ Sigillo muniantur, & ſic ad Reverendiſſ. Patrem mittantur.

§. V.

De Litteris P. Præſidentis, quas ſinguli Priores ad ſuos Conventus portare debent.

1. PRiores verò, aut Diſcreti locorum, vel ii denique, qui Sigilla Conventuum de manu P. Præſidentis receperunt, antequàm à loco celebrati Capituli recedant, Litteras habeant à P. Præſidente in forma patente, manus propriæ ejuſdem ſubſcriptione, ac Sigilli majoris Provinciæ impreſſione munitas, in quibus proemium conſuetum, & omnes diffinitiones in eodem Capitulo factæ, & proviſio ipſius Conventus de Priore, & Familia, & aſſignationes Fratrum, qui inde removentur, nomina etiam & cognomina Fratrum præterito biennio defunctorum diſtinctè contineantur: quas poſtquàm ad Conventum pervenerint, eadem die Supprior, vel Vicarius biennii præteriti congregato Capitulo legi faciat, & lecta inſtitutione Prioris, eum ad titulum Capituli, ſi fuerit præſens, deducat, & manum ei in ſignum obedientiæ & reverentiæ ipſe Supprior, ac ſubinde cæteri omnes ordinatè deoſculabuntur; omneſque & ſinguli Officiales Conventus claves in manibus ejus conſignabunt: quòd ſi non fuerit præſens, idem fiet quando ipſe pervenerit ad Conventum: ſine quibus litteris lectis & publicatis nullus pro Priore in aliquo Conventu recognoſcatur.

Qualiter Prior recipiendus.

2. Denique quæcumque in hoc Capitulo, vel in quovis alio iſtarum Conſtitutio-

Quæ de Provinciis

tutio-

dicta ſunt, de Congregationibus intelliguntur.

tutionum de Provinciali, de Provincia, vel de Capitulo provinciali dicta ſunt, ea omnia intelligi volumus de Vicariis Congregationum, de ipſis Congregationibus, & de earum Capitulis: omnia etiam, quæ de biennio dicta ſunt, de triennio reſpectivè intelliganturin illis Provinciis, in quibus Capitulum provinciale de trienio in triennium celebrabitur, vel de quadriennio in quadriennium in partibus Indiarum, ſi propter longiſſimam diſtantiam Officia tantum durare Patribus viſum fuerit.

Quæ de biennio, reſpectivè de triennio intelliguntur.

Caput XII.

De Congregatione in medio biennii celebranda.

Tempus Congregationis.

1. IN unaquaque Provincia noſtri Sac. Ordinis in medio biennii eodem tempore, quo Capitulum provinciale celebrari ſolet, & in loco per Priorem Provincialem aſſignando Congregatio provincialis celebrabitur, ut aliquibus negotiis & caſibus, ac neceſſitatibus commodiùs provideri poſſit, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1543. per Reverendiſſimum P. Magiſtrum Hieronymum Seripandum noſtri Sac. Ordinis tunc temporis Priorem Generalem, poſtea verò S. R. E. Cardinalem, ac demum Sacroſancti Concilii Tridentini authoritate ſummi Pontificis Præſidentem.

Ex quibus Patribus conſtet Congregatio.

2. Ad hujuſmodi Congregationem ſolummodo convenient novem illi Venerabiles Patres, qui in Capitulo provinciali fuerunt de corpore Diffinitorii: ille tamen, qui in Capitulo Præſidentis Officio functus fuit, non tamquàm Præſidens, ſed tamquàm unus ex Diffinitoribus intervenire debet, & in loco ſibi competenti ſedere, & ad propoſita reſpondere. Prior autem Provincialis Præſidentis officio fungetur in omnibus. Quod ſi hujuſmodi Venerabilis Pater, qui Præſidens in Capitulo fuit, diem ſuum obierit, vel quocumque alio legitimo impedimento impeditus fuerit, quominus poſſit ad locum Congregationis venire, priorem ex ſuperſtitibus, qui Diffinitores fuerunt præteriti biennii (qui tamen in illo præſenti biennio non ſit de corpore Diffinitorii, in quo caſu alius, qui ſequetur, erit aſſumendus) Prior Provincialis advocabit, qui in illius locum ſuccedat. Si verò Provincialis abſolutus mortuus, vel impeditus legitimè fuerit, ille loco ejus ſubſtituatur, qui ante ipſum Provinciam gubernavit proximo præcedenti biennio; eo etiam deficiente, retrocedatur quoùſque de aliquo, qui jam fuerit Provincialis, provideatur.

Quis in defectu Præſidentis ſubſtitui debet.

Quis in defectu Provincialis abſoluti.

3. Numerus autem Diffinitorum perfici, & ſuppleri poteſt, ſi aliquis eorum quavis ex cauſa defecerit, ex his Patribus, qui poſt ipſos Diffinitores plures Voces habuerunt; ex his autem ille, qui plures alio voces habuit, primò aſſumatur & aggregetur: ſi verò Viſitatores ob caſum mortis, vel legitimè impediti venire nequiverint, vocabitur primus Viſitator biennii præcedentis, vel etiam ambo, & ſic retrocedatur ordinatè, quòuſque de duobus Viſitatoribus cujuſcumque biennii proviſum ſit, quatenus iſta provincialis Congregatio novem Patrum numero integretur, ad quam nemo venire audeat abſque ſpeciali Prioris Provincialis licentia in ſcriptis obtenta; contra verò faciens non audiatur, immò pro ſua temeritate puniatur, prout dictum fuit de his, qui ſine licentia prædicta ad Comitia provincialia accedere audent.

Qualiter ſupplendus numerus Diffinitorum.

Qualiter Viſitatorum.

3. par c. 9. §. 1. num 3.

4. Hæc verò Congregatio eamdem habeat authoritatem, quam habet Diffinitorium Capituli provincialis, niſi quòd in ea novæ leges, vel diffinitiones pro tota Provincia minimè condantur, ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ quòad omnes & ſingulos Patres Diffinitorii, uſque dum benignè cum iis in Capitulo generali fuerit diſpenſatum; ac inſuper irritæ, nullæque eæ omnes fore, & eſſe, non obſtante quacumque conſuetudine, utpotè omninò irrationabili, declarantur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685. Nec aliqua Collecta de novo Provinciæ imponatur; hæc enim ſolùm in Capitulo provinciali fieri volumus.

Authoritas Congregationis intermediæ.

Pœna novas leges condentium.

5. In hac Congregatione ſicut in Diffinitorio Capituli provincialis omninò procedatur juxta Conſtitutiones noſtri Ordinis. Sabbato ante Dominicam tertiam poſt Paſcha, quando Congregatio fieri debet, poſt Primam Prior Provincialis Miſſam de Spiritu Sancto devotè cantabit, ſine *Credo* tamen, cum duabus Collectis, una B. Virginis, & alia S. P. N. Auguſtini, & omnes de corpore Congregationis ipſa die de Spiritu Sancto Miſſam celebrabunt. In omnibus etiam Conventibus Provinciæ eadem die poſt Primam Miſſa de Spiritu Sancto ſimiliter cantabitur; deinde ad negotia expedienda diligenter & maturè procedatur.

Modus procedendi.

6. Ubi verò celebrabitur Capitulum de triennio in triennium, hujuſmodi Congregatio fiat in Feſto omnium Sanctorum in medio triennii, vel alio tempore juxta conſuetudinem Provinciarum.

Formularium Actorum Congregationis intermediæ, quæ mitti debent ad Reverendiſſimum P. Priorem Generalem.

IN nomine Domini noſtri JEſu Chriſti benedicti. Amen.

Anno Nativitatis ejuſdem.... Menſe N. celebrata fuit Congregatio intermedia hujus Provinciæ N. Ord. Erem. S. P. N. Auguſtini in Conventu N. à Rev. Patre N. dictæ Provinciæ Provinciali in diem.... ſupradicti Menſis indicta, ad quam die prædicta convenerunt novem Diffinitorii Patres, videlicet: Rev. Pater N. Provincialis, Rev. Pater N. Provincialis abſolutus, Rev. P. Præſidens Capituli præteriti, Rev. P. N. primus Diffinitor, Rev. P. N. ſecundus Diffinitor, Rev. P. N. tertius Diffinitor, Rev. P. N. quartus Diffinitor, Rev. P. N. primus Viſitator, Rev. P. N. ſecundus Viſitator.

(Si autem aliquis, vel aliqui prædictorum Patrum ob caſum mortis, vel legitimi impedimenti adeſſe nequiverint, nominentur ille, vel illi, qui loco eorum vocem in Congregatione habuerunt, cauſam ſubrogationis exprimendo.)

Die verò Sabbati Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter cantata, ſervatiſque omnibus in noſtris Conſtitutionibus præſcriptis, congregati fuerunt diffinitorialiter omnes ſupradicti novem RR. Patres, & authoritate eis conceſſa, ea, quæ ſequuntur, ſtatuerunt, ac publicè notificare mandarunt.

Reſolutiones, ſeu ſententiæ.

(Cùm in hac Congregatione novæ Leges pro tota Provincia minimè condi poſſint, hîc tantùm regiſtrandæ erunt Reſolutiones, vel Sententiæ, ſeu determinationes factæ in negotiis, ſeu cauſis particularibus. Poſteà ſubſequantur diſpoſitiones Familiarum, hoc ordine.)

Diſpoſitiones Familiarum.

Proviſio Conventus N.

3. par. cap. 11. §. 4. *Electus fuit in Priorem Ven. Pater N.* &c. prout ſupra habetur. (Advertendum tamen eſt, quòd, cùm hæc Congregatio ſolùm providere poſſit de illis Officiis, quæ poſt Capitulum provinciale, vel in ipſa Congregatione quacumque cauſa vacaverint, exprimendi tantummodò erunt illi Priores, ſive Officiales, qui de novo eliguntur, & Fratres de novo locati, vel amoti. Et ſi contingat Diffinitorem, aut Diſcretum pro Capitulo generali eligere, ſubſequatur hoc modo.)

Electus fuit in Diffinitorem Capituli generalis proximè celebrandi Rev. Pater N. in Diſcretum verò Rev. Pater N.

Hæc ſunt, Reverendiſſime Pater, Congregationis noſtræ intermediæ electiones, & Acta, pro quorum approbatione & confirmatione P. V. Reverendiſſimæ noſtræ humillimæ porriguntur preces. Divinam interim Majeſtatem pro veſtra incolumitate, ac diuturna felicitate deprecamur. Dat. in Conventu noſtro N. die ... Menſis N. Anno ....

Poſtèa manu propria omnium Patrum Diffinitorii ſubſcribantur, & majori ejuſdem Provinciæ Sigillo muniantur, & quàm citiùs ad Reverendiſſimum Patrem mittantur.

CAPUT XIII.

De inſtitutione Priorum, & aliorum Officialium extra Capitulum provinciale.

1. SI poſt Capitulum provinciale Priorem alicujus Conventus ex hac luce migrare, vel quavis alia ex cauſa Officio privari, ſeu abſolvi contigerit, Supprior (vel ſi dictus Conventus non habuerit Suppriorem) primus ex Patribus conſilii hujuſmodi Conventum gubernet, quouſque Provincialis de Vicario † provideat, qui debeat gubernare uſque ad Congregationem: in qua Prior pro integro biennio eligendus erit, qui in Capitulo provinciali pro ſecundo anno confirmabitur, non obſtante quòd Sigillum reſignaverit, niſi fortè propter ſua demerita, vel ob aliam rationabilem cauſam Diffinitorium judicaverit illum Officio eſſe privandum. Deficiente Priore, Provincialis Vicarium conſtituat.

2. Si etiam poſt Congregationem Prioratus aliquis vacaverit, eodem modo Prior Provincialis de Vicario providebit, qui in Capitulo provinciali ſicut cæteri Priores vocem habebit; ſi tamen poſt dictam Congregationem Prior Provincialis Priorem aliquem ab Officio ſuſpenderit, & demum à Capitulo privato abſolutus fuerit, de Vicario providere non poterit abſque conſenſu Patrum Diffinitorum.

3. Quòd ſi Patribus Congregationis aliquando videatur magis conducere, ut electio Prioris alicujus Conventus uſque ad Capitulum provinciale differatur, de Vicario uſque ad dictum Capitulum tantùm provideant. Si autem alia Officia Conventuum ante Congregationem vacaverint, providebit dictus Provincialis uſque ad tempus Congregationis; ſi verò vacaverint poſt Congregationem, ipſe etiam providebit uſque ad Capitulum provinciale. In Congregatione intermedia Vicarius, & non Prior conſtitui poteſt aliquando.

4. Ad coërcendas autem tam frequentes Prioratuum renunciationes, quæ in Provinciis, ſeu Congregationibus non ſine levi Conventuum detrimen- Modus, quo Prior es renunciare poſſunt.

to

to fiunt, volumus, quòd Priores cujuſcumque Provinciæ, ſeu Congregationis ſint, qui abſque legitima cauſa à Reverendiſſimo Patre, & Patribus Diffinitorii Provinciæ, ſive Congregationis intra Italiam, extra Italiam verò à Provinciali & Diffinitoribus recognoſcenda, Officio Prioratus renunciaverint, ad quemcumque Prioratum obeundum in perpetuum inhabiles ſint. Provinciales autem, ſeu Vicarii generales, qui prædictas renunciationes, nondùm utſupra recognitas, acceptaverint, arbitrio Reverendiſſimi Patris puniantur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1679. & confirmatum in ſequenti Capitulo generali ibidem celebrato Anno Domini 1685.

NOTA. ✠ Cùm per Ordinis Conſtitutiones 3. part. cap. 10. §. 6. num. 3. cautum ſit, ne Patres qui ſunt de corpore Diffinitorii, ad Officium, cujus proviſio ad idem Diffinitorium pertineat, eligi poſſint, in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685. declaratum fuit, intelligi etiam debere de Officio Vicarii Prioris: ita ut nec Præſidens Capituli, nec Provincialis abſolutus, nec Diffinitores, nec Viſitatores ad munus Prioris, vel Vicarii alicujus Conventus ullo modo promoveri poſſint.

CAPUT XIV.
De Capitulo privato.

Quodnam ſit Capitulum privatum.

1. Capitulum privatum appellamus, quandòcumque & quotieſcumque Prior Provincialis extra tempus Capituli vel Congregationis Diffinitores illius biennii in unum congregat ad aliquid determinandum & providendum: quod quidem facere ipſe poteſt, quoties ſibi videbitur expedire; immò in aliquibus caſibus, ut patet ex Conſtitutionibus, tenetur.

Qui ſint ad illud vocandi.

2. Quòd ſi infra biennium unum, vel duos ex quatuor Diffinitoribus prædictis diem ſuum obire contigerit, vel aliquo inevitabili impedimento impediti fuerint, ſufficit quòd Prior Provincialis alios tres, vel duos, qui remanſerint, ad determinandum neceſſaria convocari faciat: ſi verò tertius è vita migraſſet, vel ſimili aliquo impedimento impeditus fuiſſet, vocabitur ad privata conſilia unus ex iis Patribus qui poſt Diffinitores plures voces in Capitulo provinciali habuerunt, ſervato ordine jam dicto; ita ut ſemper hoc privatum Capitulum ex duobus Patribus adminus præter Provincialem conſtet.

3. par. cap. 12. n. 3.

Diffinitores in eodem ſint Conventu.

3. Ut autem prædictus Prior Provincialis Diffinitorum conſilio faciliùs uti poſſit, in Comitiis provincialibus vel ſimul in eodem Conventu collocabuntur, vel in diverſis, parum tamen diſtantibus, ob vitandas expenſas, & faciliorem congregandi commoditatem.

Provincialis nunquam Diffinitores per litteras conſulat.

4. Nunquam Prior Provincialis aliquid determinabit Diffinitores per Litteras conſulendo, ſed ſemper Capitulum privatum congregabit, quando gravis & urgens caſus conſilium eorum popoſcerit: ſi tamen aliquando periculum fuerit in mora, & Prior Provincialis à Diffinitoribus longè diſtaverit, poterit loco ſui aliquem gravem Patrem in prædicto caſu ſubrogare, qui ſimul cum Diffinitoribus prædictis ſuper ea tantùm re provideat, ſicut ipſe feciſſet ſi præſens fuiſſet.

Authoritas Capituli privati.

5. In hoc Capitulo privato poterunt hi ſupradicti Venerabiles Patres (ſi Viſitatores Provinciæ poſt Congregationem, & ante tempus ſuæ Viſitationis, vel etiam inter viſitandum unus, vel ambo ex hac vita deceſſerint, ſeu aliquo juſto & rationabili impedimento detenti, nullo modo viſitare potuerint) alium, vel alios loco eorum inſtituere.

Electio Diffinitoris, & Diſcr. Cap. generalis.

6. Si caſus occurrerit, Diffinitorem vel Diſcretum Capituli generalis eligere poterunt; atque etiam Priorem officio Prioratus privare, non tamen per duos menſes ante tempus Capituli provincialis, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Imolæ celebrato Anno Domini 1388. quod intelligi etiam volumus per duos menſes ante Congregationem. Prohibitionem hujuſmodi etiam reſpectu omnium & ſingulorum Patrum vocem activam vel paſſivam habentium, & non ſolùm per Sententiam condemnatoriam, ſed etiam declaratoriam intelligendam eſſe declaramus: ita ut prædictum Diffinitorium privatum nullum Patrem, cui ratione gradus, officii, vel aliàs vox activa vel paſſiva competat, prædicta voce activa vel paſſiva, gradu, vel Officio intra duos menſes ante Capitulum provinciale, & intra duos alios ante Congregationem intermediam privare, nec privatum declarare ullo modo poſſit, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

Reſtrictio authoritatis circa privation. voc., vel offic.

Ad quæ ſe extendere poteſt.

7. Poterunt etiam licentias ad prædicandum, & ad Confeſſiones audiendas dare; Fratres ad Studium mittere; non tamen poterunt Sententias, vel determinationes Capituli, vel Congregationis provincialis mutare vel alterare, nec ſuper pœnitentiis ibidem injunctis diſpenſare, nec Diffinitiones novas condere, nec Priores inſtituere, nec Fratrem aliquem habitu Religionis privare, nec perpetuo exilio Provinciæ punire: præter hæc omnia etiam facere poterunt,

quæ in his Conſtitutionibus eis commiſſa fuerint.

Litteræ patentes teſtimoniales de electione Diffinitoris, & Diſcreti Capituli generalis ab ipſis deferendæ.

IN nomine Domini &c. Amen. Nos infraſcripti de corpore Diffinitorii hujus Provinciæ N. Ordinis Erem. S. P. Auguſtini omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit, tenore præſentium atteſtamur, qualiter in Capitulo provinciali noſtro intra Conventum N. nuperrimè habito die .... Menſis ... currentis Anni ... ſimul congregatis omnibus Vocalibus, facta eſt per ſchedulas electio Diffinitoris ac Diſcreti hujus Provinciæ pro Capitulo generali proximè futuro, in qua electione præmiſſis præmittendis, ſervatis ſervandis, & peracto ſcrutinio, inventum eſt electos legitimè fuiſſe, necnon denunciatos & confirmatos Patrem N. in Diffinitorem, & Patrem N. in Diſcretum præfati Capituli generalis. In quorum fidem has Sigillo Provinciæ munitas, & noſtra manu ſubſcriptas dedimus in prædicto Conventu N. die &c.

Verùm ſi hujuſmodi electio fiat in Congregatione intermedia, vel in Capitulo privato tenor litterarum teſtimonialium ita diſponi debet, ſcilicet:

In nomine Domini &c. Amen. Nos infraſcripti de corpore Diffinitorii &c. ut ſuprà, *atteſtamur, qualiter in Congregatione noſtra intermedia* (vel Capitulo privato) *nuperrimè habita* (vel habito) *in Conventu N. die ... Menſis .... currentis Anni .... ſimul congregatis novem* (vel quinque) *Vocalibus ipſius Diffinitorii, & ſervatis ſervandis, ſucceſſivè factæ ſunt per ballotulas electiones Diffinitoris, ac Diſcreti hujus Provinciæ pro Capitulo generali proximè celebrando, & in priori electione Diffinitoriatus Adm. Rev. P. Provincialis nominavit tres Patres, ſcilicet, Patrem N., Patrem N., & Patrem N., quorum primo ballotato, & ab omnibus* (vel à majori parte) *acceptato, pro Diffinitore præfati Capituli generalis legitimè denunciatus, & confirmatus fuit* : (ſi verò primus non fuerit acceptatus, ponatur electio ſecundi, vel tertii) *In poſteriori verò electione Diſcretatus idem P. Provincialis nominavit tres alios Patres, ſcilicet, Patrem N., Patrem N., & Patrem N., quorum primus ballotatus cùm habuerit omnia Vota* (vel majorem partem) *pro Diſcreto ejuſdem Capituli generalis item legitimè denunciatus, & confirmatus eſt. In quorum fidem &c.* ut ſuprà.

De his autem, vel ſupra poſitis ad majorem cautelam fieri debent duæ Copiæ originales, quarum una Diffinitori, altera Diſcreto tradatur.

Aliæ patentes litteræ teſtimoniales ejuſdem generis, ſed compromiſſoriæ.

IN Nomine Domini &c. Amen. Nos infraſcripti Patres Diffinitorii Provinciæ N. Ord. Erem. S. P. N. Auguſtini omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit, tenore præſentium notificamus, & atteſtamur, qualiter in Capitulo provinciali noſtro intra Conventum N. nunc celebrato die .... Menſis ..... currentis Anni .... omnes PP. Vocales capitulariter ſimul convenientes ad eligendos Diſfinitorem & Diſcretum hujus Provinciæ pro futuro Capitulo generali proximè celebrando, cùm propter Locorum diſtantiam nulla eſſet ſpes mittendi præfatos Diffinitorem & Diſcretum ex hac eadem Provincia, ſervatis ſervandis, per ſecreta ſuffragia, nullo penitus diſcrepante, compromiſerunt, noſque compromiſimus, & compromittimus Rev. Patri N. Provinciæ N. conceſſa ei totali facultate ad hunc effectum neceſſaria, quatenus communi nomine omnium noſtri eligere poſſit, ſeu conſtituere, ac deputare in Diffinitorem & Diſcretum hujus Provinciæ N. pro dicto Capitulo generali reſpectivè duos Religioſos Ordinis noſtri ſibi beneviſos, & requiſitis conditionibus præditos, vel etiam ſeipſum pro uno ex dictis Officiis, & alium præinſinuatum Religioſum pro altero, ſicut ei placuerit. Quibus ſic electis, conſtitutis, ac deputatis, nunc pro tunc iidem PP. Vocales tradiderunt, & nos tradidimus, atque tradimus reſpectivè omnem poteſtatem & authoritatem, qua cæteri Diffinitores, & Diſcreti Provinciæ noſtræ in ſimilibus Capitulis generalibus tùm ex lege, tùm ex conſuetudine, quòad votum activum in electionibus ibidem faciendis, & quæcumque alia munia ſibi competentia potiri ſolent, poſſunt & debent. In quorum fidem &c. Dat. in præfato Conventu &c. die, menſe, & Anno, ut ſuprà.

At verò ſi hujuſmodi Compromiſſum non in Capitulo provinciali, ſed in Congregatione intermedia, vel Capitulo privato fieri continget, mutatis paucis mutandis, ſervetur idem litterarum tenor, & omnibus illis appoſito Sigillo Provinciæ ſe ſubſcribant propria manu omnes Patres Diffinitorii cum Secretario.

CAPUT XV.

De Officio & authoritate Prioris Provincialis, & pro quibus caſibus poſſit privari.

1. PRiori Provinciali (ſalvo ſemper mandato & reverentia Reverendiſſimi Prioris Generalis) Priores & Fratres omnes ſuæ Provinciæ tamquàm Patri & Paſtori promptè obediant, & debitam ſubjectionem & reverentiam cum humilitate ubique locorum exhibeant. Qui verò Priori Provinciali obedire recuſaverit, & in ipſa inobedientia obſtinatus per diem Pœna inobedientis Provincieli.

&

6. par. c. 20. & noctem permanſerit, ultra pœnam impoſitam eis, qui Priori ſuo per diem & noctem inobedientes extiterint, quam omninò ſubire debet, per annum voce careat.

Notet quæ dicta ſunt de Generali.

2. Ipſe verò in principio ſui regiminis cum timore & tremore incedat, quòuſque magis per experientiam, quàm per aliam ſapientiam ſit edoctus. In primis diligenter legat & notet quæ de Officio Prioris Generalis ſcripta ſunt, & quæ ſibi competunt ſecundùm ſuum Officium opere adimplere non deſinat.

Curabit diligenter dici Divinum Officium.

3. Ante omnia autem ſollicitè procurare debet, ut in omnibus Conventibus Divinum Officium diurnum pariter & nocturnum reverenter, & devotè dicatur juxta Ordinarium Ordinis noſtri: Regulam, & Conſtitutiones, & Acta Capitulorum, atque Ordinarium ſecum portare, & frequenter legere debet, ut ea in primis ſervet, deinde cæteros ad illorum obſervationem verbo & exemplo efficaciter inducat: Legem enim, quam Prælatus non didicit obſervare, & frequenter non legit, non poteſt ſine rubore & errore alios edocere.

4. Prior Provincialis totius Provinciæ curam gerat, non tamen alicujus Conventus poſſit eſſe conventualis Prior.

* Servetur conſuetudo Provinciarum quoad ipſarum Viſitationem.

5. Ad Officium ejus pertinet ſaltem ſemel * in anno omnes Conventus tam Fratrum quàm Monialium ſuæ Provinciæ perſonaliter viſitare, & in eis corrigere, ac reformare quæ ſecundùm Regulam S. P. N. Auguſtini, & Conſtitutiones, ac ordinationes noſtri Sacri Ordinis, ac diffinitiones tam generalis Capituli, quàm ſuæ Provinciæ invenerit corrigenda, ac reformanda: nihil tamen poterit Prior Provincialis præcipere toti Provinciæ ſub pœna ſanctæ Obedientiæ, vel excommunicationis, niſi de conſilio & aſſenſu Diffinitorum, idem intelligi volumus de Provinciæ Viſitatoribus. Errata etiam Fratrum vel Monialium, vel Conventuum aliquorum abſque rationabili ac neceſſaria cauſa nunquam debet aliis recitare: Epiſcopum & Dominum loci, & alios principaliores amicos Ordinis viſitare debet; cum Fratribus Officiis divinis & refectioni, quòad fieri poſſit, intereſſe laboret, ut illorum modum vivendi meliùs conſideret & perſcrutetur: Priores & Prioriſſas Monaſteriorum ſuæ Provinciæ poteſt ipſe per ſe ſuſpendere ab Officio, atque etiam de conſenſu Diffinitorum privare; inferiores autem Officiales de facto privare, ſi caſus emerſerit: Prior tamen ſuſpenſus in Capitulo provinciali vocem habebit, niſi P. Præſidens cum Judicibus cauſarum eum privatione dignum judicaverint.

Provinciam viſitare debet.

Toti Provinciæ nil præcipere.

Priores ſuſpendere poteſt.

De quibus monere debet Fratres.

6. Moneat Fratres ad Dei amorem & timorem, & ad proximorum charitatem, ad trium Votorum obſervantiam, ad humilitatem, patientiam, & alias virtutes: cum ſæcularibus & Religioſis maximè alterius Ordinis modeſtè loqui, & eiſdem honorem & reverentiam debitam exhibere, ac cum eis pacem habere: domi, foriſque ita modeſtè incedere, & ſtare, *ut in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus ſuis nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod eorum deceat ſanctitatem*, & quantùm fieri poteſt, operam det, ut omnes in pace & conſolatione relinquat. Querelas Fratrum patienter audiat, & diſcretè, ſi opus fuerit, in eis provideat: cui tamen nullus querelam facere audeat, niſi propter defectum Prioris conventualis; aliàs non ſolùm non audiantur, ſed etiam corripiantur querelas facientes. Regul. c. 6.

Eligat locum ſuæ habitationis.

7. Facta viſitatione omnium Conventuum in aliquo commodiori loco ſe manſurum conſtituat, ut ſciant Fratres Provinciæ ubi eum invenire poſſint, ſi cauſa eum requirendi contigerit: ſi tamen Fratres ad ſe venire pro levi cauſa cognoverit, ſic venientes puniat, ut alii arceantur; volumus enim, ut diſcurſus Fratrum pro viribus reſtringat, nec permittat eos diſcurrere propter negotia, quæ poſſent per litteras expediri: Fratres de loco ad locum mutare, niſi pro manifeſta neceſſitate, vel rationabili cauſa, Provincialis non debet, maximè quouſque de ſtatu Provinciæ Conventuum, & Fratrum notitiam habeat pleniorem: perturbatores Conventuum alibi transferre, & colligationes in malum per diſperſionem diſſolvere, & quantùm fieri licet, ſervato charitatis ordine, conditiones eorum Prioribus, ad quos mittuntur, notificare debet: Fratrem tamen nullum per menſem ante Capitulum provinciale de loco ad locum mutare poterit pro conventuali, niſi aliàs notabile ſcandalum Ordini, vel Conventui redundaret, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Imolæ celebrato Anno Domini 1388.

Sine cauſa Fratres mutare non poteſt.

Qualiter ſe gerere debet in Apoſtatas.

8. Apoſtatas ſuos Provincialis citramontanus infra ſex menſes à die commiſſæ apoſtaſiæ, ultramontanus verò infra annum, ſalva Ordinis diſciplina, recipere poterunt; ultra verò iſtum terminum eorum receptio ad Reverendiſſimum Patrem pertinebit.

Novis Monaſteriis erigendis ſtudeat.

9. Provincialis, de cujus providentia, & fidelitate Ordo confiſus, adminiſtrationem & regimen Provinciæ diſcretioni ſuæ committit, ſummopere ſtudeat novis Monaſteriis erigendis, † a. præſertim in Civitatibus nobilioribus,

vel

vel quæ commoda eſſe videantur Fratribus itinerantibus; ad promotionem etiam eorum, quæ jam habentur, ſollicitè & inceſſanter laborare debet, & ad hoc pro poſſe Priores & alios Fratres inſtanter inducat: Conventus autem pauperes & remotiores magis debet habere cordi, & plus cavere ab eorum gravamine, eiſque ſemper ſubvenire, in quibus potuerit, & ad ſubveniendum eis Conventus alios & Fratres hortari, eoſque frequentius per litteras conſolari. Ordo itaque experietur opere, quibus Provincias Ordinis ampliandas, & augmentandas confidenter committere poſſit, & debeat: removendi enim omninò ab adminiſtratione Officii ſunt illi, quorum opera Ordo noſter nullum ſuſcipit incrementum, nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus.

Innutiles non ſunt promovendi.

Collecta pro Provinciali.

10. Provideatur verò Priori Provinciali de convenienti ſubſidio, ſeu Collecta pro veſtimentis, & aliis expenſis ordinariis, ſecundùm quod in Capitulo provinciali fuerit determinatum; nec liceat ei plus exigere quàm fuerit taxatum, ſub pœna privationis vocis paſſivæ per quinquennium à die abſolutionis Officii, & ſub pœna reſtitutionis in integrum. † b.

Ad Capitulum generale ire debet.

11. Ad Capitulum generale cum illis tantùm, qui de ſua Provincia electi fuerint, ut ad ipſum Capitulum vadant, ibit: nulli alteri eundi ad memoratum Capitulum licentiam concedere poſſit. Et quando ad præfatum Capitulum iverit, vel aliàs extra Provinciam eum ire contigerit, (quod inconſultis Diffinitoribus, & abſque eorum conſenſu facere non debet) Patrem aliquem diſcretum & expertum, & in Sacris litteris ſaltem mediocriter eruditum, in Provincia Vicarium relinquat; aliàs nullam habeat authoritatem in tota Provincia Vicarium ſtatuendi niſi de ſpeciali licentia P. Reverendiſſimi, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Mediolani celebrato Anno Domini 1343. quod tamen poterit pro parte Provinciæ, quoties opus fuerit, tunc autem talis Vicarius conſtitutus in ea omnibus ejuſdem partis Prioribus præcedat, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

Provincialis Vicarium relinquere poteſt.

Præcedentia Vicarii pro parte Provinciæ.

12. Si autem extra Provinciam ſuamiverit, quod facere pro levi cauſa non debet, moram ultra quindecim dies non contrahat, niſi negotium, pro quo ire contigerit, tam arduum eſſet, ut ſine magno Provinciæ periculo relinqui, vel alteri committi non poſſit.

Cauſæ privationis Provincialis.

13. Exceſſus verò pro quibus Provincialis poterit abſolvi, ſunt iſti, videlicet: Si poſtpoſito Dei timore irreligioſè vivit, vel apud Fratres, ſeu ſæculares de aliquo notabili vitio eſt infamatus; ſi Conſtitutiones & laudabiles ordinationes, ſive diffinitiones Ordinis vel Provinciæ per Provinciam ſervare non facit, tranſgreſſores ſcilicet non corrigendo, nec Conventus ad earum obſervationem hortando & monendo; vel ſi probatos, manifeſtos, graves, & enormes Fratrum exceſſus, ſecundùm Ordinis Statuta non corrigit; Si munera & dona non comeſtibilia, nec parvi momenti à Fratre aliquo, vel Conventu, ſeu à communitate Provinciæ, aut ab aliqua alia perſona ejus, vel eorum nomine, per ſe, vel per interpoſitam perſonam receperit, quæ omnia poſteà Communitati Provinciæ reſtituere compellatur: hoc addito, ut ſi per Simoniam, aut propter aliquam diſſimulationem, vel palliationem alicujus culpæ compertum fuerit aliquid accepiſſe, graviùs puniatur à Diffinitorio pleno Provinciæ, à Provinciali abſoluto congregando, quo nolente, ab uno ex Diffinitoribus, ſervato inter ipſos ordine præcedentiæ, prout declaratum fuit in eodem Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

Deficiente Provinciali quis regere debet Provinciam.

14. Si verò contingeret ipſum Priorem Provincialem ante tempus ſuæ adminiſtrationis expletum ex hac vita decedere, aut aliquo quocumque impedimento ita detineri, ut non poſſit Provincialatus Officium exercere, Viſitatores Provinciæ quamcitiſſimè Patri Reverendiſſimo id ſignificare feſtinent, ut quamprimùm de Rectore Provinciali provideat: † c. interim verò ad illius Prædeceſſorem immediatum in Provincialatus officio, & eo deficiente, ad illi proximum, ipſis omnibus Provincialibus deficientibus, ad primum Diffinitorem Capituli proximè præteriti, quòd ſi nullus eorum inveniretur, ad primum Priorem in ordine Conventuum regimen Provinciæ pleno jure pertineat, uſque ad impedimenti prædicti ceſſationem, vel novi Provincialis electionem, quæ ſuo tempore fiet, niſi Pater Reverendiſſimus aliter diſpoſuerit: interim tamen Rector Provinciæ, & non Provincialis vocabitur.

15. Si autem tunc inſtaret tempus generalis Capituli, in quo debeat Prioris Generalis electio celebrari, ipſe Rector Provinciæ ad dictum Capitulum ibit vocem tamquàm Provincialis in omnibus habiturus: quique Rectoratus Officio quomodocumque legitimè functus fuerit, privilegiis gaudeat Exprovincialium, prout pluriès à Reverendiſſimis Patribus, & poſtremò in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685. declaratum fuit.

Rector Provinciæ privilegiis gaudet Exprovincialis.

NO-

NOTÆ. ✝ a. Quoad fundationem novi Conventus videnda, & ſervanda ſunt Decreta Apoſtolica, de quibus in notis ad §. 9 Cap X. hujus 3. par.

✝ b. In Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1685. diffinitum fuit ne Provinciales aliquid ultra taxam conſuetam à Conventibus recipiant pro Collecto: quòd ſi propter aliquas Provinciarum neceſſitates extraordinariæ contributiones imponendæ fuerint, à nullo id fieri poterit inconſultis PP. Diffinitorii, vel Reverendiſſimo P. Generali pro tempore exiſtente: ſecus facientes à Divinis Ipſo facto ſuſpenſos, reſtitutioni item obnoxios eſſe, nec niſi à Reverendiſſimo P. Generali abſolvi poſſe ſancitum eſt.

✝ c. Quòad authoritatem Reverendiſſimi Patris Prioris Generalis providendi de Rectore Provinciali notandum eſt, quòd in Provincia Bethica hujuſmodi proviſio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, prout in Bulla Alternativæ Innocentii X. ſub die 20. Julii Anno. 1649. continetur.

In Provincia autem Aragoniæ, quamvis introducta ſit Alternative virtute Conſtitutionis Apoſtolicæ Urbani VIII. de qua fit mentio in Brevi Innoc. X. 12 Novembris 1649 providere tamen de Rectore Provinciali, non ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad Reverendiſſimum Patrem Priorem Generalem prout de jure ſpectat; ſed ex Patribus ejuſdem Partialitatis, ex qua fuerat Provincialis defunctus, vel impeditus nominara dabet.

Caput XVI.

De Officio, & authoritate Viſitatorum Provinciæ, de modo viſitandi, qualiter in judiciis in Ordine noſtro ſit procedendum, quomodo etiam Fratres in cauſis extraneorum teſtimonium reddere poſſint.

Officium Viſitatorum. 1. Viſitatores unius cujuſque Provinciæ cum omni diligentia, maturitate, & æquitate commiſſum ſibi viſitationis Officium ſtudeant exercere, ac ſollicitè caveant, ne alios viſitando quidquam faciant, vel omittant, quod poſteà in eis congrua animadverſione veniat corrigendum. Horum Officium eſt, omnes Conventus, & Fratres Provinciæ ſemel ante celebrationem Capituli opportuno tempore viſitare *, Fratrumque omnium tam ſubditorum, quàm etiam Priorum culpas & exceſſus ſecundùm Ordinis Statuta corrigere, & ſi conſuetudo aliqua in aliquo Conventu Provinciæ à Regola ſeu Conſtitutionibus, ordinationibus, vel diffinitionibus inolevit aliena, ab illa præcipiant Fratribus ibidem commorantibus de cætero abſtinere, & tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus Provinciam reformare, & ad debitum modum vivendi redigere conentur.

* Servetur conſuetudo Provinciarum.

2. Nec ullo modo patiantur in aliquo Conventu Provinciæ quantumcumque minimo ceremonias illas, & ſanctas inſtitutiones negligi, ac præteriri, quarum obſervantia ex multitudine Fratrum minimè dependet, ut ſunt v.g. contemplationes, diſciplinæ, ſilentium, jejunium, Capitulum, Confeſſio, Communio, & cætera hujuſmodi, quæ ſic à paucis ſicut à multis obſervari poſſunt; ita tamen viſitent, ut in ſua viſitatione ubiqua ſimul ire, & eſſe debeant, & quidquid ad ſuæ viſitationis ſpectat officium mutua præſentia, conſilio, & conſenſo ſecundùm Ordinis ſtatuta perficiant. Unus ſine altero nil facere poteſt.

3. Quòd ſi Priorem Provincialem in aliquo Conventu invenerint, non poterit dictus Prior Provincialis eos à viſitatione prohibere, niſi jam ſuam viſitationem ipſe incepiſſet, quia in eo caſu illam perficiet priuſquàm Viſitatores viſitare incipiant: aliter verò de Viſitatorum viſitatione Provincialis non ſe impediat, nec in aliquo intromittat. Provincialis impedire non poteſt Viſitatores.

4. Sequenti igitur vel tertia die poſtquàm ad locum pervenerint, quem ex officio viſitare debebunt, ſi fieri poteſt, & omnes Fratres in domo fuerint, alioquin abſentes expectent, ſi videbitur expedire, viſitationem incipiant. Hora itaque, quæ eis opportunior videbitur, facto ſigno, ut moris eſt, omnes Fratres in Capitulo conveniant, & flexis genibus devotè dicant alternatim Hymnum: *Veni Creator*, ſine nota, *Kyrie &c. Pater noſter &c.* ℣. *Memento noſtri Domine &c.* ℟. *Viſita nos in ſalutari tuo. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum. Oremus: Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias. Per Chriſtum &c.* Tunc ſurgant, & alter Viſitatorum dicto *Adjutorium* &c. brevem ſermonem faciat de aliqua ſpirituali & utili materia, ſi voluerit; quod per ſingulos Conventus alternatim facere debent: poſteà Fratres admonebit, & cautos reddet de pertinentibus ad actum Viſitationis, ſicut videbitur expedire; præcipuè ne aliquis dicat inutilia vel frivola, nec ea quæ aliàs ſunt correcta. Modus operiendi viſitationem.

5. Deinde legat, vel legere faciat Excommunicationis ſententiam in hac forma: *Nos F. N., & F. N, hujus Provinciæ N. Ord. Erem. S. Auguſtini Viſitatores indigni. Vos omnes & ſingulos Patres & Fratres hujus Conventus N. ejuſdem Ordinis, ac voti rogamus, hortamur, & in Domino monemus primò, ſecundò, & tertiò, & vobis in virtute Sancti Spiritus præcipimus per obedientiam ſalutarem, quatenus remotis odio, amore, timore, pretio, & precibus, dicatis nobis quantùm in Domino poteritis veritatem in omnibus, de quibus à nobis requiſiti & interrogati fueritis:* Præceptum cum Excommunicatione.

tis : ac inſuper quòd ſi aliquid notabile ſcitis vel audiviſtis de Ven. Priore , vel Fratre aliquo , quod tolerari non debeat , nec deceat , illud nobis charitativè reveletis : quò ſi aliquis veſtrum hoc præſens noſtrum mandatum obſervare contempſerit , ex nunc prout ex tunc una pro trina canonica monitione præmiſſa , in his ſcriptis (licèt inviti) eum vinculo Excommunicationis innodamus. Lecta & lata fuit hæc ſententia Anno Domini &c. die tali menſis talis in Capitulo Conventus N. Et legantur eorum ſubſcriptiones : poſteà adjungat : *Hæc autem ſunt ea , de quibus ex nunc , prout ex tunc unumquemque veſtrum à nobis requiſitum & interrogatum eſſe volumus , atque de facto requirimus & interrogamus , videlicet :*

Interroganda.

6. *Primò : Si divinum Officium tam diurnum quam nocturnum , ut decet , horis debitis devotè dicatur , & ſtatutis diebus cantetur.*

2. *An Prior ad Matutinum ſurgat.*

3. *An omnes Sacerdotes in Miſſarum celebratione conformes ſint : & ſi debitè Ordinarium Romanum , & noſtri Sac. Ordinis in Choro , & Altari à Fratribus obſervetur.*

4. *An ſit aliquis ſuſpectus de horis non dicendis , & de non confitendo frequenter.*

5. *Si Eccleſia , Chorus , Sacriſtia , ſacræ veſtes , paramenta , & alia , quæ ad divinum cultum pertinent , debito & religioſo modo ſerventur ; præcipuè autem Sacratiſſima Euchariſtiæ Sacramentum , & ſi lampas die ac nocte ardeat ante ipſum ; quomodo ſervetur Oleum Sanctum pro Infirmis , atque etiam Reliquiæ Sanctorum.*

6. *Quomodo ſerviatur Infirmis , & eis juxta poſſibilitatem loci , & conſilium Medici neceſſaria tribuantur.*

7. *Quomodo recipiantur Hoſpites.*

8. *Quomodo Novitii & Fratres omnes juniores in timore Dei , & in bonis litteris ſedulò inſtruantur.*

9. *An ſolita jejunia Ordinis ſine cauſa frangantur.*

10. *An die Mercurii carnes comedantur.*

11. *Si veſtes lineæ ad carnes portentur.*

12. *Si benè ſilentium horis & locis debitis obſervetur , & ſi Prior de nocte colloquiis inutilibus ex conſuetudine vacet.*

13. *Si debitus modus in viſitatione , & colloquutione cum mulieribus ſervetur.*

14. *Si diebus ſtatutis Capitulum teneatur , & ad ipſum Fratres conveniant.*

15. *Si lampas in Dormitorio ſingulis noctibus ardeat.*

16. *Si aliquid ex Conſtitutionibus , ordinationibus , vel diffinitionibus , ſeu Superiorum quorumcumque præceptis , vel ſtatutis contemnatur ; ita ſcilicet quòd nec Prior Fratres ad id obſervandum moneat & hortetur , nec tranſgreſſores aliquando , vel rarò increpet , reprehendat , & corrigat.*

17. *An ſit aliquis proprietarius in Conventu , vel qui rem ſibi collatam celet.*

18. *An aliquis Frater cum ſcandalo non alloquatur alterum.*

19. *An ſinguli debitè Priori ſubjiciantur.*

20. *An aliqui ſint notati de nimia familiaritate perſonarum ſiniſtræ ſuſpicionis , vel hominibus malæ vitæ ſint aliqui communiter familiares.*

21. *Si intus , vel foris ſint potatores ſcandaloſi.*

22. *Si aliqui ludis utantur prohibitis , vel ſi habitum ludendo dimiſerint.*

23. *Si aliqui ſint aſſueti jurare , vel turpiter loqui , etiam jocosè , unde malè ædificentur cæteri.*

24. *An Prior viſitet Cellas Fratrum bis in anno , ſicut jubet Conſtitutio.*

Ultimò ; Si famuli Conventus ſint pacifici & honeſti.

7. Deinde Fratrem aliquem modeſtum , & diligentem de conſilio Prioris pro Fratribus vocandis nominabit , qui nomina & cognomina ſingulorum Fratrum Conventus , ſcripta per ordinem cum titulis graduum , Officiorum , & Ordinum , Venerabilibus Viſitatoribus ante omnia præſentabit ; & exinde uſque ad Capitulum de culpis , nec Frater aliquis de Conventu abſque ſpeciali licentia Patrum Viſitatorum extra Monaſterium ire præſumat ; quo etiam tempore ipſi PP. Viſitatores primum locum habebunt etiam ſupra Priorem : ſed anteà , vel poſteà , ſi ex rationabili cauſa moram traxerint , locum ſuum in Provincia conſuetum tenebunt , & ab omnibus reverenter tractabuntur.

Tempore Viſitationis Viſitatores dent venientibus exeuntibus.

8. Tempus , infra quod debeant Prioris & Fratrum culpas audire , & ſuper eis inquiſitiones debitas facere , limitari non poteſt ; ſed ſufficit , ut cum diligentia & ſollicitudine Fratres vocare faciant , eoſque audiant , nec tempus amittant ; immò ante & poſt prandium quotidiè Viſitationis Officium exerceant , ut quamprimùm ſe expediant. Incipientes igitur à Priore , ſucceſſivè audiant ſingulos Fratres , ſcribentes ea , quæ ſibi dicta & revelata fuerint in libello , in quo unuſquiſque Frater ſingula quæ dixerit manu propria ſuo nomine confirmabit (ſic tamen cautè , quòd aliorum teſtimonia legere non poſſit) ut ſi fortè ſuper aliquo caſu contentio oriatur , habeant Viſitatores unde veritas innoteſcat.

Bis in die audiant Fratres.

Scribant dicta , & curent ſubſcribi.

9. Non autem vocentur , neque audiantur infames , quales ſunt falſi accuſatores , detractores , maledici , falſi teſtes , ſorripientes , ebrioſi , & alii hujuſmodi , ut videri poteſt in locis ſuis , & ſiqui alii per Capitulum provinciale judicati fuerint infames , quorum teſtimonia nihil penitus valere volumus ; quos omnes etiam privatos eſſe voce declaramus ,

Qui non audiendi.

Qualiter procedendum.

dum in ſententiis. mus, eaque de facto carere volumus. Licèt autem non intendamus, ut in correctionibus & ſententiis noſtris ſicut in Foro contentioſo procedatur, ſed ſimpliciter & de plano, ſola rei veritate inſpecta, prout ordinatum fuit in Capitulo Mediolani celebrato Anno Domini 1343. (præſertim cùm Superiores in Ordine noſtro, in correctionibus Fratrum, juris ordine poſtpoſito, ſecundùm Ordinis noſtri inſtituta procedere liberè & licitè ex Indulto Apoſtolico poſſint, & valeant) nolumus tamen, ut noſtri Superiores in ſuis Viſitationibus ac judiciis veritatem iſtam inſpicere, & crimina detegere, per fas & nefas ſibi licere putent.

Prudentia commendatur Viſitatoribus.

10. Multum verò intereſt, quòd Viſitatores ex iis, quæ audiunt in viſitatione, non facilè conſcientiam forment, ſed potiùs diligenter inveſtigent de conditionibus perſonæ denunciantis, ſi fortè eum non cognoverint, atque diligenter attendant, & ponderent modum, motum, & affectum ipſius. Siquis etiam alicui crimen objecerit, cujus complicem, vel conſcium ſe fuiſſe dicat, non admittatur ejus teſtimonium contra talem, cùm nullus turpitudinem ſuam allegare poſſit, ſed ipſe idem ſicut reus criminis, quod proprio ore confeſſus eſt, publicè puniatur.

Complici non credatur.

Quid faciendum quando crimen objectum non probatur.

11. Quando aliquis objicit crimen alicui, quod tamen probari non poteſt, ſi is qui objicit crimen, uſque tunc vitæ laudabilis & ſanctæ converſationis extiterit, & de eo cui objicitur crimen, quod illud, vel ſimile quid aliàs commiſerit, apud graves perſonas noſtri Ordinis, inter quas converſatus fuerit, ſit opinio læſa, licèt contra eum non procedatur ad pœnam, quæ tali culpæ debetur, eò quod ſufficiens teſtimonium non appareat; nihilominus de loco, ubi tale commiſiſſe crimen dicitur, removeatur, & in alio collocetur: ſed ſi non ſit auditus hujuſmodi ſermo de illo, cujuſcumque meriti ſit accuſans, ipſe accuſatus ob id gravari in aliquo non debebit.

Quando recipi poteſt teſtimonium ſæcularium.

12. Si aliquis Frater commiſerit aliquid, de quo ſit grave ſcandalum apud ſæculares, poterunt ſuper hoc recipere teſtimonia ſæcularium perſonarum, de quibus non ſit ſuſpicio odii contra Ordinem, vel Fratrem prædictum, quibus receptis poterunt ad ſententiam procedere, ſicut fuit ordinatum à Reverendiſſimo Magiſtro Alexandro de S. Elpidio noſtri Sac. Ordinis quondam Generali electo in Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1312.

Correctio ſecreta.

13. Poſtquàm igitur inquiſitionem de omnibus quæ ad emendationem, & ad correctionem Prioris, & Fratrum omnium ſpectabunt, diligenter fecerint, ſi aliqui vocandi fuerint, ut reprehenſione ſecreta puniantur, maturè & expeditè fiat.

Viſitandum Depoſitum.

14. Deinde viſitent Depoſitum Conventus, & in libris tam accepti quàm dati fidem ſuam relinquant eorum, quæ invenerint: Viſitent etiam Sacriſtiam, & videant quomodo obligationibus Miſſarum ſatisfactum ſit: Viſitabunt quoque Cellas Fratrum, & ſiquid indecens invenerint ab eis auferant, & vel uſui communi applicent, vel vendi faciant, ut de pretio aliquid pro Infirmaria ematur: idem omninò faciant, ſi invenerint, quòd aliquis Frater cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, equum aut jumentum aliquod per ſe, vel per interpoſitam perſonam ad ſuum privatum uſum teneat ſine ſpeciali & expreſſa licentia Provincialis & Diffinitorum in ſcriptis habita, in qua rationabilis & evidens cauſa exprimatur: præter hoc autem prout eis videbitur talis Frater pro ſua temeritate debitè puniatur: Viſitent etiam alias principales officinas Conventus, utputa loca infirmorum, & hoſpitum &c. & in omnibus videant, & notent meliorationes Conventus, ut Capitulum provinciale valeant de Priorum bona, vel mala adminiſtratione informare.

Sacriſtia.

Cellæ.

Infirmaria, & hoſpitium.

Ordinationes conferuntur cum PP. Conventus.

15. Cùm autem ad determinationem viſitationis ventum fuerit, ſi aliquas novas ordinationes relinquere voluerint cuſtodiendas, debent primò ſuper his cum Priore, & quatuor Patribus deputatis, vel duobus in minoribus Conventibus conferre, & eorum ſententiæ, qui noverunt pleniùs ſtatum domus & Patriæ, fidem adhibere: quas ordinationes in libro Conventus ſcribant, vel ſcribi faciant, ac manu propria confirment, in quo libro tam hæ ordinationes, quàm diffinitiones Capitulorum generalium, ac provincialium illius Provinciæ, & alia memorabilia pro bono Conventus regiſtrari debent; in libro etiam quem ſecum deferent, & futuris Viſitatoribus tradent, omnia ſupradicta ſcribant, vel ſcribi faciant.

Liber Viſitationis.

Capitulum de culpis.

16. His omnibus peractis, Capitulum de culpis teneant, & unus eorum (idem ſcilicet qui in primo Capitulo ſermonem fecit) in hoc ſecundo, dicto: *Adjutorium* &c. verbum habeat opportunum: deinde publicet ordinationes, ſi quæ factæ fuerint; poſteà dicat: *Agamus de culpis* &c. & Prior ſurgat, & coram Venerabilibus Viſitatoribus humiliter genuflectens dicat ſuam culpam, nec ſurgat, quandiù cum eo loquuti Viſitatores fuerint: interim Conventus ſtet, & poſt eum

eum ſedeat. Deponere Priorem, vel abſolvere non puterunt, ſed ſi expedierit, ab Officio ſuſpendaot: deinde reos proclamabunt, ut ſi ſuam culpam confiteantur, non oporteat teſtes publicare; ſi verò tunc qois diffitebitur, tacito adhuc uomine prædictorum teſtium, legent, ipſo, & aliis audientibus, quæ de eo dicta fuetint, ut ipſe audiens circumſtantias & modum culpæ, quam commiſit, erubeſcat, & confiteatur: alioquio Fratres illi per quos convincendus erit, ſurgentes ad mandatum venerabilium Viſitatorum, quæ in ſecreto de eo dixerunt, coram omnibus confirment, ut convictus dignam pro ſuis culpis ſubeat pœoitentiam.

Priorem ſuſpendere poſſunt, non deponere.

Correctio culparum.

17. In iojongendis pœnitentiis providè diſcernant gravitatem culparum, & prout poſſibile fuerit, cum charitate puniant juſto modo ſine perturbatiooe, & pluſquàm io ordinariis Capitulis puniri ſolent exceſſus, ne viſitatio veniat in contemptum. Aote injonctionem pœnitentiæ aggravent culpas, quæ majori reprobatione dignæ fuerint in quolibet delinquente, ut per hæc audientes arceantur, & ad cavendum inducaotur: virtutes verò in bonis laudent & commendent, ut cæteri excitentur & animentur. Principaliter autem ad hæc intendere debent, ut ex ſua viſitatione ſequatur correctio culparum, Religio reformetor, obedientia, devotio, & omne denique bonum in Fratribus augeatur, & pax, charitas, & tranquillitas in domo relinquatur.

18. Poſteà Supprior pro ſe, & pro omnibus Sacerdotibus, & Patribus gravioribus ſtantibus dicat ſuam culpam; quod etiam faciat primus ex Profeſſis pro ſe, & pro omnibus non Sacerdotibus genuflexis, & impoſita eis pœnitentia dicant omnes flexis genibus *Confiteor Deo &c.* & Viſitator faciat Abſolutionem generalem conſuetam, & concedat omnibus & ſingulis licentiam eligendi Confeſſorem idoneum, & approbatum ejuſdem Conventus, qui eos infra tres dies abſolvere poſſit ab omnibus caſibus & cenſuris; & dicto *Adjutorium* &c. Capitulum ſolvant.

Cauſæ removendi Fratres.

19. Si invenerint aliquem ex Fratribus aliquid comiſiſſe, propter quod de Conventu illo ſit meritò removendus, puta quia ſuſcitat ſchiſmata inter Fratres, aut contra Priorem malitioſè ſe erexerit, ſive alicoi perſonæ familiaritate conjunctus eſt, quam ipſe deſerere non vult, & ſine ſcandalo tenere ooo poteſt, vel crimen aliquod grave commiſerit, per qood generaverit, vel generare poſſit ſcandalum io Popolo, ſeo Conventus, aut Fratrum turbare, vel impedire quietem, vel ſi inter ſæculares eſt infamis, etiamſi de delicto convinci nequeat, & propter alia hujuſmodi, Priori Provinciali ſcribant, vel Capitulo denuncient, ut Fratrem illum inde removeaot, & ſi ſcandalum talis Fratris nimis invaleſcat, eum ad Priorem Proviocialem cum litteris ſtatim tranſmittant.

20. Omnia autem per Viſitatores ſtatuta & ordinata, tam quòad morum reſormationem, quàm quòad pœnitentias injuoctas firma & immobilia permanebunt, nec Prior Provincialis ea poterit mutare, minuere, vel alterare: idem per Viſitatores de præceptis, ſtatutis, & pœoitentiis Prioris Provincialis omnino obſervari volumus, & mandamus. Siquis autem pertinaciter inobediens venerabilibus Viſitatoribus, vel eorum mandatis repertus fuerit, pœnam patiatur quæ debetur iis, qui Priori Provinciali ſunt rebelles.

Provincialis Acta per Viſitatores facta alterare non poteſt.

Pœna inobedientium.

2. par. cap. 15. n. 1.

21. Venerabiles Viſitatores de correctione Prioris Provincialis non ſe immiſceant, nec de ſuis culpis vel uoum verbum loquantur io Capitulo Cooventus, ſed eas fideliter Diffinitorio præſentent, ſi ſibi relatæ fuerint: ab unoquoque autem Fratre ioquiraot io particulari, ſi fortè ſcit aliquid, vel aodivit de Priore Provinciali, quod tolerari non debeat, nec deceat: hoc tameo in publico ob reverentiam Officii Provincialatus non erit diceodum.

Viſitatores in Provincialem jus non habent.

22. Priori Provinciali, ac etiam Prioribus illis, in quorum Conventibus ipſos Viſitatores habitare contigerit, ſicut alii Fratres & ipſi obedire teneantur, ſalvo ſemper Officio eis commiſſo. Prior Provincialis poterit eos corrigere ac punire, non tamen pro culpis tempore Viſitationis commiſſis, licèt perſonales fuiſſent; hoc enim pertinere volumus ad Diffinitores Capituli provincialis, vel ad Provincialem futurum.

Authoritas Provincialis in Viſitatores.

23. Decernimus inſuper, quòd ſiquis aliquem Fratrem apud alium quàm Superiorem vel Prælatū noſtri Ordinis accuſaverit, ipſo facto ſit omnibus gradibus, ac voce otraque privatus uſque ad diſpenſationem Capituli provincialis. Inhibemus autem, oe quis pro hujuſmodi correctionibus recurſum habeat ad Juriſtas, vel ad quaſuis alias perſonas, quæ oon ſint noſtræ profeſſionis, ot ſe, vel alium à culpis defendat, vel à pœna eximat, ſiquis contrafecerit, per triennium voce ſine diſpenſatiooe privetur: idem obſervari volumus de correctionibus aliorum Superiorum Sac. Religionis noſtræ. † a.

Pœna recurrentium extra Religionem.

24. Appellationes à correctione regulari, vel à præcepto ſui Superioris penitus iohibemus, & à ooſtro Ordine re-

le-

Pœna appellantium à correctione.

legamus, & ineptas judicamus, & ut tales non eſſe audiendas declaramus. Quapropter ſiquis à proceſſibus, ſeu ſententiis, viſitationibus, correctionibus, ſeu præceptis Officialium noſtri Ordinis indebitè ✝ b. appellaverit, etiamſi ad Superiorem appellet, ex nunc prout ex tunc ſic ineptè appellantem voce privamus per triennium; & idem judicium fieri mandamus de his qui appellantibus adhæſerint, vel appellationes defenderint; cùm ad Ordinem non venerimus contendere, ſed propriæ voluntati renunciare, & pati cum Chriſto & pro Chriſto: hoc autem determinatum fuit in Capitulo generali Florentiæ celebrato per Beatum, multiſque miraculis decoratum Fratrem Clementem de Auximo noſtri Sacri Ordinis Generalem Anno Domini 1287.

Pœna talionis.

25. Ex ſola ſuſpicione aliquis aliquem non accuſet, aliàs accuſans ſuſtinere cogatur pœnam, quam accuſatus ſubire debuiſſet, ſi de objecta ſibi culpa convictus fuiſſet: eamdem pœnam ſuſtineat, qui in probatione accuſationis alicujus defecerit.

Provincialis & Viſitat. generales prædictum modum ſervabunt.

26. Prædictum modum viſitandi, ac judicandi ſervabunt Prior Provincialis, ac Viſitatores Reverendiſſimi Patris Generalis in ſuis viſitationibus formalibus, & omnes Superiores Ordinis noſtri in ſuis Judiciis. Quod attinet ad receptionem munerum, non ſolùm tempore viſitationis, ſed etiam in toto biennio vel triennio, idem ſit judicium de Viſitatoribus, ac de Priore Provinciali. Habeant quoque Viſitatores à ſuis Conventibus proviſionem ordinariam, ſicut alii Fratres; de neceſſariis verò ad viſitandum à communitate Provinciæ eiſdem provideatur.

Collecta pro Viſitatoribus.

Secretum Viſitatores ſervent.

27. Denique Fratrum, vel Monialium defectus, nulli niſi ſolùm Diffinitorio Capituli provincialis, vel ipſi Provinciali ullo modo dicant, ſed potiùs bona de Conventibus, & Patribus prædicent, prout ſecundùm Deum, & conſcientiam facere poterunt bono modo, niſi alicujus negotii urgeat neceſſitas: quòd ſi ſecus feciſſe convicti fuerint, ſi materia fuerit gravis & ſecreta, inhabiles ad hujuſmodi Officium per decennium permanebunt; ad idem teneatur Prior Provincialis ſub eadem pœna.

Quando Fratres in cauſis externis poſſunt examinari.

28. Ut autem occaſiones inquietudinis vitentur, & meliùs pax ac benevolentia cum omnibus conſervetur, nemo ex noſtris, nec in cauſis criminalibus, nec etiam civilibus ſe examinari ſine licentia ſui Superioris permittat ſub pœna privationis vocis per annum. Superior autem licentiam dare minimè poterit in cauſis criminalibus vel infamatoriis; poterit verò dare in cauſis, quæ ad Religionem Catholicam pertinent, & in piis cauſis civilibus, quæ, quantùm fieri poſſit, ſic cedant in unius favorem, ut in alterius detrimentum non cedant: quandoquidem Inſtituti noſtri eſt, ſine cujuſquam offenſione, quantùm fieri poteſt, omnium in Dominò commodis inſervire.

NOTÆ. ✝ a. Ad tollendum abuſum, quo nonnullæ utriuſque ſexus regulares perſonæ noſtri Ordinis Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores ad Tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere conſueverunt in non modicam juriſdictionis ipſorum Superiorum læſionem, & regularis Inſtituti alterationem, ac ſcandalum plurimorum; Clemens Papa VIII. univerſis & ſingulis dicti Ordinis utriuſque ſexus regularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus Apoſtolica auctoritate præcipit, & mandat, eiſque ſub Excommunicatione latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, (præterquàm in mortis articulo) abſolvi poſſint; necnon privationis perpetuæ Officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis Officia, ac vocis, tam activæ quàm paſſivæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis, diſtrictiùs inhibet, ne ad ipſa Tribunalia ſæcularia quovis prætextu, aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præſumant. Vult inſuper, & ita declarat, quòd nedum dicti Ordinis regulares perſonæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodòlibet directè, vel indirectè fautores, & conſultores eaſdem pœnas eo ipſo omninò incurrant. In Bulla: *Quoniam noſtro paſtorali.* 23. Novembris 1604. Pontificatus Anno 13. In Bullario Romæ recuſo 1617.

✝ b. Debitæ verò appellationis forma in caſibus, in quibus fieri de jure licet, præſcribitur Decreto Sac. Congregationis Regularium, juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Sixti V 1587. hoc modo. Quoniam nonnulli Regulares vagandi ſtudio, ſive dum imminentem admiſſorum criminum pœnam ex ſuis Conſtitutionibus, aut aliàs debitam ſibi metuunt, falſa, & commentitia gravamina cauſati non ad immediatè ſui Ordinis Superiores, ſcilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cujuſque Religionis Conſtitutionibus diſponitur; ſed ad hanc Romanam Curiam abſque licentia ſæpiùs fugiunt, potiùs quàm recurrant, ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores evadunt. Placuit Sac. Regularium Congregationi ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere, *ut ſiquis Regularium impoſterùm temerè, leviè ex cauſa hanc Almam Urbem, ſeu Curiam abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa, adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores, ſeveriori pœna plectendus remittatur.*

Caput XVII.

De Officio, & authoritate Prioris localis, & pro quibus caſibus poſſit privari.

Obedientia Priori debita.

1. PRiori tamquàm Patri Fratres ſui Conventus cum omni ſubjectione, ſalvis ſemper mandatis Superiorum, in omnibus obediant, ab eiſque in ſingulari reverentia habeatur; nam *Dedecus filii Pater ſine honore.* Ipſe in primis diligenter legat, & notet quæ de Officio Prioris Generalis, & Provincialis ſcripta ſunt, & quæ ſibi competunt ſecundùm ſuum Officium opere adimplere pro viribus laboret: quod & Provincialis è converſò facere tenetur, cùm etiam & ipſe Prior ſit totius Provinciæ. *Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum*, nec percepta abutatur poteſtate, ſed tantò magis ſeipſum in omni diſciplina cohibeat, quantò in Monaſterio nullum alium habet à quo poſſit cohiberi.

Eccl. 3. 13.

Regul. c. 11.

Communitatem ſervet.

2. Veſtitus & lectualia ejus, nec in pretio, nec in forma, nec in colore ſingularia ſint; in Refectorio cum cæteris, & ſicut cæteri comedat, niſi fuerit infirmus, vel propter hoſpites; nam cùm Prælatus aſperitates Ordinis cum aliis ſuſtinet, ipſe intelligit quæ ſunt proximi ex ſeipſo, & dum ſentit miſeriam, addiſcit miſericordiam: qui verò per experientiam miſeriam non novit, miſeris compati neſcit, juxta illud: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Spiritualibus exercitiis libenter interſit, quò ſingula ordinatè fiant, juxta illud: *Eſto cum populo in his, quæ ad Deum pertinent:* circa quotidiana miniſteria minoris ponderis, quæ per Officiales exerceri ſolent, minùs occupetur; ſemper tamen ſuperintendat, & officinas ſæpè viſitet, & in eis negligenter, vel indecenter ſe habentes corripiat & puniat. Priorem Provincialem, Viſitatores, & alios Superiores ſuos debita cum reverentia ſuſcipiat, & tractari faciat, eorum mandata Fratribus frequenter proponat, & ut plenè obſerventur operam det, eiſque ipſammet obedientiam præſtet, quam à Fratribus ſuis ſibi præſtari deſiderat, & procurare debet.

Amos 6. 6.

Exod. 18. 19.

Qualitates Prioris.

3. Ad Officium ejus pertinet Subditis ſuis ſpiritualia & temporalia tam in ſanitate, quàm in infirmitate miniſtrare; varias eorum conditiones & complexiones inveſtigare, & non eodem modo omnes tractare, ſed potiùs ſingulis ſe coaptare, quantùm Religio abſque peccato permittit: quorumdam infirmitates tam animorum quàm corporum ſupportando; aliorum proterviam & contumaciam humiliando: puſillanimes roborando: deſolatos & triſtes conſolando: naturaliter impatientes & iracundos ad horam ſuſtinendo: patientes non irritando: honeſtiores & verecundiores verbis corripiendo: vitioſos & improbos (ſiqui fuerint) pœnis corrigendo: eo tamen modo in correctionibus ſe gerat, ut etiam qui reprehenduntur & corriguntur, quamvis ſecundùm inferiorem hominem, quod agitur ſibi diſpliceat, agnoſcant nihilominus, quòd rectè in Domino, & cum charitate ille ſuum officium exequatur: delinquentium peccata non diſſimulandu, ſed mox ut cœperint oriri radicitùs amputando; memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo: ferventiores plus debito refrenando: periculoſos & proclives ſollicitè cuſtodiendo, ipſoſque, ſi contingat interdum exire, cautè aſſociando: Juvenes de facili non exponendo: maturos & idoneos occupando: ſicque modò privatè, modò publicè, modò durè, modò blandè, modò verbis, modò operibus, modò pœnis & diſciplinis, modò recreationibus licitis & honeſtis, ut alacriores ad res Divinas & Sacras reddantur, modò per ſe, modò per alios Fratres diſcretos agendo, dare debet ſingulorum & Ordinis profectibus operam efficacem.

1. Reg. 3.

Hortetur omnes Fratres ad Virtutes.

4. Prior quoque, cui cura animarum Subditorum ſuorum, de quibus debet rationem reddere Deo, & adminiſtratio Conventus à Provincia commiſſa ſunt, ſuos ſubditos ad humilitatem, obedientiam, paupertatem, caſtitatem, aliaſque virtutes frequenter hortetur & moneat, maximè Sacerdotes & antiquiores; nam ad progreſſum in virtutibus faciendum, multum confert antiquiorum exemplum: juniores namque ſicut ipſos facere viderint, ſic & ipſi facient. Ad Horas canonicas temporibus ſtatutis Domino Deo reddendas in Choro & extra ſollicitet, eaſque ſemper in Choro pro more dici, aut cantari diſtinctè & devotè faciat, quibus ſemper interſit, niſi ſit negotio communi occupatus. Moneat quoque Fratres quando opus fuerit, ut domi ac foris religioſè ac devotè incedant, & cum omnibus, maximè cum Clericis & Religioſis alterius Ordinis humiliter & modeſtè loquantur, ipſiſque honorem & reverentiam, cùm caſus occurrerit, exhibeant: ut ſibi ipſis tribuant titulos Religionis honeſtos & condecentes; & Sacerdotes Patres, non Sacerdotes verò Fratres appellent, *invicem honore prævenientes*, Deum in ſeipſis honorantes, cujus templa facti ſunt.

Sollicitus ſit de Divino Officio.

Ad Rom. 12. v. 10.

Inhibeat tranſitus

5. Prætereà inhibeat Fratribus per Eccleſiam obambulare, vel per eam ex-

tra

per Eccleſiam.

tra Conventum exeuntes, vel ad Conventum redeuotes traoſire, maximè quando divioom in ea celebratur Officium. Silentium, quod decot Religionis eſt, Fratribus ſæpè commendet, & ab omnibus diſcretè ſervari faciat. In decenti sdminiſtratiooe, ſolemni cultu divini Officii, & obſervantia Regulæ & Cooſtitutiooum, ordinationum, ac diffinitionum, & odore bonæ vitæ & famæ domi & foris per ſe, & ſuos Fratres vigilet, & inceſſaoter inſiſtat, ut Deo, qui corde & opere colitut, adminiſtrationem acceptam & gratam exhibeat, & ex ea Ordini Fidelium devotio plus accreſcat.

Pacem inter Fratres procuret.

6. Fratres sdinvicem in vinculo pacis & charitatis coojuoctos conſervare procuret: ſi autem ſciverit, qoòd aliqois Frater ex deliberatione, & pro animi affectu alicui Fratri non loquatur, ſtatim eum vel eos mooeat, ot omni livore depoſito, adiovicem loqnaotut; ſi verò aliquis ſic admonitus infra diem naturalem ſe noo emendaverit, & Fratri loquutus non fuerit, ipſo facto careat voce, donec cum eo per Priorem Generalem, vel pet Capitulum generale fuerit diſpenſatum, pront diffinitum fuit In Capitulo generali Bononiæ celebrato Anno Domini 1306. addeotes quòd iſte talis oon commonicet, donec Fratri loquatur.

Pœna nolentis loqui cum alio.

7. Utilitatem & commoditatem Conventus ſic providè procoret & quærat, ut in labrica Eccleſiæ & domorum, & alia loci promotione, ſua ſoilicitudo & fidelitas oota fiat: Eccleſiam, & Chorum, & Sacriſtiam in his, qoæ ad decorem & ornatum pettioeot, ſtudeat ſollicitè conſervare; officioas verò aliàs, ſeu domos mondas & honeſtas procuret penitus teoeri.

Sollicitudo, & fidelitas Prioris.

8. Poterit Priot Suppriorem, Sacriſtam, & Procuratorem, ſi ipſi limites authoritatis ſibi ab ipſo Priore commiſſæ exceſſeriot, & moniti ptimò, ſecundò, & tertiò in Capitulo, vel coram teſtibos ulteriùs id ſacere præſumpſerint, ab officio ſuſpendere, à Priore Provinciali efficaciter & cum effectu privandos, poſtquàm de cauſa ſuſpeoſionis ſibi legitimè conſtiterit. Idem poterit facere, ſi caſus alius emerſerit, de cooſenſu Patrum conſilil. In iſtis verò caſibus, vel quaodocumqne, ſeu quomodocumque aliquod Iſtorum officiorum vacaverit, ſtatim Priori Provinciali per litteras id Prior ſignificet, eique mittat nomina omnium Sacerdotum ſui Cooventus, nt Prior Provincialis de aliqoo ex eis, vel de alio Fratre Idoneo provideat uſque ad Congregationem vel Capitulum provinciale. Verùm ne intereà Conventus ipſe aliquod diſpendium patiatur, Prior slicui ex magis diſcretis & providis ſuæ familiæ committat, ut interim prædicto fungatur officio; iſte tamen ad conſilia nou admittatur.

Officiales ab Officio ſuſpendere poteſt.

9. Laborare quoque debet Prior ad amicos & devotos Ordinis conſervandos & moltiplicandos, & maximè ad habendum gratiam Prælatorum, Magnatum, & primatiæ authoritatis hominum, illos interdum per ſe, vel per Fratres eis magis notos & gratos viſitaodo, & honorificè, quandò ad nos venioot, recipiendo: nihil tamen caoſa humilitatis & revereotiæ, ſeu devotionis faciat, quod præjudicet Ordinis libertati. Sic itidem cùm aliqoi malè erga nos affecti eſſe intelligerentur, laborare debet Prior, ot ad ooſtram amicitiam redeant, vel adminus adverſatii Ordiois non ſiot, ut per benevolentiam omnium in rebus omnibus obſequium Dei creſcat, & devotio Religionis non minuatur: gratia etiam Cleri & Populi non eſt parvifacienda, ſed charitas & pax cum omnibus eſt procuranda.

Solertia Prioris.

10. Fratribus & Conventibus vicinis debet ſe favorabilem exhibere, ſi ſuo suxilio & favore in aliqoo indiguerint, & & eis piè in eorum oeceſſitatibus, ſi potuerit, debet ſubvenire; advenientes Fratres charitativè tractare, moltò verò magis eos, qui de aliis Provinciis venerint, alacriùs excipere debebit.

Vicinis Conventibus ſit favorabilis.

11. Prior in ſoo Mooaſterio toto Prioratus tempore debitam reſidentiam faciat, itaut raró admodum ad diſtantia loca proficiſcatur, ſuper quo vigilet Prior Proviocialis, eumque ſi ſecus fecerit arguat, & ſi neceſſe fuerit, puoiat: extra ipſum Conventum oltra tres dies ſine magna & evideoti oeceſſitate Prior ooo maneat: ſi autem pro utilitate Conventus quandoque fortè alitet expediret, & evidens neceſſitas immineret, de licentia Prioris Provincialis, ſi in propinquo loco fuerit, vsdat: qoòd ſi propè non fuerit, Pattum de cooſilio conſenſum reqoirat, & habeat; alioqoin à Priore Provinciali arguatur, & ſi ſibi videbitur, puniatur. Qui verò ex conſuetudine hujus maodati tranſgreſſor extitetit, niſi ſuos diſcurſus modetaverit, tamquàm levis & Inconſtans Officio privetur, & voce paſſiva careat pet biennium: ſemper tamen quando foras egreditur, ſi in Cooventu non ſit Supprior, Vicarium relinquat; quod ſi facere omittat, ille aliis præſit Sacerdos, qoi primnm locum in Conventu tenet, & idem obſervetur de Fratribus aliis, nbi Sacerdos domi non maneret; nbi verò Supprior fuerit, noo licebit Vicarium conſtituere. Vicarius verò

Rarò à Conventu abſit.

Pœna Prioris divagantis.

rò

rò à Priore deputatus, ſi fieri poſſit, Conventum non exeat, cùm ipſe Vicarium relinquere non poſſit; ſicut autem Prior in Conventu debet eſſe aſſiduus, ita etiam ad id cogat Fratres ſuos, cùm ex nimio diſcurſu apud Clerum & Populum incurrant infamiam non modicam.

Pœna Prioris mutantis Religioſos.

12. Prior de Subditis ſuis nullum poterit à Conventu mutare, nec ad Sac. Ordines licentiare, nec poterit Novitium recipere abſque licentia Prioris Provincialis, quòd ſi contrafecerit, Officio abſque diſpenſatione privetur.

Apoſtatam intra Menſem recipere poteſt.

13. Item non poteſt ultra menſem à die apoſtaſiæ Apoſtatam ſuum recipere; benè tamen uſque ad menſem, ſalva Ordinis diſciplina; nec poterit Conventum ſuum viſitare formaliter, benè tamen poterit, laborante fama alicujus ſcandali, veritatem inquirere, juramentum præſtando, ad quod Fratres omnes volumus aſtringi, in præſentia tamen duorum proborum Fratrum ejuſdem Conventus, qui etiam juramentum præſtabunt ſummi ſecreti ſervandi.

Authoritas Prioris in ſpiritualibus.

14. Benè quidem poterit ſubditum ſuum abſolvere à ſententia Excommunicationis à ſe de licentia Provincialis lata, vel ex injectione manuum proveniente, vel in Conſtitutionibus, ſive diffinitionibus contenta, nulli tamen Superiori Prælato reſervata; ſed à ſententia Excommunicationis à ſuis Superioribus lata, ſive eis reſervata; abſolvendi non habebit facultatem. Poterit quoque diſpenſare cum Fratribus ſuper omnem Irregularitatem, † a. præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum. Subditum ſuum irregularem in Sac. Ordinibus miniſtrare non permittat, nec ipſum ſuum Vicarium relinquat: nec enim talibus miniſtratio alicujus dignitatis tantummodò eſt inhibita, verùm etiam cujuslibet dignitatis eſt electio, ſeu promotio interdicta.

Prior nec recipere nec expendere poteſt pecunias.

15. Bona pertinentia ad Conventum, ſeu eleëmoſynas Prior (quantum fieri poterit) non recipiat; nullo verò modo apud ſe retineat: ſed ſi quandoque ipſum aliquid ab aliqua perſona recipere contingat (quod tamen invitus per ſe facere debet) illud quantum & quale ſit, ſtatim vel in ipſo Depoſito reponat, vel uni ex Depoſitariis tradat, & in libro Conventus lucidè ſcribantur nomen & cognomen perſonæ dantis, & cauſa ob quam dedit; & ſicut pecunias recipere non poteſt, nec eas etiam expendere ipſe debet, ſub pœna privationis officii, & vocis activæ & paſſivæ per quinquennium, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato Anno Domini 1539.

Pœna Prioris contravenientis.

16. Prior debitum ultra duos aureos nullum contrahat, nec mutuabit pecuniam, nec aliquid aliud uſu conſumptibile alicui extraneo, niſi res ſit parvi momenti; neque expenſas extraordinarias magnas faciet ſine conſenſu Patrum conſilii; qui contrafecerit officio Prioratus privetur. Eamdem pœnam ſubeat ille Prior, qui ædificia magni ſumptus inceperit, abſque licentia Prioris Provincialis, & conſenſu prædictorum Patrum conſilii, ac conſilio Magiſtrorum habentium experientiam artis: præcipimus tamen ſingulis Prioribus, ut fabricas inceptas à ſuis Prædeceſſoribus primò perficiant, quàm alias de novo incipiant, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Paduæ celebrato Anno Domini 1281. niſi Patribus conſilii oppoſitum videretur magis convenire: teneantur tamen in eo caſu conſenſum Prioris Provincialis obtinere priuſquàm incipiant fabricare; quod item volumus obſervari, antequàm arbores, cùm opus fuerit, ſecari præcipiant.

Debitum magnum non contrahat.

Pœna privationis.

17. Prætereà, quia tremendum & periculoſum eſt in ſententiam Excommunicationis prorumpere, diſtrictè præcipimus, & mandamus omnibus & ſingulis Prioribus, Supprioribus, & Vicariis conventualibus, ne pro quacunque interveniente cauſa, irrequiſito Priore Provinciali, vel vicem ejus Gerente, in ſententiam Excommunicationis prorumpant, ſed fideli relatione eidem facta, & de ferenda ſententia licentia petita & obtenta, poterunt eam ferre; quam licentiam quaſi invitus, & cum multa maturitate & circumſpectione, & quando nullum aliud prorſus inveniatur remedium, Prior Provincialis concedere debet, propter animarum pericula. Sententiam iſtam cum tremore non modico, debet trina monitione præmiſſa in ſcriptis promulgare; aliàs enim, hoc eſt ſine ſcripto & monitione ſententiam Excommunicationis ferens, triginta diebus ab executione & adminiſtratione ſui Officii ſit ſuſpenſus, & Supprior, ſi eſt, alioquin primus Sacerdos regat Conventum, prout ſupra dictum fuit: quibus omnibus diebus ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere debet; alioquin ipſo facto irregularitatis maculam ſe noverit incurriſſe, cujus diſpenſationem nonniſi à Priore Generali poterit obtinere.

Non poteſt excommunicare.

Pœna Prioris contra præſcripta Excommunicantis.

18. Tempore etiam ordinato & præfixo ad Capitulum ſuæ Provinciæ Prior ibit; quòd ſi juſto impedimento præpeditus ire non poterit, Sigillum per Diſcretum ſui Conventus, quem in tali caſu omninò mittere tenetur, cum rationibus & cauſis, quibus detentus remanſit, mittat.

Tenetur ad Capitulum ire.

mittat. Si verò juſtam habens excuſationem non eundi, Sigillum cum dictâ excuſatione non miſerit per Diſcretum, ut dictum eſt, vel ſi nullus fuerit, qui pro Diſcreto mittatur, per Priorem propinquioris Conventus ejusdem Provinciæ, vel etiamſi miſerit Sigillum, excuſatio non videatur Patribus Diffinitorii ſufficiens & rationabilis, eo ipſo quòd mandati Ordinis tranſgreſſor fuit, ad omne Officium cum cura animarum in noſtro Ordine ineligibilis per quinquennium permanebit.

Pœna non euntis.

19. Nullus Prior invitus privari vel abſolvi poterit, nec ſuſpendi, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus, vel diffinitionibus noſtris, & in iſtis quæ ſequuntur, videlicet: Si Capitulum non tenet niſi rarò; ſi divino Officio ex conſuetudine non intereſt, cùm non ſit maniſeſtè occupatus aliis negotiis ad Ordinem vel Conventum pertinentibus; ſi Fratribus ex conſuetudine verba contumelioſa dicit; ſi Conſtitutiones & Ordinationes noſtri Sacri Ordinis frequenter non legit vel legi facit, & ſi nihil aut parùm curat ut obſerventur; ſi ſchiſma, vel aliquid aliud manifeſtè commiſit, per quod poſſit pax Provinciæ perturbari; ſi inter Sæculares eſt infamis, licèt per Fratres delictum probari non poſſit; ſi communem vitam cibi & potus cum aliis Fratribus in Refectorio non ſervat, quantum ſui corporis valetudo permittit; ſi munera, ſeu dona ab aliquo ſuo ſubdito præter comeſtibilia, aut parvi momenti receperit; ſi Subditum ſuum ſecundùm Ordinis ſtatuta punire noluerit de exceſſu, qui per tres vel duos ſaltem legitimos teſtes probatus fuerit, vel (niſi negligentia Prioris interceſſiſſet) probari potuiſſet; ſiquid commiſerit propter quod pœnæ graviſſimæ culpæ deberet ſubjacere; ſi ſuis Superioribus rebellis, vel inobediens fuerit. De quovis iſtorum confeſſus, vel convictus, poterit à Priore Provinciali, vel Viſitatoribus ab Officio ſuſpendi, & à Capitulo privato privari: Idem fieri poterit, & debet, ſi aliquis Prior tam infirma valetudine laboraverit, ut domus curam gerere non poſſit.

Cauſæ privationis ab Officio Prioris.

20. Volumus autem quòd ille, qui infamis inter ſæculares inventus fuerit, prout dictum eſt, omninò ſine aliqua miſericordia debeat ab Officio ſuſpendi, & privari, ne Religionis honor detrimentum patiatur, ſi infames in Officio relicti fuerint; dummodò infamia ſit de materia gravi & ſcandaloſa, & ſæculares ſint perſonæ non parvi momenti.

Infames omninò amovendi.

21. Si Priorem infra biennium diem ſuum obire contigerit, Supprior eadem die Patres conſilii congregabit, atque litteras nomine omnium ſcribi faciet, quibus Priori Provinciali mortem Prioris defuncti ſignificabunt, & ſibi de Priore idoneo breviter provideri petent: has litteras manu omnium ſubſcriptas, & Sigillo Conventus munitas Supprior, vel ejus viceſgerens Procuratori domus conſignabit, quas ipſe die illa, vel ſequenti per famulum Conventus, vel alium fidum tabellarium Priori Provinciali mittet.

Priore deficiente quid faciendum.

NOTÆ. ♰ a. Quòad hanc facultatem diſpenſandi ſuper omnem Irregularitatem videndæ ſunt Conſtitutiones Sixti V. *Sanctum & ſalutare &c.* Nonis Januarii 1588., & Clementis VIII. *Romanum Pontificem decet*: 1595. pridie Kalend. Martii. In Bullario Romæ recuſo 1617.

♰ b. In Capitulo generali Romæ celebrato, Anno Domini 1685. declaratum fuit, & reſpectivè diffinitum, quòd ſumma pecuniarum, quæ in aliquibus Provinciis à Religioſis præſtabitur Conventibus, vel quomodocumque obveniet: ſive pro obtinendis Cellis, aut manſione in aliquo Conventu, aut pro Cenſu, ut vocant, vitalitio, ſive alia ex cauſa ſtatim in fundum, vel cenſum fructiferum convertatur; cujus alienandi facultas nulli unquàm erit, ſub pœnis inflictis contra Alienantes Priores verò omnium modo, quo dictum eſt, & ad quemlibet finem acceptorumrationem Patribus Capituli, ſive coram Deputatis, aut Depoſitariis Conventus juxta varium uſum Provinciarum reddere omninò teneantur.

CAPUT XVIII.

Quomodo ſe debeant habere Fratres quando eis Prior aliquod Officium, ſeu obedientiam injungit.

1. ORdinamus, ut cùm Prior in Capitulo vel alibi injunxerit alicui, ut ſit Cantor in Choro, Oſtiarius, Eleemoſynarius, Infirmarius, receptor hoſpitum, Præfectus operum, vel ut alio fungatur officio, ex his quæ Prior in ſuo Conventu providere ſolet, ille talis audito mandato Superioris flectat genua, ſtatim ſe facturum quod injunctum fuerit, indicans, & dicat: *Benedictus Deus in donis ſuis &c.* Aſſueſcant autem Fratres non intueri quis, vel qualis ſit, cui obediunt, ſed potiùs quis ille ſit, propter quem obediunt, qui eſt Chriſtus Dominus, qui *factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem*: Omnia autem officia domus, quæ per electionem non dantur, committere Fratribus, & inter eos ea dividere Prioris eſt domus.

Obediendum Priori.

Philipp. 2. v. 8.

2. Quamvis autem unuſquiſque paratus eſſe debeat ad quodvis officium aſſumendum, quod ei fuerit impoſitum, animadvertendum tamen erit, ne illis, quæ robuſtiores, ac fortiores homines requirunt, debiliores conſtituantur: habeatur etiam ratio ætatis & dignitatis Fratrum.

Diſcretio Prioris in diſtributione Officiorum.

trum. Sciendum autem eſt, quòd officia plura, dummodò non ſint incompatibilia, uni committi poſſunt, maximè in minoribus Conventibus, ut ſaltem aliquid Fratres ab officiis vacantes, liberiùs ſpiritualibus attendant.

Officialis qualiter ſe gerere debeat.

3. Recepto quocumque officio, debet Officialis conſiderare, quæ licentiæ generales ſint ſibi neceſſariæ ad officium exequendum, pro quibus difficilè nimis foret recurrere ad Prælatum aſſiduè, & de illis cum Prælato conferre: item cùm aliqui excedunt circa aliqua de pertinentibus ad officium ſuum, debet ſuper his proclamare, vel Priori ſuggerere, ut faciat admonitionem in Capitulo; cùm autem non ſufficit ſolus peragere ea, quæ ſunt officii ſui, poteſt à Prælato adjutorem poſtulare, & cum adjutoribus ſibi datis ita ſocialiter, & amabiliter ſe debet habere, ut facilè inveniantur, qui in ejus adjutorium velint aſſignari: item cùm contingit eum ab officio præpediri, debet officium ſuum vel aliis committere, vel ad Superiorem recurrere, ne ex ejus abſentia, ſeu impedimento defectus oriatur.

Officialis rationem reddere tenetur.

4. Cùm autem recipit officium debet ſcire, quæ, & quot recipit, & quando officium dimittit, ſi creverint, vel defuerint, rationem reddere, quam etiam reddere tenetur ſuis temporibus Supriori Conventus & Depoſitariis: non debet aliquid dare domi foriſvè de pertinentibus ad officium ſuum ſine generali, vel ſpeciali licentia; non debet cum aliis Officialibus litigare, ſed ſi in aliquo ad invicem non conſentiunt, ad Superiorem recurrat: item ſi habet aliquem ſæcularem in adjutorium, ſic honeſtè & pacificè cum eo, & coram eo agat univerſa, ut non ſcandalizetur: caveat autem, ne illum injuriis laceſſat, ſed charitativè & ordinatè eum corrigat & inſtruat: item quando duobus idem officium committitur, per Prælatum ſic provideatur quid ad quem pertineat, ut in confidentia alterius nihil negligatur, vel omittatur; cùm autem imponitur officium de novo alicui, qui non benè ſcit ea, quæ ſunt in illo officio facienda, debet à Prælato petere, ut per aliquem exercitatum in hujuſmodi officio eum faciat in omnibus inſtrui diligenter.

Omnes ferviant gratis.

5. Statuimus autem, ut tam Fratres quibus Deus dedit donum ſcientiæ, quàm etiam hi, qui ſciunt manibus operari, Fratribus aliis, ſive Conventibus ſervire gratis de talento eis tradito ſecundùm Superiorum ſuorum mandata teneantur; ita quòd quando oportuerit communi Fratrum utilitati de mandato Superiorum inſervire, nulli liceat abſque ſpeciali licentia Superioris alicui foris vel intus, nec etiam ſibi ipſi aliquid operari, nec obedientiam pro propria utilitate, vel voluntate dimittere.

6. Si autem aliquod ex hujuſmodi officiis, ſeu quodcunque aliud mandatum (dummodò illud non ſit juſſioni divinæ contrarium) alicui Subditorum ſuorum Prior injunxerit, ille talis fretus obedientia ſine diſceptatione id ſuſcipiat, etiam ſi grave multum & ſuis viribus importabile videatur, quoniam virtus obedientiæ vires adauget; ſed poſteà imbecillitatem & præcepti difficultatem Priori ſuo cum omni humilitate, & ſine fictione inſinuet, & ſi quod optat obtinere meruerit ab eodem, gratias agat Deo, & humilior fiat: ſi verò non meruerit obtinere quod optat, ſciat animæ ſuæ ſic expedire, & quantum in eo fuerit faciat ſicut velle noverit imperantem: non enim volumus Fratres noſtros Superiorum ſuorum mandata cauſari, nec eorum præceptis (etiamſi valdè difficilia ipſi imperent) contraire.

Serviant libenter, & prompte.

7. Si verò poſtquàm in Superioris ſui obedientiis ſecundùm ſibi datam à Deo gratiam cœperit humiliter ſe exercere, probabiliter viderit ſe abſque interioris, vel exterioris hominis periculo, vel nimia difficultate non poſſe muneri ſibi injuncto ſatisfacere, petat humiliter abſolvi vel relevari, & Superior ejus (niſi fruſtratorias videatur cauſas & excuſationes prætendere) diligenti conſideratione præmiſſa, vel eum ab officio ſeu obedientia abſolvat, vel de ſocio ſeu ſociis ei provideat, prout magis viderit expedire: ad quod ſi quacumque ex cauſa Prior ipſe difficilis videatur, Patres conſilii qui in ſua prece fruſtrari non debent, apud eum, ut id faciat, procurabunt.

Diſcretio commendatur Superiori.

Caput XIX.

De Officio, & authoritate Supprioris.

Ubi ſunt decem Fratres eligatur Supprior.

1. Quilibet Conventus noſtri Ordinis, in quo ad minus decem Fratres de familia fuerint, habeat Suppriorem idoneum ad Conventum gubernandum, qui poſtquàm fuerit de novo inſtitutus, vel iterum confirmatus, ſtatim à Priore inquirat, quam authoritatem velit habere, & non ultra ſe extendat: quæ dicta ſunt de Officio Prioris inſpiciat, & ea quæ ſibi conveniunt, notet & obſervet; Priorem adjuvet omni cum fidelitate, & inter ipſum & Conventum pacem ſemper procuret: querulosorum & turbantium alios, vel inobedientium non ſe receptorem exhibeat; pro Fratribus in licitis & honeſtis libenter apud Priorem intercedat.

2. Ad

Supprioris Officium.

2. Ad ejus Officium pertinet omnibus Horis tam diurnis quàm nocturnis in Choro intereſſe, communi menſæ nunquam deeſſe, & omnibus aliis obedientiis primus omnium adeſſe, ut ſi Prior aliquibus negotiis occupatus præſens non fuerit, ejus vices gerat; tunc enim volumus & præcipimus, ut ſicut Priori obediatur ei. Cùm propter Proceſſionem, vel funus, vel alios caſus emergentes, fuerit convocandus Conventus, debet de convocando ipſo, & deducendo ac reducendo diligentem curam habere, & quòd non moretur inutiliter exſpectando procurare: providere etiam ut debito modo, & hora Campanæ pulſentur ab iis quibus incumbit, & ſigna alia fiant convocandi Conventum.

Curet ſervari ſilentium.

3. Ad ejus etiam Officium pertinet obire loca Conventus, & ſollicitè curare, ut ſilentium locis & horis debitis obſervetur: culpas ordinarias, leves, & manifeſtas, maximè in Juvenibus in abſentia Prioris reprehendere, & corrigere, de gravioribus verò Priorem certiorem facere; non poterit autem exiſtente Priore in Conventu aliam pœnitentiam imponere Sacerdotibus, quàm quòd Pſalmum, vel ſuam culpam coram Priore in Refectorio dicant; non Sacerdotibus verò poterit injungere, ut ibidem in terra comedant; Profeſſorum qui extra Novitiatum degunt, ſemper curam habebit, cui eamdem ſuper eos authoritatem damus, quam habet Magiſter Novitiorum ſuper ſuos Novitios; qui eos ſemper cuſtodiat, nec permittat diſcurrere per Conventum, nec cum Sacerdotibus ſedere vel converſari, ſed cogat ut in Cellis ſuis maneant & ſtudeant, & in ſpiritualibus exercitiis ſe occupent, vel in aliis operibus manualibus ſe exerceant, quatenus numquàm ſint otioſi, & quòd tempore recreationis non ſe Sacerdotibus conjungant, & ſeparatim ſtent.

Curet confici Inventaria.

4. Ad ejus etiam Officium pertinet facere Inventaria omnium utenſilium quorumcumque Officialium Conventus, utpotè Infirmarii, Celerarii, Refectorarii, & ſimilium; & priosquàm aliquis Officium relinquat, omnia per inventarium conſignet coram Suppriore, & ab eo per ipſum Inventarium ei, qui in officio ſucceſſerit, conſignetur: prætereà bis in anno cum Depoſitariis omnes Officinas viſitet, & omnia in Inventariis contenta videat, & de his quæ invenerit Priorem informet, ne aliquid per incuriam perdatur, vel conſumatur. Quando fratres conventualiter congregati fuerint, Superior in Choro ſiniſtro poſt Baccalaureos primum locum habebit, ſi verò Prior in Conventu non fuerit, in loco ejus erit.

Ejus munus quale.

5. Cùm Prior foras egreditor die ipſa reverſurus, ac ſi in Monaſterio Prior eſſet, eadem ſit authoritas Supprioris: unde foras mittere Fratres non poterit, niſi magna neceſſitas occurrerit, poterit tamen concedere Fratribus licentiam, ut cum extraneis ordinatè loqui valeant. Quòd ſi ad loca remotiora profectus fuerit Prior non reverſurus eadem die, debet Supprior in omnibus gerere vicem ejus, niſi ipſe Prior illi ſpecialia aliqua interdicat; contra quæ vel aliquid eorum, etiamſi totius Conventus conſenſus, & ſupplicatio accedat, non præſumat aliquid facere.

Quid cavere debeat.

6. Cùm igitur Supprior in abſentia Prioris illius habeat authoritatem, omnia quæ in noſtris Conſtitutionibus, ordinationibus, diffinitionibusque, vel à quibuscumque noſtri Ordinis Superioribus præcepta, vel prohibita ſunt, vel fuerint Prioribus, ſibi etiam præcepta vel prohibita eſſe intelligat ſub iisdem conceſſionum, præceptorum, mandatorum, & prohibitionum formis.

Nil immutet in abſentia Prioris.

7. Debet etiam Supprior in abſentia Prioris Conventum in bono ſtatu conſueto conſervare, & nihil immutare, nec novitates introducere, nec aliquid magnum attentare, niſi fortè magna neceſſitas vel evidens utilitas hoc expoſcat, & de conſenſu Patrum conſilii: non item emat, nec vendat, nec alias proviſiones extraordinarias faciat, nec de veſtimentis provideat: præterea notabilia quæ emerſerint in abſentia Prioris, eidem referre debet, licèt fuerint correcta, dummodò non ſint ſecreta. Tempore Capituli Supprior à Conventu non recedat, quòusque Prior adveniat, vel vicem ejus gerens.

Caput XX.

De Officio Sacriſtæ Conventus.

Qualitates Sacriſtæ.

1. PRo Sacriſta Conventus talis Frater aſſumator, qui ſit fidelis, gravis, & ſollicitus, & ad res Eccleſiæ, & Altarium ſtudioſè tractandas inclinatus, quique omnium Sacerdotum poſſit Confeſſiones audire, & ad conſilia Conventus non ſit ineptus. Hic ante omnia ſollicitam cum tremore & reverentia curam habeat Sanctiſſimi Corporis Christi Sacramenti, quod ab ipſo bis in menſe reverenter renovetur, & clauſum ſub cuſtodia mundiſſimè, & quàm dignè fieri poſſit,

De cura Sanctiſſimi Sacramenti.

poſſit, reponatur; ita ut nulli ſit liberum locum Sanctiſſimi Sacramenti aperire, excepto ſolo Sacriſta, cui Sacra commiſſa ſunt: qui clavem argenteam, vel ſaltem deauratam cuſtodiæ ſub alia clavi clauſam ſemper teneat, ſemperque plures Hoſtias Sacratas reponat, ne ſi infirmum communicare contingat, Eccleſia ſine Sacramento remaneat. Diligenter etiam attendat Sacriſta, ut ante Chriſti Corporis ſalutiferum Sacramentum die noctuque lumen ſemper ardeat, nec aliquando extinguatur: & ideò providere faciat, vel ipſe provideat de oleo ſine aliquo defectu. Habeat etiam in aliquo vaſe argenteo, vel aliàs decenti Oleum Sanctum pro Infirmis noſtris, quod ſuis temporibus renovari faciat. Adhibeat curam, quòd ſervetur diffinitio facta in Capitulo generali Arimini celebrato Anno Domini 1555. quæ ſic habet: *Reliquiæ Sanctorum cùm honore, & debita reverentia in loco convenienti aſſerventur: non enim decet, ut quæ divinæ gratiæ olim fuerunt receptacula, & veriſſima Chriſti membra, & pura Spiritus Sancti domicilia, ita in loco ſerventur, ut nulla hominum pietate coli poſſint; ſed præcipuè cuſtodiantur & obſerventur, ut per eas Fideles commoti diſcant virtutem & Fidem Sanctorum imitari, & interceſſionis officium ab eis, quorum illæ ſunt Reliquiæ, flagitare.*

OleumSanctum renovandum

Reliquiæ Sanctorum decenter cuſtodiendæ.

Diligens eſſe debet circa res Eccleſiæ.

2. Ad hujus Officium pertinet eorum, quæ ad cultum divinum attinent in Eccleſia ſollicitam curam gerere, ſollicitum ſe reddere in pulſandis Campanis ad Horas vel Miſſam, niſi Prior alicui hoc munus injunxerit; oblationes verò Fidelium panis & vini, & hujuſmodi rerum, quæ ad Eccleſiam quandoque deferuntur, ad manus ejus veniant, easque in integrum Celerario conſignet, Fratribus diſpenſandas; eleëmoſynas verò Officiorum & Miſſarum in libro Sacriſtiæ ſcribat, quas ſecurè cuſtodiat, & pro utilitate Sacriſtiæ, & aliquando etiam Conventus expendere poſſit ſecundùm Prioris voluntatem, dummodò de introitu & exitu, ſicut Procurator, ſuis temporibus rationem reddat: Miſſæ autem celebrentur juxta devotionem Offerentium de tali Sancto, vel de tali Feſtivitate, & quotidiè Sacriſta faciat computum Miſſarum dictarum, ut à numero dicendarum deleantur.

Eleëmoſynas ſcribat in libro.

Faciat computum Miſſarum.

Præceptum.

3. Quicumque autem eleëmoſynam aliquam pro Miſſa, vel Miſſis dicendis, vel aliquo alio Officio celebrando receperit ab aliquo, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut infra vigintiquatuor horarum ſpatium poſtquàm ad Monaſterium pervenerit, teneatur eam Priori, vel Sacriſtæ integraliter reſignare: qui contraſecerit tranſacto termino viginti quatuor horarum, quinque diebus in terra ſedens in pane & aqua jejunet, & iiſdem diebus recipiat diſciplinam, & eleëmoſynam reſignare penitus compellatur. Nullus cujuſcumque gradus, vel conditionis exiſtat, vocatus ad celebrandum ire recuſet, niſi fortè legitima cauſa impeditus: in Sacriſtia toto tempore celebrationis Miſſarum ſilentium ſervari faciat; Eccleſiam & Sacriſtiam mundas conſervet, ab Imaginibus & Altaribus frequenter pulverem excutiat; habeat curam de tectis reparandis, ne unquàm pluat in Eccleſia, vel Sacriſtia, & quòd ſint aliqua armaria apta ad rerum cuſtodiam, & quòd Sacriſtia ſit fortis in oſtiis, feneſtris, & clavibus, juxta quam cum uno ſocio, vel duobus habitare & dormire poterit, ſi locus ad hoc aptus fuerit, & Priori videbitur expedire.

Silentium in Sacriſtia tempore Miſſarum.

4. Debet etiam providere, quòd in Sacriſtia in loco competenti ſemper inveniatur aqua ad lotionem manuum volentium celebrare, vel miniſtrare, & mappulæ mundæ ad exterſionem manuum, una pro Sacerdotibus, & alia pro non Sacerdotibus.

Neceſſaria ad Sacriſtiam provideat.

5. Provideat etiam de particulari piſcina in Sacriſtia, vel Eccleſia, in quam lotiones rerum ſacrarum mittantur, quæ munda & honeſta cuſtodiatur, in quam nulla alia ablutio mittatur: item provideat, quòd Hoſtiæ pulchræ in pyxide decenti, & vinum purum & ſanum, & aqua recens & munda in ampullis benè purgatis & nitidis, calices, veſtimenta, miſſalia, flabella tempore muſcarum, & omnia alia neceſſaria pro Miſſis celebrandis ſemper habeantur in promptu, & in certis & competentibus locis inveniantur, & reponantur.

De piſcina pro lotionibus rerum Sacrarum.

6. Debet etiam habere curam, ut vaſa omnia, utenſilia, & albæ, atque cottæ, tobaliæ Altarium, corporalia, & manutergia, & alia quæcumque linea ſic frequenter laventur in uſus Altarium, & Miniſtrorum, ut ſemper inveniantur munda & nitida, & præcipuè ea, quæ ſunt circa Altaria, quæ non ſufficit, ut ſint mediocriter munda: Corporalia & panni pro abſterſione calicum lavanda ſunt ſeparatim ab aliis, & purgamentum illud in piſcinam ſacram eſt mittendum: cùm autem conſumpta fuerint vetuſtate, comburantur, & cineres in eamdem piſcinam mittantur: debet cavere paramentis & ornamentis à putrefactione & corroſione, interdum ad ſolem & aërem exponendo, ut à tinea præſerventur,

Caret de

at-

Utenſilibus reparandis. atque etiam curam habere, ut ad minus ſemel in anno omnia diſſuta reſarciantur, & læſa in aliquo, ſive vaſa ſint, ſive paramenta reparentur: non tamen vetera & minùs utilia vendere, vel diſtrahere debet inconſulto Priore & Patribus conſilii, & ſi fieri poteſt, fiat hoc etiam de ſcitu illius, cujus ſumptibus & expenſis illa fuerunt facta: & ſi vendantur, eorum pretium in aliquid utile pro ipſa Sacriſtia commutetur.

Ordinarium, & caſus reſervatos ponat in Sacriſtia.

7. Ad eumdem pertinet ſcire Ordinarium noſtri Otdinis, ut quandoque Fratres dirigat & inſtruat: debet autem curam adhibere quòd liber Ordinarii ſit in Sacriſtia in aliquo loco patenti & determinato, ut Fratres quomodo faciendum ſit, in eo videre poſſint, quando de aliqua ceremonia dubitaverint. Similiter habeat in Sacriſtia ſtatnta Synodalia, in quibus frequenter feruntur ſententiæ Excommunicationis, & in quibus aliqua prohibentur, quæ à Confeſſoribns oportet non ignorari; affigat etiam in Sacriſtia caſus omnes in Bnlla Cœnæ Domini contentos, ac etiam Epiſcopales, quos ſibi Ordinarii locorum reſervaverint. ✝ ibidem etiam in tabula aliqua clarè & diſtinctè ſcribi faciat obligationes omnes perpetuas Miſſarum, Officiorum, & Anniverſariorum, quas Fratres illius Conventus adimplere tenentur.

Tabula Miſſarum.

Bona Sacriſtiæ non alienet.

8. Bona autem quæ ad Sacriſtiam pertinent absque Provincialis & Diffinitorum licentia, in ſcriptis babita, nullatenus diſtrahantur, vendantur, aut pignori dentur, nec etiam commodentur absque licentia Prioris & Patrum conſilii, quam licentiam non concedant, niſi rationabili cauſa ſubſiſtente.

De Sacriſtiæ Inventariis.

9. Bonorum Saeriſtiæ duo Inventaria fiant, quorum unum ſit in Depoſito Conventus, ut per illud Provincialis & Viſitatores Sacriſtiam poſſint viſitare, aliud juxta ſe teneat Sacriſta, cui ſemper adjungat quidquid de novo factum fuerit; caveat autem ne aliquid perdatur, ſed potiùs laboret, ut in dies ſemper aliquid augeatur. Poſtremò quia in magnis Conventibus difficilè eſt omnia ſupradicta ab uno exequutioni mandari, Sacriſtæ detur Socius, & inter ſe ſic dividant munia ſupradicta, ut per eos ſciente utroque quid ad ſe pertineat, fiant ordinatiùs univerſa.

NOTA ✝ Affigenda quoque Decreta & Declaratio Sac. Congregationis Regularium Clementis VIII. authoritate edita 9. Januarii. 1601. & 26. Novembris 1602. atque Pauli V. ſpeciali mandato innovata, & confirmata 7. Januarii 1617. In quibus præter Caſus, & Cenſuras Bullæ Cœnæ Domini, & quæ Ordinarii ſibi reſervant, adduntur:

Violationis immunitatis Eccleſiæ in terminis Conſtit. Greg. XIV.

Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem.

Provocationis, & pugnantium in duello in terminis Concilii, & Conſtit. Gregorii XIII.

Iniicientium manus violentas in Clericos, juxta Cap. *Si quis ſuadente*, ac Juris diſpoſitiones.

Simoniæ realis ſcienter contractæ.

Confidentiæ beneficialis.

A quibus omnibus, niſi tantùm in mortis articulo, Regulares non poſſunt per ullum privilegium valide abſolvere; & ſi abſolvant ipſo facto abſque ulla declaratione Excommunicationis, privationis Officiorum, dignitatum, inhabilitatis ad ea impoſterùm obtinenda pœnas incurrunt, & à nullo diſpenſari, habilitari, vel abſolvi poſſunt, niſi à Sede Apoſtolica, præterquàm in mortis articulo.

Caput XXI.

De Officio Procuratoris Conventus, & de rebus domus non alienandis.

1. Quilibet Conventus noſtri Ordinis, in quo præter Priorem fuerint adminùs duo Fratres de familia, habeat Procuratorem, qui ſit quoad fieri poſſit, maturus, ſobrius, parcus, non turbulentus, non tardus, non prodigus, vel extirpator ſubſtantiæ Conventus, nec etiam auarus: ſuper omnia charitatem habeat ad omnes, & cùm non potuerit opere, ad minùs verbo Fratribus ſatisfaciat, quia ſcriptum eſt: *Sermo bonus ſuper datum optimum*: ſit præcipuè bonæ vitæ & famæ, ne dum bonis temporalibus providetur, quidquam depereat de bono nomine & honore Monaſterii, qui longè, & incomparabiliter pretioſior eſt quibuscumque commodis temporalibus. Qualitates Procuratoris. Prov. 15. 23.

2. Procuratoris officium eſt, ſollicitè & diligenter inquirere quid Conventui in Refectorio, quid menſæ hoſpitum, quid neceſſitati expediat infirmorum, & charitativè providere, ne quantùm in eo fuerit, & facultas domus permiſerit, Fratres incommodum, ſive infirmi, ſive ſani fuerint, patiantur: ſed hoc de voluntate Prioris tacita vel expreſſa faciat, ſine qua aliquid expendere etiam in commune bonum ei non liceat: hic tempore ſilentii cum Infirmario, Foreſtarario, Coco, Cellerario, & famulis domus de his quæ neceſſaria fuerint, loqui poterit, diſcretè tamen, ne conceſſa ſibi poteſtate videatur abuti. Ejusdem Officium.

Curet de melioratione poſſeſſionum.

3. Ejus etiam officium eſt providere quomodo poſſeſſiones Conventus meliorentur, & augmententur, & omnia quæ quocumque modo Conventui obveniunt, exigere, ac Priori & Depoſitariis conſignare in Depoſito : facere etiam omnes expenſas, niſi fortè circa Sacriſtiam, vel ædificationes Priori aliter viſum fuerit : item ipſius inteteſt quæ emenda ſunt, tempore ſuo emere, ſimiliter vendere quæ fuerint vendenda, quod magna cum cautela faciendum eſt, ne ſcandalum oriatur : ſæpè viſitet prædia & poſſeſſiones Conventus, & ſuper illorum conſervatione & inctemento ſtudeat & vigilet, nec permittat eas per incuriam labi vel deficere, & Patribus Conſilii ſignificet quot, & qualia ſint bona, quæ poſſidet Monaſterium.

Debet devotioni vacare.

4. Quamvis autem exemplo Marthæ, cujus ſuſcepit officium, circa multa ſollicitari & tutbari habeat, ſilentium tàmen & quietem Cellæ non penitus abjicere debet vel abhurrere, ſed potiùs quantum domus negotia patiuntut, ad Cellam quaſi ad tutiſſimum & quietiſſimum pottus ſinum recurrat, ut legendo, orando, meditando, tutbulentos animi ſui motus ex rerum exteriorum cura, vel diſpoſitione ſurgentes ſedate poſſit.

Librum accepti & dati habeat.

5. Habeat quoque librum, in quo recepta, & expenſa diligenter ſcribat quotidiè, ne per oblivionem aliquid omittatur, in quo etiam ſtatum domus, quòad ea quæ debentur eidem, diligenter ſcribat. Debita magna quacumque ex cauſa ſine ſpeciali Prioris licentia contrahere non poterit : litem etiam nullam movebit, nec motam reſcindet abſque Prioris & Patrum conſilii ſcitu & conſenſu.

Secularium negotia non tractet.

6. Strictè prohibemus, ne Procurator, vel Fratet alius negotia extraneorum coram quocumque Judice, ſeu quovis alio Officiali tractet abſque licentia Prioris Provincialis expreſſa, ſub pœna privationis vocis activæ per biennium, nec non gravioris culpæ per hebdomadam, ac item expulſionis à manſione illius Conventus, ubi deliquerit, ad quem intra decennium redire non poſſit: nolumus tamen, quòd Prior Provincialis licentiam alicui concedat tractandi aliquod negotium, etiam pro Parentibus, vel ad inſtantiam cujuſcumque notabilis Perſonæ, quod Religioſum non deceat.

Pœna contravenientis.

Non ſit exequutor Teſtamentorum.

7. Nullus Frater noſtri Otdinis accipiet exequutiones teſtamentorum quarumcumque perſonarum ſine licentia expreſſa Prioris conventualis : nec aliquis cujuſcumque gradus vel dignitatis ſit ſine licentia Prioris Provincialis & Diffinitorum alicujus litigioſæ cauſæ in foro exteriori decidendæ commiſſionem, vel judicaturam acceptet.

Contra Alienantes res Conventus.

8. Innovamus antiquam diffinitionem factam in Capitulo generali Pariſiis celebrato Anno Domini 1329. quæ ſic habet : *Cupientes Ordinis indemnitati ſalubriter occurrere, & præſumptuoſam audaciam transgredientium remedio, prout poſſumus, efficaciùs refrænare, præſenti diffinitione ſancimus & ordinamus, ut quicumque Frater noſtræ Religionis cujuſcumque conditionis exiſtat, libros pro Libraria deputatos, vel res Sacriſtiæ, ac etiam redditus Conventus pro ſuſtentatione Fratrum divinitùs proviſos, aut bonorum Fratrum ſtudio procuratos, diſtrahere, vel alienare, aut ſibi appropriare præſumpſerit, talis Excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, quam ex nunc prout ex tunc, trina canonica monitione præmiſſa, proferimus in contrarium facientes, ac etiam in omnes alios, qui ad hoc faciendum præſtiterint aſſenſum, licentiam, vel favorem.*

Excommunicatio.

Famulorum curam gerat.

9. Procurator, præ omnibus aliis Fratribus, curam habeat Famulorum Conventus, in primis ut non recipiantur in familia, niſi tales, de quibus ſit ſpes probabilis, quòd honeſtè ſe habere debeant intet Frattes : poſtquàm autem recepti fuerint, eos ſollicitare debet, ut diebus feſtivis Miſſam integram audiant, utque in aliquibus majoribus ſolemnitatibus confiteantur, & Sacratiſſimam Communionem recipiant, & de hoc debet eſſe certus : compellendi ſunt etiam intereſſe ſermonibus, qui fiunt in Eccleſia, ſi poſſunt : debet eſſe ſollicitus ad ſciendum, quæ ſit fama de eis domi & foris, & conſiderare facta eorum & vitam, & eos admonere & corrigere : inſtruendi ſunt, quòd in omnibus modeſtè & ordinatè ſe gerant, quòd cum Fratribus omnibus etiam Converſis reverenter loquantur, quòd ſervitia communia pro ſervitiis Fratrum particularium non dimittant, quòd veſtes laſcivas vel notabiles in ornatu, vel colore non deferant. Cùm autem non expedierit, ut aliquis eorum cum Frattibus ampliùs moretur, debet apponere curam, ut cum amore & devotione Ordinis recedat, & non ſcandalizatus.

De Procuratore ſæculari.

10. Poterit etiam in principalioribus Conventibus Procurator ſæcularis conſtitui pro illis negotiis, quæ pet Laicum tractari poterunt, ad evitandos nimios diſcurſus Procuratoris religioſi, & ne etiam habitus noſtræ Sac. Religionis in locis indecentibus quandoque compareat.

Ca-

Caput XXII.

De Officio Depoſitariorum.

Electio duorum Depoſitariorum.

1. IN unoquoque Conventu Ordinis noſtri ſtatim in principio biennii infra ſpatium trium dierum ab adventu Prioris, eligentur in Capitulo Conventus duo Depoſitarii diſcreti & fideles, & qui (ſi fieri poſſit) ſciant computa facere: eligetur autem primò unus, & ſtatim publicabitur, & deinde alius ſimiliter eligetur, eo modo quo eligitur Diſcretus, quando ad Capitulum provinciale itur.

3. par. cap. 24.

Eorumdem Officium.

2. Ad horum officium pertinet, ut quilibet eorum habeat clavem unam arcæ Depoſiti, nec eam alicui unquàm committat, nec in Cella relinquat, ſed ſecum ſemper deferat, & ſollicitè cuſtodiat: tertiam clavem habebit Prior, nec eam alicui dabit præterquàm Supriori, quando foras iverit eadem die non reverſurus, quæ claves diſſimiles erunt: debent habere curam, quòd locus Depoſiti ſit ita ſecurus in omnem eventum, ut nec à domeſticis, nec ab extraneis poſſit aliquid damni recipere, & ut pro majori ſecuritate in Dormitorio accommodetur: utque in Monaſterio ſit Archivium cum armariis ſeu capſis, in quibus Scripturæ, privilegia, contractus, & omnia jura ad Conventum pertinentia aſſerventur ita cautè, quòd nullo modo damnificari poſſint, cujus claves in Depoſito ſub tribus clavibus ſerventur, nec inde aliqua ſcriptura auferatur niſi de licentia Prioris expreſſa, & præſentibus duobus Depoſitariis, & primò ſcribentibus in quaterno, qui ibidem eſſe debet, cui, & ad quid, & quo tempore fuerit conſignata, poſteà immediatè requiratur Prior, ut tempus aſſignet, infra quod ille talis teneatur prædictam ſcripturam reddere Depoſitariis.

Archivium Conventus.

Pœna extrahentium ſcripturam ex Depoſito.

3. Qui verò contra hanc formam & ordinem ſcripturam aliquam ex Depoſito, vel Archivio alicujus Conventus extrahere præſumpſerit, vel extrahi fecerit, vel extractam infra terminum ſibi à Priore aſſignatum dictam Scripturam Depoſitariis non reſtituerit, quia tam utilem & neceſſariam Conſtitutionem infringere auſus fuit, ex nunc prout ex tunc, trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis, (licèt inviti) eum Excommunicationis vinculo innodamus: à qua abſque prædictæ Scripturæ reſtitutione abſolvi minimè poſſit, qua tamen reſtituta à Priore loci abſolvatur: eadem verò pœna plectantur Prior, & Procurator, qui Scripturas novas, vel antiquas in Conventus utilitatem confectas, & ex Archivio extractas, ultra viginti-quatuor horarum ſpatium penes ſe retinuerint, quas proinde teneantur tradere Depoſitariis in Archivio reſervandas: Prior autem à nullo niſi à Provinciali abſolvi poſſit.

Excommunicatio.

De Inventario bonorum.

4. Eorum etiam officium eſt ſollicitare, ut fiat Inventarium bonorum immobilium, & quorumcumque jurium ad Conventum pertinentium, quod vulgò, *Campio*, dicitur: & ſi poſſibile fuerit, fiat in forma probante, deque eo exemplum authenticum fiat duplicatum, ut alterum in propria domo remaneat, alterum verò in Archivio Provinciæ; quod in Conventu Curiæ, vel inſigniori, ſeu principaliori domo Provinciæ eſſe debet, reponatur: hujus Archivii Provinciæ curam habebit aliquis Frater fidelis & gravis, cui Prior Provincialis injunxerit.

Archivium Provinciæ.

Quando aliquid venditur, adſint Depoſitarii.

5. Debent eſſe præſentes quando aliquid in Conventu venditur, & pretium recipere, & in Depoſitum deferre, & quamcumque aliam pecuniam ab exactoribus exactam fideliter cum Priore ſub dictis tribus clavibus diverſis cuſtodire.

Habeant libros introitus, & exitus.

6. Duos habebunt libros in quorum uno ſcribent introitum, in alio exitum, ſive acceptum & datum: qui libri, niſi quando in eis ſcribere, vel per eos in eodem Depoſito, & non aliàs computa facere neceſſe fuerit, ſemper ſub tribus clavibus cuſtodiantur, nec alicui particulari unquàm tradantur, ſub pœna depoſitionis ab Officio.

De Computo menſtruo.

7. Priori, & iſtis duobus Depoſitariis reddent rationem dati & accepti adminùs ſingulis menſibus, Sacriſta & Procurator coram Deputatis; Prior verò & Depoſitarii coram dictis Deputatis, ac Sacriſta & Procuratore reddent rationem Priori Provinciali, & Viſitatoribus tempore Viſitationis; quando verò Sacriſta & Procurator rationes ſuas reddunt, quidquid reſidui pecuniæ fuerit, in Depoſito relinquatur, ſub pœna inhabilitatis ad quodcumque Officium per ſexennium.

De Computo à Priore reddendo.

8. Cùm autem Prior ad Capitulum provinciale ire vult, auditis rationibus omnium Officialium Conventus, & ſcriptis, ſeu notatis notandis in utroque libro, ſcilicet accepti & dati, manu propria fidem faciat in utroque, usque in illam diem nihil acceptum, vel datum fuiſſe, quod in libris non ſit notatum.

9. De-

Vetatur Depoſitum exterorum.

9. Depoſita aliqua cujuſcumque extraneæ perſonæ nullus recipere, vel ſervare præſumat, niſi de conſenſu Prioris & Patrum conſilii: & ſi aliqua hoc modo recipienda fuerint, inquiratur primò de perſona deponente, & videatur exactiſſimè quid deponat, ne fraus aliqua committatur: & poſtqoàm hoc modo recepta fuerint, cum inventario ſerventur in Depoſito Conventus, nec ea Prior ipſe, nec Conventus ſub prætextu, vel occaſione aliqua obligare alicui, vel ex eis aliquid expendere præſumat, nec Depoſitarii teneantur ſuper hoc obedire Priori, nec ei ullo modo aſſenſum præbeant: ſi verò depoſita fuerint magni valoris, niſi de licentia Prioris Provincialis nullatenus recipiantur.

CAPUT XXIII.

De Officio Deputatorum.

Qualitates Deputatorum.

1. DEputati Conventus debent eſſe (quòad fieri poſſit) viri authoritatis competentis, experti, amatores boni, in ſenſu ſuo non nimis abundantes, & qui ſpiritum Dei habere credantur.

Eorumdem Officium.

2. Ad horum Officium pertinet cum Priore, Suppriore, Sacriſta, & Procuratore, atque cum Graduatis à Provincia admiſſis, & quocumque aliu Patre, qui in Capitulo provinciali vocem habuerit, ſeu ejuſdem Conventus Prior aliquando extiterit, dummodò propter ſuam malam adminiſtrationem non fuerit privatus, niſi poſteà ejuſdem Conventus adminiſtratione laudabiliter functus fuerit, & cum aliis Fratribus vocem habentibus diſponere, ordinare, & determinare de bonis Conventus acquiſitis & acquirendis, mobilibos & immobilibus, quidqnid omnes Fratres ſimul diſponere, & determinare de jore poſſent, & valerent, vnlentes quód ſufficiat, ut iſti prædicti Patres in conficiendis Scripturis tantummodò ſcribant.

Nihil alienare poſſunt.

3. Non poterunt tamen bona immobilia, in quibus vel ad quæ jus habuerit Conventus, vendere, commutare, impignorare, inſendare, vel in emphyteoſim, ſive affictum ultra novem annos dare, aut alicujus alienationis titulo obligare, abſqoe Prioris Provincialis licentia † in ſcriptis habita, quam ipſe dare non debet, niſi ob evidentem Conventus utilitatem, vel ob aliquam inevitabilem & urgentiſſimam neceſſitatem: non poterunt etiam alicui concedere Cappellam in Conventu abſque licentia Prioris Provincialis & Diffinitorum in ſcriptis habita: nec etiam poterunt ipſi ſoli Novitios recipere, nec receptos ad Profeſſionem admittere, nec in promovendos ad Sacros Ordines conſentire, nec Depoſitarios, aut Diſcretum qui ad Capitulum provinciale vadat, vel Vicarium, ſi tunc Conventus Suppriorem non habuerit, eligere: quæ omnia & ſingula, recipere ſcilicet Novitios, & quæ ſequuntur, non ad eos ſolùm, ſed ad omnes Fratres Vocales Conventus pertinere volumus, ac decernimus.

Prior inconſultis Deputatis magna non aggrediatur.

4. Sine Patrum prædictorum conſilio Prior conventualis rem aliquam magni momenti aggredi non audebit, ſcriptum eſt enim: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis*; nec poterit eis inconſultis pinguem aliquam eleemoſynam facere: quare in principio ſui biennii ab eis inquirat, quantum ſibi licebit eleemoſynæ pro qualibet vice elargiri, & limites ſibi conſtitutos non tranſgredietur. Eccl. 32. v. 24.

Modus ſervandus in conſiliis.

5. Volomus autem quòd iſti prædicti Patres in ſuis conciliis per ballotulas de panno conſutas, ſuffragia ferant in illis negotiis, quæ decidi poſſunt per: *Ita, & non*; vel: *Volo, & nolo*; priùs tamen viva vocè rationibus, commoditatibus, vel incommoditatibus hinc inde diſcuſſis, ita ut omnes in claram notitiam negotii propoſiti veniant, nemo autem vel ſuam, vel alterius contentioſè præſumat defendere ſententiam, ne bonum (quod abſit) conſilium in diſcordiam & contentionem vertatur.

Super rebus gravioribus bis fiat congregatio.

6. Super tebus autem magni momenti duobus diebus adminùs congregentur Patres prædicti, & ſive affirmativè, ſive negativè in prima Congregatione concluſum fuerit, ſecunda exſpectetur, & ſi in illa decretum fuerit idem quod in prima, exequutioni mandetur; ſi òminùs tertia omninò fiat, & non ultra procedatur: Prior antem qui hunc ordinem ſervandum non curaverit, ab officio per Provincialem ſuſpendatur.

Locus conſilii ſit ſecretus.

7. Quando hujuſmodi Congregatio fieri debet, fiat in aliquo loco ſecreto ad id deputato, ſi fieri poſſit, & qui major fuerit, dicat: *Adjutorium noſtrum &c.* in principio: poſteà ſedeant ordinatè, & ipſe Præſidens proponat quæ fuerint proponenda & decidenda: junior omnium, vel cui Præſidens injunxerit, ſcribat fideliter in libro ad hoc deputato quidquid concluſum fuerit, & ſinguli antequàm Congregatio ſolvatur ſubſcribant: in quo etiam libro fideliter regiſtrabuntur quæcumque litteræ nomine Conventus alicui noſtri Ordinis Prælato miſſæ fuerint, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Graſſæ celebrato Anno Domini 1335.) in fine verò dicat Prior, vel qui præeſt: *Adjutorium noſtrum &c.*

Determinatis ſubſcribi debent.

8. De-

Provincialis vocem habet in conſiliis.

8. Declatamus autem, quòd Prior Provincialis in prædictis Conciliis ſive Congregationibus, ſi voluerit, poterit præeſſe, & vocem habere, cùm ſit Prior omnium Conventuum; non tamen Fratres tenebuntur eum ad hujuſmodi Concilia vocare, etiam ſi ſit in Conventu.

In abſentia aliquorum res graves non tractentur.

9. Si omnes PP. Conſilii in Conventu adſint, vel ad eum illa die fuerint reverſuri, Prior non poterit aliquid determinare niſi omnibus vocatis & congregatis, exceptis graviter infirmantibus: ſi verò aliquis eorum eadem die reverti non debet, (non tamen multùm debeat immorari) ſi negotium dilationem patiatur, omninò exſpectetur: quod ſi differri minimè conveniat, vel ille diutiùs immorari debeat, poterit Capitulum Patrum Conſilii congregari; niſi tamen media pars eorum quacumque ex cauſa abeſſet, tunc namque dictum Capitulum congregari nolumus: quarè advertat Prior, ne Patres Conſilii foras mittat, quando aliquid de eorumdem conſilio decidi oportuerit.

NOTÆ. ✝ Quòad bonorum Conventus venditionem, commutationem &c. ſervandæ ſunt conditiones poſitæ in Conſtit. 1. Greg. XIII. *Dum ad uberes*: 5. Septembris 1572. in Bullario Ordinis, videlicet: Prima quòd fiat pro utilitate vel commoditate Conventuum; Secunda quòd conſenſus duarum partium ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium Conventus interveniat; Tertia quòd loco conſenſus Sedis Apoſtolicæ, Generalis pro tempore, diligenter examinata utilitate Conventus, approbationem & ratificationem impartiatur; Ubi talis ordo non fuerit ſervatus, venditio, commutatio &c. nec non contractus aliter facti, nulli & invalidi exiſtant: & donec Generalis non ratificaverit, poſſeſſio remaneat penes ipſos Fratres, ſeu Moniales.

Nunc verò ſervanda quoque eſt forma Decreti Sac. Congregationis Concilii, de rebus Regularium non alienandis &c. (præterquàm in caſibus à Jure permiſſis) abſque ipſius Congregationis Concilii licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœnis in illa contentis. *Sacra Congretio &c.* 7. Septembris 1624. Quæ quidem licentia non ſolùm gratis conceditur, ſed nobis propter citatum Breve Gregorii XIII. pro ejuſdem licentiæ exequutione Decretum per quoſcumque exequutores gratis ubique concedendum eſt; prout eadem Sac. Congregatio inſuper ſtatuit, & declaravit.

CAPUT XXIV.

De electione & Officio Diſcreti, & quomodo eligatur Vicarius domus, cùm ad provinciale Capitulum itur.

* Ubi invaluit uſus non eligendi Diſcretum, ſervetur conſuetudo.

1. In Conventibus, qui Suppriorem habent, vel habere poſſunt, pro * Diſcreto, qui cum Priore ad Capitulum provinciale ire debeat, eligetur ab omnibus Vocalibus Frater aliquis, qui ſit Sacerdos, & de ejuſdem Conventus Familia adminus ab anno vel circa, & qui habeat adminus vigintiquinque ætatis, & decem Religionis annos; eligetur autem hoc modo, videlicet:

Ætas Diſcreti.

Modus electionis ejuſdem.

2. Octo diebus antequàm Prior à Conventu recedat ad Capitulum provinciale iturus, vocatis omnibus Fratribus de Conventu, invocetur Spiritus Sancti gratia genibus flexis cum Hymno *Veni Creator* &c. & Orationibus Sancti Spiritus, B. Virginis Mariæ, ac S. P. N. Auguſtini: deinde, egreſſis vocem non habentibus, eligantur viva voce duo Scrutatores, & ubi omnes Electoras votum ſuum in ſcriptis dederint, & in buſſula poſuerint, accedant Scrutatores cum Seniore Patrum Conſilii, (excepto Priore) qui ſuffragia calculabunt, & facto ſcrutinio, primus Scrutatorum de conſenſu omnium eum qui plures voces habuerit coram omnibus publicet, & Diſcretum eligat, ſic dicendo: *Ego N. nomine meo, & nomine omnium ad quos pertinet præſens Diſcreti electio, eligo Patrem N. de N. in Diſcretum hujus Conventus N.*

Publicatio Electionis.

Electio Vicarii.

3. Eodem quoque modo eligetur Vicarius, ſi Conventus Suppriorem non habuerit, ſi verò in Conventu aliquo non fuerint tres adminus Electores, Prior Provincialis de Vicario providebit: tunc Prior Diſcretum ad ſe vocatum confirmabit ſic, dicendo: *Et ego N. Prior hujus Conventus N. confirmo te in Diſcretum ejuſdem Conventus, dans tibi omnem authoritatem & poteſtatem, quam cæteri Diſcreti ejuſdem Conventus habere conſueverunt: In nomine Patris &c.* Eodem etiam modo confirmabitur Vicarius, ſi fuerit electus: poſteà Prior dicat alta voce: *Siquis veſtrum ſit, qui ſpiritu Dei ductus intelligat aliquid eſſe proponendum Patribus Diffinitorii Capituli provincialis hujus noſtræ Provinciæ proximè celebrandi pro majori reformatione, ſive utilitate ſpirituali, vel temporali totius Provinciæ, vel hujus Conventus, illud in ſcriptis per ſe, vel per alium in hoc primo triduo mihi conſignabit.*

Confirmatio Diſcreti.

Admonitio Prioris.

Quæ ſint petenda.

4. Monemus autem omnes & ſingulos, ut Dei & Religionis honore ante oculos propoſito, monitis hujuſmodi obedire procurent. Quæcumque verò dicta, vel in ſcriptis Priori data fuerint, conferet ipſe cum Patribus Conſilii, an ſint proponenda Conventui, nec ne? & poſt tres dies tranſactos Capitulum congregabit, & Vocalibus proponet, ſi quæ proponenda fuerint, ſuper quibus uniuſcujuſque ſententiam, & conſenſum exquirat, & ea in quibus major pars conſenſerit notari faciat: deinde litteræ ad Diffinitorium Capituli provincialis per Diſcretum mittendæ, ſic formentur:

Formula litterarum Diſcreti.

5. *Adm. RR. Patres. Nos Prior, & Fratres hujus Conventus N. Ord. Erem. S. Auguſtini Provinciæ N. notum facimus Paternitatibus Veſtris, quatenus Pater Frater N. juxta Ordinis Statuta per eos ad quos pertinebat electio Diſcreti, electus fuit in Diſcretum ejuſdem Conventus tali die, talis menſis, hujus anni N., cui quidem authoritatem & poteſtatem damus, quam cæteri Diſcreti ejuſdem Conventus habere conſueverunt in Capitulis provincialibus hujus Provinciæ: proponere verò, vel procurare nomine iſtius Conventus coram PP. VV. nihil poterit, præter ea quæ ſequuntur, videlicet pro reformatione, vel utilitate univerſæ Provinciæ, ſi PP. VV. viſum fuerit, quòd &c. Quod verò attinet ad Conventum iſtum in particulari, tamquàm legitimus & ſufficiens Procurator noſtrum omnium nomine ea quæ ſequuntur efficaciter, & de facto procurabit, cui gratam audientiam præſtare, & poſtulata concedere pro ſua benignitate dignentur, ea autem ſunt, videlicet &c. Siquid autem præter hæc, quæ dicta ſunt, nomine iſtius Conventus poſtulaverit, ne ejus poſtulationi quovis modo ſatisfiat humiliter ſupplicamus PP. VV., quibus nos & iſtum locum intimè in Domino commendamus.* Si autem nihil velint petere, aliis omiſſis dicatur: *Siquid autem nomine iſtius Conventus &c.* Poſteà Prior & Vocales ſinguli ſubſcribant, & litteræ claudantur, ac Sigillo Conventus muniantur: Supraſcriptio verò ſic habeat: *Admodum RR. in Chriſto PP. Præſidenti, & Diffinitoribus Capituli provincialis Provinciæ N. Ordinis FF. Eremit. S. Auguſtini in Conventu N. proximè celebrandi.* Quæ litteræ Diſcreto tradantur, præter quas alias portabit, quæ fidem faciant, quòd ritè ſit electus in Diſcretum illius Conventus, in quibus ſufficit quòd Supprior & Deputati ſubſcribant, quas litteras Judicibus cauſarum præſentabit, ut ſuperiùs dictum eſt. (9. par. c. 9. §. 3. n. 1.)

Diſcretus ſtatumConventus ferre debet.

6. Antequàm à Conventu recedat, litteras ſtatus Conventus, continentes ſcilicet ſummam introituum, & expenſarum, ſive accepti, & dati totius biennii, atque omnium debitorum, & creditorum, frumenti etiam, vini, & olei, & omnium proviſionum in Conventu remanentium, continentes quoque multiplicationem, vel diminutionem reddituum, utilitatum, ſive meliorationum, ædificiorum etiam, atque paramentorum per Depoſitarios, & duos primos PP. Deputatos confici faciat, quæ coram omnibus in Capitulo legantur, ac poſtea omnes Patres conſilii ibidem ſubſcribant, quas litteras ✝ Patribus Diffinitorii præſentabit, ut de familia providenda meliùs poſſint judicare, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1292. in quo Capitulo electus fuit in Generalem B. Doctor Ægidius Romanus.

NOTA ✝ In Provinciis ubi non eſt in uſu eligere Diſcretos, qui in Capitulis provincialibus vocem habeant, Priores portare debent litteras ſtatus ſuorum Conventuum, ac petitionum Fratrum, ſi quæ fuerint factæ, pro majori bono ſpirituali vel temporali Provinciæ, vel Conventus, & illas præſentare Patribus Diffinitorii; necnon omnia alia facere in Capitulo provinciali, quæ per Diſcretos fieri deberent, ſi adeſſent.

CAPUT XXV.

De Ordine Præcedentiarum.

Ordo præcedentiarum extra Capitulum provinciale.

1. PRæcedentias verò Patrum extra Capitulum provinciale hoc ordine viſum eſt conſtituere, videlicet: In quolibet Conventu primò ſedeat Prior Provincialis in ſua Provincia cum effectu exiſtens ✝ a. deinde Exaſſiſtens ſi adſit, poſteà Prior localis, mox Diffinitores, ſuccedant Viſitatores, ſequantur Magiſtri Sac. Theologiæ ✝ b. per Provinciam acceptati, ac mox qui Provincialatus munere aliquando in eadem Provincia functi fuerunt, poſteà Priores aliorum Conventuum ſi adfuerint, deinde Præſentati, ✝ c. ſive Licentiati ad Magiſterium, poſteà Baccalaurei ſimiliter acceptati, deinde Supprior Conventus, mox Socius Prioris Provincialis à Diffinitorio aſſignatus, ex tunc alii Graduati à Provincia admiſſi, demum Fratres alii, & omnes inter ſe obſervent ordinem debitum, & in illis partibus conſuetum.

2. Declaramus autem, quòd extra tempus Capituli inter Priores Conventuum, ſi non ſint in propria reſidentia, non debeat ſervari ordo Conventuum, ſed præeminentia perſonarum. Item quòd Suppriores Conventuum in Conventibus alienis locum teneant ſuæ Profeſſionis.

NOTÆ. ✝ a. In Comitiis generalibus Recineti habitis 1602. decretum fuit, & uſu receptum pro Italia, quòd Priores Provinciales præcedant omnibus etiam Prioribus localibus Conventuum generalium, excepto Choro, & menſa communi, ubi præcedat Prior localis, ad quem Fratrum cura, & rerum moderatio attinet.

✝ b. In Capitulis generalibus Romæ celebratis Anno 1679., & 1685. declaratum fuit, quòd Magiſtri Sac. Theologiæ etiamſi hoſpites & alienigenæ ubicumque degant, eadem fruantur præcedentia, quæ ſecundùm gradus antiquitatem ipſis competit; dummodò de eorumdem promotione, & receptione legitimè conſtet. Quæ declaratio fuit extenſa etiam ad cæteros Graduatos reſpectivè.

✝ c. In Capitulo generali Romæ celebrato 1685. abrogatæ, & annullatæ fuerunt omnes Præſentaturæ ex Gratia in quibuſcumque Provinciis Ordinis, ſive cum Voto, ſive ſine Voto, & prohibitum fuit, ne impoſterùm à Reverendiſſimis PP. Generalibus concedantur.

QUARTA PARS

DE CURA, AC REGIMINE MONIALIUM, ET MANTELLATARUM NOSTRI SAC. ORDINIS.

CAPUT I.

De recipiendis ad habitum Monialium, ſive Mantellatarum.

Præceptum.

Nulla recipiatur ſine licentia Provincialis.

1. UT ingreſſus ad Religionem non omnibus indifferenter, ſed ut decet probatis dumtaxat, ac illis de quibus bona ſpes probabiliter baberi poteſt, pateat; omnibus & ſingulis Prioribus localibus, & Prioriſſis, & eorum ſubditis, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ne aliquam perſonam ad habitum Monialium, vel Manrellatarum admittant abſque Provincialis illius Provinciæ expreſſa licentia: & quandocumque habitus Monialium, aut Mantellatarum alicui perſonæ cum hujusmodi licentia dabitur, id in Eccleſia ante Altare coram Fratribus, vel Monialibus reſpectivè publicè & ſolemniter fieri mandamus. Hoc idem qnando imponitur corrigia obſervari cupimns, niſi aliqua rationabilis cauſa aliter faciendum ſuaderet.

Ætas Puellarum.

2. Nolumus autem, ut Puella aliqua ante duodecimum ætatis annum completum habitu Religionis induatur, nec ea de cauſa in Capitulo acceptetur, nec etiam ſolemnem Profeſſionem emittat ante decimum ſextum ætatis annum expletum. Quòd ſi Puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non antè eum ſuſcipiat: nec poſteà ipſa, vel alia Profeſſionem emittat quàm exploraverit Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut aliquis, eorum ſumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat? cujus etiam Profeſſionis tempus, ne Epiſcopus ignoret, teneatur Prioriſſa eum ante menſem certiorem facere, ſub pœna ei impoſita à Sacroſancta Tridentina Synodo ſeſſ. 25. cap. 17.

Ætas Mantellatarum.

3. Mantellatæ autem mulieres ad habitum non recipiantur, niſi fuerint bonæ famæ, & probatæ virtutis, atque quadraginta annorum ætatem adminus habuerint, nec ante trigeſimum quintum Provincialis, vel etiam Reverendiſſimus P. Generalis ſuper hoc diſpenſandi habeant authoritatem ✝. Corrigiæ verò noſtræ non concedantur niſi perſonis notis, & honeſtis, & ejusmodi qualitatis, ne Ordo propter eas veniat in contemptum.

Mantellatæ Priori viciniori ſubſunt.

4. De Profeſſione verò Mantellatarum utriuſque ſexus perſonarum confici publica Inſtrumenta per manum Notarii volumus; ipſarum etiam Mantellararum utriuſque ſexus perſonarum ſpecialem curam (niſi Reverendiſſimus P. Generalis aliter diſponendum duxerit) Priori loci propinquioris committimus, cum poteſtate ſubſtituendi eis unum de Confeſſoribus ſuæ familiæ pro tempore deputatis, cum authoritare quam juxta Apoſtolica Indulta, & noſtri Sac. Ordinis inſtituta habere noſcitur ſuper Fratres ſuos.

De corrigiatis.

5. Corrigiatis verò noſtri Ordinis perſonis nullus Frater alia Sacramenta Eccleſiæ, ſine Sacerdotis earum parochialis licentia miniſtrare præſumat, præter ea quæ quibuſcumque ſæcularibus à noſtris Fratribus miniſtrari conſuevere, eò quòd Sanctiſſimus Dominus N. Leo Papa X. indulgentiis dumtaxat, & non alio exemptionis privilegio hujusmodi corrigiatas perſonas gaudere per ſuas Apoſtolicas litteras declaraverit.

NOTA ✝ Super ſtatu Mulierum Tertii Ordinis in privatis domibus degentium, illarumque ad habitum admiſſione, videndum eſt Decretum Sac. Congregationis Cardinalium Conc. Trident. interpretum. *Sacra Congregatio &c.* 10. Decembr. 1616.

CAPUT II.

De electione Prioriſſæ, & aliarum Officialium.

Tempus durationis Prioriſſæ.

1. AD tollendum, ut decet, omnem perpetuitatis ſuſpicionem, quæ forſan poſſet in ſexu fragili faciliùs ſuboriri, ſtatuimus & ordinamus, ne officia Prioriſſarum plus durent, quàm officia Priorum in ipſa Provincia durare conſueverunt. Quare omninò inviolabiliter obſervari mandamus, ut tam in electione quàm in confirmatione Prioriſſarum, ſive Abbatiſſarum, tam Monialium, quàm etiam Mantellatarum in Congregatione manentium, hæc forma ſervetur, videlicet.

Forma electionis.

2. Prior Provincialis in ſua viſitatione, vel alius cui ipſe vices ſuas in hac parte commiſerit, mentemque ſuam declaraverit, volens providere de nova Prioriſſa, ſive Abbatiſſa, proponat tres Moniales ejusdem Monaſterii graves, religioſas, ac Ordinis zelatrices, quarum quælibet juxta Sacroſanctæ Tridentinæ

Seſſ. 25. cap. 7.

Synodi Decreta non ſit minor quadraginta annis, & quæ octo annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit; Quòd ſi his qualitatibus non reperiantur in eodem Monaſterio, ex alio ejuſdem Provinciæ poterit eas nominare; Si tamen hoc Provinciali, vel ei qui ejus nomine & vice electioni præeſt, incommodum videatur, ex iis quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt Profeſſionem rectè vixerint, de conſenſu Reverendiſſimi P. Generalis, & non aliter nominentur; ex quibus unam eligere canonicè per ſchedulas teneantur Moniales dicti Monaſterii vocem activam habentes, ſervata forma Tridentini Concilii, ac noſtrarum Conſtitutionum.

Publicatio electionis.

3. Facta verò electione modo ſupradicto, ille qui præeſt electioni congregatis Monialibus alta voce dicat: *In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti benedicti. Amen. Anno ejusdem &c. die &c. talis menſis. Ego N. pronuncio, & declaro Venerabilem in Chriſto Sororem N. electam fuiſſe in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam hujus Monaſterii Sancti, vel Sanctæ N.* & ſtatim tradet ei Sigillum Conventus, & eam confirmabit, prout ſolent Priores Conventuum

3. part. cap. 11. §. 1. n. 3.

confirmari; ſimiliter in Collegio Mantellatarum ſuo modo fiat; ſic etiam eligetur Supprioriſſa; de aliis verò Officialibus, & Diſcretis Conventus, prout ſecundùm Deum ſuæ Diſcretioni videbitur, de conſilio tamen Prioriſſæ & Confeſſoris, Prior Provincialis providebit, quoties opus fuerit. Suffragia numerare debent Prior Provincialis, vel qui præeſt electioni, & Confeſſor Monialium, atque Socius ejusdem Prioris Provincialis.

CAPUT III.

De clauſura Monialium Ordinis noſtri.

Præceptum Excom.

1. UT Clauſura in omnibus noſtri Ordinis Monialium Monaſteriis omni veneratione, ut decet, ſervetur, omnibus & ſingulis Prioriſſis eorumdem Monaſteriorum nobis commiſſorum in virtute Spiritus Sancti, & ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, quam trina canonica monitione præmiſſa ex nunc, prout ex tunc in his ſcriptis (licèt inviti) ferimus, præcipimus, & mandamus, ut neminem cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, intra ſepta Monaſterii intromittant, vel ingredi permittant ſine licentia Reverendiſſimi P. Generalis, vel Venerabilis Prioris Provincialis in ſcriptis obtenta, & ſolùm in caſibus neceſſariis & urgentibus concedenda: quod ſi contrafecerint, Officio priventur: Si quæ verò de Monialibus ſubditis ad id conſilium, auxilium, vel favorem quovis modo præſtiterint, ſint ipſo facto voce activa & paſſiva per biennium privatæ, & quinque vicibus alternatis diebus in medio Refectorii coram toto Conventu in pane & aqua jejunent ſine aliqua diſpenſatione.

2. Prohibemus inſuper, quin potiùs jure cautum eſſe declaramus, ne aliqua Monialis, vel Mantellata Monaſteriorum prædictorum tacitè, vel expreſſè profeſſa cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, ac præeminentiæ exiſtat, etiamſi Regia proſapia ſit orta, Monaſterii clauſuram exire præſumat, quacumque occaſione, etiam infirmitatis prætextu, niſi ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ: quæ tamen infirmitas juxta Conſtitutionem ſel. record. Pii V. Pont. Max. præter Reverendiſſimum P. Generalem, vel Venerabilem Priorem Provincialem, etiam per Illuſtriſſimum Epiſcopum, ſeu alium loci Ordinarium cognita, & expreſſè in ſcriptis approbata ſit; ſed nec in prædictis caſibus extra ſua Monaſteria, niſi ad tempus ſtare eis liceat; aliter autem, quàm ut præfertur, egredientes, ſeu Prælati, vel Prælatæ noſtri Ordinis licentiam egrediendi, quomodocumque concedentes, Excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo abſque aliqua declaratione ſe ſubjacere ſciant, à quo præterquàm à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) abſolvi non poterunt. Inſuper tam egreſſas, quàm Superiores eis licentiam concedentes, dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus per eos, & per eas tunc obtentis privat, & illos, ac illas ad obtenta, & impoſterùm obtinenda inhabiles declarat ſupradicta Papalis Conſtitutio.

Prohibitio egreſſus à Conventu.

Excommunicatio.

3. Univerſos autem ac ſingulos noſtri Ordinis Fratres tam ſubditos quàm Superiores, præſentes, ac futuros, primò, ſecundò, & tertiò requirimus ac monemus, eisdemque in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub Excommunicationis pœna, quam trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis (licèt inviti) ferimus, & quam eo ipſo contrafacientes incurrant, à qua nonniſi à Reverendiſſimo Patre, ſi in Italia fuerint, ſi verò extra Italiam, à ſuo Priore Provinciali abſolvi poſſint, addita pœnitentia jejunii trium dierum in pane & aqua in medio Refectorii infra quindecim dies explenda, diſtrictè præcipimus, & mandamus, ne aliquis Frater noſtri Ordinis Monaſteria Monialium, vel collegiales domos Mantellatarum collegialiter viventium noſtri Ordinis ullo modo ingre-

Præceptum, & Excommun.

Contra ingredientes Monaſteria.

grediatur, exceptis tamen Confeſſoribus ipſarum, qui ſimul cum ſocio à Priore depotato, dicta Monaſteria reſpectivè pro Sacramentis miniſtrandis graviter infirmantibus; & pro ſepeliendis etiam cadaveribus, ac funeralibus juxta loci conſuetudinem celebrandis, & non aliter ingredi poſſint.

De modo viſitandi Moniales.

4. Cùm etiam à Priote Provinciali, vel Viſitatoribus Monaſteria Monialium, vel Collegia Mantellatarum noſtri Ordinis de more viſitantnt, ad feneſtellam Confeſſorii omnes Moniales, vel Mantellatas ſigillatim, ut opus eſt, ipſi audiant; deinde ad feneſtram magnam duabus ferreis cratibus, vel una tantùm, ferreas tamen, denſasque & benè acuminatas virgulas habente munitam, tela tamen amota, culpas ipſarum capitulariter congregatarum, ubi audiri, & videri poſſint, de more audiant: & eis ſalutarem pœnitentiam injungant; diſciplinam tamen non imponant ipſi, ſed imponendam poſteà Prioriſſæ committant.

Provincialis ſemel Monaſterium ingredi poteſt.

5. Hunc eumdem modum ſetvari volumus in electionibus faciendis, & in aliis quibolcumque ipſis Monialibus proponendis: quoniam longè honeſtiùs, ac modeſtiùs hujusmodi fieri poſſunt, abſque eo quòd Priot Provincialis, Viſitatores, aut Prior localis, ſive Monialium Confeſſot clauſuram ipſarum tunc ingrediantur. Per hoc tamen non intendimus prohibere, quin Prior Provincialis, ſeu Viſitatores antequàm faciant Capitulum de culpis cum ſociis honeſtis & gravibus noſtri Ordinis profeſſis, ſemel Monaſterium ingtediantut ad id viſitandum & cognoſcendum.

Modus ſervandus in ingreſſu Monaſterii.

6. Quicumque verò quavis ex cauſis prædictis, vel quibuſvis aliis Monaſteria, vel collegiales domos præfatas ingteſſi fuerint volumus, ut cum omnibus Monialibus, ac Mantellatis hujusmodi ipſi ſilentium ſervent, Abbatiſſa, vel Prioriſſa loci, & ejus Supprioriſſa, ac duabos, vel tribus aliis venerandæ gravitatis Sororibus per Abbatiſſam, vel Prioriſſam deputandis, exceptis, quæ ipſos Patres aſſociabunt, cum quibus de occurrentibus cum omni modeſtia & gravitate loqui licebit, cæteris Monialibus ſine Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ licentia ad eos accedere, aut cum eis loqui non præſumentibus, niſi à Provinciali, vel Viſitatoribus ſpecialiter vocatæ fuerint. Quando verò Confeſſori Monialium Monaſterium ingredi neceſſe fuerit, ipſum ſimili modo aſſociabunt Supprioriſſa & una ex portariis, cum duabus ex Diſcretis Conventus. Diſcretas autem Conventus vocamus eas Moniales, quæ cum Prioriſſa, & Officialibus negotia Conventus tractare debent, eo modo quo ſolent in Conventibus Fratrum Deputati illa tractare.

Caput IV.

Quomodo Moniales in locutoriis ſe debeant habere.

Licentia ad loquendum neceſſaria.

1. UT autem Monialium ſaluti, & bonæ famæ cum Dei adjutorio conſulamus, omnes & quaſcumque Prioriſſas, ſeu Abbatiſſas Ordinis noſtri hortamur, & in Domino monemus, ne alicui ex Monialibus ſuis licentiam concedant loquendi cum Fratre aliquo, ſive noſtræ, ſive alterius Religionis ✝ nec cum aliquo ſæculari, niſi ei ſit conſanguinitate vel affinitate maximè conjunctus: Monialis verò quæ ſine prædicta licentia aliquem extraneum alloquuta fuerit, infra octo dies ter in terra comedat in medio Refectorii, treſque ei imponantur à Prioriſſa diſciplinæ: eamdem pœnam ſubeat Portaria, quæ illam in locutorium introduxerit, vel eò accedere permiſerit, ac propterea Officio privetur.

Auditrix ſit præſens.

2. Quando verò alicui Moniali licentia data fuerit accedendi ad locutorium, loqui cum aliquo non poſſit, niſi ipſa Prioriſſa, aut altera venerandæ gravitatis Sotore, pet ipſam Prioriſſam ad hoc ſpecialiter deputanda, ſemper præſente, audiente, & intelligente omnia quæ ibi dicentur; ac ſtantibos ſempet & continuè clauſis telis nigris, ſive feneſtris Collocutorii, ita ut mutuò poſſint audiri, ſed non videri: Monialis verò quæ ſine ſpeciali licentia Prioriſſæ (quam niſi valdè rationabili cauſa interveniente, dare non debet) feneſtram locutorii, ſive ut vulgò dicitur, ralom aperuerit, aut telam amoverit, pro qualibet vice infra octo dies in medio Refectorii ſuper nudam terram ſedens, pane & aqua tribus diebus reficiatur abſque ulla diſpenſatione.

Vetatur litteras ſcribere.

3. Volumus etiam ne ulla Monialis poſſit litteram aliquam ſcribere extra Conventum abſque licentia Prioriſſæ, quam poſtquàm ſcripſerit, eidem Prioriſſæ oſtendere teneatur, priuſquàm eam claudat: Siqua verò Monialis miſerit, vel receperit litteras clauſas, vel apertas, quin eas oſtenderit Prioriſſæ, per annom voce privetut: teneatut verò Prioriſſa omnes litteras ſibi præſentatas, mittendas, vel recipiendas de facto legere.

NOTA. ✠ Quòad acceſſum Religioſorum virorum cujuſcumque Ordinis ad Monaſteria Monialium ad colloquendum cum eis, videndum eſt Decretum Sac. Congregationis Regularium de mandato fel. recordat. Sixti Papæ V. pro Italia emanatum. *Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi* Nonis Maji 1590. ab eadem Sacra Congregatione innovatum, quadam moderatione addita, de expreſſo ordine & mandato b. m. Urbani Papæ VIII. *Cum alias* Kalendis Decembris 1623.

Caput V.

De audiendis Confeſſionibus Monialium.

Confeſſor Monialium.

1. PRæcipimus & mandamus, ne aliquis Frater noſtri Ordinis, ſive Prælatus, ſive ſubditus cujuſcumque gradus, vel dignitatis exiſtat, alicujus Monialis noſtri Ordinis Confeſſiones audiat, aut Sacramentum aliquod miniſtret, tametſi eligendi ſibi Confeſſorem, Apoſtolica, & alia quavis authoritate facultatem haberet, exceptis Confeſſoribus Monaſteriorum Monialium noſtri Ordinis per Diffinitorium Provinciæ deputatis, vel deputandis, contrafacientem autem ab audientia Confeſſionum per triennium ſuſpendimus. Nullus verò Confeſſor Monialium in Capitulo provinciali ad audientiam ejuſdem Monaſterii pro alio biennio confirmetur, nec ad hujuſmodi Officium aſſumantur Iuvenes, ſed ſenes, & graves ac prudentes.

Confeſſor alium ſubſtituere non poteſt.

2. Prædictus Monialium Confeſſor non poſſit alicui committere vices ſuas, ſeu aliquem ad audientiam alicujus Monialis ſubdelegare: cùm autem infirmitate, vel alio quocumque legitimo impedimento fuerit præpeditus, tunc Prior propinquioris loci alium, vel alios ex Confeſſoribus deputatis poterit ſubſtituere, quamdiù prædictum impedimentum aderit. Præter ordinarium autem Confeſſorem, alius extraordinarius à Provinciali, ſeu Priore Conventus propinquioris noſtri Ordinis bis, aut ter in anno Monialibus offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat, juxta Decretum Concilii Tridentini.

Confeſſor extraordinarius.

Seſſ. 35. cap. 10.

Confeſſor apud Monaſterium non diù commoretur.

3. Monialium Confeſſor, temporibus ad ipſarum Confeſſiones generaliter deputatis dumtaxat exceptis, aliqua neceſſaria cauſa urgente, apud Monaſterium ipſarum non ſæpè moram trahat, ſed facta earum Communione generali diebus in capitulo de Communione Fratrum determinatis, eadem die ad Conventum Fratrum revertatur: nec apud Monaſteria ipſa, vel eorum Eccleſias ſæcularium audiat confeſſiones ſine ſui Prioris licentia ſpeciali: contrafaciens verò à Priore ſuo arguatur, & etiam, ſi ei videbitur, puniatur.

1. part. c. 9.

Præter Confeſſionem in nullo ſe ingerat.

4. Nolumus etiam quòd ipſe Confeſſor Monialium abſque ſui Provincialis licentia vel commiſſione de rebus, cauſis, juribus, vel actionibus Monaſteriorum ipſarum ullo modo ſe intromittat, ſed ſimpliciter in foro conſcientiæ eiſdem Sacramenta miniſtret cum omni authoritate, quam Reverendiſſimus P. Generalis privilegiorum indultis habet ſuper eas, niſi ipſe ſibi aliqua generaliter, vel ſpecialiter reſervaverit. In foro autem exteriori non abſolvat ipſas ab aliqua Cenſua, quam publicè contraxiſſent, excepta Excommunicatione pro levi injectione manuum in aliquam Sororum: ab aliis verò Cenſuris publicè contractis à Priore Provinciali, vel locali abſolvantur in foro exteriori. De Confeſſore pro Monialibus Prior Provincialis provideat quoties opus fuerit.

De regimine Monialium.

5. In omnibus aliis Monaſteria Monialium, quæ curæ ac regimini Reverendiſſimi P. noſtri Generalis ſubjecta fuerint, juxta Sacros Canones & Apoſtolica indulta, ac reformatas noſtri Sacri Ordinis Conſtitutiones & ordinationes, ac laudabiles ritus, & Capitulorum diffinitiones, cum omni integritate & ſanctimonia regi ac gubernari mandamus; mutatis tamen mutandis, quæ eis juxta differentiam ſexus minime conveniunt.

NOTA. Quòad electionem Prioriſſæ, Confeſſionis Monialium inſtitutionem, & alia, videnda eſt Conſtitutio Gregorii XV. cum explicationibus Sac. Congregationis Concilii Tridentini, & ſervanda ubi ejus exequutio non eſt juſſa ſuſpendi.

QUINTA

QUINTA PARS

DE FORMA CIRCA STUDIA, STUDENTES, GRADUATOS, AC PRÆDICATORES IN ORDINE NOSTRO SERVANDA.

CAPUT I.

De Differentia Studii generalis, ac provincialis.

1. CUM hactenus ea quæ ad ſacrorum cultum ac ceremoniarum obſervantiam, quævè ad domeſticos, & commendabiles uſus, & mores, vitæ quam profitemur congruentes, pertinent, ſatis proviſa, atque ad obſervantiæ normam, Domino adjuvante, pro noſtra fragilitate redacta eſſe credamus, reliquum eſt, ut ea quoque decernamus, quæ circa Studiorum, ac ſtudioſorum formam neceſſaria eſſe exiſtimantur.

Studia alia generalia & alia provincialia.

2. Cùm igitur in Ordine noſtro duo ſint Gymnaſiorum genera, quædam quæ generalia & majora, quædam quæ provincialia & minora nuncupantur, illa eſſe generalia & majora declaramus, ad quæ ex omnibus Provinciis nonniſi à Reverendiſſimo P. Generali Studentes mitti poſſunt, & in quibus omnium Artium, & ſacræ etiam Theologiæ communiter ex more laudabili ordinariæ lectiones leguntur, quorum Rectores Magiſtri Regentes appellari debent: provincialia verò & minora Studia ea dicimus, ad quæ venerabilis Provincialis unà cum Diffinitoribus Juvenes illius tantùm Provinciæ, præmiſſo debito & conſueto examine, promovere, ac mittere poſſunt, accedente tamen conſenſu Reverendiſſimi P. Generalis in Provinciis & Congregationibus Italiæ, ad quæ etiam P. Reverendiſſimus Juvenes ex qualibet Provincia mittere valeat, quotieſcumque ſibi videbitur expedire, & in quibus lectiones Dialecticæ tantummodò leguntur, & explanantur, quorumque Præceptores & Rectores Regentis titulo nequaquam appellantur; hujuſmodi Studia tam generalia, quàm provincialia in illis dumtaxat locis teneantur, quæ Prior Generalis pro temporum & locorum qualitate, & exigentia ordinaverit, inter quæ digniora ſemper & principaliora ſint Studium Pariſienſe, Salmanticenſe, & Lovanienſe.

Regens non poteſt ſimul eſſe Prior.

3. Provideat quoque idem Reverendiſſimus Pater, ut in quolibet Studio generali ſit unus Magiſter Sacræ Theologiæ Regens, qui neque in eodem loco Prior eſſe, nec aliud Officium in Ordine, pro tempore quo Regens fuerit in Studio generali, habere ulla ratione poſſit. Quod etiam dictum eſſe volumus de his qui in aliqua Univerſitate Theologiam, vel alias facultates ære publico conducti profitentur. Sit etiam ſaltem unus Baccalaureus, duo Lectores, & unus Magiſter Studentium, quòd ſi Baccalaureus defuerit, ſint tres Lectores, quorum primus locum teneat Baccalaurei: in Conventibus etiam illis, in quibus Studia commodè vigere poſſunt, Sacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ lectio dignioribus Magiſtris aſſignetur, prout præcipit Sac. Tridentina Synodus. Seſſ. 5. c. 1.

Nec publicus Lector Prior eſſe poteſt.

CAPUT II.

De Officio, & authoritate Magiſtri Regentis.

1. MAgiſtri Regentis officium erit omnes, qui ſunt de corpore ſui Studii, docere in primis *initium Sapientiæ*, hoc eſt, *timorem Domini*: ad divinum cultum, Horas ſcilicet canonicas, tam in Choro, quàm extra perſolvendas non ſolùm verbo, ſed exemplo inducere: ad bonos mores, ac pacem inter ſe ipſos, & cum aliis Fratribus de Conventu ſervandam, & obedientiam Priori præſtandam eos ſæpè verbo & exemplo hortari: ad ſtudium deinde unumquemque excitare, ac diligenter curare, ut tam Baccalaureus quàm Lectores, ac Magiſter Studentium ſolliciti ſint ad ſua munera exequenda; ut etiam Studentes ad ſtudium, ac lectiones non ſint pigri, quos frequenter examinare debet, ut de omnium ſollicitudine & profectu plenè inſtructus ſit, tanquàm de illorum fructu redditurus Priori Generali rationem.

Pſ. 110. v. 10.

Pietas, ac boni mores docendi.

2. Ad ejus quoque pertinet officium à die poſt Feſtum S. Nicolai de Tolentino, usque ad Septuageſimam, & reaſſumptis Studiis, à Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, usque ad Feſtum S. Jacobi majoris Apoſtoli, quotidiè præterquam diebus Dominicis, ac quintis Feriis, niſi eadem hebdomada aliquod occurrat Feſtum, duas Theologicas lectiones legere, juxta methodum præſcriptam in Decretis Capituli generalis Romæ celebrati Anno Domini 1685. Feria

Tempus inchoandi lectiones.

ria verò ſecunda, quarta, & ſexta loco lectionis veſpertinæ habendæ erunt diſputationes Theologicæ ex his materiis depromendæ, quæ per quotidianas lectiones explicabuntur; ipſas autem lectiones per unam horam dictando, & per aliam ſemihoram explicando, protrahendas eſſe decernimus. Quibus lectionibus, & diſputationibus Studentes omnes in Theologia, Curſores, atque Lectores intereſſe teneantur.

Quæ Doctrina ſit ſequenda.

3. Ut autem uniformitas quòad Doctrinam, quemadmodum quòad alia in Ordine noſtro cuſtodiatur, volumus, ut Magiſtri Regentes in lectionibus & determinationibus diſputationum in omnibus ſequi, & tueri debeant ſanam & catholicam Doctrinam Fundatiſſimi Doctoris noſtri B. Ægidii Romani quondam Sac. Ordinis noſtri Generalis: ubi verò ejus Scripta non reperiuntur, ex Divi Thomæ Aquinatis Doctrina ſuppleatur: ita tamen, ut in materia de Gratia, Prædeſtinatione, & Diſputationibus iis annexis, inconcuſſam, tutiſſimamque S. P. Auguſtini Doctrinam omninò ſequi teneantur, cujus glorioſo calamo Hæreſes profligatæ ſunt, & authoritate fulcitur Eccleſia: qui verò à Sancti Patris Doctrina receſſerit, primò corrigatur, ſecundò puniatur, tertiò tandem ab Officio deponatur. Liceat autem exercitii gratia ſuſtinere in publicis diſputationibus opiniones catholicas aliorum Doctorum noſtrorum, v. g. Thomæ de Argentina, Gregorii de Arimino, Jacobi de Viterbio, Gerardi de Senis, Alphonſi Toletani, Michaelis de Maſſa, Auguſtini de Ancona, Michaelis Salòn, Ægidii Luſitani, & aliorum multorum, quorum nomina longiſſimum eſſet recenſere.

Ordo, & tempus Diſputationum.

4. Hortamur etiam Venerabiles Regentes, ut ſi eis tempus & vires ſufficiant, non ſolùm diſputationibus Theologicis, ſed etiam Logicis, & Philoſophicis interſint, ac præſint; curentque ut in qualibet propoſita Quæſtione tria adminus principalia argumenta à Curſoribus, vel Studentibus adducta examinentur, præter ea quæ Lectores in medium adducent; quibus examinatis, rectéque ſolutis determinabunt ipſi Quæſtiones per debitas diſtinctiones, Concluſiones, ac probationes.

Obedientia debita Regenti.

5. Magiſtro Regenti cura incumbit diſtribuendi alias lectiones ad utilitatem, & captum Studentium tam Baccalaureo quàm Lectoribus, ac Magiſtro Studentium, qui cum omnibus Studentibus, & aliis de corpore Studii Magiſtro Regenti honorem & obedientiam abſque ulla tergiverſatione in omnibus quæ pertinent ad Studii diſpoſitionem, præſtabunt: quòd ſiquis contrafecerit, per Priorem loci primò moneatur, ſecundò puniatur, tertiò ab Studio expellatur.

Pœna docentium ſine Regentis licentia.

6. Ad tollendam inſuper quorumdam Juvenum audaciam, & temeritatem, mandamus, ut nullus Studentium, ſub pœna privationis Studii, audeat inconſulto Magiſtro Regente, vel lectiones audire, vel Concluſiones aliquas ſuſtentandas proponere. Graduati verò abſque Magiſtri Regentis licentia clanculùm, vel quovis pacto talibus legentes, gradibus, & Officio legendi ſtatim privati intelligantur, & declarentur à Magiſtro Regente, excuſatione quacumque amota.

CAPUT III.

De Officio Baccalaurei, Lectorum, Magiſtri Studentium, Curſorum, ac Magiſtri Biblici.

Officium Baccalaurei.

1. Baccalaurei munus erit lectionem, quam ſibi Magiſter Regens injunxerit, diligenter legere, & in Diſputationibus quotidianis, quæ in Conventu fiunt poſt Veſperas, reſpondentem modeſtè juvare, & pro ipſo, ſi defecerit, reſpondere.

Lectoris Officium.

2. Lectorum officium erit, injunctas ſibi à Magiſtro Regente lectiones, ad utilitatem ſuorum diſcipulorum proſequi, & eos de ipſis lectionibus ſemel adminus in hebdomada examinare, in diſputationibus arguentes juvare cum omni modeſtia, hoc ordine ſcilicet: Ut ſi primus arguere voluerit, ſecundus ei cedat, & ſic de ſingulis. Liberum verò ſit tam Baccalaureis quàm Lectoribus, ante Magiſtri Regentis determinationem difficultates non tactas movere, & veras inquirere ſolutiones. Lectores etiam tenebuntur, quandocumque Venerabili Priori viſum fuerit, publicè Conciones habere. Lectores & Baccalaurei in omnibus negotiis Conventus, in quo fuerint aſſignati, tractandis, vocem habebunt. Studentes autem antequàm ad Lectoriam promoveantur, Vocales non erunt, nec in aliqua electione vocem habebunt.

Magiſtri Studentium Officium.

3. Magiſtri Studentium officium erit, Noviciis Studentibus rudimenta Dialectices interpretari, juxta Doctrinam Magiſtri Pauli Veneti noſtri, vel alterius Doctoris à Magiſtro Regente ſibi determinandi, eoſque quotidie examinare, &

& ſupradicta rudimenta memoriter recitantes audire: in Diſputationibus quæ fiunt in Conventu poſt Veſperas, ſi is qui Quæſtionem proponit Theologiæ Curſor non fuerit, pro eo reſpondere; ſi verò Curſor fuerit, non reſpondebit pro eo Magiſter Studentium, ſed primus Baccalaureus: in Diſputationibus autem quæ fiunt in Conventu poſt cœnam, ad ipſum pertinebit pro Studente, qui Concluſionem proponit, ſemper reſpondere.

4. Inſuper ſui muneris erit curare, ut Studentes Matutinum (quando ſurgere non tenentur) ſimul poſt Completorium in Capitulo devotè & reverenter dicant: ſolicitus denique ſit, ut Quæſtiones diſputandæ ordine debito à Curſoribus & Studentibus publicentur, primùmque in loco ad id deputato ſcriptæ affigantur, ac ut in fine prandii pro more Patres invitentur: demum ut in loco Diſputationis cum argumentis ad partes ritè & congruè proponantur.

5. Si verò in aliquo Studio generali, præter iſtos, fuerint plures Baccalaurei, aut Lectores, juxta diſpoſitionem Magiſtri Regentis extraordinarias lectiones legent, & in Diſputationibus poterunt ſuas movere difficultates, ac etiam arguentes juvare.

Curſoris officium.

6. Curſorum officium erit, in Diſputationibus, quæ fiunt poſt Veſperas, cùm eos reſpondere contigerit, abſque auxilio Magiſtri Studentium ſub Baccalaureo reſpondere, & argumenta ab inferioribus Studentibus proponenda videre priùs, & poſtquàm propoſita fuerint aſſumere & roborare: in Diſputationibus verò quæ fiunt poſt cœnam ad eos pertinebit ea facere, quæ Lectores in principalioribus Diſputationibus facere conſueverunt.

Magiſtri Biblici officium.

7. Magiſtri Biblici officium erit quotidiè ex Sacra Scriptura Lectionem legere iis omnibus, qui intereſſe ſolent lectioni Magiſtri Regentis, & ab ea non vacare niſi temporibus & diebus ſupranotatis: Dominicis tamen diebus, & aliis Feſtis hora Diſputationis conſueta ſuper aliqua Sanctarum Scripturarum difficultate non per modum contentioſæ Diſputationis, ſed per modum familiaris & pii colloquii Circulum teneat, & poſt duas, aut tres difficultates diſcuſſas, catholicam juxta Sanctos Doctores determinet veritatem. Magiſter Biblicus in Sacrarum litterarum interpretatione nihil aſſerere audeat, quod à Doctrina diſſentiat Sanctorum Eccleſiæ Doctorum, nihil item, quod à Decretis S. R. Eccleſiæ, & Sacrorum Conciliorum ab ea approbatorum deviare videatur.

CAPUT IV.

De promovendis ad Studia, & Gradus.

Qui admittendi ad Studia.

1. Statuimus & decernimus, ne aliquis ad Studia admittatur, niſi priùs à Patribus ſui Conventus, vel illius, ſeu illorum, in quo, vel in quibus per aliquot antè annos converſatus fuerit, teſtimonium habeat, quòd ſit perſona humilis, & vitæ ac famæ laudabilis, ac nulla infamia notoriè infamatus: qui autem gravi aliquo vitio notati fuerint, ad Studia non admittantur, & qui fuerint admiſſi, Studio priventur: qui verò tales admiſerit, officio privetur, & voce paſſiva careat per quinquennium ſine ulla ſpe diſpenſationis.

Imperitus Grammaticæ non admittendus.

2. Quia verò multoties occurrit, ut Juvenes dum in Grammaticalibus inſtruuntur, regulis, ac formulis Grammatices vix dum plenè perceptis, ſe in Gymnaſiis recipi quibus modis poſſunt, arte, ac precibus ſatagant, præproperè ac immaturè Logicalia aggreſſuri; ſtrictè prohibemus, ne ad Artium Studia aliquis promoveatur, nec pro Studente ullo modo habeatur, niſi is primùm fuerit in grammaticalibus diſciplinis ſufficienter inſtructus; cujus ſufficientia ut cognita habeatur, ſtatuimus, ut cùm tempus advenerit, quo is in Studentium numero eſſe petierit, priùs coram omnibus Patribus, & ſingulis in eo Gymnaſio profitentibus, diligenter examinetur, & ſui periculum in humanioribus litteris faciat, legendo lectionem unam ex approbatis Authoribus Linguæ latinæ, pridiè ſibi à Regente aſſignandam; & quibuscumque propoſitis ſibi in eadem diſciplina interrogationibus reſpondendo: quem & legentem & reſpondentem, mox per ſecreta ſuffragia Patres ſinguli litterarum profeſſores dijudicabunt, an Superiori ſit commendandus, tamquàm qui ad altiora Studia dignus ſit promoveri.

Qualiter examinandus.

Dignus tantùm promovendus.

3. Oneramus autem in hoc ſingulorum conſcientias, ut rectè quod juſtum fuerit judicent, & Religionis Paſtori ſignificent, nec indignum aliquem commendent: talium namque inſcitia, velint, nolint, aliquando eorum cum dedecore prodatur neceſſe eſt, dum etſi longo tempore eruditi aliquo pacto evaderent, quæ tamen per ſe digna, gravia, ac pulchra ſunt, ea ipſa inordinata, incondita, & aſpera ab ore talium, Grammaticalia minùs callentium, fluant, ne-

ceſſe erit : quod perindè eſt, ac ſiquis precioſiſſima edulia, neque probè curata, nec ſale, vel ſnis aptis leporibus condita, delicatis palatis guſtanda apponeret.

Duobus annis Dialecticæ inhærendum.

4. Ne autem ingreſſi in aliquod Gymnaſium, cùm Dialecticæ libros per ordinem accuratè perdiſcere deberent, hunc & illum intermittentes, vel potiùs omittentes, ſaltuatim ad ulteriora tranſiliendo, quibusdam facilioribus ad oſtentationem tantummodò deguſtatis, primis Studiorum ſtipendiis ornari, atque augeri properè & immodicè appetentes, phyſicalia Studia inire procurent, in his quoque absque dubio eodem modo peracturi, ordinamus, & præcipimus, ut qui ad aliquod Studium admiſſi fuerint, & in Religionis Gymnaſiis locati, duobus ſaltem annis integris in Dialecticæ ſtudiis ſeipſos exerceant, nec phyſicis diſciplinis eo tempore vacare præſumant, ne Scientiam & modum ſciendi perdiſcendo confundant; interim tamen Grammaticalia eis non prohibemus. Qui ante id tempus, & biennio hocnoo completo, Juvenibus aliquem ex Philoſophiæ libris clanculùm, vel apertè legent, officio legendi, & omnibus exemptionibus priventur, neque huiusmodi lectiones ad curſum velociùs peragendum, Studentibus patrocinentur.

Biennio Philoſophiæ.

5. Qui integro biennio Dialecticis intenderit, & in eis non parum profeciſſe à Magiſtro Regente eum examinante judicatus fuerit, ad philoſophica Studia admittatur; in quibus etiam altero biennio verſetur, nec tunc temporis quovis prætextu ad Scholaſticam Theologiam aſſumatur, ſed in Philoſophicis, ac Dialectices Diſciplinis ſeipſum exerceat; Lectoribus ac diſcipulis contrafacientibus ea, quæ jam propoſita eſt, pœna mulctandis : qui verò parum profeciſſe comperti fuerint, à Studentium numero nullo ſuſcepto præmio amoveantur.

Studentes formati.

6. Qui Philoſophiæ ſtudio integro pariter biennio operam dederint, coram Patribus, & ſingulis in Gymnaſio illo profitentibus diligenter examinentur à Magiſtro Regente, an ita in his Facultatibus profecerint, ut commodè Theologiæ operam dare poſſint, qui ſi idonei reperti fuerint, & in philoſophicis congruè inſtructi, tunc & non priùs, neque aliter inter Studentes formatos habeantur, & Sac. Theologiæ ſtudiis initientur, & ad ea ipſa admittantur, in quibus integro ſaltem anno ſeipſos exerceant, antequàm aliquo Studiorum ſtipendio decorentur, eo autem tempore Metaphyſicæ incumbant, & prioribus omnibus Diſciplinis quantam pro temporis opportunitate poterunt, operam impendant. Hos autem à Ven. Priore benigniùs tractari, & à communibus quibusdam ſervitiis, quibus juniores Studentes ſubduntur, eximi mandamus : nec enim menſis inſervire congruum eſt eos, qui hoc curſu peracto ad altiora Studia ſe accingunt.

7. Quinquennio in his Studiis (ut præfertur) completo, qui Curſoratus gradu ornari voluerint, priùs coram Patribus omnibus ſui periculum faciant, Concluſiones ex Philoſophia & Theologia defenſantes publicè, & lectionem ex aliquo Ariſtotelis libro eisdem à Ven. P. Regente pridiè aſſignandam legentes; quòd ſi per ſecreta ſuffragia ab omnibus Magiſtris, & quibuscumque Graduatis ſumenda, digni inventi fuerint, qui primo hoc honore decorentur, tunc omnium conſenſu Priori Generali pro hoc ſuorum laborum ſtipendio commendentur à Magiſtro Regente, qui ſuam P. Reverendiſſimam depoſito omni amore, odio, ac in ſolam veritatem reſpiciendo, de profectu, ſufficientia, ac moribus prædictorum fideliter informet. Qui ſic promori ad Curſoratum nihilominus Magiſtro Studentium in omnibus, quæ ad ſuum officium pertinent, obtemperare teneantur.

Curſores.

8. Curſores (quos non proprlè, ceu Graduatos novit Religio) in eo ſtatu triennio perſeverent, Theologiæ, Sacræque Scripturæ operam egregiè navando, arguendo, diſputando, quatuor Sententiarum libros percurrendo, & ea omnia perficiendo, quæ Sac. Theologiæ Profeſſorem decent, quibusque idonei reddi poſſint, ut aliorum Lectores aliquando, & Magiſtri dici, & eſſe meritò valeant.

Lectores.

9. Poſt hanc primam promotionem cùm Reverendiſſimo P. Generali congruum tempus videbitur, quòd non minùs regulariter eſſe deber quàm triennio poſt adeptum Curſoratum, ſe præſente (ſi fieri poſſit) ſin autem Examinatoribus ab ipſo inſtituris mandet à Curſoribus ſuos Actus pro Lectoria fieri hoc pacto. Per Magiſtrum Regentem & Examinatores prædictos binæ cuilibet Curſori aſſignabuntur lectiones, una in Philoſophia naturali, vel Metaphyſica, altera in libris Sententiarum, triduo tranſacto poſt aſſignatas lectiones legent in Capitulo coram Magiſtro Regente, Examinatoribus, & toto Studio, primo die primam, & ſecundo alteram, quibus etiam diebus ad Concluſiones reſpon-

debunt

debunt ex lectionibus deductas, quæ non pauciores ſint quàm quinque, arguentibus primùm Examinatoribus ordinatè, deinde aliis, prout Magiſter Regens ordinaverit: quòd ſi per ſecreta ſuffragia à Magiſtro Regente, Examinatoribus, & aliis Graduatis ſumenda, digni inventi fuerint, qui Lectoriæ gradu decorari debeant, per Magiſtrum Regentem & Examinatores litteræ ad Reverendiſſimum Priorem Generalem de profectu, ſufficientia, ac moribus mittantur, & ſi Priori Generali videatur, Lectoriæ gradum eis conferre poterit.

Tempus examinandi Studentes.

10. Eadem forma ad Lectoriam Magiſtri Studentium promoveantur; nec ab his Actibus liberi ſint, niſi tantùm illi qui in Capitulis generalibus Concluſiones publicè defenderint, atque ibidem ad Lectoriam promoti fuerint. Tempus autem ordinarium examinandi tam Studentes pro Curſoratu, quàm Curſores pro Lectoratu ſit à quintadecima die Auguſti usque ad octavam Septembris, & non aliud.

Baccalaurei.

11. Qui in Lectoria diligenter, & cum profectu diſcipulorum munus ſuum obeundo exercitati fuerint adminus per biennium, cùm Priori Generali videbitur, dummodò non ſit anteà, ad Baccalaureatum promoveantur: Baccalaurei etiam non ante completum adminus in eo Gradu biennium legendo, prædicando, & quæcumque illis demandata fuerint exercitia virtutum ſumma cum laude peragendo, ad Magiſterium promoveri à Reverendiſſimo P. Generali poſtulent, nec quovis quæſito colore obtinere contendant: qui quidem Gradus nulli eſt concedendus, niſi ei qui vel Regentis munere fungi, vel publicè Sac. Scripturæ lectionem legere dignus, atque idoneus, & integritate vitæ, & morum gravitate ornatus fuerit. † a

Licentiati.

12. Volumus etiam & mandamus, ut nullus ad Magiſterium Licentiatus magiſtralibus Exemptionibus, immò nec nomine ipſo Magiſtri potiatur, niſi priùs Actus perfecerit, & Inſignia Doctoratus ſuſceperit; interim tantùm Licentiati, vel Præſentati appellentur, & Baccalaureorum exemptionibus gaudeant, ipſos tamen præcedant: deinde ab eodem Priore Generali, ſi poteſtatem à Sanctiſſimo Domino noſtro habuerit, Magiſtri in Sac. Theologia creentur, † b vel ipſum Gradum in approbata aliqua Doctorum Theologorum facultate, quæ in litteris Licentiæ nominetur, ſuſcipiant: aliter autem quacumque ratione creatos Theologiæ Magiſtros Ordo noſter non cognoſcat, nec pro Magiſtris habeat: quin & eos, qui hac ratione Magiſtri creati fuerint, ſi extra Ordinem ſine Prioris Generalis licentia, quomodocumque manſerint, omnibus ſuis gradibus præſenti Conſtitutione privamus, quos eis reſtituere nec ipſe Prior Generalis poſſit, niſi de conſenſu Diffinitorum Capituli generalis nemine diſcrepante.

Magiſtri.

NOTÆ † a Quòad numerum Collegiorum, qualitates Regentium, Baccalaureorum, & Lectorum Philoſophiæ, necnon eorum qui ad Lauream Magiſterii aſſumendi erunt, ipſorumque omnium examen, & alia ad Studia Italiæ pertinentia, videnda ac obſervanda ſunt Decreta emanata in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

† b In Provinciis ubi numerus Magiſtrorum per Sedem Apoſtolicam determinatus eſt, Diffinitorium Provinciæ Priori Generali proponat perſonas omnes idoneas, cunctisque requiſitis inſtructas, juxta uniuscujusque Provinciæ diffinitiones & ſtatuta, pro Laurea Magiſtrali conſequenda; non tamen antequàm curſum Lecturæ compleverint; & tunc Reverendiſſimo P. Generali ex ſibi propoſitis deſignare, nominare, & eligere liberum erit, quem, vel quos ſibi benè in Domino videbitur expedire, isque ſolùm in numero Magiſtorum cenſebitur, qui Reverendiſſimi P. Generalis authoritate declaratus modo & forma prædictis, eidem numero aſſertus fuerit; ita declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1685.

In quo pariter Capitulo abrogatæ, & annullatæ fuerunt omnes Litteræ patentales à Reverendiſſimis Patribus olim conceſſæ pro Magiſteriis de Numero ad primum locum vacaturum, (dummodò jam ſuum ſortitæ non fuerint effectum) ita ut nullus virtute illarum admitti ad Lauream magiſtralem poſſit, quin à Reverendiſſimo P. Generali pro tempore exiſtente noves patentales litteras ſuæ promotionis obtinuerit. Similiter vetitum fuit, ne deinceps ſimiles litteræ pro primo loco Magiſterii vacaturo concedantur, niſi authentico teſtimonio Reverendiſſimo Patri de loci vacatione conſtiterit.

Caput V.

De forma creandi Magiſtrum in Sacra Theologia.

1. Promotor habeat annulum, & birretum nigrum paratum, & ſedens expectet promovendum, qui flexis genibus ad pedes promotoris interrogetur ab eo: *Quid petis?* & reſpondeat humiliter: *Peto promoveri ad gradum Doctoratus & Magiſterii Sacræ Theologiæ.* Promotor: *Promittis tenere, ſervare, docere, & defendere doctrinam ſanam & catholicam, juxta determinationem Sanctæ Matris Eccleſiæ?* Reſpondeat: *Promitto, & ſpondeo in hac forma:*

Profeſſio Fidei juxta Formam Bullæ Sanctiſſimi Domini Domini Pii Papæ IV.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem Factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas: & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris: & iterùm venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & Conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta novæ Legis, à JEſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis, neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque Gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato Originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo diffinita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum Anima & Divinitate D. N. JEſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari.

Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſero, Imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco.

Romano Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JEſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cætera item omnia à Sac. Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque ab illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari quantùm in me erit curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, atque juro: ſic me Deus adjuvet, & per Sancta Dei Evangelia.

Deinde Promotor imponat annulum digito ejus, dicens.

QUoniam Sapientiam vocaſti amicam, & amator factus formæ illius quæſiſti eam tibi ſponſam aſſumere; ecce Deus dat tibi eam ſponſam, ut tecum ſemper ſit, & cor tuum poſſideat. In ſignum ergo ſponſationis accipe an-

anaalum ia manatua; & ego aatboritate Apoſtolica qua faagor, inſtituo, creo, & facio te Doctorem, & Magiſtram in Sacra Theologia, doque tibi poteſtatem & facultatem publicè legendi, doceadi, interpretandi, expoaendi, & declarandi Sacram Theologiam: Ia nomine Patris, & Filii &c. Et hæc dicendo tradat ei Bibliam Sacram, quam ipſe accipiens aperiat, & iterùm modeſtè claudat: deinde ſurgat Promotor, & faciat novum Doctorem ſedere io ſua ſella, dicens: *Et ego te promotam ad gradam Magiſterii Sac. Theologia annumero coaſortio Doctorum, & Magiſtroram dicta facaltatis: ita collocet te, & ſedere faciat Domiaas cum principibus, ut ſolium gloria teneas: qui eſt benedictus ia ſecula ſaculoram. Amen.* Deinde imponat birretum capiti ejus, dicens: *Accipe birretum nigram inſigne Magiſterii: ſic ornet te Deus coroaa gloria.* Deinde elevet eum, & dans ei oſculum, dicat: *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cai beaedixit Dominas: creſcere te faciat Deas ia millibus, & beaedicat tibi in ſacula ſacalorum. Amea.* Deinde det pacem omnibus aliis Magiſtris Sac. Theologiæ: poſteà dentur ei litteræ patentes teſtimoniales prædicti gradus Magiſterii.

Patentales Graduum ſecum habeant Magiſtri.

Unuſquiſque etiam ſecum habeat, & deferat fidem ſibi factam à Magiſtro Regente, & Priore Conventus, quo tempore ad Studium fuerit admiſſus, vel ad Philoſophiam, qoo tempore factus fuerit Studens, formatus Curſor, Lector, ſeu Baccalaureus, vel Licentiatus, ne ordo præcedentiarum confundatur, & ſcandala poſſiot exoriri.

CAPUT VI.

De ordine præcedentiarum in Gymnaſiis ſervando.

1. VT omnis confuſionis & diſcordiæ materia in noſtris Studiis generalibus devitetur, ſtatuimus, ot Magiſtri præcedant Licentiatos, ſive Præſentatos; Licentiati ſive Præſentati Baccalaureos; Baccalaurei Lectores; Lectores Magiſtrum Studii; Magiſter Studii Curſores; Curſores Studentes formatos, qui Theologiæ iocumbuot; ii vero præcedant Studentes in Philoſophia, ultimo loco ſint qui Logicæ vacaverint.

Inter Magiſtros, & Graduatos ordo.

2. Inter Magiſtros verò ii priorem locum habeant, qoi priùs ad minus per tres menſes Inſigoia magiſtralia ſuſceperint, oon autem qui priùs litteras, aut facultatem à Patre Reverendiſſimo haboerint, cùm aliquando contingat, aliquos priùs litteras ſuſcepiſſe, tempus tamen eorum promotioois, non abſque rationabili cauſa, loogiùs præfigi. Ex aliis Gradoatis illi ſemper priorem obtineant locum, qui priùs fuerint per duos menſes adminus Gradibus ipſis decorati.

Ordo inter Studentes.

3. Ioter Studentes verò, qui eamdem Scientiam profitentur, talis ordo ſervetur, videlicet: ut illi præcedant, qui per integrum anoum priùs eidem Scientiæ operam dederint. Si aotem ad eamdem Scientiam infra annum admiſſi fuerint, qui in eo Gymnaſio priùs fuerint priorem obtineant locum; qoòd ſi infra dictum tempus ſimul venerint, locum priorem habeat, qui priùs fuerit Sacerdos ordinatos; quòd ſi ſimul fuerint ordinati, ille priorem locum habeat, qui priùs Profeſſionem emiſit: & ſi ſimul Profeſſionem emiſeriot, ille alium præcedat, qui priùs habitum ſuſcepit: quòd ſi eadem die habitum ſuſceperint, tunc ille præcedat, qui major ætate fuerit: & ſi ætate ſe ooo exceſſerint, ille præſereodus erit, qui in litteris Reverendiſſimi Patris priùs oominatus fuerit.

Sacerdotes præcedunt non Sacerdotes.

4. Adverteodum tamen eſt, quòd ſemper Sacerdotes præcedere debeot noo Sacerdotes, quamcumque Scientiam profiteaotur, vel quocumque ſint Grado decorati. Qui verò propter aliquam culpam notabilem de Studio ad Studium mutatur, ſi Graduatus ſit, ultimum locum habeat inter omnes, qui in eodem ſuot Gradu: ſi aotem fuerit Studens, ultimus ſit omnium Studeotium, & habeatur, ac ſi tunc de novo ad Studium receptus fuiſſet, donec ad priſtinum ſtatum per Revereodiſſimum Patrem reſtituatur.

Ordo ſervandus extra Gymnaſium.

5. Quæ omnia ſupradicta locum habeant in Gymnaſiis, & locis ubi Studentes pro Exercitiis & actionibus Studiorum convenire ſolent. In reliquis verò utpotè in Choro, in Refectorio, in Capitulo, in Proceſſionibus, & ſimilibus Fratres noſtri locum teneant ſecuodùm antiquitatem, & ordinem ſuæ Profeſſionis, & ſecundùm qualitatem Graduum uſque ad Gradum Lectoratus, & ad officium quod vocant Magiſtri Studentium ioclufivè.

CAPUT VII.

Quando Gradaati, ac Studentes Officio intereſſe teneantur, & de ſubſidio Studentium, ac de Fratribus amovendis à Studio.

Ad quid teneantur Regentes.

1. PRiores locorum, in quibus vigent Studia generalia, non cogant Magiſtros Regentes, niſi quotidie ad Orationem ſerotinam: diebus verò feſtis ad Miſſam conventualem & Veſperas: diebus autem ſolemnioribus quibus parantur Cantores, etiam ad Matutioum. Magiſtri verò Biblici quotidiè legeotes ultra hoc, ad Miſſam cooventualem quotidiè co-

Magiſtri Biblici.

Baccalaurei, Lectores &c.

cogantur: Baccalaurei, Lectores, ac Magiſtri Studentium interſint quotidiè Miſſæ conventuali, ac Horis quæ cum ea dicuntur: diebus vero feſtis etiam Veſperis: illis autem Sulemnitatibus, in quibus parari debent Cantores, Matutino quoque, ac Completorio: Studentes & Curſores cogantur quntidiè ad Miſſam conventualem & Horas, ut dictum eſt, & ad Veſperas: diebus verò feſtis & ſolemnioribus ad Matutinum & Completorium.

Negligentes à Priore puniantur.

2. Debet autem Prior negligentes ad hæc punire, & illos, qui tempore Officii, cui non renentur adeſſe, Studio non intendunt, ſed vagantur, exemptionibus debitis privare, & omnes frequenter ad Dei cultum & timorem hortari, & non permitrere, ut aliquis de corpore Studii quicumque ille ſit, pluſquàm per menſem tempore vacationum à Studio abſit, niſi fortè tempore Quadrageſimæ ad prædicandum miſſus fuerit, vel aliqua rationabilis caoſa intervenerit: poterit tamen Pater Reverendiſſimus aliquos habiliores ac diligentiores, quique de ſe majorem præbuerint exſpectationem, particularibus exemptionibos afficere, ut doctiores evadere poſſint ad honorem Dei & Religionis utilitatem.

De Subſidio Studentium.

3. Ut autem juxta paupertatem Ordinis Studentes in Studio ſe ſuſtentare poſſint, neque librorum, aut aliarum rerum penuria Studia relinquere cogantur, præſenti Conſtitutione decernimus inviolabiliter obſervari, ut Studentibus omnibus, donec ad Curſoratum promoti fuerint, Priores Conventuum in quibus Profeſſionem emiſerunt, vel quorum ſunt Filii, mittant ante Feſtum omnium Sanctorum ſcutos aureos tres, quos expendere teneatur Prior in beneficium Studentis, libros ſcilicet, ſeu aliquid aliud quo magis indiguerit emendo. Prior qui præfata ſubſidia tempore debito Studentibus non ſolverit, ad ſolvendum penitus compellatur, & ſi pertinax fuerit, puniatur.

Studentes amovendi per Generalem.

4. Siqoi in aliquo Gymnaſio minos congruè commorari viſi fuerint Priori ſeu Regenti, & inde eos commoveri petierint, non priùs amoveantur quàm ſpeciatim Prior Generalis de eorum omnibus erratis, ac ratione certior fiat, & ſuæ amotionis juſtam cauſam noverit, ut meliùs ubi collocandus ille ſit dijudicare, & aliis etiam pœnis juxta errata eum afficere, vel potiùs tamquàm ignavum pecus à reliquis arcere poſſit: præcipimus tamen ne Juvenibus Studentibus ſine rationabili cauſa injuria & itineris incommoda afferantor.

Prior Studentibus ſit favorabilis.

5. Provideat autem Prior Generalis, ut in locis, in quibus Studia tam generalia quàm provincialia fuerint, Prior loci ſicut honorem & ſtatum Ordinis diligere debet, ſic Studium ſollicitè & ardenter foveat, & Studentibus pius & favorabilis ſemper aſſiſtat: ad quod ſuos omnes Conventuales ſemper inducat & hortetur, nec Studium eorum obedientia aliqua, niſi omninò invitus, & inevitabili quaſi neceſſitate compulſus impediat.

Admittitur alius ſtudendi modus.

6. Per hanc autem de Studiorum, Studentium, ac Studioſorum forma Conſtitutionem nihil derogare intendimus Privilegiis Studii Pariſienſis, nec etiam Statutis aliorum Gymnaſiorum, ſeu Collegiorum, authoritate Reverendiſſimi Prioris Generalis aliàs confirmatis, quæ in his particularibus Gymnaſiis obſervari mandamus, his omnibus non obſtantibus; neque etiam de forma promotionis celeberrimæ facultatis Pariſienſis aliquid immutare prætendimus, modò Magiſtri in ea promoti Ordini obediant, & Magiſtrum Regentem, juxta antiquam conſuetudinem ad Capitulum generale mittant, & in omnibus Priori Generali obedientiam præſtent: aliorum autem Studiorum promotiones tam citra quàm ultra montes, niſi de licentia Prioris Generalis ſint factæ, nullæ ſint in quacumque fiant Univerſitare, & ſi qua per Priores Generales, vel Capitula quoque generalia privilegia contra hoc conceſſa fuerint, præſenti Conſtitutione abrogamus.

Promotio ſine licentia Generalis nulla eſt.

Caput VIII.

De lectione Caſuum conſcientiæ.

Lectio Caſuum ubi ſunt 10. Fratres.

1. Conſcientiæ Caſus vel à Ven. Regente, vel ab aliquo alio ax Patribus ad id muneris idoneo, & deputato, ter adminus in hebdomada exponantur, ſicut ſæpius à Majoribus noſtris ſancitum eſt: quam lectionem nedùm in omnibus Gymnaſiis, ſed etiam in omnibus Monaſteriis, ubi decem Fratres adminus commorantur, haberi volumus, & mandamus.

Qui intereſſe debent Lectioni.

2. Hujus practicæ Theologiæ (quam conſcientiæ caſus appellamus) lectioni Sacerdotes ſinguli intereſſe debent. Licèt autem nec Lectores Sac. Theologiæ, nec ſuperiorum Graduum Patres ad eam cogamus, eos tamen ut (cùm commodè poterunt) interſint, monemus, hortamur, & rogamus; ex aliis vero Sacerdotibus, quicumque illi fuerint, qui intereſſe renuerint, à Priore puniantur, & ad Confeſſiones non admittantur, & ſi jam fuerint admiſſi, ſuſpendantur; & ſi du-

ſi duraverit pertinacia, priventur, & à Conventu removeantur.

Modus legendi. 3. Lectot verò Caſuum in quslibet lectione proponat tria puncts diſcutienda pro ſequenti lectione, publicèque affigantur, & tres ſaltem Patres ſuas in ea materia difficultates objiciant, quibus omnibus Lector ſatisſacere tenebitut, & in fine dictorum reſolutiones apponat. Porrò in ſecernendis materiis, & illarum Anthoribus, ſervetur Provinciarum, atque Nationum conſuetudo, ut ii ſeligantut quorum frequenter eſt uſus in illis Partibus, dummodò inoffenſo pede percurti poſſint. Caveant tamen omnes à laxioribus Sententiis, ac Propoſitionibus à Sancta Romana Eccleſia ptoſcriptis, quæ protſus devitandæ erunt.

Pœna Prioris contravenientis. 4. Priot verò, qui hæc ſingula in Conventu ſuo non curaverit obſervari, pœnam privationis Officii, & inbabilitatis ad idem per ſexennium incurrat: Provincialis autem in ſuis viſitationibus ſedulò ſuper his inſpiciat, puniatque inobedientes, cùm negotium boc valdè animarum ſalutem concernat.

Caput IX.

De Officio Prædicatorum.

Rom. 10. v. 15.

Officium Prædicatorum. 1. AD prædicandum divinum verbum nemo accedat, niſi (juxta Apoſtoli doctrinam) miſſus per obedientiam fuerit. Mitti autem ſive admitti, nec à Prioribus localibus, neque Provincialibus nullus poſſit ad prædicandum niſi promorus à Priore Generali ad gradum Lectoriæ priùs fuerit. Alii verò Fratres quantumcumque docti, ſi ad gradum Lectoriæ promoti non fuerint, niſi priùs examinati, & approbati fuerint à Priore Generali, vel Provinciali & Diffinitoribus Provinciæ, ſuper boc ab ipſo Reverendiſſimo Generali poteſtatem habentibus, publicè prædicare nullatenus valeant.

Pœna prædicantis ſine prædicta licentia. 2. Siquis autem contra præſentem Conſtirutionem aliquem Fratrem ad prædicandum mittere, vel admittere præſumpſerit, omni gradu & dignitare Ordinis, voce inſuper activa & paſſiva uſque ad diſpenſationem duorum Capitulorum generalium privatus exiſtat; ſiquis verò non præſata ratione promotus publicè prædicaverit, pœnæ gravioris culpæ per menſem adjudicetur, & ad prædicandi munus nunquam amplius promoveri poſſit, abſque ſpeciali diſpenſatione Reverendiſſimi Patris.

Licentia prædicandi ab Ordinariis petenda. 3. Fratres verò cujuſcumque gradus & conditionis exiſtant, ad prædicandum non mittantur abſque licentia in ſcriptis illorum Superiorum, qui hujuſmodi licentias concedendi facultatem habuerint, cum quibus, ſi in Eccleſiis noſtris prædicaturi ſint, priùs Epiſcopis, aut locorum Ordinariis ſe præſentent, & ab eis benedictionem accipiant; ſi verò in Eccleſiis, quæ noſtri Ordinis non ſunt, eos prædicare contigerit, in primis ne dum benedictionem, verum etiam licentiam ibidem prædicandi obtinere teneantur, nec id munus exercere præſumant, niſi priùs ea omnia præſtiterint, quæ per Sac. Tridentinum Concilium decetnuntur. Forma autem Licentiæ hæc erit:

Formula licentiæ Ordinis. 4. *Cùm te doctrina ſana, probata, & catholica, vitæ quoque probitatis, & integritatis amatorem hactenus cognoverimus, in eam ſpem adducti ſumus, ut ſis non modò in eo quòd cœpiſti perſeveraturus, ſed etiam ardentiori animo id idem & acturus, eam ob rem tenore præſentium, authoritate Reverendiſſimi Prioris Generalis nobis in hac parte commiſſa, poteſtatem tibi damus in noſtris Eccleſiis cum benedictione, & alienis etiam de conſenſu Illuſtriſſimorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſi fuerint Eccleſiæ, prædicandi: In nomine Patris &c. Hortamur verò te quantùm poſſumus in Domino & monemus, ut Deum præ oculis habeas, ad ſolam ipſius gloriam & Populi ſalutem ſpectes, ſcandala item, errores, & omnem hæreſim, immò vel levem ſuſpicionem prædicando evites. Quòd per te facilè fiet, ſi puram Evangelii doctrinam ad Sanctorum Patrum, ac Conciliorum, præcipuè Tridentini Decreta conjiciens oculos, expoſueris: neque in ſublimitate ſermonis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis prædicaveris, ut ſit ſermo tuus, & prædicatio tua non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Datum &c.* *1. Corinth. 2. v. 4.*

Examen Concionatorum. 5. Eſt autem ſummoperè cavendum, ne aliqui Indocti & minùs periti permittantur aſcendere Pulpita, & publicas habere Conciones, cùm præſumptio talium, ſeu temeritas cedat non ſolùm in detrimentum Populorum, ſed etiam in deriſum Ordinis. Quapropter erit muneris & officii Prioris Provincialis providere, ut nemo publicè prædicare præſumat, niſi priùs examinatus fuerit privatim aliquoties, & deinde approbatus. Convenit autem omnes exerceri in Concionibus domeſticis, ut animentur, & aſſueſcant aliqua ratione quòad vocem, & modum ad munus exercendum, & ut ſpecimen etiam talenti, quod eis Dominus in hoc genere communicavit, præbeant.

Inſtructio pro Concionatoribus. 6. Prædicator habet Officium ſpeculi quantùm ad exemplum, & lucernæ quantum ad prædicationis verbum, unde neceſſe eſt, ut concordet ipſius vita cum doctrina, ne quod ex una parte ædificat, ex alia perdat & deſtruat. Prætendat ita-

que

que Prædicator in habitu humilitatem, in moribus honeſtatem, in verbis diſcretionem, in zelo animarum charitatem, in agendis maturitatem. Cùm Prædicator proponit verbum Dei, attendat quid dicat, & illa ſemper ſtudeat prædicare, per quæ magis videatur poſſe fructificare, & omnes vias perſequatur, quibus Fideles ipſos verbum Dei prædicando, ad vivendum non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum inducat: attendat etiam quibus dicat, ut ſecundùm hoc ſermonem ſuum formet, quibuſdam enim competunt ſubtilia, quibusdam plana & ſimplicia, quibusdam aſpera, quibusdam lenia, aliud competit Religioſis, aliud ſæcularibus, aliud obſtinatis, aliud humilibus & devotis.

7. Item non ſolùm curet prædicare multis, ſed etiam paucis, nec tantùm in Civitatibus ſed etiam in Caſtris & in Villis: non prædicet ſine præmeditatione, niſi ſciat aliàs quid dicere debeat: in prædicando caveat inordinatum motum corporis, exceſſivum clamorem, dicendi velocitatem vel tarditatem, nimiam prolixitatem, ſuperfluam ſubtilitatem, omnia denique quæ reddere poſſunt auditores minùs dociles, benevolos & attentos. Item dubia pro veris non prædicet, nec fabulas vanas aut ſcurrilia, quæ poſſunt ſermonem facere contemptibilem. Item videat diligentiſſimè ne de verbo Dei ſibi faciat vim vindictæ, & in ſermone directè, vel indirectè de propriis injuriis minimè recordetur: quando domi concionatur, reprehenſionem alicujus Fratris, vel ipſius Religionis non attingat, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Venetiis celebrato Anno Domini 1332. ſub his verbis:

8. *Cùm Ordinem noſtrum in odore bonæ famæ totis viribus conſervare teneamur, eò quòd nomen bonum ſit meliùs quàm divitiæ multæ, diffinimus, & præcipiendo mandamus univerſis, & ſingulis Prædicatoribus noſtri Ordinis, quatenus contra Ordinem in communi, vel aliquam ejus perſonam in particulari, nullatenus prædicare præſumant; & ſiquis ſuperbiæ Spiritu inflatus contra præſens mandatum aliquid attentare præſumpſerit, in terra coram toto Conventu ſedens, panem & aquam manducet, donec in prædicatione temerariè dicta, vel prolata plenariè revocet. Mandantes ſingulis Prioribus ſub pœna inobedientiæ generalis, ut prædicta faciant obſervari.* Hæc ibi.

Prov. 22. v. 1.

Prædicator abſtineat à maledicentia.

9. Addimus nihilominus, quòd ſi ex prædicatione hujuſmodi ſcandalum orietur, per menſem pœnæ gravioris culpæ per ſuum Superiorem ſubjacere cogatur, & tanto plus quantò ſcandalum majus fuerit: nec etiam alios Religioſos, vel Religionum ſtatum, ſeu Clericos reddat laicis deſpectos & odioſos, ſed in ſuis prædicationibus (ut decet) omnium Religioſorum, & Eccleſiaſticorum ſtatum omni cum modeſtia & veneratione laudet, & commendet.

Pœna maledici.

10. Cùm autem Prælatos Eccleſiæ teneamur tamquàm Patres præ ceteris revereri, illos abſentes à Prædicatoribus, dum in Suggeſtu concionantur, reprehendi nolumus, in particulari præſertim, nec eorum vitia argui; neque enim hinc fructum aliquem naſci videmus, quin potiùs plebem adverſùs illos concitari, debitamque reverentiam eis adimi, quod magnam peſtem, & incredibile damnum in Eccleſiam hactenus invexit: ſi verò iidem adſint, præſente Populo, commemoratio eorum, quæ ad illorum pertinent Officium, magna cum moderatione fiat, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Viennæ celebrato Anno Domini 1362. ſub hac forma:

Prædicator Eccleſiæ Prælatos revereri tenetur.

11. *Diffiniendo præcipimus omnibus & ſingulis Fratribus noſtri Ordinis, quatenus Prælatis Eccleſiæ Sacroſanctæ reverentes ſint, & cum humilitate & obſequio devoti, & nullatenus contra eos, nec contra ſtatum eorum in ſermonibus, ſeu quocumque alio actu aliquid immiſcendo, vel obloquendo dicere audeant, immò eosdem tamquàm Reverendos Patres pro poſſe alliciant, & faciant per omnia favorabiles & benignos. Contrarium facientes Officio prædicationis privamus, & pœnæ unius menſis graviorum culparum ſubmittimus, & hanc pœnam extendi volumus contra prædicantes ſcandalum, vel infamiam, aut damnum, vilipenſionem Ordinis, vel alicujus Conventus.*

Pœna prædicantium contra Prælatos Eccleſiæ.

Caput X.

Quomodo puniendus eſſet is, qui à veritate orthodoxæ Fidei (quod Deus avertat) quovis modo diſſentiret.

1. CUM nos præ cæteris hæreſim omnem à Catholica Eccleſia damnatam horrere, atque odiſſe maximè deceat, utpotè eo ſpirituali Parente prognatos, qui Hæreticos omnes verbo & calamo, ac quacumque alia ratione potuit, tàm ardenter inſectatus eſt, ut Hæreticorum malleus meritò ab Eccleſia appellatus ſit: cùmque Reverendiſſimi Ordinis noſtri Generales ex Apoſtolico Indulto habeant, ut adverſùs quemcumque ſibi ſubditum etiam in crimine hæreſis procedere, reoſque juxta delicti gravitatem debitis pœnis afficere poſſint, dummodò non priùs ad San-

Modus puniendi hæreticos.

ctum

ctum Inquiſitionis Officium delati ſine ✝. ad hujuſmodi pernicioſiſſimam peſtem quàm longiſſimè arcendam (quam etiam à quocumque Religioſorum cœtu Deus Optimus Maximus prohibere dignetur) ſtatuimus, ut Reverendiſſimus P. Generalis, qui pro tempore fuerit, in hujuſmodi erroribus inquirendis ac puniendis, hac ratione procedere teneatur, videlicet:

Duo Aſſeſſores vocandi.

2. Primùm, ut in hujuſmodi cauſis, ac caſibus duos ſibi Socios veluti Aſſeſſores & Conſultores aſciſcat Sacræ Theologiæ, vel Juris Pontificii Profeſſores ſive Doctores, de quorum conſilio & judicio rem pertractet, ac terminet, quos etiam in ſua Sententia, vel abſolutoria, vel condemnatoria nominatim exprimat, & ſubſcribere faciat: teneatur tamen ante abſolutionem Sancto Officio notificare, & conſervare omnes Proceſſus, & poſt abſolutionem mittere Inſtrumenta publica Sententiarum & abjurationum ad prædictum S. Officium; puniat confeſſos, vel convictos animadverſione condigna, juxta Sacrorum Canonum, œcumenicorumque Conciliorum diſpoſitionem: poſſitque de eorumdem Aſſeſſorum conſilio pœnam perpetui, vel longi carceris in dies mitigare ac commutare, quatenus Pœnitentis reſipiſcentia, humilitas, atque patientia requirere videbuntur.

De Pœna Obſtinati.

3. Siquis verò ad tantam dementiam venerit, ut hæreſim ſuam pertinaciter, obſtinatèque defendere non vereatur, Religionis habitu omninò privetur, & Dominorum Inquiſitorum poteſtati tradatur, ac Judicio ſubjiciatur; quippè qui rectè norunt quid juſtè, vel miſericorditer illi ulteriùs expedire videatur. Siquis autem formaliter Hæreticus inventus fuerit, hæreſeſque publicè, aut etiam privatè tamquàm præceptor docuerit, & ad ſe reverſus omnem hæreſim abjuraverit, & miſericordiam poſtulaverit, ultra pœnas Sacrorum Canonum volumus, ut quorumcumque Sacramentorum administratione perpetuò careat: publicè, aut privatè legendi, ſeu concionandi munere nullo unquam tempore potiri poſſit: omnibus gradibus, honoribus, ac dignitatibus privatus, abſque ulla ſpe reſtitutionis intelligatur, & de facto habeatur, ſitque omnium ſui ordinis noviſſimus; nec Reverendiſſimus P. Generalis per ſe, nec etiam in Capitulo generali unà cum PP. Diffinitoribus cum eo in aliquo diſpenſare valeat.

4. Quòd ſiquis in hæreſim formaliter prolapſus, præceptor tamen hæreſum, vel hæreſis, nec publicè, nec privatè fuerit, hic præter pœnas Sacrorum Canonum, Sanctorum Sacramentorum miniſterio, omnique officio, gradu, ac dignitate ſit privatus: ad officium aliquod cum cura animarum, & ad Confeſſiones audiendas nunquam ampliùs admittatur, nec reſtituatur: ad Miſſam celebrandam non poſſit licentiari niſi in Capitulo generali: gradibus verò & officio Prædicatoris non reſtituatur niſi in tertio Capitulo generali ab eo tempore, in quo Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ fuerit reconciliatus, dummodò per teſtes graves, ac fide dignos Diffinitorio conſtet, ipſum eſſe verè Catholicum, humilem, ac modeſtum: ad quæ omnia ſi fuerit admittendus, per ſecreta ſuffragia admittatur; cùm autem hujuſmodi gradui reſtituitur, ſit ultimus inter omnes ejuſdem gradus.

De pœna formaliter hæretici.

5. Siquis verò non convincitur formaliter Hæreticus, ſed de vehementi ſuſpicione abjurare coactus fuerit, idem de eo ſit judicium, hoc dumtaxat excepto, quòd in ſecundo Capitulo generali poſſit ſupradicto modo cum eo diſpenſari: ſiquis demum leviter fuerit ſuſpectus, judicio Reverendiſſimi Patris relinquatur. Hæc omnia ſupradicta reſpectivè obſervari volumus cum his, qui per Sanctum Inquiſitionis Officium de quacumque hæreſi condemnati fuerint. Quarè præcipimus in meritum ſalutaris Obedientiæ Reverendo Patri Procuratori Ordinis, & omnibus aliis Fratribus cujuſcumque gradus, vel dignitatis, ſeu qualitatis fuerint, ne audeant pro hujuſmodi diſpenſationem aliquam à Summo Pontifice, vel à Dominis Inquiſitoribus quovis modo procurare.

Pœna ſuſpecti de hæreſi.

Præceptum

NOTA. ✝ Loquitur Textus juxta formam Bullæ Pii IV. *Paſtoris æterni vices*: 1. Aprilis 1562. Modò verò aliter diſponitur per Conſtitutionem Pauli Papæ V. perpetuò valituram; qua hujuſmodi facultas penitus revocatur, ipſiſque Generalibus, Superioribus, & Prælatis diſtinctiùs inhibetur, ut de cæterò quovis quæſito colore, vel prætextu præventionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu etiam cognoſcendi an delationes hujuſmodi calumnioſæ ſint, nec nè, in eiſdem cauſis tam motis, quàm movendis quoquo modo ſe intromittere, ſeu miſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, Proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, diffinire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant. Qui non paruerint, privationis quarumcumque dignitatum, ſeu Prælaturarum, vel Officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ & paſſivæ perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores Hæreticorum, & impeditores Officii ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque Cenſuras eccle-

ſiaſticas, etiam Excommunicationis majoris latæ Sententiæ, à qua nonniſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurrunt *Romanus Pontifex*: Romæ apud S. Marcum Kalendis Septembris 1606. In Bullario Romæ recuſo anno 1617.

Caput XI.

De Libraria, & cuſtodia librorum.

Libri nullo pacto alienandi.

1. STatuimus & ordinamus, quòd nullus Prior localis, etiam toto Conventu conſentiente, ſed nec Prior Provincialis, accedente conſenſu Capituli provincialis, librum, vel libros cujuscumque communis Librariæ noſtrorum Conventuum det, vendat, aut quovis quæſito colore alienet, aut etiam impignoret, vel hujusmodi licentiam concedat, vel aſſenſum præbeat ſub pœna privationis officii, gradus, & honoris: quarè innovamus diffinitionem factam in Capitulo generali Montiſpeſuli celebrato Anno Domini 1324. quæ ſic habet:

Præceptum cum Excomunicatione.

2. *Cùm pro Ordinis promotione, ſtatu, & honore noſtra Religio libris aptis ad Studium non habeat theſaurum chariorem, diffinimus & ordinamus, ut omnes libros pertinentes ad Librariam communem cujuslibet Conventus ſine diſtractione qualibet conſerventur: inhibentes in virtute ſanctæ Obedientiæ Prioribus, Procuratoribus, ac etiam Officialibus cujuslibet Conventus, ne aliquem librorum prædictorum alienare, vel ſubpignorare præſumant. Quicumque contrarium fecerit, illum, vel illos, trina monitione præmiſſa, in his ſcriptis Excommunicationis vinculo innodamus, & ulteriùs contra prædicta temerè facientes per Provincialem arceantur ad plenam reſtitutionem librorum deſtructorum.* Hæc ibi. Permittimus tamen, ut libri Conventus poſſint accommodari Religioſis, & perſonis honeſtis, habita tamen cautione, ne poſſint amitti, vel cedula relicta, & de licentia Prioris, & Patrum Conſilii conſenſu.

Libri duplicati quomodo vendi poſſint.

3. Si tamen aliqui ſint libri, qui Fratrum uſui fuerint inutiles, aut quidam ex eis eſſent duplicati, tales de expreſſa licentia Prioris Generalis, vel Capituli provincialis vendi poterunt; ita tamen ut pretium venditorum plenè, & abſque diminutione in alios libros convertatur; vel cum aliis libris utilioribus & neceſſarioribus poterunt commutari. Nullus etiam Frater vendat librum ſibi datum à quocumque, vel qualitercumque extra Ordinem, nec aliquo modo alienet abſque ſui Superioris licentia, quâ ipſe non concedat niſi cauſa neceſſaria & rationabili interveniente, ſub pœna gravioris culpæ, aliter alienanti infligenda; incautè verò concedens licentiam à ſuo Superiore debitè puniatur.

Cuſtos Librariæ.

4. Debet etiam ordinari Librarius, ſive Cuſtos Librariæ, cujus Officium erit habere curam, quantùm in ſe fuerit, ut habeatur locus ſecurus, & benè aptus, vel Armarium ligneum pro Libraria, in quo collocare debet libros Conventus ſeparatim ſecundùm varietatem facultatum, & illi qui fuerint ejuſdem facultatis, ordinatè, & non confuſè: ſcribatque in unoquoque volumine cujusmodi liber ſit, & quid in eo contineatur, & in principio cujuslibet libri infra ſpatium vigintiquatuor horarum, quo Bibliothecæ fuerit incorporatus, ponatur hic titulus: *Iſte liber eſt talis Conventus Ordinis Erem. S. P. Auguſtini*, & ſi fuerit dignum, quòd dator libri in memoria habeatur, addatur: *quem dedit talis*: vel, *qui fuit talis Fratris jam defuncti.*

De Librariæ Catalogo.

5. Procurare debet hujusmodi Cuſtos, ut adſint Tabulæ, una quidem univerſalis totius ſcilicèt Librariæ, & aliæ particulares, quæ applicandæ erunt ſingularibus banchis, vel interſtitiis, ut faciliùs ſciatur, ubi poſſit inveniri quod quæritur. Ipſius etiam intereſt tenere Librariam mundam & coaptatam, & ſæpè à libris pulverem excutere: dare etiam operam, ut libri communes augeantur, & qui non habentur in omni genere facultatum, habeantur, & hoc meliori modo quo poterit, & ut illi, qui jam habentur, reparentur, cooperiantur, & benè ligentur: atque etiam cavere impoſterùm ab iis, quæ invenerit libris nocuiſſe: Fratres verò qui libros deturpaverint, vel in illis aliquid propria authoritate ſcripſerint, vel deleverint, vel in aliquo alio malè tractaverint, debet admonere, & ſi neceſſe fuerit ſuo tempore & loco proclamare: ſollicitus prætereà ſit de clauſura Librariæ, vel Armarii, clavem apud ſe teneat & aperiat, & claudat quandocumque opus fuerit.

Extranei non intromittendi ſine licentia.

6. Nullus verò aliquam perſonam extraneam introducat in Librariam abſque Ven. Prioris licentia, & Cuſtodis ſcitu, ſub pœna unius diſciplinæ pro qualibet vice: cùm autem introducendus fuerit aliquis extraneus, ſit ibi præſens Cuſtos, nec aliquem extraneum introductum ibi ſolum manere permittat, ſub eadem pœna: frequenter libros viſitet, & videat ne aliqui deperdantur, quòd ſi aliquem invenerit deeſſe, debet diligenter ſollicitare, ut reinveniatur.

Fratres extrahere

7. Quando aliquis Frater voluerit extrahere aliquem librum ex Libraria, ſcri-

poſſunt ad uſum.

ſcribet manu propria in libro ad hoc deputato, hoc modo: *Ego N. tali die extraxi ex Libraria talem librum, vel tales libros*: quòd ſi aliquis abſtulerit libros, & prædictam notam manu ſua non reliquerit ſcriptam, Cuſtos teneatur denunciare Priori, qui illi pro prima vice indiſenſabiliter imponat pœnam comedendi in terra, quod ſi ſæpiùs fecerit, extrahendi facultate privetur: cùm autem libros reddiderit, coram ipſo delere Cuſtos memoriale ſupradictum debet, ne confuſio aliqua oriatur.

Libri bis in anno colligendi.

8. Item bis in anno debet omnes libros colligere, & ad Librariam reportare ad videndum ſi aliquo indigeant, & ſemel in anno, ſcilicet poſt Paſcha immediatè rationem reddet de omnibus libris Suppriori & Depoſitariis per Inventarium Librariæ, cujus tranſumptum in Depoſito eſſe debet: hoc idem faciet quandocumque officio ceſſerit.

SEXTA PARS

DE CULPIS, AC POENIS EIS DEBITIS.

CAPUT I.

Quando debet fieri Capitulum de culpis, & de modo in eo ſervando.

Capitulum de culpis.

1. Singulis ſextis Feriis Capitulum de culpis abſque ulla diſpenſatione in unoquoque Conventu noſtri Sacri Ordinis, ſive multos, ſive paucos habeat Fratres, omninò fieri præcipimus & mandamus, niſi fortè ipſa die aliqua magna occurrat Solemnitas; tunc enim fiet in Vigilia ipſius Solemnitatis: fiet autem hoc modo & ordine.

Forma, & tempus Capituli.

2. Immediatè poſt Miſſam conventualem, vel hora qua Priori videbitur, ad ſignum campanulæ ter pulſatæ Fratres omnes conventuales, atque etiam hoſpites, exceptis Prioribus aliorum Conventuum ad Capitulum conveniant, & inclinantes ad Altare, vel Crucem, ſeu Imaginem, vadant ad loca ſua, & abſque genuflexione ordinatè ſedeant, ſecundùm conſuetum ordinem præcedendi, idque ubicumque Fratres convenerint, ſervari volumus: & ſi Prior, vel vicem ejus gerens poſteà venerit, omnes ei reverenter aſſurgant (quod ubique fieri debet) qui ſedeat in medio tituli, ſeu in ſede ante medium Altaris, ita ut Fratres verſis vultibus ad Imaginem, vel Crucem, dicant Deo & Prælato culpas ſuas.

Modus inchoandi Capitulum.

3. Prior ſedendo dicat, *Adjutorium &c.* Fratres omnes ſurgentes reſpondeant: *Qui fecit* &c. Prior dicat, *Benedicite*; Conventus reſpondeat: *Deus*; & inclinet ad benedictionem, quam Prior det, dicens: *Dominus vos bene✠dicat, & ab omni malo defendat, & ad finem perfectum perducat, & fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.* Poſt datam hujuſmodi benedictionem, ſiquis venerit, coram Priore inclinet, & erectus ſtet, quoùſque ad locum ſuum Prior eum ire innuerit: ſi verò non fuerit Sacerdos priùs genuflectat, & poſteà ſtet erectus &c.

Exhortatio ſpiritualis.

4. Sedentibus omnibus legat Prior de Regula, vel Conſtitutionibus, ſive Diffinitionibus, ſeu ordinationibus quantum ſibi videbitur expedire: lecta verò ita clarè explicet, ut omnes qui adfuerint ea perfectè intelligant; deinde admoneat Fratres, ſi opus fuerit, de aliquibus ad honorem DEI, honeſtatem Ordinis, & Fratrum correctionem pertinentibus.

Corrigendi Novitii.

5. Poſteà dicat: *Agamus de culpis*; quo audito omnes ad terram ſe proſternant, & Prior interroget: *Quid dicitis?* reſpondeant ſinguli, *meam culpam*: tunc Prior dicat, *ſurgite*; & omnes ſurgant & ſedeant, & dicat Prior, *Egrediantur Novitii*: priùs tamen ipſos poterit de negligentiis & culpis eorum, ſi viſum ei fuerit, reprehendere, & corrigere: licitum erit etiam aliis Fratribus Novitios proclamare in Capitulo; non tamen moleſtandi erunt in aliquo pro defectibus, ſeu negligentiis, quas in principio ſtatim committunt. Novitius autem ut ſenſerit ſe notari, vel reprehendi, proſtratus jaceat quamdiù Prior dixerit. Egreſſis Novitiis ad juſſum Prioris, egrediantur ſimiliter hoſpites, ſi adfuerint, quos tamen Prior, ſi ſibi videbitur & caſus emerſerit, priuſquàm egrediantur arguere & corrigere poterit, qui ut ſe notari ſenſerint, genuflectant, quoùſque Prior dixerit.

Corrigendi & Hoſpites.

Rei veniam petant de defectibus publicis.

6. Egreſſis hoſpitibus, dicat Prior: *Qui ſe reos cognoverint, veniam petant.* Continuò qui ſe reos exiſtimaverint, ante Priorem genuflexi, ſubmiſſo capite humiliter ſe accuſent de defectibus manifeſtis (nullus enim de occultis in Capitu-

pitulo ſe tenetur accuſare) commiſſis contra Regulam, Conſtitutiones, vel ordinationes, ſeu diffinitiones noſtri Sac. Ordinis, & accuſantes ſe terram manu tangant, & pectus percutiant: vel ſi ſe accuſare neglexerint, à Priore vocentur, ſeu ab aliis charitativè proclamentur: mitiùs verò ſemper agatur cum iis, qui ſe ſpontè accuſaverint; nam culpa levior efficitur, quæ confeſſione voluntaria aperitur. Obſervandum tamen eſt, ne duo ſimul procedant ad petendum veniam, niſi ambo proclamati, vel vocati fuerint, ſed uno genuflectente, & ſeipſum accuſante, cæteri ſedeant donec finierit.

Nullus loquatur ſine venia.

7. Nullus autem in Capitulo loquatur ſine licentia Prioris petita per verba *Benedicite Pater*; niſi vel culpam ſuam dicendo, vel Priori ad interrogata reſpondendo.

Nullus loquatur ſedendo.

8. Nullus item ſedendo loquatur, cujuſcumque ſit autnoritatis, ſed ſemper ſurgant, quando loqui, vel ad loquendum licentiam petere voluerint, nec Prior aliquem ſedere jubeat ad loquendum, niſi ſit Magiſter in Sacra Theologia. Siquis autem ſine licentia loquatur, vel etiam licentia petita & obtenta modum exceſſerit, niſi ad juſſum Prioris ſtatim omninò ſiluerit, à Capitulo expellatur, à quo exire ſilenter ſine mora teneatur, quod ſi noluerit, diſciplina ea ſtatim imponatur: omnes namque ibi reverenter ſe habere tenentur, cùm judicium Capituli imago quædam ſit Judicii Divini futuri.

Modus proclamendi.

9. In proclamationibus autem culparum hunc modum ſervari volumus, ut petita licentia loquendi à Prælato, dicat proclamans ſtans non exaggerando verba, ne ejus accuſatio ſit accuſabilis: *Frater N. debet dicere ſuam culpam*; & tunc illo, qui proclamatus fuerit, ſurgente, & ſi non fuerit Sacerdos genuflectente, ſi non recordetur ſubjungat proclamans: *Recordetur F. N. quòd tali die, tali loco, tale quid dixit, vel fecit, ſeu facere omiſit.* Tunc proclamatus genibus flexis humiliter dicat ſuam culpam, vel petita ſupradicto modo licentia modeſtè ſe excuſet: non enim volumus, ut aliquis culpam ſuam, vel alterius in Capitulo pertinaciter, vel furibundè præſumat defendere ſub pœna gravis culpæ.

Modeſtè proclamandum.

10. Si autem proclamatus negaverit, vel ſe excuſaverit, proclamans non inſtet, niſi juſſus, vel interrogatus à Priore: In proclamante enim apparere debet charitas & modeſtia: uterque verò ſermonem ſuum dirigat ad Priorem, nec mutuò loquantur, ne fortè (quod abſit) in Capitulo contentiones oriantur, & culpæ culpis addantur, & locus correctionis fiat locus corruptionis. Proclamans uno contextu omnia proponat.

11. Item in eodem Capitulo nullus ampliùs, quàm de tribus culpis proclamet, benè poterit tamen unus de eadem culpa ſimul plures proclamare: plures autem quàm tres eumdem Fratrem in eodem Capitulo non proclament. Caveat autem unusquiſque, ne ſe proclamantem in eodem Capitulo proclamet, nec foris ſuper hoc cum eo contendat, ſed ſe totum ad emendationem diſponat.

Contentio caveatur.

12. Nullus in Capitulo de defectibus, qui ibi manifeſtantur, audeat ridere, ſed potiùs compatiantur, & pro eis orent. Prior pro culpis, de quibus Fratres confeſſi, vel convicti fuerint, ſecundùm Statuta Ordinis pœnitentiam imponat: juſtitiam autem ejus, qui præeſt, debet comitari diſcretio, pietas, & manſuetudo.

Charitas commendatur.

13. Si verò alicujus culpa talis fuerit, ut diſciplina ſit dignus, Prior det illam, vel alius de ejus mandato, dummodò non ſit inferioris ordinis; tunc verò præcipuè alio committenda erit impoſitio diſciplinæ, quando ſe Prior erga aliquem ſubiratum eſſe cognoverit: *Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur*: & *Ira non habet miſericordiam*: nullus autem in hoc renuat obedire Priori.

Impoſitio pœnitentiæ.

Jacob. 1. v. 20.
Prov. 27. 4.

14. Quòd ſiquis ſuperbia ductus culpam ſuam non cognoverit, vel Ordinis diſciplinam ſubire noluerit, vel quovis alio modo Priori ſuo obedire renuerit, Prior intra propriam Cellam eum includi præcipiat, & poſteà mittat ad eum ſucceſſivè aliquos ex ſenioribus, qui piis ſermonibus & blandis exhortationibus ad ſatisfactionem illum inducant: ſi autem ipſe (quod Deus avertat) expectatus per diem & noctem, & exhortatus primò, ſecundò, & tertiò, obſtinati cordis extiterit, ſatisfacere, obedire, vel ſe cognoſcere nolens, Prior in carcerem eum conjici faciat, ubi ſecunda, quarta, & ſexta Feria in pane & aqua ſine diſpenſatione jejunet, quòusque reſipiſcat, ut ſic fortaſſis pœna oculos aperiat, quos culpa clauſerat: cùm verò ad ſe reverſus clamaverit: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te*: è carceribus educatur, & pœna culpæ commiſſæ debita ſecundùm Ordinis Statuta puniatur.

Modus coërcendi inobedientes.

Luc. 15. v. 21.

15. Qui-

Supprior veniam petat.

15. Quibus expleris, vel ſi de particularibus culpis nihil occurrat dicendum, Supprior vel antiquior Sacerdos ſi ipſe non adfuerit, in medio Capituli genuflexus, pro omnibus Patribus Conventus humiliter & diſtinctè, ſic quòd ab omnibus intelligi poſſit, veniam petat, & dicat hoc modo: *Reverende Pater dico Deo & vobis meam culpam pro me, & pro omnibus Patribus hujus Conventus, de omnibus & ſingulis defectibus, & tranſgreſſionibus Regulæ, Conſtitutionum, & omnium præceptorum Ordinis noſtri, hujuſque Conventus, & peto veniam à Deo & vobis.* Interim verò omnes Sacerdotes ſtent inclinati, capitibus detectis: Prior injungat eis Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*: quem ſtatim ſic inclinati dicant.

Item antiquior ex Profeſſis.

16. Poſteà ſurgat antiquior ex Profeſſis, & in medio Capituli genuflexus & inclinatus dicat idem pro ſe, & pro omnibus ſociis ſuis illius Conventus, & venia petita terram humiliter deoſculetur: interim cæteri Fratres non Sacerdotes in locis ſuis genuflectant, quibus injungat Prior: *Pater noſter*, & *Ave Maria*: quo dicto ſurgant & ſedeant.

Memoria Benefactorum.

17. Dicat deinde Prior: *Recitentur beneficia*; & Procurator ac Sacriſta, vel quivis alius Frater, ſi ad eorum manus aliquæ notabiles Eleēmoſynæ pervenerunt, eas, quales, & quantæ, & quarè, & a quibus datæ ſint, ibidem in Capitulo coram omnibus declarent, & dicant, ut perſonæ hujuſmodi, à quibus, vel pro quibus datæ ſunt, devotè Fratribus commendentur: quibus recitatis, vel licet non recitentur, adjungat Prior legendo in Conſtitutionibus hæc præciſa verba:

Legenda à Priore.

18. *Multa ſunt beneficia, Patres, & Fratres in Chriſto dilectiſſimi, quæ quotidiè nobis à Domino Deo per Fideles ſuos misericorditer conferuntur, quibus vivimus, ſuſtentamur, & recreamur: unde ne Domino Deo & Benefactoribus noſtris inveniamur ingrati, commendo Sacrificiis & Orationibus veſtris Summum Pontificem N. Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Protectorem, Reverendiſſimum P. Priorem Generalem, & Rev. Procuratorem ac Aſſiſtentes, & omnes Provinciales, Priores & Prioriſſas, Fratres, ac Moniales totius Ordinis noſtri: commendo etiam vobis Sereniſſimum Regem noſtrum N. Dominum quoque hujus domini, ſub quo vivimus, ac omnes Benefactores, amicos, Confratres, ac familiares iſtius Provinciæ N. & præcipuè hujus Conventus. Omnes item habitatores iſtius Civitatis,* vel *diſtricti, maximè illum,* vel *illos, qui in præſenti Capitulo recitatus fuit,* vel *recitati fuerunt. Multæ etiam ſunt perſonæ, quæ in tribulationibus & anguſtiis poſitæ ſæpè rogant commendari Orationibus veſtris, habentes devotionem & fiduciam in eis, illas igitur omnes, & ſingulas ſecundùm earum fidem vobis commendo. Præterea commendo Sacrificiis & Orationibus veſtris animas omnium Fidelium defunctorum: in particulari verò animas Parentum noſtrorum, Fratrum, & Sororum, ac amicorum Ordinis noſtri, & Benefactorum, qui nobis annuales, vel quotidianas eleēmoſynas reliquerunt, vel pro quibus a ſuis nobis collata ſunt, & conferuntur. Inſuper commendo animam Fratris N.* vel *talis perſonæ, quæ his diebus ex hac vita migravit. Et ſiquæ eſſent obligationes, vel eleemoſynæ datæ pro aliquibus animabus, pro quibus non eſſet plenariè ſatisfactum ob aliquam negligentiam, vel oblivionem: Ego accepto eas ad participationem Miſſarum, & omnium bonorum noſtrorum donec fuerit pro eis ſatisfactum coram Domino Deo. Pro quibus omnibus, & aliis meritò nominandis tam vivis quàm defunctis, dicamus:* Prior ſurgens dicat Orationem, *Retribuere* &c. Deinde Cantor incipiat: *Ad te levavi* &c. *Kyrie eleiſon* &c. Prior: *Et ne nos* &c. *Salvos fac. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus: Prætende* &c. *De profundis* &c. Ut in cap. 1. Primæ Partis continetur.

19. Tunc ſiquid debet Vocalibus proponi, dicat Prior: *Egrediantur omnes vocem non habentes*: qui ſtatim, nemine excepto, egredi teneantur: in Capitulo autem Conventus nullus vocem habebit, qui non ſit Sacerdos, & qui à die Profeſſionis ſuæ in noſtra Religione tertium annum non compleverit. In fine dicat Prior: *Sit nomen Domini* &c. & tunc Fratres bini & bini in medio ad Imaginem, vel Crucem inclinantes, ordinatè egrediantur. Siquis autem ob aliquam inevitabilem occupationem Capitulo non interfuerit, in Refectorio coram Priore, & non longè ab eo dicat genuflexus: *Reverende Pater* &c. & à Priore pœnitentia ei imponatur.

Qui vocem habeant in Capitulo Conventus.

Caput II.

De pœnis in genere; ac ſententia Excommunicationis.

Modus corrigendi.

1. CUm præcipua infligentium pœnas intentio debeat eſſe peccantium correctio, Prælati Ordinis noſtri diligenter procurent, ut ii quos puniunt, pœnis meliores ac cautiores reddantur: quod fiet certè cum eos tamquàm filios corripuerint, oſtendentes eis amorem etiam in verbis, & quærentes ab eis rationem facti, quaſi eam deſiderantes, ut occaſionem non puniendi inveniant:

quapropter eos ſæpè moneant, hortenturque ad patientiam, & mœrentes conſulentur: corripiant denique eos, *tamquàm ſpirituales in ſpiritu lenitatis, conſiderantes ſeipſos, ne & ipſi tententur.* (Galat. 6. 1.)

Modus acceprandi correctionem.

2. Illi verò quibus pœnitentiæ Ordinis fuerint injunctæ humiliter eas acceptent, & patienter adimpleant, & à culpis ſe emendare procurent cum vero profectus deſiderio. Quandocumque autem aliquis Sacerdos à Superiore ſuo extra Capitulum reprehenditur etiam ſine culpa, terram manu tangat, & pectus percutiat, & humiliter vel ſuam confiteatur culpam, vel religiosè ſe excuſet; Si verò non fuerit Sacerdos genuflectat, & ſimiliter faciat, nec ſurgat niſi juſſus à Superiore.

Ante ſententiam detur locus defenſioni.

3. Cuicumque Fratri, cui pœnitentia debet imponi, dicatur priùs, quarè ei talis pœnitentia imponatur, & ante Sententiam detur ei locus debitæ defenſionis: contrafacientes graviter puniantur, & Sententia taliter data, & pœnitentia contra hanc formam impoſita, nulla ſit ipſo facto.

Pœnæ & culpæ proportio.

4. Si autem aliquando contingat aliquod grave delictum ab aliquo perpetrari, cujus pœna in Conſtitutionibus non ſit taxata, Prior juxta delicti gravitatem, conſulto, ſi prope aderit, Provinciali, ſin minùs Patribus Deputatis ſui Conventus, eam poterit taxare, atque imponere. Prior verò Provincialis in ſimili caſu idem faciat de conſilio Prioris localis. Oportet tamen hujusmodi pœnas in Conſtitutionibus non taxatas per alias taxatas, parum plus, vel minus, regulare.

Pœna impedientis correctionem.

5. Item ſtatuimus, ut nullus impedire audeat correctionem alicujus, vel inquiſitionem, ſub eadem pœna quam reus ſubire deberet. A pœnitentiis injunctis ab aliquo Superiori nullus ei inferiora poteſt abſolvere, nec in eis diſpenſare absque ejusdem ſpeciali licentia.

A quibus Cenſuris Prior abſolvere poteſt.

6. A Sententiis Excommunicationis latis in Conſtitutionibus, vel diffinitionibus, ſive Statutis Superiorum, vel à Jure provenientibus Prior localis abſolvere, & abſolvi poſſit, niſi ſit in ipſis Conſtitutionibus, vel Statutis abſolutio ſpecialiter alteri Superiori reſervata. A Sententia verò Excommunicationis contra aliquem in particulari, vel in aliquo ſpeciali caſu, & pro illa ſola vice promulgata non poſſit abſolvere, niſi ferens Sententiam, vel alius de ejus mandato, ſeu commiſſione.

Pœna malè abſolventis.

7. Quicumque verò contrafecerit, præter hoc quòd abſolutio penitus irrita, & nullius erit valoris, officio, gradu, & omni dignitate, quam tunc habuerit privetur usque ad diſpenſationem illius ad quem talis abſolutio pertinebat, vel Capituli provincialis.

A quibus abſtinere debet Excommunicatus.

8. Omnis autem excommunicatus Excommunicatione majori non ingrediatur Eccleſiam, Capitulum, vel alia loca communia, ſed nec ad electiones, vel conſilia quælibet admittatur; quinimò quamdiù ſic ſteterit, ab omnibus evitetur.

Caput III.

De pœna deſtruentium, falſificantium, vel alterantium litteras, vel Sigilla Officialium noſtrorum, necnon & privilegia Ordinis noſtri, & de pœna aperientium, ſive occultantium eorumdem litteras.

1. Nullus Frater litteras falſas Reverendiſſimi Prioris Generalis, Rev. Procuratoris Ordinis, vel alicujus alterius Superioris Ordinis noſtri, vel eorumdem falſa Sigilla per ſe, vel per alium audeat conficere, vel tenere, vel eis uti, nec eorum veras litteras audeat falſificare, hoc eſt, demere, vel addere aliquid in eis, quod ſenſum & tenorem litterarum immutet, nec clauſas audeat malitiosè aperire.

Excommunicatio contra falſificantes.

2. Siquis verò contrafecerit, illum ex nunc prout ex tunc, trina canonica monitione præmiſſa, in his ſcriptis (licèt inviti) Excommunicationis vinculo innodamus, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Paduæ celebrato Anno Domini 1281. & prætereà pœnæ graviſſimæ culpæ per menſem ſine diſpenſatione ſubjacebit, ac ineligibilis per triennium ad omne officium Ordinis permanebit.

3. Eidem pœnæ ſubjaceat qui publica Inſtrumenta in favorem totius Ordinis, aut alicujus Provinciæ, ſeu domus deſtruere, alienare, falſificare, ſeu occultare fuerit auſus.

4. Qui verò Indulgentias, vel Privilegia Sedis Apoſtolicæ in favorem Ordinis falſificare auſus fuerit, ultra pœnas impoſitas, in pœnas contentas in Bulla Cœnæ Domini ſe noverit incurriſſe.

5. Item

Pœna occultantium litteras Superiorum.

5. Item qui litteras Reverendiſſimi Prioris Generalis, Rev. Procuratoris Ordinis, vel alicujus alterius Prælati noſtri Ordinis tam eas quæ ipſi ad alios miſerint, quàm eas, quæ ad ipſos ab aliis mittentur, deſtruere vel occultare præſumpſerit, pœnæ gravioris culpæ per menſem ſubjacere ſine diſpenſatione cogatur.

Caput IV.

De pœna injungenda ei, qui animo irato aliquem percuſſerit.

Pœna comminantis percuſſionem.

1. ORdinamus, quòd ſi aliquis Frater animo irato alicui percuſſionem comminatus fuerit, pœnam gravioris culpæ per hebdomadam ſuſtinere cogatur; & ſi percuſſerit aliquem Fratrem manu, ſubjaceat ſupradictæ pœnæ per quindecim dies; ſi verò percuſſerit eum ligno, vel lapide, ſeu aliquo alio absque ullius partis corporis gravi læſione, per menſem eidem pœnæ ſubjaceat; Si verò aliquem extraneum percuſſerit, pœnæ ſubjaceat ſupradictæ per duos menſes; & tantum in prædictis pœnis augeatur, quantum Priori de conſilio Patrum viſum fuerit expedire, juxta qualitatem perſonæ percutientis, & perſonæ percuſſæ, & percuſſionis, ac ſcandali magnitudinem; At verò ſi ex percuſſione gravis aliqua læſio inferatur, percutiens pœnam culpæ graviſſimæ per duos menſes ſuſtineat, ac per triennium utraque voce careat.

Percutientis.

Mutilantis membra.

2. Si autem ex percuſſione mutilatio membri, vel vulnus enorme, ſeu mortale inferatur, & mors minimè ſubſequatur, eamdem pœnam per ſex menſes absque ulla diſpenſatione ſuſtineat, & per quinquennium voce careat: aggraventur etiam iſtæ pœnæ penſatis circumſtantiis, prout ſupra dictum eſt.

6. p. cap. 2. n. 4.

Pœna homicidæ.

3. Si verò usque ad homicidium (quod Deus avertat) aliquis dilaberetur, talem volumus, & omninò decernimus perpetuò carceri mancipari, & quòd ſingulis ſeptimanis ſecunda, quarta, & ſexta Feria panis & aqua ſolùm ſine aliqua diſpenſatione ei miniſtretur.

Pœna reincidentis.

4. Quòd ſiquis ad tantam ſævitiam venerit, ut poſt tertiam vicem diverſis temporibus Fratrem aliquem, vel aliquos graviter percuſſerit, etiam absque membri læſione, vel ſanguinis effuſione, peracta pœnitentia ſecundùm differentiam percuſſionum in capitulo iſto poſita, hæc ſuperaddatur, ut ad omne Officium Ordinis intelligibilis permaneat, quousque ſit cum eo per generale Capitulum diſpenſatum, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1284.

Pœna manus injicientium in Prælatum.

5. Item quicumque Frater in ſuum Priorem vel Prælatum manus injecerit violentas, præter pœnam taxatam, voce utraque perpetuò absque ulla ſpe diſpenſationis careat, quam etiam Conſtitutionem ad complices & fautores percuſſionis & injectionis violentarum manuum volumus extendi.

Preceptum de Armis non portandis.

6. Item præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſalutaris Obedientiæ, ut nemo cujuscumque gradus vel dignitatis exiſtat, ſub quovis prætextu aut occaſione deferre audeat vel præſumat, aut apud ſe in cubiculo tenere, ſeu ſervare cujuscumque generis arma, etiam ad particulare commodum aut venationem ſtrepitoſam ſpectantia: excipimus tamen cultellos, ſeu gladios ad communes uſus, dummodò palmi unius menſuram non excedant, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1625. Permittimus tamen in Conventibus, qui ſunt in ſilvis, latronum, ſeu inimicorum incurſionibus expoſiti, ad defenſionem, ubi opus fuerit, arma retineri poſſe, ſub clavi tamen, quæ ſit penes Ven. Priorem, & non aliter, prout declaratum fuit in Capitulo generali ibidem celebrato Anno Domini 1685.

7. Siquis autem Frater inventus fuerit portare, vel quovis modo habere arma, propter quæ meritò ſit ſuſpectus, ipſo facto pœnæ graviſſimæ culpæ per menſem ſit adjudicatus.

Caput V.

De pœna incidentium in aliquem lapſum carnis.

Pœna fornicarii.

1. QUi Voti à ſe emiſſi, & profeſſionis ſuæ oblitus fornicationis crimine ſe maculaverit, de hujusmodi culpa ſufficienter convictus, vel etiam proprio ore confeſſus, pœnæ culpæ graviſſimæ per menſem ſubjaceat, ac voce per triennium privetur, ac poſt dictum menſem à Conventu & loco illo omninò mutetur, & ad locum illum ulteriùs non mittatur, niſi per longa poſteà tempora ita religioſè converſatus fuerit, ut Diffinitores Capituli provincialis rationabile ducant cum eo diſpenſare.

2. Quòd

2. Quod ſiquis laxatis habenis carnali concupiſcentiæ obſequutus, in graviora etiam carnis ſcelera (quod Deus avertat) & in abominabiles turpitudines (quæ inter nos nec nominari quidem decet) prolapſus fuerit, hunc juxta gravioris ac fœdioris criminis genus, & juxta aggravantes circumſtantias, gravioribus etiam pœnis plecti volumus, ita ſcilicet, ut juxta menſuram delicti ſit & plagarum modus, ad perpetuam usque incarcerationem, & ſuſpenſionem à miniſterio Altaris, necnon ad privationem omnium graduum, & vocis activæ & paſſivæ in perpetuum, ſi in profundum fœditatis ac turpitudinis ſe immerſerit.

Caput VI.

De pœna revelantium ſecreta Ordinis, vel Confeſſionis.

Quid ſit ſecretum Ordinis.

1. SI Frater aliquis Ordinis noſtri cujuscumque Capituli, ſeu etiam domus ejuſdem Ordinis, alicui extraneo ſcienter, & ex deliberatione ſecretum revelaverit, pœnam gravioris culpæ per quindecim dies pro qualibet vice ſuſtinere ſine aliqua diſpenſatione efficaciter compellatur, & voce careat per annum. Secretum verò Capituli, ſeu Domus, intelligimus cauſas infamatorias, unde Ordo noſter, Provincia, ſeu Conventus, aut Frater aliquis particularis notabiliter infamari poſſit.

Extraneis perſonis nil revelandum.

2. Nihil igitur de Religione noſtra, ſeu domo, vel quovis Fratre extraneis perſonis revelari, aut manifeſtari, ſive dici debet, niſi id quod ad Dei gloriam & honorem, ad Religionis ac Fratrum decorem, & audientium ædificationem pertinet: ſecretum etiam dicimus quidquid Prior Reverendiſſimus Generalis, vel alii Superiores præceperint ſecretum haberi; extraneos autem dicimus, quotquot non ſunt noſtræ profeſſionis, vel ſub debita obedientia Reverendiſſimi Patris Generalis non degunt, exceptis Illuſtriſſimis Prælatis, qui fuerunt ex noſtris.

Pœna revelantis Confeſſionem.

3. Sacerdos verò qui tanta fuerit fraude diabolica obcœcatus, quòd ex alicujus Confeſſione ſibi facta in foro pœnitentiali præſumpſerit aliquid directè vel indirectè quovis modo revelare, ſi de hujusmodi ſcelere ſit convictus, ſtatim ſine aliqua diſpenſatione pœnæ graviſſimæ culpæ per quatuor menſes ſubjaceat: item authoritate audiendi confeſſiones eo ipſo perpetuò ſine ulla ſpe diſpenſationis ſit privatus, & in perpetuum pariter voce careat.

Caput VII.

De pœna falsò accuſantis, & falſi teſtis.

1. LIcèt via malignantium, & iniquitas perverſorum nulla poſſit lege, ſeu mandato præcludi, tamen ad hoc, quantùm in nobis eſt, tenemur ſollicitè vigilare. Quarè ſtatuimus & ordinamus, & omnes ac ſingulos Fratres noſtri Ordinis primò, ſecundò, & tertiò monemus, & eisdem ſtrictè præcipimus per Obedientiam ſalutarem, & ſub Excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ut nullus ex eis Fratrem aliquem, vel Prælatum falsò coram aliquo Superiore, vel Officiali noſtri Ordinis, ſeu alio quovis Judice, Prælato, ſeu Officiali, aut Principe accuſet, vel contra aliquem falſum teſtimonium reddat, vel falſum teſtem det, ſeu inducat, vel dari faciat, vel falsò juret, ſeu jurare faciat in judicio.

Præceptum cum excommunicatione contra falsò accuſantem.

2. Quòd ſiquis tanta perverſitate & ſuggeſtione diabolica fuerit obcœcatus, quòd contra hoc præceptum præſumpſerit quovis modo facere, trina canonica monitione præmiſſa ex nunc prout ex tunc in his ſcriptis (licèt inviti) Excommunicationis vinculo innodamus, & ipſum ipſo facto excommunicatum eſſe decernimus & declaramus: quod intelligi volumus de falſo infamatorio, prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1291.

3. Addentes inſuper quòd quicumque fuerit de tali malitia & temeritate convictus, per menſem pœnæ graviſſimæ culpæ ſubjaceat, nec impoſterùm ejus teſtimonium unquàm in Judicio admittatur, nec in Viſitationibus vocetur, niſi ad audiendum culpas ſuas, & pro infami habeatur, careatque voce in perpetuum, niſi cum eo per tria Capitula provincialia diſpenſetur: Siquis verò aliquem Fratrem de crimine aliquo coram quovis noſtri Ordinis Prælato, vel Judice accuſaverit, & in probatione defecerit, pœnam ſubeat tallionis.

Pœna falsò infamantis.

Caput VIII.

De pœna ſurripientium.

1. SIquis Frater aliquid ab aliquo etiam minimum furatus fuerit, à Priore loci diſciplinis, & aliis pœnis efficaciter puniatur: ſi verò circa quantitatem aut valorem unius aurei alicui perſonæ, vel loco aliquid furtivè ſuſtulerit, rem reſtituere compellatur, & pœnæ graviſ-

ſimæ culpæ per menſem omninò ſubjaceat: Si verò majnris valoris fuerit furtum, eadem pœua reſpectivè augeatur.

Pœna ſacrilegi.

2. Siquis autem Calices, vel aliqua Eccleſiæ ornamenta ſurari præſumpſerit, pœnam ſubeat culpæ graviſſimæ quòuſque poſt ſex menſes, & non anteà per provinciale Capitulum cum eo fuerit diſpenſatum; eidem pœnæ ſubjaceat, qui arcam Depoſiti confregerit, vel clam aperuerit, & ille etiam, qui inventus fuerit habere aliquod inſtrumentum, vel adulterinas claves, quibus poſſit ſeras vel arcas aperire, niſi ſe canonica purgatione purgaverit.

De pœna Furantium.

3. Volumus autem quòd qui de furto (niſi ſuerit de re modica) convictus, vel confeſſus fuerit, pro prima vice, præter pœnas impoſitas, per triennium voce careat; ſi verò in ſecundo furto fuerit deprehenſus, voce careat in perpetuum, & pro infami judicetur & habeatur.

Caput IX.

De pœna Proprietarii.

Voti Paupertatis explicatio.

1. QUoniam per ſolemnem & expreſſam Profeſſionem Fratres noſtri omnibus & ſingulis quibuſcumque bonis, juribus, & actionibus ad ipſos tunc, vel impoſterùm quovis modo attinentibus, & quòad proprietatem, & quòad omnem, & totum penitus eorumdem uſufructum nihil de eis ſibi quovis modo reſervantes, itaut efficaciter & cum effectu renunciant, deinceps nec etiam verbo aliquid proprium, ſive ſuum dicere debeant, ſtrictè præcipimus omnibus, & quibuſcumque Fratribus Ordinis noſtri profeſſis, ut nullus eorum (*ſicut canis qui revertitur ad vomitum*) per ſe, vel interpoſitam perſonam habeat privatum dominium, uſum, vel uſufructum pecuniarum, reddituum, vel quorumcumque bonorum mobilium, aut immobilium, aut ſe moventium, ſed omnia quantacumque, & qualiacumque, & quomodocumque acquiſita habuerint, vel eis donata fuerint, in mera & libera poteſtate ſui Prælati teneantur reſignare, nihil penitus ſibi retinentes, ſeu quovis modo reſervantes, dicentes: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt;* immò potiùs deponentes omnem ſollicitudinem in craſtinum, totam penitus ſpem in illum projiciant, qui ſic abundè paſcit volatilia Cœli, quæ neque ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & ſic ornatè veſtit lilia agri, quæ non laborant, neque nent; & obedientes conſilio Domini Salvatoris, primùm quærant Regnum Dei, & juſtitiam ejus, ſervando ejus mandata, & reddendo eidem quod in Profeſſione voverunt, ut conſequi mereantur liberaliſſimam, ac certiſſimam promiſſionem ejuſdem Salvatoris dicentis: *Et hæc omnia adjicientur vobis.*

Prov. 26. 11.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2.

Matth. 6. v. 31.

Matth. 6. v. 33.

Omnia in communi reponantur.

2. Unde quidquid Fratribus datur in eleëmoſynam pro Miſſis, vel quibuſcumque Orationibus, prædicationibus, lectionibus, aut confeſſionibus, vel pro quacumque arte, vel artificio, induſtria, vel labore in rem communem redigatur, & cui neceſſe fuerit præbeatur; itaut juxta B. P. N. Auguſtini Regulam: *Nemo ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera noſtra in unum fiant majori ſtudio & frequentiori alacritate, quàm ſi nobis ſinguli propria faceremus;* & unuſquiſque tantò ſè ampliùs proficere noſcat, quantò libentiùs & ferventiùs pro communi quàm pro particulari utilitate prædicaverit, legerit, vel quodcumque aliud fecerit.

Regul. c. 8.

Diſcretio Prioris in diſtribuendo.

3. Pia tamen & laudabilis diſcretio ita à Superioribus obſervetur, ut ipſorum Fratrum, quorum cauſa hujuſmodi bona ad Monaſteriom venerint, quòad eorum neceſſitates pro loco & tempore in hujuſmodi bonis eis donatis, vel relictis, ab eis utcumque acquiſitis, diſpenſandi ſpecialem habeant rationem. Ad hanc autem communitatem integrè ſervandam in omnibus & per omnia & ipſi Priores locorum teneantur.

Præceptum de reſignatione pecuniæ.

4. Præcipimus autem in virtute Sancti Spiritus, ac ſalutaris Obedientiæ, ut ſi pecuniæ alicui Fratri intuitu privatæ perſonæ ab aliquo donatæ fuerint, Superiori exhibeantur infra vigintiquatuor horarum ſpatium à receptiune earum, vel à reverſione Fratris in Conventum; Prior verò illas in Depoſito pro communi utilitate reponat †. Prior etiam pecunias ſibi in eleëmoſynam datas intuitu ſuæ perſonæ in Depoſito pro communitate, ut ſupra, habere omninò teneatur.

Nil ſine licentia recipi poteſt.

5. Qui comeſtibilia, vel alia parvi momenti receperit ſine Prioris licentia, pro prima vice comedat in terra in medio Refectorii, pro ſecunda diſciplina ei imponatur, deinceps ad arbitrium Prioris puniatur, & ſemper re accepta privetur.

Caſus reſervatus.

6. Qui verò pecuniam, vel rem aliam magni momenti ſine licentia Prioris à quocumque receperit, ſi ipſam pecuniam, vel dictam rem habuerit, abſolvi ab aliquo Confeſſore non poſſit, niſi prtiùs id tale quantum & quale fuerit, Pri-

Digitized by Google

Vetatur donatio, venditio, & permutatio.

Priori oſtenderit, hæc enim recipi ab aliquo prohibemus (abſque Superioris expreſſa licentia) ſub præcepto: ſub quo etiam præcipimus, ne aliquis Frater extraneis perſonis dare, donare, vel vendere, ſeu permutare cum eis poſſit aliquid non parvi momenti abſque eadem expreſſa licentia ſui Superioris.

Pœna contravenientium.

7. Quòd ſi hujuſmodi pecunia, vel res accepta, ſive data, fuerit valoris unciæ argenti, ſive eam habeat, ſive non ille qui accepit, vel dedit, à nullo præterquam à Priòre abſolvi poſſit, & ſic delinquens pœnæ gravioris culpæ per menſem ſubjaceat.

8. Si verò majoris, vel minoris valoris fuerit res celata, minuatur vel augeatur pœna reſpectivè, & ultra hanc pœnam acceptis omnibus privetur, & data (ſi fieri poſſit) recuperare compellatur; & contra hanc ſupradictam formam de conſignandis cum effectu omnibus rebus io manibus, & libera poteſtate & voluntate Prioris, nullam licentiam in Ordine noſtro dari volumus.

Proprietarius Eccleſiaſtica ſepultura privatur.

9. Siquis autem (quod Deus avertat) in tantum progreſſus fuerit malum, ut proprietarius moriatur, ſi hoc fuerit evidens & manifeſtum, beneficio Eccleſiaſticæ ſepulturæ omninò privetur, ut viventes terreantur.

Depoſitum non ſit extra Ordinem.

10. Statuimus etiam, quòd nullus Frater Ordinis noſtri, ſive Prior, ſive ſubditus ſit, cujuſcumque etiam gradus, vel dignitatis, quovis modo extra Ordinem, veſtes, libros, ſeu aliquid aliud ſibi ad uſum conceſſum ponere audeat, niſi de expreſſa licentia ſui Prioris, ſi fuerit ſubditus, ſi verò Prior fuerit, de ſcitu & conſenſu Patrum conſilii: & hoc ſemper fiat, relicto in Depoſito lucido inventario. Quicumque verò contrafecerit, ſine aliqua diſpenſatione rebus ipſis efficaciter privetur, & de ipſis ſicut de bonis Fratrum decedentium omninò diſponatur, prout diffinitum fuit per Reverendiſſimum Magiſtrum Alexandrum de S. Elpidio quondam Sac. Ordinis nuſtri Priorem Generalem electum in Capitulo generali Viterbii celebrato Anno Domini 1312.

2. par. c. 15. n. 11. & ſeq.

Semel in anno Inventarium Fratres faciant.

11. Ad evitandam prætereà omnem, vel minimam proprietatis ſuſpicionem pariter decernimus, quòd non tantùm quotieſcumque aliquid momenti extra Clauſtra Monaſterii cum debita, ut ſupra, licentia reſervabitur, & in periculo mortis (ut in cap. 15. ſecundæ Partis diſpoſitum eſt) ſed etiam ſemel adminus in anno, videlicet poſt Paſcha, ſinguli Fratres teneantur fidele Inventarium manu propria ſubſcriptum facere de omnibus rebus ſibi ad uſum permiſſis, illudque conſignare Priori Conventus reponendum in Depoſito, expoſtulantes ab eodem Priore benedictionem, ut prædictis rebus tuta conſcientia uti poſſint; necnon in ipſomet Inventario proteſtantes omnia bona ad Superioris nutum, & noo aliter apud ſe conſervare: tale autem Inventarium clauſum eſſe poſſit. Si autem ultra menſem quis tale Ioventarium non præſentaverit, vel fideliter non confecerit, ex nunc prout ex tunc omnibus iiſdem bonis expoliatum eſſe, ac in pœnam proprietarii incidiſſe declaramus, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1661. & approbatum, & confirmatum in tribus Capitulis generalibus ſubſequentibus, ac tandem inoovatum in oupero ibidem etiam celebrato Anno Domini 1685.

Neceſſaria omnibus dari debet.

12. Ut autem omnis privatæ proprietatis amputetur occaſio; præcipimus omnibus & ſingulis ooſtræ Religionis Prioribus, ut cunctis Fratribus ſuæ Familiæ in infirmitate omnia neceſſaria, omni cũ charitate & hilaritate ſubminiſtrent; in ſanitate verò curent, ut quamvis ſit in quo probetur Votum paupertatis, & ſui ipſius abnegatio, non deſit tamen quo ſuſtentetur natura, & ad Divinum obſequium abſque aliquo incommodo conſervetur.

Uſus mendicandi ſervari debet.

13. Licèt verò ex licentia & privilegio Sedis Apoſtolicæ noſtra Sac. Religio, non obſtante titulo mendicitatis, poſſit bona ſtabilia io communi legitimè poſſidere, volumus tamen, ne vita, & ſtatus noſtrorum Fratrum à tam ſancta denominatione, atque titulo omninò deviare videatur, ut in ſingulis Conventibus, quòad fieri poſſit, per unum adminus Fratrem, vel Converſum iſta ſancta mendicitas humiliter exerceatur.

NOTA. ✠. In Capitulo generali Romæ celebrato Anno 1685. interdictum fuit Prioribus, & Depoſitariis ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, ac omnium Officiorum cum inhabilitate ad eadem in perpetuum obtinenda, ne Religioſorum depoſitum ullo modo, vel illius quidpiam tangere, aut imminuere præſumant ſine licentia Reverendiſſimi P. Generalis, vel totius Diffinitorii Provinciæ in Capitulo tantùm provinciali congregati.

Ubi verò perfectæ Communitatis immutata Obſervantia perſeverat, ſanctiſſimè retineri ſtatutum fuit, ita ut neque in ulla re ab ejus Legibus, moribus, & conſuetudinibus declinare liceat.

CA-

CAPUT X.

De pœna recurrentium ad Sæculares pro ſua promotione, aut impunitate culpæ commiſſæ.

Pœna recurrentium ad ſæculares.

1. SIquis pro ſua promotione, vel adeptione Officii, vel gradus intra Ordinem, aut ingreſſu, ſeu continuatione Studii, ſive pro mora in Conventu, in quo eſt, vel mutatione ad alium, aut pro defenſione, ſeu immunitate culpæ commiſſæ contra voluntatem Superioris, preces vel litteras Prælatorum, Principum, Magiſtratuum, aut qoorumcumque nobilium, aut potentum Perſonarum extra Ordinem noſtrum † per ſe, vel per alium procuraverit & obtinuerit, ſi propter hujuſmodi preces vel litteras oporteat, vel contingat qoemcumque Prælatum noſtri Ordiois (ne ipſe, aut Ordo damnum, aut indignationem talium Perſonarum incurrant) concedere hujuſmodi gratiam tali Fratri, eo ipſo dictus Frater voce activa & paſſiva per tres annos privetur, niſi gratiæ ſibi taliter conceſſæ ſioe indignatione Prælatorum, aut Principum hujuſmodi, ſtatim renunciaverit: loco inſuper per idem tempus privetur, ita ut ſit ultimus ſui ordinis reſpective.

2. Si verò aliquis, de quo probabiliter creditur, quòd tales preces vel litteras procuraverit, id ſe feciſſe negaverit, ſi gratiæ hojuſmodi renunciare noluerit, ad purgationem canonicam compellatur, & ſi convictus fuerit, pœna taxata puniatur, prout ſuit ordinatum io Capitulo generali Arimini celebrato Anno Domini 1318., & in Capitulo generali Montiſpeſuli celebrato Anno Domini 1324., & in Capitulo generali Florentiæ celebrato Anno Domini 1326. & ſi ex his offenſa, vel damnoſa indignatio Ordini, vel cuicumque Prælato concitata fuerit, pœnam gravioris culpæ per menſem ſuſtinere cogatur ultra pœnam prætaxatam.

NOTA † Ut Religioſi Viri honorum, & dignitatum Gradus in Ordine noſtro ſanctitate vitæ, & aliis religioſis virtutibus promereri ſtudeant, non autem mendicatis ſtudiis tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum Perſonarum de gremio dictæ Religionis non exiſtentium, ad eos ſibi aditum patefacere ambitioſè contendant, videndæ, & ſervandæ ſunt Conſtitutiones Clementis VIII. *Quoniam nemo debet aſſumere*: 2. Decembr. 1604. & Pauli V. *Admonemur paſtoralis*: 4. Julii 1607. in Bullario Romæ recuſo 1617. De quibus ſupra in Notis ad Cap. 2. 3. partis.

CAPUT XI.

De pœna conſpirantium, & eorum qui in Ordine fuerint Capita factionum.

Præceptum de non conſpirando.

1. PRæcipimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut nulli Fratres juramento, aut fide præſtita, colligationem, vel confœderationem faciant, quòd ſibi mutuò non deficiant in ſuis defenſionibus, ſubſtentationibus, & hujuſmodi, quæ notam conſpirationis oſtendunt: nec de facto contra aliquem Prælatum, vel ſubditum malitioſè conſpirent, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, quam trina canonica monitione præmiſſa (licèt inviti) ferimus, prout lata fuit in Capitulo generali Coloniæ celebrato Anoo Domini 1374.

Excommunicatio.

Pœna Conſpirantium.

2. Siquis verò per conſpirationem, conjurationem, colligatinnem adverſùs aliquam perſonam aliquod malum machinatus fuerit, pœnam graviſſimæ culpæ per menſem ſuſtineat; & ſi ob talem conſpirationem, vel conjurationem aliqois Prior, vel Conventus malum ſive detrimentum, vel ſcandalom notabile patiatur, pœnæ ſupradictæ ſobjaceat per duos menſes; ſi autem aliquis Provincialis, vel Provincia, per tres; ſi verò Reverendiſſimus P. Generalis, vel univerſus Ordo, per annum: nec in iſtis pœnitentiis aliquis poſſit diſpenſare.

Annullatio juramenti.

3. Annullamus verò, & irritamus omnia juramenta, vel promiſſiones ſuper talibus conſpirationibus, ligis, vel confœderationibus hactenus factas, prout annollatæ fuerunt in prædicto Capitulo Coloniæ celebrato.

De Factioneſo.

4. Ut autem paci ac unitati Ordinis conſulatur, præcipimus, & inviolabiliter obſervari mandamus, ut illi, qui inventi fuerint eſſe tamquàm Duces, & Capita factionum, diviſionum, ſeu partialitatum in Conventu, vel Provincia aliqua, ſeu in toto Ordine, ſi de hoc convicti fuerint, vel ſi probabiliter fuerint ſuſpecti, & ſe canonicè purgare nequiverint, à Conventu illo, vel Provincia, vel à toto Ordine omninò cum effectu expellantur, † nec ulteriùs admittantur, nec in hoc aliquis Superior, nec etiam Prior Generalis diſpenſare poſſit: illi verò qui tales defendere, vel eis auxilium, ſeu favorem præbere non erubuerint, voce activa & paſſiva priventur per decennium abſque ulla ſpe diſpenſationis.

NOTA ✠. Videndum, & ſervandum eſt Decretum Sac. Congregationis Concilii Tridentini quoad hujuſmodi reorum expulſionem, quod regiſtrabitur infra in Notis ad Cap. 22.

CAPUT XII.

De pœna infamantium, & mittentium litteras infamatorias ſine nomine.

Pœna infamantium Prælatos.

1. CAveant ſummoperè Fratres noſtri Ordinis cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtant, ne Prælatis Eccleſiæ ullo modo detrahant; Siquis autem convictus fuerit, quòd de Summo Pontifice, vel Dominis Cardinalibus, Regibus, ſeu aliis Prælatis, aut Principibus verba diffamatoria dixerit, vel ſcripſerit, pœnæ graviſſimæ culpæ per menſem ſubjaceat: ſi verò quæ dixerit, hujuſmodi ſint, quæ probari non poſſint, alter menſis ejuſdem pœnæ ſuperaddatur, quæ pœna augeatur, vel minuatur penſata qualitate exceſſus: idem ſit judicium de eo qui de Reverendiſſimo P. Generali, vel alio Ordinis Prælato verba infamatoria ſimili modo dixerit.

Modus monendi Superiorem.

2. Quarè præcipimus, ut ſi aliquis Frater adverſùs Superiorem ſuum non malitioſè, ſed in veritate habuerit quidquam, quod nullo modo tolerari debeat, non eum traducat, aut ejus famam parvifaciat, de qua maxima cum circumſpectione tractandum eſt; quinimmò inter ſe & ipſum ſolum, cum charitate priùs & humilitate ipſum admoneat, quam admonitionem ſi neglexerit, & contempſerit, aliquem de ſenioribus & diſcretioribus Fratribus, quem ipſe audiat libentiùs, ad eum monendum inducat, & ſi adhuc non ſe correxerit, Superiori Prælato veritatem inſinuet, & declaret, ut ſic per illum corrigatur, vel in Capitulo generali, aut provinciali corrigendum procuret, nec alio modo præſumant de ſuis Superioribus diffamatores obloqui, vel ſcribere, ſub pœna prætaxata, penſata injuriæ qualitate, & quantitate, & ponderato gradu Prælaturæ.

Pœna infamantium non Prælatos.

3. Diffamantes autem aliquem non Prælatum, pœnæ gravioris culpæ per menſem, & ſi falſò diffamaverint, per duos menſes ſubjacere cogantur, & plus, vel minus, penſata qualitate perſonæ & infamiæ: ſemper tamen intelligi volumus, quòd infamia ſit notabilis, & perſona non ſit aliàs de eodem crimine infamata, niſi poſteà fuerit canonicè purgata, & omnis diffamator tali diffamato famam publicè reddere compellatur, ſi quod dixit probari non poſſit.

Præceptum cum Excommunicatione contra diffamantes per rithmos &c.

4. Statuimus & ordinamus, & omnes ac ſingulos Fratres noſtri Ordinis primò, ſecundò, & tertiò hortamur & monemus, & eiſdem ſtrictè præcipimus per Obedientiam ſalutarem, ne quis eorum per rithmos, vel cantilenas, aut quaſvis cedulas, vel litteras ſine nomine & cognomine proprio, vel libellos famoſos, aut deſcriptiones in quovis loco, etiam in parietibus deſignatas, aliquem diffamare, vel convitiis afficere audeat quovis modo: contrafacientes verò ex nunc, prout ex tunc trina monitione præmiſſa in his ſcriptis (licèt inviti) Excommunicationis vinculo innodamus, & per duos menſes pœnæ graviſſimæ culpæ adjudicamus, ac voce per annum privamus.

CAPUT XIII.

De pœna luſorum, hiſtrionum, & maleficorum

1. STatuimus & ordinamus, quòd nullus Frater noſtri Ordinis nec cum alio Fratre, nec cum aliquo ſæculari ad aleas, vel chartas, vel taxillos ludere audeat: quin & alios ludos indecentes & inhoneſtos Fratribus prohibemus, ſive depoſito pretio, ſive non: contrafacientes verò ipſo facto Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrant, quam, trina canonica monitione præmiſſa, præſenti Conſtitutione ex nunc prout ex tunc (licèt inviti) in ipſos ferimus, à qua nonniſi à Priore Generali abſolvi poſſint, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato Anno Domini 1614. & approbatum ac confirmatum in duobus Capitulis generalibus ibidem celebratis Anno Domini 1620., & 1625., in quo pariter declaratum fuit prædictam diffinitionem vim habere Conſtitutionis, & ſub eiſdem pœnis prohibitum, ne quis eam in toto vel in parte interpretari audeat. Addentes inſuper, quòd ſi quis convictus fuerit ſe luſiſſe ad aleas, vel chartas, vel taxillos, vel ad alios ludos indecentes & inhoneſtos cum Fratribus, vel ſæcularibus in Conventibus, vel in domibus ſæcularium pœnam gravioris culpæ pro qualibet vice ſuſtineat, & utraque voce perpetuò ac ſine diſpenſatione privetur, prout diffinitum fuit in Capitulo generali Recineti celebrato Anno Domini 1602.

Excommunicatio contra luſores.

Pœna luſorum.

Pœna hiſtrionum. Cap. Marium. 33. d. & 4. q. 1. Diffinitio.

2. Item prohibemus ludos larvaticos, & hiſtrionicos, & quamcumque repræſentationem more ſæcularium, ſub eadem pœna prætaxata iis qui repræſentaverint; & ſub pœna privatio nis

nis ab Officio ſine aliqua remiſſione Prælato, qui hujuſmodi licentiam repræſentandi Fratribus conceſſerit, vel repræſentari per Fratres tales Comœdias permiſerit.

Pœna maleficorum.

3. Item ſtatuimus, quòd qui artibus prohibitis utuntur, atque ſtudent, per duos menſes pœnam graviſſimæ culpæ ſubeant, ac etiam alias diuturniores juxta qualitatem delictorum, & per quinquennium voce utraque priventur: eamdem pœnam ſubeant, qui apud ſe libros, vel libellos, chartas, vel ſchedulas de his & ſimilibus habuerint, niſi canonica purgatione ſe purgaverint: libros verò vel ſchedulas hujuſmodi coram omnibus igne comburi mandamus.

Caput XIV.

Quomodò Apoſtatæ ad Ordinem recipiantur, & de Pœnitentia eorum.

Quis verè Apoſtata dicatur.

1. Licèt, conſiderata ratione apoſtaſiæ, ille tantùm Apoſtata verè judicari debeat, qui habitum ſuæ Religionis temerè reliquit, vel etiam cum habitu à Religione receſſit cum animo deliberato non revertendi, immò retrocedendi à Religione: nihilominus tamen poſtquàm Sacroſanctum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 4. prohibendo ſtatuit, ne quis Regularis à ſuo Conventu recederet, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſus, aut vocatus fuiſſet, inſuper ſtatuit, ut ſiquis ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuiſſet, ab Ordinariis locorum tamquàm deſertor ſui Inſtituti puniretur: ſtatuimus & ordinamus, ac in virtute Spiritus Sancti præcipimus & mandamus, ne aliquis Frater noſtri Ordinis profeſſus abſque licentia ſui Superioris petita & obtenta, à prædicto Ordine, ſeu aliqua ejuſdem Ordinis Provincia, ſeu Conventu diſcedere præſumat.

præceptum.

Excommunicatio contra fugitivos.

2. Si autem (quod Deus avertat) Fratrem aliquem ſine prædicta licentia à præſcripto Ordine, Provincia, vel Conventu diſcedere, & aufugere contingat, illum primò, ſecundò, & tertiò monemus, inducimus, & hortamur, eidemque præcipimus per Obedientiam ſalutarem, ut per totam illam diem, qua prædictum Ordinem, Provinciam, vel Conventum reliquit, & quam ei pro termino peremptorio aſſignamus, ad ipſum Ordinem, Provinciam, vel Conventum de facto redeat: qui ſi illa die non redierit, ſcientes illum ex hoc contumacem & Apoſtatam, vel ſaltem fugitivum, trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis ex nunc, prout ex tunc ipſum (licèt inviti) Excommunicationis vinculo innodamus.

Modus evadendi in juſtam vexationem Superiorum.

3. Sed ne ex hoc indiſcreti Prælati occaſionem ſumant Subditos ſuos plus æquo contriſtandi, & malè tractandi, quia ad Superiores Prælatos recurrere non valent, volentes hujuſmodi vexationi de ſufficienti remedio providere, ordinamus & ſtatuimus, ut ſi aliquis Frater cujuſcumque ſtatus, vel conditionis ſit, à ſuo Provinciali eundi ad Reverendiſſimum Patrem facultatem obtinere nequiverit, & exiſtimaverit non ſolùm legitimam, ſed & neceſſariam, & urgentem cauſam ſe habere, illam proponat Viſitatoribus Provinciæ ubicùmque fuerint, ad quos accedendi, ſi neceſſe fuerit, ei nullo modo licentia denegabitur, quibus in meritum ſalutaris Obedientiæ præcipimus, ut Deum præ oculis habentes diligenter dictam cauſam perpendant, & examinent, & ſi illam judicaverint neceſſariam & urgentem, ſub eodem præcepto eis injungimus, ut prædicto Fratri litteras teſtimoniales apertas conficiant, etiam renitente Provinciali, quibus Reverendiſſimo Patri ſignificent illum ad ſuam Reverendiſſimam Paternitatem cum legitima cauſa, & licentia Religionis accedere; citantes Capitulum præſens iſtarum Conſtitutionum, ac per litteram aliam clauſam, eidem Fratri datam, Reverendiſſimo Patri totam cauſam exponant, qua ducti talem licentiam, vel fidem conceſſerunt, & in utriſque litteris uterque ſubſcribat, cum quibus hujuſmodi Frater ad Reverendiſſimum Patrem accedere liberè poſſit, ac ſi vocatus ab eodem per litteras, vel à Provinciali ſuo miſſus fuiſſet, nec aliquam Cenſuram, aut pœnam incurrat: Si autem Viſitatores prædicti cauſam non eſſe urgentem judicaverint, non ſolùm ei licentia denegetur, verùm etiam & pœnitentia ſuæ levitati debita imponatur, & ſi receſſerit, Excommunicationem ſuperiùs latam incurrat.

Præceptum Viſitatoribus impoſitum.

4. Si verò aliquis Frater à Priore ſuo conventuali eundi ad Priorem Provincialem licentiam obtinere non potuerit, eodem modo ſe habeat cum Patribus conſilii Conventus, & ipſi ſimiliter circa licentiam, ſeu fidem ei concedendam: quòd ſi propter hoc vel Prior Provincialis cum Viſitatoribus, vel Prior localis cum Conſiliariis contenderint, à Superioribus ſuis, vel à Capitulo provinciali graviter puniantur.

Quomodo Apoſtatæ recipiendi.

5. Quicumque ab Ordine noſtro apoſtataverit, ſi poſteà miſertus ſui,

Digitized by Google

& pœnitentia ductus, vel vi aliqua compulſus ad Ordinem redire voluerit, uſque tertiò porta miſericordiæ ei non claudatur, niſi tale quid commiſerit, vel in Ordine, vel extra, quod ad receptionem in Ordine ſe reddiderit indignum.

Modus recipiendi Apoſtatas.

6. Modus autem receptionis talis erit: Primò carceri mancipetur, deinde prima die, qua Capitulum fieri debeat, ſi venerit in habitu ſæculari, exuat eum antequàm ingrediatur Capitulum, ubi recipiendus erit: & indutus tunica, ita ut usque ad cingulum deſuper nudus remaneat, cum virgis in manibus capite diſcooperto ante pedes Prioris ſe proſternens humiliter dicat ſuam culpam, atque ſurgens ad Prioris mandatum ab eo reprehendatur, & charitativè corripiatur, ſed non exaſperetur.

Juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ.

7. Primò autem exigat ab eo juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, quæ fient ei pro cauſa Abſolutionis, quo juramento præſtito injungatur ei, ne de cæterò talia committat: ex tunc vapulet ad pedes Prioris, quantùm ei videbitur, & poſteà Seſſorum utriusque lateris (non tamen Sacerdos vapulet à non Sacerdote) dicentium alternatim: *Miſerere mei Deus*, ſemel vel pluriès, juxta multitudinem Fratrum; deinde redeat ad pedes Prioris, & ſtet genibus flexis, capite & corpore inclinato, & cum virgis in manibus; Prior verò ſurgat, & cæteri poſt eum, & capite detecto dicat: *Kyrie &c. Et ne nos &c. Salvum fac &c. Eſto ei Domine &c. Nihil proficiat &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. Oremus: Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum ad confeſſionem, & pœnitentiam, veramque emendationem tua inſpiratione compunctum, quem Excommunicationis ſententia ligat, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat; Per Chriſtum &c.*

Modus abſolvendi.

8. Tunc ſedens abſolvat eum, dicens: *Dominus noſter JEſus Chriſtus, qui Beato Petro Apoſtolo collatis clavibus Regni cœleſtis dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, ipſe per ſuam piiſſimam miſericordiam te abſolvat, & authoritate ipſius, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus mihi in hac parte commiſſa, in quantùm poſſum, debeo, & valeo, Ego te abſolvo à vinculo Excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, quod incurriſti propter apoſtaſiam, & retroceſſionem à noſtra Sacra Religione* (& ſi fuerint plures caſus, dicat: *propter tales caſus N. & N.* illos nominando) *toties quoties illud*, vel *illa incurriſti, & reſtituo te Sacramentis S. Matris Eccleſiæ, & communioni ac unitati Fidelium: In nomine Patris &c.* Deinde imponat ei ſcapulare & caputium, & ſurgens dicat: *Dominus vobiscum &c. Oremus: Deus miſericors & clemens, ſine quo nihil inchoatur, nihilque boni perficitur, adſint noſtris humilibus precibus tuæ pietatis aures, & hunc famulum tuum qui perierat, & inventus eſt, quem in tuo ſancto nomine ad Sacræ noſtræ Religionis gremium revertentem benignè recepimus, ab omnibus tentationibus defende, & concede ei ut in hoc ſancto propoſito, & prima vocatione ſua devotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum percepta ad electorum tuorum conſortium pervenire valeat: Per Chriſtum &c.*

Pœna primæ Apoſtaſiæ infra cap. 21.

9. Iſte pœnam, quæ in capitulo de graviſſima culpa notabitur, pro prima apoſtaſia per menſem integrum ſuſtinebit, & carebit voce & loco donec poſt annum, & non anteà fuerit cum eo per provinciale Capitulum, ſi Patribus videbitur, diſpenſatum: ad Officium cum cura animarum usque ad quinquennium nullatenus aſſumatur, nec ei unquàm computetur inter annos Religionis tempus apoſtaſiæ.

Pœna ſecundæ.

10. Si verò ſecundò apoſtataverit, ſupradicta pœna per duos menſes puniatur, & voce, ac loco careat, donec poſt biennium, & non anteà, fuerit cum eo per generale Capitulum diſpenſatum, & ad omne Officium cum cura animarum ineligibilis permaneat.

Pœna tertiæ.

11. Si verò ad tertiam apoſtaſiam devenerit, per tres menſes pœnæ prædictæ ſubiaceat, & voce ac loco careat, donec cum eo per duo Capitula generalia fuerit diſpenſatum, & ad omne Officium cum cura animarum ineligibilis in perpetuum permaneat: quòd ſi ad quartam apoſtaſiam devenerit, ad Ordinem non recipiatur, ſed omninò repudietur, & à noſtra ſocietate proijciatur.

Pœna Apoſtatæ ſcandaloſi.

12. Ei autem, qui cum ſcandalo de Ordine exiverit, vel in ſæculo inhoneſtè converſatus fuerit, ſeu ibidem diuitiùs permanſerit, juxta qualitatem ſcandali, vel delictorum, vel juxta moræ longitudinem pœnitentia apoſtaſiæ debita, habito Patrum conſilio, augeatur. Nullus in apoſtaſia exiſtens ad Conventum modo aliquo ſit admiſſus, nec Frater aliquis cum eo converſetur, niſi pro ſua reductione.

Pœna recedentis à Provincia &c.

13. Ille verò, qui non à Religione, ſed ab aliqua Provincia quocumque prætextu ſine prædicta licentia receſſerit, ſeu apoſtataverit, hoc modo recipiatur: Primò carceretur, deinde prima die, qua

qua Capitulum tenebitur, cum habitu ducatur ad pedes Prioris, ubi proſtratus transgreſſionem ſuam humiliter confiteatur, & humero nudato vapulet ad pedes Prioris, & utriusque lateris Seſſorum, & abſolvatur, ſi non fuerit jam abſolutus ab aliquo Superiore abſolvendi poteſtatem habente, non tamen ſuper eum Oratio *Deus misericors*, dicatur. Iſte pœnam gravioris culpæ per menſem pro prima apoſtaſia ſuſtinebit, quo tempore ſilentium obſervabit ſemper & ubique, & carebit voce per annum: pro ſecunda verò duplicetur ei pœna: pro tertia triplicetur, & voce careat ac loco usque ad diſpenſationem duorum Capitulorum provincialium. Si verò ad quartam apoſtaſiam devenerit, in Provincia ampliùs non recipiatur, ſed ad Reverendiſſimum Patrem transmittatur, qui eum in aliqua alia Ordinis Provincia collocare debeat, absque ulla ſpe ad ſuam Provinciam ampliùs revertendi.

Qui verè à Provincia diſcedere dicatur.

14. Declaramus autem, quòd illum dicimus verè à Provincia apoſtataſſe, qui diſcedens ſine licentia, vel terminos Provinciæ egreditur, vel intra Provinciam vagatur, non accedens ad Provincialem, nec ad alium ejusdem Provinciæ Conventum. Ille verò, qui à ſua Provincia diſceſſerit absque licentia Prioris Provincialis, & ad Priorem Generalem recto tramite non iverit, ſeu in aliqua Provincia Ordinis ſe recipi non fecerit, ſed hàc & illàc diſcurrens & vagans deprehenſus fuerit, etiamſi ipſe dicat ſe ſemper animum habuiſſe ad Ordinem revertendi, nec unquàm retroceſſiſſet; quia tamen factis confirmavit, quod verbis negat, nullo modo ei credatur; Ecleſia namque de exterioribus tantùm judicat, immò tamquàm verus Apoſtata ab Ordine puniatur, licèt cum habitu Religionis inveniatur.

Indicanda p. Generali fuga Fratrum.

15. Quapropter præcipimus omnibus Provincialibus, ut cùm aliquis Frater à ſuis Provinciis absque licentia diſceſſerit, tempus ſui diſceſſus quamprimùm Patri Reverendiſſimo ſignificent, qui etiam de tempore quo Frater prædictus pervenerit, diſtinctè mentionem faciat in litteris ei conceſſis ad revertendum in Provinciam ſuam. Quòd ſi Patri Reverendiſſimo, vel Priori Provinciali conſtiterit hujusmodi Fratrem vagè absque licentia notabiliter diſcurriſſe, vel extra Ordinem notabilem moram feciſſe eundo, vel redeundo, tamquàm Apoſtata ab Ordine puniatur: Si verò in ſui defenſionem adduxerit ſe infirmitate, vel alio quovis rationabili impedimento fuiſſe detentum, nullo modo ei credatur, niſi litteris fide dignis hoc patere fecerit.

Pœna fugientis à Conventu.

16. Si verò frater aliquis ab uno Conventu in alium ejusdem Provinciæ, vel ad Priorem Provincialem iverit absque ſui Superioris licentia, pro prima vice in Cella maneat clauſus, quòusque abſolvatur in Capitulo modo ſupradicto, ſubeatque pœnam gravioris culpæ per quindecim dies; non tamen amittat locum nec vocem: pro ſecunda duplicetur ei pœna: pro tertia triplicetur: quarta verò diſceſſio hujusmodi pro prima apoſtaſia à Provincia habeatur, ac judicetur, & ſic deinceps.

Explicatio rigoroſæ Apoſtaſiæ.

17. Declaramus etiam, quòd quando in iſtis noſtris Conſtitutionibus invenitur, quòd ille qui aliquando ab Ordine apoſtataverit, in Provincialem eligi non poſſit, & quòd in Viſitatorem, Diffinitorem Capituli generalis &c. eligi debeat talis, qui nunquam ab Ordine apoſtataverit, intelligendum eſt de prima & vera, vel pro tali judicata apoſtaſia ab Ordine, & non à Provincia, nec à Conventu.

Pœna recipientis Apoſtatas contra formam præſcriptam.

18. Diffinimus etiam, quòd ſi Receptores, qui ſecundùm Ordinem poſſunt ſupradictos recipere, prædictam formam non ſervaverint, in Capitulo provinciali voce activa priventur; & nihilominus qui contra hanc formam receptus fuerit, vel punitus, ad pœnas ſupradictas in omnibus teneatur, & voce in omnibus careat, quandiù pœnitentiam non adimpleverit in hoc Capitulo aſſignatam.

Caput XV.

De purgatione canonica infamia laborantium.

1. Quoniam in ſacris eloquiis admonemur, ut bonum nomen curemus, famamque non negligamus, Sapiente dicente: *Curam habe de bono nomine:* ſtatuimus & ordinamus, ut ſi aliquis Frater apud bonas & graves perſonas de vitio aliquo vel crimine notabili fuerit diffamatus, de quo tamen ſatis convinci non poteſt, ſi ipſe petierit indici ſibi purgationem canonicam, nullo modo ei denegetur, ad quam etiam poterit cogi, ut vel convincatur & puniatur, ſi in purgatione defecerit, vel recuperet bonam famam, & habilis ad quæcumque reddatur.

Eccl. 41. v. 15.

2. In-

Forma indicendi purgationem.

2. Indicenda verò erit purgatio canonica à Priore Provinciali in hac forma : *Cùm contra te N. pervagetur infamia apud bonas & graves perſonas , quòd tale quid perpetraveris , non tamen factum ſufficienter probetur , à quo conſtanter aſſeris te immunem : Nos ut infamiam tollamus à te , & ſcandalum ab aliis , purgationem canonicam indicere tibi decrevimus : ideóque in virtute Sancti Spiritus , & ſub præcepto Sanctæ Obedientiæ , ac ſub pœna convicti , tibi præcipimus per præſentes , ut intra tot dies à notitia præſentium incepiſſe debeas purgationem canonicam in Capitulo tui Conventus coram omnibus capitulariter congregatis , cum his quinque Compurgatoribus à te poſtulatis , & à nobis tibi conceſſis , videlicet N. N. &c. quam purgationem canonicam ſi facere recuſaveris, aut non perfeceris , immò in ea defeceris , ſceleris contra te objecti convictus haberis.*

Præceptum cum excommunicatione.

Præcipimus autem prædictis omnibus & ſingulis Compurgatoribus in virtute S. Obedientiæ , & ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda , quam trina monitione præmiſſa in his ſcriptis (licèt inviti) ferimus contra oppoſitum facientes , ut Deum præ oculis habentes , non fictè, ſed verè , & realiter dicant quidquid ſenſerint juxta eorum conſcientias de veritate , vel falſitate juramenti facti à Fratre ſe purgante : ſub eadem pœna præcipimus tam Compurgatoribus prædictis , quàm Præſidenti N. , ne alicui unquam revelent nec directè , nec indirectè quisnam juraverit in favorem , vel in condemnationem hujusmodi Fratris. Datum &c.

Pœna contravenientium.

3. Volumus autem ut præter hanc pœnam quicumque auſus fuerit alicui revelare , quod ſub tanto ſigillo conſervari præcipimus , ſi de hoc fuerit ſufficienter convictus , in perpetuum , absque ulla ſpe diſpenſationis, careat voce tam activa quàm paſſiva. Hujusmodi Compurgatores ſint omnes bonæ famæ , & timoratæ conſcientiæ , & qui longo tempore Fratris purgandi converſationem noverint , ſecum etiam converſantes , & qui fuerint de dicto caſu , ſeu ſuſpicione, & ſuſpicionis cauſa informati plenariè , vel poſſint ſufficienter informari.

4. Prior in Capitulo coram omnibus Fratribus litteras ſupradictas Prioris Provincialis legat , quibus lectis , infamiam Fratris , & cauſam ſuſpicionis proponat , eique præcipiat ſub præcepto formali Sanctæ Obedientiæ, ut veritatem confiteatur : deinde infamatus coram Priore genuflectat, ac ſupra ſancta Chriſti Evangelia ſibi à Priore porrecta, alta voce ſolemniter juret , quod ipſe nunquam perpetraverit illud crimen , de quo eſt infamatus : poſteà Compurgatores cum Præſidente in aliquo ſeparato loco congregati , primò omnes jurabunt ſuper ſancta Chriſti Evangelia , ſe omnia plenè ſervaturos , quæ in litteris P. Provincialis ſibi præcepta fuerunt ; quòd ſi pejeraſſe aliquando convicti fuerint , præter alias pœnas , pœna perjurii puniantur.

Juramentum faciendum.

Pœna perjurii.

5. Poſteà Compurgatores ſigillatim jurabunt quid ipſi credant , vel non credant , vel ſi ſibi videatur , ſeu non videatur in ſuis conſcientiis , illum Fratrem juraſſe, & dixiſſe vera in Capitulo, volens ſe purgare : qui ſe purgare nequiverit , tamquàm reus & convictus ſecundùm criminis gravitatem puniatur; ſi verò fuerit debitè purgatus, debet continuò per Præſidentem, & Compurgatores certior fieri Prior Provincialis , quatenus eum in bona ſua fama reſtituat , & reponat per Litteres ſuas in hac forma datas.

Forma ſententiæ.

6. *Nos Frater N. &c. ſacris eloquiis admoniti meliùs eſſe nomen bonum , quàm divitias multas , & quam unguenta precioſa , non potuimus æquo animo ferre te N. infamiæ pervagantis labe manere pollutum : cùm ergo contra te curreret infamia , quòd tale crimen opere perpetraſſet , nos ad illam diluendam tibi purgationem canonicam cum quinque Compurgatoribus indiximus , quos à te prolatos probavimus tamquam Religioſos integra ac recta conſcientiæ , & probos viros nobis optimè notos , quique tuam converſationem à longo tempore noverant , tecum etiam converſantes , & de dicto caſu & ſuſpicionis cauſa plenè informati fuerunt , qui tibi ſub præcepto Sanctæ Obedientiæ , ac præſtito juramento ad veritatem dicendam requiſito & aſtricto , & conſtanter factum neganti , quin etiam innocentiam in hac parte aſſerenti adhæſerunt , & in conſcientia ſua aſſeruerunt ſe credere , quòd veraciter innocentiam tuam aſſereres , & quòd factum in tanto præcepto non negares , ſi illud commiſiſſes. Idcircò ad relevationem tuæ famæ , & dilutionem infamiæ deſcendentes , viſis negationis & aſſertione tua , & Compurgatorum adhæſione & conteſtatione , ſedentes in Camera noſtra in ſella , quam pro Tribunali & loco Judicis eligimus , Deum & juſtitiam præ oculis habentes , Chriſti nomine invocato , dicimus, pronunciamus , & ſententiamus te N. ab infamia ſupradicta illæſum , & liberum , & in facto innocentem , & injuſtè affectum nomine & infamia prædictis , & tamquàm innocentem & liberum declaramus , & impoſterùm omnibus & ſingulis ſuper iisdem , niſi alia cauſa (quod Deus avertat) de novo oriatur, ſilentium perpetuum imponimus : In nomine Patris &c. Acta , lata , & lecta &c.*

CA-

Caput XVI.

De pœna privationis vocis & loci.

Quid ſit vocis paſſivæ privatio.

1. DEclaramus, quòd qnandocumque in Conſtitutionibus, ſive diffinitionibus noſtris, ſeu à quocumque Ordiois Superiore privatur aliquis voce paſſiva, hic talis oon ſolùm eſt inhabilis ad officia cum cura animarom, ſed ad omnia etiam alia, quæ per electionem dari conſueverunt: non tamen iotelligitur inhabilis ad qoæcumque Ordinis officia, poteſt namque exercere officinm Infirmarii &c.

Quid vocis activæ.

2. Quando verò quis privatur voce activa, non ſolùm non poteſt ſuffragium ferre in electionibus, ſed neque in alio quocumque quamvis parvi momenti negotio: quarè præcipimus, ut quando in Capitulo proponendum fuerit aliquid, qui voce activa fuerint privati, cum aliis egrediantur, qui vocem activam non habuerint: nec Prior cum aliquo diſpenſare valeat, ut ibi remaneat.

Quid vocis abſolutæ.

3. Cùm aotem aliquis privatur voce abſolutè ſine aliqua limitatione, utraque voce intelligatur privatus.

Provincialis aliquando poteſt privare voce.

4. Prohibemus aotem, ne aliqois Prælatus Fratrem aliquem voce privare poſſit, præterquàm in caſibus in Conſtitutionibus, vel diffinitionibus expreſſis, excepto Provinciali, de conſilio tamen & conſenſu Diffinitorum.

Una pœna in aliam quando commuteri poteſt.

5. Declaramus, quòd qoando aliquis commiſerit culpam, cui in Conſtitutionibus, ſive diffinitionibus ſit impoſita privatio vocis, ſi hujuſmodi vocem non habuerit, vel ipſe fuerit propter aliam culpam aliàs privatus, illa pœna in aliam commutetur, tamqnàm ſi in Conſtitutionibus, vel diffinitionibus taxata non fuiſſet.

Qui loco privatur eſt ultimus ſui ordinis.

6. Qui verò loco privatus fuerit, ſi ſit Sacerdos, ultimum habeat locum inter omnes Sacerdotes: ſi non fuerit Sacerdos, ultimum habeat locum inter omnes profeſſos non Sacerdotes, & ſic de cæteris: & hoc obſervetur ubicumqoe Fratres conventualiter fuerint congregati. Quòd ſi Frater loco privatus alium qoàm ultimum locum (ot dictum eſt) occupare præſumpſerit, & de eo admonitus ſe non emendaverit, ex tunc ad recuperandum ſuum locum ſit inhabilis, niſi Capitulum provinciale ſuper hoc ſpecialiter diſpenſaverit.

Caput XVII.

De pœna incarcerationis, & torturæ.

Qualitas carceris.

1. IN ſingulis Conventibus noſtri Ordinis, qni habuerint Supplorem, ſit carcer undique munitus, & tutus cum compedibus, qui alteri uſui non applicetur, qni tamen non adeò tetro atque horrendo ſitu ſit, ot Fratres necentur, ſed dumtaxat caſtigentur; nbi verò non fuerit commoditas habendi carcerem, ſint ibi nihilominus compedes, quibus noxii coerceri poſſint, ptout diffinitum fuit in Capitulo generali Arimini celebrato Anno Domini 1555.

Carceratus capucio privandus.

2. Quicumqne propter ſua demerita in carcerem conjectus fuerit, ante quàm intromittatur, capucio privetur, nec ei ollo modo reddatur, niſi qoando è carcere eductus fuerit. Cnſtos verò carceris, qui carceratum capncio non privaverit, vel exiſtenti in carcere capucium dederit, pro qualibet vice abſque capncio ſemel in terra comedat, nec Prior ſnper hoc qnovis modo diſpenſet.

Præceptum Cuſtodi carceris impoſitum.

3. Item præcipimns in virtute Sancti Spiritus cuique Fratri, qui pro tempore cujuſcumque carceris, vel carcerati Cnſtos fuerit, ne nllo modo per ſe, vel per alium Fratri condemnato ad jejunium panis & aqnæ aliquid aliud præter panem & aquam, nec ei qui condemnatus fuerit ad ordinarium jejunium, pluſquam ſemel in die cibaria quadrageſimalia miniſtrare præſumat, vel miniſtrari faciat, ſeu permittat abſque ſpeciali & expreſſa licentia Superioris: qui verò auſus fuerit hoc noſtrum præceptum temerè tranſgredi, ad tot jejunia, & talia obſervanda in medio Refectorii per totam menſam teneatur, & compellatur, quot ſui cauſa carceratum fregiſſe Priori conſtiterit.

Pœna Cuſtodis tranſgredientis.

Pœna juvantis carceratum ad fugiendum.

4. Prætereà ſiquis exigentibus ſuis demeritis fuerit in vinculis poſitus, aut carceri mancipatus, & aliquis de Fratribus noſtris, quicumque ſit ille, ad fugiendum per ſe, vel per alium, eidem dederit ullo modo auxilium, conſilium, vel favorem, vel limam, martellum, aut quodlibet aliud inſtrumentum tradiderit, vel tradi procuraverit, ad infringenda, vel ſolvenda vincula, ſeu alia inſtrumenta præſtiterit evadendi, licèt non evaſerit, carceri mancipetur abſque ſpe gratiæ, quamdiù ille, cui dedit auxilium ot evaderet, debuit remanſiſſe. Si autem per malitiam, aut negligeotiam Cuſtodis aliquis carceratus fugerit, ipſe talis ponatur loco fugientis, quonſque per illnm per quem poterat fugiens liberari, liberetur, habita ratione malitiæ vel negligentiæ.

Pœna carceratum viſitantis ſine licentia.

5. Item ordinamus, quòd nullus Frater cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, ingrediatur ad carceratos cauſa viſitationis, vel miniſterii, aut quovis alio modo abſque ſpeciali licentia Superioris, ſub pœna gravioris culpæ, tam ingredienti quàm Cuſtodi permittenti, infligenda.

Suſpectus de fuga poteſt incarcerari.

6. Præterea ſtatuimus, quòd ſi aliquis infametur de aliquo crimine, vel notetur, propter quod ſi verum eſſet, meritò puniendus foret pœna carceris, ſi de ejus fuga probabiliter timeatur, Superior poſſit ipſum in firma cuſtodia retinere etiam intra carcerem, ſi Cella ipſius tuta non fuerit, ipſum etiam vinculando ſi neceſſe fuerit, non per modum carceris vel pœnæ, ſed per modum cuſtodiæ, ne fugiat, quouſque de crimine prædicto fuerit debitè informatus. Mandamus autem Superiori, ut ſtatim & celeriter procedat ad inquiſitionem faciendam de crimine ſupradicto meliori modo quo poterit; prædictus verò Frater capucio non privabitur ante Sententiam: idem poterit fieri ſi quacumque alia ex cauſa de alicujus fuga probabiliter timeatur.

Quando pœna carceris eſt imponenda.

7. Per modum verò pœnæ nulli Prælato licebit Fratrem aliquem carceri mancipare, vel in compedibus tenere, niſi in caſibus in Conſtitutionibus expreſſis, vel de conſenſu Patrum Conſilii: in Cella verò propria Fratrem includere poterit Superior, ſi caſus exegerit de conſilio adminus duorum Deputatorum, vel in defectu eorum, de conſilio duorum ex ſenioribus Conventus. Fugiens ex carcere, vel ex alia pœna, cui pro culpis ſuis obnoxius erat, ſi poſteà redierit, vel captus fuerit, pœnis in quibus erat, & aliquantulum gravioribus ſubjacere cogatur.

Pœna fugientis.

Prohibitio torturæ crudelis.

8. Innovamus, & obſervari præcipimus antiquam diffinitionem Ordinis noſtri, factam in Capitulo generali Mediolani celebrato Anno Domini 1343. quæ ſic habet: *Ut ſcelerati & peſtiferi Viri, ſi qui fuerint (quod abſit) poſſint in Ordine de ſuis ſceleribus apertiùs convinci & corrigi, ideò diffinitionem in Genuenſi Capitulo 1308. factam, & in Viterbienſi 1312. confirmatam, qua prohibetur quòd nullus Officialis noſtræ Religionis audeat à ſubdito, vel ſubjecto veritatem aliquam per tormenta, vel ſupplicia extorquere, præſenti declaratione decernimus debere intelligi de ſuppliciis & tormentis crudelibus, quæ quoquo modo poſſent periculum inducere perſonale. Volumus enim & in favorem correctionum permittimus, ut Provinciales, ſeu Viſitatores cum moderamine Religioni debito, caſibus, perſonis, ac circumſtantiis cogentibus maturè penſatis, de conſilio aliquorum Seniorum, ſeu bonorum Fratrum Provinciæ talia facere poſſint.* Cui Diffinitioni addimus, quòd commiſſionem & facultatem dare & concedere Prioribus poſſint ad hujuſmodi in aliquo particulari caſu facienda.

Quæ tormenta poſſint adhiberi.

CAPUT XVIII.

Quæ ſit levis culpa, & de pœna ei debita.

1. Levis culpa eſt, ſi quis in Choro legendo vel cantando offendens non ſtatim ſe humiliaverit terram manu tangens, pectuſque percutiens: ſiquis Divino Officio non intentus, vel in aliis locis publicis vagis oculis & motu irreligioſo oſtenderit levitatem: ſiquis in Choro in libro aliquo legerit, quod ad Officium non pertineat, vel in quocumque libro aliis cantantibus ipſe legerit: ſiquis in Eccleſia, vel in Dormitorio inquietudinis aliquid fecerit: ſi quis in elevandis, vel dimittendis ſedilibus ſtrepitum in Choro fecerit: ſiquis lectionem, vel cantum ſtatuto tempore non providerit: ſiquis aliquid aliud legere, vel cantare præſumpſerit, quàm habuerit communis uſus; ſiquis diſcooperto capite per vicos inceſſerit: ſiquis diſſolutè & inordinatè ridens cachinnis, vel ludis, dictis, vel factis alios concitaverit ad ridendum: ſiquis ex aliquo Conventu exiens, vadens, & rediens, benedictionem genuflexus accipere neglexerit: ſiquis ad lectiones in Choro dormierit: ſiquis temporibus ſtatutis cum aliis auditurus lectionem non adfuerit: ſiquis Altare, vel ornamenta Eccleſiæ negligenter tractaverit: ſiquis veſtes, vel libros ſibi datos ſtatuto tempore non repoſuerit: ſiquis aliquid utenſilium fregerit, vel perdiderit: ſi liber in quo legendum eſt cujuſcumque neglectu defuerit: ſiquis ad Capitulum, vel ad communem refectionem, ſeu collationem ob negligentiam non interfuerit: ſiquis eum, à quo proclamatus fuerit, eadem die proclamare præſumpſerit: ſiquis otioſum verbum, ſeu vaniloquium dixerit: ſiquis eorum qui officiis deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit: ſiquis ſilentium fregerit: ſiquis pro victu vel veſtitu murmuraverit.

2. Pro ſupradictis culpis, & his ſimilibus imponatur Sacerdotibus *Pſalmus*, vel alia Oratio in medio Refectorii dicenda: non Sacerdotibus verò, ut ſemel in terra comedant in medio Refectorii, quouſque miſericordia, & licentia ſurgendi à Priore concedatur, quam genibus flexis poſtulabit unus ex antiquioribus, & gravioribus Sacerdotibus.

Pœna pro levi culpa.

CA-

Caput XIX.

Quæ ſit gravis culpa, & de pœna ei debita.

1. GRavis culpa eſt, ſiquis immodeſtè cum Fratre aliquo, vel cum ſæculari contenderit: ſiquis alicui Fratri, vel ſæculari opprobrium, vel nomenclaturam, quæ cedat in deriſum, dixerit, aut ſcripſerit, vel aliquem defectum naturæ [illegible] animo injuriandi objecerit: ſiqu[illegible]endacium ex deliberatione, & ex int[illegible]one dixiſſe deprehenſus fuerit: ſiqu[illegible] turpem ſermonem protulerit, vel ſcripſerit: ſiquis abſque neceſſitate aliquid, licèt ſit verum, cum juramento affirmaverit, vel negaverit: ſiquis Fratri præteritam culpam, pro qua jam ſatisfecit, improperaverit: ſi quis alicui Fratri indulgentiam à ſe petenti de aliquo commiſſo veniam negaverit: ſiquis alicui detraxerit, vel de eo graviter murmuraverit: ſiquis ſilentium frangere in conſuetudinem duxerit: ſiquis in privatis Cellis ſilentium fregerit: ſiquis culpam ſuam, vel aliorum protervè, vel ſuperbè defenderit: ſiquis accuſans, vel proclamans in accuſatione, vel proclamatione jurgium fecerit: ſiquis cum illo, à quo accuſatus, vel proclamatus fuerit, ſuper eo contenderit. (Nam *qui odit increpationes inſipiens eſt*): ſiquis procedens ubi fœminæ ſunt, in uſu habuerit in eas oculos figere, vel cum fœminis ſolus, & non de Confeſſione, loquutus fuerit, niſi breviter interrogando, vel reſpondendo, vel de licentia Prioris: ſiquis jejunia Ordinis fregerit, ſiquis in Tabernis bibere, vel comedere non erubuerit, præterquam in itinere: ſiquis, poſtquam miſſus fuerit, in contemptum Obedientiæ ſine licentia ante terminum ſibi præfixum reverti præſumpſerit, vel ultra terminum ſibi aſſignatum moram fecerit per diem.

Proverb. 12. v. 1.

Pœna gravis culpæ. 2. Pro hujuſmodi, & ſimilibus culpis Sacerdotes ſemel in terra comedant, modo quo ſuperiùs dictum eſt; non Sacerdotibus verò una diſciplina cum virgis ſuper humerum nudum publicè imponatur cum Pſal. ad placitum Prioris.

Caput XX.

Quæ ſit gravior culpa, & de pœna ei debita.

1. GRavior culpa eſt, ſi quis blaſphemiam evomerit: ſiquis extra Judicium pejeraverit: ſiquis jejunium ab Eccleſia inſtitutum fregerit: ſiquis mortale peccatum manifeſtè commiſerit: ſiquis ſciens, & volens, ſententiam Excommunicationis incurrerit: ſiquis ſciens ſe eſſe excommunicatum celebraverit, vel in ſuis Ordinibus miniſtraverit: ſiquis per contumaciam, & manifeſtam rebellionem Priori ſuo per diem integrum inobediens extiterit, vel cum eo intus, vel foris, poſtpoſita debita reverentia, & paternali timore, quaſi de pari contendere auſus fuerit: (volumus enim noſtri Ordinis Superioribus locum Domini noſtri JEſu Chriſti, ac S. P. N. Auguſtini tenentibus, à ſuis ſubditis ſummam Obedientiam & reverentiam exhiberi): ſiquis item ebrius aliquando, etiam ſemel tantùm deprehenſus fuerit; qui verò hoc duxerit in conſuetudinem pro infami habeatur.

2. Qui de hujuſmodi, & ſimilibus culpis confeſſus, vel convictus fuerit, per hebdomadam careat loco, nec cum extraneis loquatur, nec foras mittatur, quo tempore ſecunda, quarta, & ſexta Feria coram toto Conventu recipiat diſciplinam, & in terra ſuper ſcabellum, vel lapidem nudum ſemel in die comedat uſque ad finem menſæ, abſque diſpenſatione de his, quæ Prior per miſericordiam apponi juſſerit; nec aliquis audeat pro eo veniam poſtulare: & præter hæc, aliæ etiam pœnæ addantur juxta menſuram, & gravitatem delictorum. **Pœna gravioris culpæ.**

Caput XXI.

Quæ ſit graviſſima culpa, & de pœna eis debita.

1. GRaviſſima culpa eſt, ſiquis fuerit falſarius: ſiquis gravem aliquam læſionem alicui intulerit: ſiquis ſe fornicationis crimine maculaverit: ſiquis Confeſſiones revelaverit, & cætera hujuſmodi, quæ ſuperiùs poſita ſunt in ſuis propriis Capitibus.

2. Qui de hujuſmodi, & ſimilibus confeſſus, vel convictus fuerit, poſtquam per aliquot dies in carcerem ſteterit, primò in Capitulo ſcapulis nudatis condignam ſuæ culpæ ſubeat diſciplinam, qua impoſita à Priore, vapulet ad pedes utriuſque lateris Seſſorum, prout ſuperiùs dictum eſt: deinde in Cella claudatur uſque ad horam prandii, & tunc in medio Refectorii in terra ſedens panem & aquam ſolùm ſine diſpenſatione manducet, & ibidem ſedeat uſque ad ultimum ſignum completæ refectionis, tunc aliis ſurgentibus ipſe de terra ſurgat, dictaque ab Hebdomadario Oratione ad portam Refectorii ſe proſternat, ita ut omnes ſuper eum tranſeant, & ſtatim in carcerem remittatur, & quamdiù fuerit in hac pœnitentia, ſecunda, quarta, & ſexta Feria in pane & aqua ſine diſpenſatione jejunet, & in Capitulo, quoties te-

Pœna graviſſimæ culpæ. **6. p. c. 14. n. 7.**

tenebitur, diſciplina ei imponatur ſuper nudas ſcapulas, & eadem die in Refectorio faciat ſupradictam pœnitentiam tam quòad jejunium, quàm quòad proſtrationem.

3. Quamdiù fuerit in hac pœnitentia, non communicet niſi in periculo mortis: ſi tamen verè contritus inventus fuerit, & Sacramentum Euchariſtiæ in aliqua magna ſolemnitate poſtulaverit inſtanter & devotè, ſolvatur à vinculis, & ad locum decentem cautè & cum ſecura cuſtodia ducatur, ad eumdem carcerem continuò rediturus; nec vocem activam habeat, nec paſſivam.

4. Prior tamen, ne in deſperationem labi poſſit, quando ſibi videbitur expedire, mittat ad eum Fratrem, vel Fratres diſcretos & devotos, qui ipſum moneant, & hortentur ad dictam pœnitentiam patienter & humiliter exequendam.

Caput XXII.

De Incorrigibilitate.

1. INcorrigibilis ille quidem judicandus erit, qui culpas graviſſimas non veretur committere, & tamen pœnas ferre recuſat, vel de ejus correctione & emendatione non eſt aliqua probabilis ſpes, de quo dicit Sanctiſſimus P. Auguſtinus in Regula nobis data: *Etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate projiciatur, ne contagione peſtifera plurimos perdat:* juxta Apoſtoli doctrinam, qui hæreticum hominem, poſt adhibitam trinam monitionem, & incorrigibilitatem pateſactam, devitari jubet, peccantem peccatum ad mortem, quoniam (inquit) ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt.

Regul. c. 7.

Ad Titum 3. v. 10.

2. Hic quidem habitu exutus ſicut à corde Profeſſionem abjecit, ſic & Profeſſionis habitum deponere cogatur, ne habitus noſtræ Sac. Religionis deſpiciatur in indignis, ſi tamen uſque ad illam horam ſanæ mentis, & integri ſenſus extiterit; oportet enim ut Religio deſpumetur ad hoc, ut in ſua puritate ſervetur; non tamen ſub quacumque occaſione quiſque eſt expellendus, ne monaſtica diſciplina veniat in contemptum.

3. Quando verò aliquis erit licentiandus, ſolùm ad Reverendiſſimum Patrem hoc facere pertinebit, vel ad Diſfinitorium Capituli provincialis, in quo Præſidens vices ipſius gerit. †

4. Ordinamus tamen ad litium cautelam, ut in omnibus litteris expulſoriis, dandis Fratribus à noſtra Sac. Religione ſegregandis, & expellendis, iſta clauſula inſeratur, vel adminus pro inſerta habeatur, videlicet: *Omnia nihilominus jura, actiones, & ſucceſſiones tam ex jure communi, quàm ex privilegiis, ſeu Statutis noſtri Ordinis occaſione tuæ Profeſſionis dictæ Religioni in genere, aut alicui Provinciæ, Congregationi, ſeu Conventui ipſius in ſpecie qualitercumque pertinentia eiſdem reſervamus, & in nullo penitus derogamus.*

5. Innovamus etiam antiquam diſfinitionem factam in Capitulo generali Bononiæ celebrato Anno Domini 1306. quæ ſic habet: *Diffinimus, quòd nullus Officialis noſtri Ordinis aliquem licentiatum ab Ordine ulteriùs ad Ordinem ipſum recipiat, quòd ſi fecerit, receptio talis ſit nulla, & hanc diſfinitionem Pater noſter Generalis ipſe obſervet, & faciat ab aliis obſervari.*

NOTA. †. Quòad Regulares Apoſtatas, & Incorrigibiles, Ejectos, ejiciendos, & recipiendos videnda, & ſervanda ſunt Decreta Sac. Congregationis Concilii Urbani Papæ VIII. juſſu edita 21. Septembris 1624 in quibus diſponitur, ut impoſterum è Religionibus nullus legitimè Profeſſus ejici poſſit, niſi ſit verè Incorrigibilis: verè autem Incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte Statutis & Conſtitutionibus cujuſque Religionis, & Ordinis, etiàm à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perduraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantùm, de conſilio & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis, eligendis in ſingulis Capitulis vel Congregationibus generalibus: tuncque nonniſi inſtructo ſecundùm eorum ſtylum, & Conſtitutiones, Proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Sic verò ejecti in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci juriſdictioni & obedientiæ ſubſint; proindèque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Item diſponitur, ut prædicta Decreta in ſingulis Monaſteriis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa, ſub pœnis in eiſdem quòad omnia & ſingula contenta taxatis.

Caput XXIII.

Quomodo, & à quibus injungendæ ſint ſupradictæ pœnæ.

1. CIrca pœnas ſupradictas ſtatuimus, ut Fratribus aſſuetis levi culpæ, pœna levis mutetur in gravem: & aſſuetis gravi, illa mutetur in graviorem: & aſſuetis graviori, illa mutetur in graviſſimam: & quòd ſemper aggravatis culpis ratione circumſtantiarum, aggraventur etiam pœnæ in Conſtitutionibus taxatæ: in quibus quidem omnes notare circumſtantias impoſſibile foret.

Pœnæ quomodo injungendæ.

2. De-

Prior poteſt levem & gravem pœnam imponere.

2. Declaramus etiam, quòd Prior conventualis per ſe abſque alterius conſilio poterit imponere pœnam, & levis, & gravis culpæ, pœnam verò gravioris culpæ de conſilio duorum antiquiorum ex Deputatis: at pœnam graviſſimæ culpæ de conſilio omnium Conſiliariorum, ac in ſcriptis, & non aliter, imponere poſſit. Qui verò hujuſmodi pœnas aliter impoſuerit, à ſuis Superioribus pro prima vice durè arguatur, pro ſecunda graviter puniatur, pro tertia Officio privetur.

Qualiter pœnæ acceptandæ.

3. Impoſitæ tamen pœnæ, quocumque modo imponantur, à ſubditis humiliter acceptentur, poſtpoſita omni appellatione; nam à correctionibus non licet Fratribus noſtris appellare.

Mitigatio pœnarum.

4. Poterit etiam Prior aliquibus Patribus gravioribus, & dignioribus de conſilio Deputatorum commutare diſciplinam in aliquos Pſalmos vel Orationes in medio Refectorii genibus flexis dicendas: diſpenſare etiam cum eis ne in terra ſedeant, ſed ſuper tabulam nudam in fine alicujus menſæ comedant. Hoc verò non intelligatur in pœna culpæ graviſſimæ, quam cuilibet cujuſcumque gradus, ætatis, vel dignitatis exiſtat, ſine diminutione imponi, ab eoque adimpleri præcipimus: qui enim non eſt veritus culpam graviſſimam committere, nullo privilegio, nec honore, nec reſpectu debet gaudere, quominus condignam ſuis demeritis ſubeat pœnitentiam.

Caput XXIV.

De frequenti lectione harum Conſtitutionum, & præciſa earumdem obſervatione.

Conſtitutiones ſæpe legendæ.

1. Quemadmodum Beatiſſimus P. Auguſtinus in Regula noſtra mandavit, ut ſemel in ſeptimana nobis legeretur, ad hoc ut in ea tamquàm in ſpeculo nos poſſemus inſpicere, & nihil per oblivionem negligeretur, ſic congruum nobis videtur, ut præſentium Conſtitutionum tam frequens ſit lectio, ut nullus ſit in noſtro Sacræ Ordine Frater, qui eas ignoret, aut per ignorantiam tranſgrediatur.

Quando legendæ.

2. Volumus idcircò, ut quotidiè ante prandium, atque etiam ante cœnam, & Sabbato ad prandium & cœnam poſtquàm parum lectum fuerit de Scriptura Sacra (niſi de Ordinario legi debeat) Prior legi faciat in tono ſine cantu de præſentibus Conſtitutionibus, & in Capitulo etiam de ipſis idem Prior legat, & interpretetur lingua, quam omnes intelligant: quod intelligentibus moleſtum ex fraterna charitate eſſe non debet, cùm non alta ſapere, ſed humilibus conſentire debeamus omnes. Roman. 12. v. 16.

Quotidie Novitii in eis inſtruendi.

3. Magiſter quoque Novitiorum Novitiis ſeorſum, vel de Conſtitutionibus, vel de Ordinario quotidiè aliquid legat, & obſervare doceat: Prior autem Provincialis, & Viſitatores de hac frequenti lectione ſemper inquirant, & ſive Priorem, ſive Magiſtrum Novitiorum in hoc delinquentem debita punitione caſtigent.

Quælibet Provincia peculiaria ſtatuta condere poteſt.

4. Verùm cùm ſciamus, quàm difficile ſit tot Nationum homines quot ſunt in Ordine noſtro, in eaſdem vitæ & morum leges omninò convenire poſſe: ſciamus quoque multos eſſe, & pro tempore fore majori Spiritus Sancti gratia afflatos, qui rigidiora ſervare velint, & poſſint, & eſſe in ſervanda Religione ſeveriores: Volumus, ut quælibet Provincia, ſeu Congregatio noſtri Sacri Ordinis diffinire ſibi peculiaria aliqua Statuta poſſit, quæ tamen nullius ſint valoris, ſi per Priorem Generalem fuerint infirmata, quæ in ſingulis Capitulis provincialibus revideantur, & de novo approbentur, vel reprobentur.

Generalis ſolùm Conſtitutiones moderari poteſt.

5. Similiter ſiqua Provincia aliquid de præſentibus Conſtitutionibus ſibi mitigari deſideraverit, ad Prioris Generalis auctoritatem recurrere teneatur, ad quem ſolùm pertinere volumus harum Conſtitutionum moderationem pro cujuſque Prrovinciæ exigentia, niſi particulariter prohibita ſit in ipſis Conſtitutionibus diſpenſatio, ſeu moderatio, nec enim tunc Prior Generalis poterit rigorem Conſtitutionum in aliquo mitigare.

6. Poſt Regulam ergo omnes in hoc libello tamquàm in ſpeculo inſpiciamus, & ubi nos invenerimus ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agamus gratias Domino bonorum omnium largitori: ubi autem viderimus aliquid deeſſe, doleamus de præterito, caveamus de futuro, orantes ut nobis debitum dimittatur, & in tentationem non inducamur. Amen.

Expliciunt Conſtitutiones Sacri Ordinis Eremitarum S. P. N. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris eximii.

ADDITAMENTUM XXXV.

CONSTITUTIONES ORDINIS MONACHORUM BENEDICTINORUM VALLIS - UMBROSÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

INter illuſtres Diſciplinæ Benedictinæ propagines, quæ, ex Sacra Regula, tanquam ex ſanctiſſimo trunco emanaverunt, Sæculo decimo & ſequenti, celeberrima erat Congregatio Monachorum Vallis-Umbroſæ, quam circa annum MXXXVIII. erexit S. Joannes Gualbertus Nobilis Florentinus, cujus quidem ad Deum generoſa converſio ſic deſcribitur. Ille enim Equeſtri Ordine ortus, & liberaliter educatus, dum Parentibus obſequens, rem militarem ſequeretur, accidit, quod Fratèr unicus Hugo nomine, à quodam Conſanguineo ſit occiſus; ad cujus mortem vindicandam excitatus, dum in ſancto Paraſceves die, armis & militibus ſtipatus, obvium haberet homicidam inermem, ſed facinoris veniam humiliter expanſis in modum crucis brachiis deprecantem, commiſeratione motus, ob Chriſti crucifixi memoriam, generoſè illi vitam & libertatem donavit. Diſcedente igitur liberè homicida, nobilis Joannes, mox proximum S. Miniatis templum, orationis cauſa, ingreſſus, dum ardentius Deum deprecaretur, Chriſti Domini cruci ſuffixi effigies caput ipſi flectere viſa eſt, quæ crux hactenus pro miraculo in magno honore conſervatur.

Quo quidem divino prodigio tactus optimus Adoleſcens, ſæculo renunciare & ſoli Deo vitam conſecrare conſtituit, ac Monaſterii Abbatem accedens, ut ipſe in ſuum cœtum admitteretur, multis precibus flagitavit. Quamprimum autem Pater hanc piam filii intentionem reſcivit, mox Monaſterium adiit, repetitque filium unicum & hæredem; & potentia ſæculari valens, niſi ſibi quantocyus reddatur, grandia minatur. Quibus ut moveri Abbatem vidit Adoleſcens, ſibi ipſi comam præſcidit, ac veſtem Monaſticam induit, quo viſo, Pater deſtitit à cœptis minationibus. Itaque in ſancto propoſito confirmatus optimus Adoleſcens brevi, qualis futurus eſſet, haud dubium ſpecimen dedit. Sic enim Mores ad ſacræ Regulæ amuſſim compoſuit, ut Monaſterii præfectura dignus ſit judicatus, prout infrà monſtrabimus. Hæc omnia pulcherrime tradit Mabillonius Annal. Bened. tom. 4. lib. 56., qui & aſſerit S. Miniatis Cœnobium, exſtitiſſe eximium Ordinis Benedictini Emporium, haud procul Florentia ſitum, & paulo ante S. Joannis Gualberti ſeceſſum, jam à Lamberto Florentino Antiſtite novis donis auctum, in cujus donationis litteris & hæc verba leguntur: Cùm hic locus tantò eſſet ſalvandis animabus habilior, quantò & à ſæculari tumultu remotior, & Sanctorum ibi quieſcentium religione ſacratior.

Adeoque, divino inſtinctu motus ſanctiſſimus Monachorum Vallis-Umbroſæ Inſtitutor, hoc S. Miniatis Cœnobium, pro peragendo tyrocinio Monaſtico ſelegit, utpote eximia Inquilinorum pietate & arctiſſima diſciplinæ Benedictinæ obſervantia percelebre. Exiſtimat quidem laudatus Mabillonius illum, circa annum

MXXVIII.

MXXVIII. poſuiſſe vitæ Monaſticæ fundamentum ſub optimo S. Miniatis Abbate Leone, *qui teneriſſime novum Monachum fovebat, ejuſdem pios mores & futuram vitæ ſanctimoniam jam prævidens, & ideo ad Preſbyteratus gradum promoveri curavit. Interim, mortuo optimo Abbate ad eligendum noſtrum* Joannem *pro Abbate ſuo omnes Monaſterii Religioſi collimarunt; Sed ille dignitatem Abbatialem recipere nolens, in eremum fugere decrevit, & relicto Monaſterio ad perfectiorem vitæ ſolitariæ cultum amplectendum, cum uno ſocio ſeceſſit. Hunc S. Abbatis ſeceſſum exiſtimant nonnulli accidiſſe, ad evitandam Simoniacorum quorundam Epiſcoporum conſortium. Cùm verò, toto illo tempore, ſedem Florentinam occupaverint optimi Epiſcopi ab omni Simoniæ labe alieniſſimi, prout ex certis documentis probat clariſſimus Mabillonius in obſervationibus præviis ad hujus Sancti Abbatis vitam, ſic, puro ſolitudinis amore, & ad altioris contemplationis vitam ſequendam,* Abbatiæ S. Miniatis *valedixit.*

Priusquam autem in Eremum ſeceſſerat cum ſocio ſuo, Camaldulenſes Eremitas viſitavit, à quibus liberaliter ſuſceptus, præſertim à piiſſimo loci Priore B. Petro Daguino *ad remanendum invitatus, aliquo tempore, apud illos manſit. Sed vitam Cœnobiticam præ eremitica ſeligens, utrumque vivendi modum conjungere cogitavit. Ideo locum deſertum condendo Cœnobio aptum quærens, quem & tandem invenit inter horridos* Appenniæi *montes ſitum, ubi & Monaſterium erexit, ac fundamenta futuri Ordinis poſuit. Locus autem ille tunc nominabatur* Aquabella, *ab amne ſeu torrente præterfluente ſic dictus, nunc autem* Vallis-Umbroſa *appellatur, ab opacis abietum ſylvis vallem ſubjectam adumbrantibus, denominationem ſumens; ab urbe Florentina decem Milliaribus diſtans, & medio intervallo inter ipſam urbem & Camaldulenſem Eremum jacens. In hoc ergo loco fixam ſedem ponens, beneficio* Ittæ Cœnobii ad S. Hilarium Abbatiſſæ, *cellas & oratorium humile erigere cœpit, jam quibusdam ſociis adjutus; quibus & fundum aliaque ad ædificandum neceſſaria, munifice præbuit prædicta piiſſima Abbatiſſa, prout litteræ authenticæ in Archivo* Vallis-Umbroſæ *conſervatæ adhuc teſtantur.*

Ex quibus Ittæ Abbatiſſæ *litteris diſcimus veram cauſam, ob quam* S. Joannes Gualbertus *cum Sociis de ſuo* S. Miniatis Monaſterio *receſſit, quæ alia non erat, quam ſolitudinis amor, & ſtudium vitandæ populi frequentiæ, qui ad* S. Miniatis Cœnobium *confluebat. Sic enim piiſſima Abbatiſſa, poſt quædam præmiſſa de viris Sanctis omnia pro Chriſto relinquentibus, loquitur:* De quorum Collegio quosdam viros de S. Miniatis Monaſterio, quos vobis bene notos eſſe credimus, in Eremo, qui Vallis-Umbroſa vocatur, ſicut vos ſcitis, ſuſcepimus, in loco, qui dicitur Aquabella, in proprietatem ſcilicet noſtri Monaſterii, quod eſt in honore S. Hilarii: qui meliorandæ vitæ gratia Cœnobium, quod multa populoſitate frequentabatur, relinquentes, in loco ſolitario vitam ſanctam actitare maluerunt. *Per quæ ultima verba confirmatur id quod ſupra diximus, ſcilicet, ſanctiſſimum hujus Congregationis Inſtitutorem, ex* Monaſterio S. Miniatis *ſeceſſiſſe, amore ſolitudinis, & majoris quietis; non ad evitandos Simoniacos Florentinum Epiſcopum* Petrum, & Umbertum *loco ipſius electum Abbatem ſuum, Simoniace intruſum, prout auctori ipſius vitæ viſum eſt* Attoni. *Nam* Petrum Epiſcopum *verè Simoniacum, longe poſt occupatum* Vallis-Umbroſæ *Cœnobium, ab ipſo, ſuisque Monachis acriter redargutum reperimus, prout ſuo loco monſtrabimus.*

Interea circa hujus piæ Congregationis exordium, haud minima eſt inter Auctores diſceptatio, dum nonnulli illam jam anno MXII. alii MXV. inchoatam fuiſſe exiſtimant, cùm tamen certum ſit, hoc Vallis-Umbroſæ Cœnobium, *haud ante annum MXXXVIII. ad perfectum ſtatum perveniſſe. Ad hunc enim annum ſæpe laudatus Mabillonius ex inconteſtabilibus documentis refert ejus Cœnobii exordium, tum ex allatis litteris* Ittæ Abbatiſſæ, *datis quidem ſequenti anno, tum etiam, quod illud Monaſterium prædicto anno conſecraverit* Rodulfus, *ſeu* Rotho Epiſcopus Paderbornenſis, *ad hoc officium ab* Imperatore Conrado II. *deputatus, vacante ſede Feſulanenſi.* Itta *autem Abbatiſſa hac lege Monachis Vallis-Umbroſæ locum conceſſit, ut quotannis Abbas vel Præpoſitus ad* Altare S. Hilarii *unam ceræ libram, & alteram olei libram offerret, quam quidem recognitionem obſervabant Vallumbroſani, uſque ad Sæculum XIII. quando hoc ſacrarum Virginum Monaſterium excíſum eſt, ejúsque redditus juſſu* Alexandri IV. Papæ *ipſis Monachis attributi ſunt.*

Verum

Verum Vallis-Umbroſæ Monachi, ſub ſuo ſanctiſſimo Abbate rigidiſſimam Regulæ Benedictinæ obſervantiam cuſtodientes, piiſſimam vitam ducebant; quod, creſcente eorum numero, locus ille non ſufficeret ad tantam multitudinem continendam. Hinc & alia Cœnobia condita ſunt, in quibus eadem ardua diſciplina Monaſtica ubique obſervabatur, quorum omnium Monaſteriorum curam in ſe ſuſcipere coactus eſt ſanctiſſimus Inſtitutor, etiamſi cuilibet ſuum Abbatem vel Præpoſitum præpoſuerit. Omnibus tamen eandem rigoroſum vivendi modum præſcripſit, inſtituens, ut cuncti Monachi perpetuam à carnibus abſtinentiam, ſicuti & ſtrictiſſimum ſilentium cuſtodirent, atque habitum Benedictinum, vilem quidem, ſed ferruginei coloris induerent, quatenus à Monachis nigris diſtinguerentur.

Nomina autem eorum Cœnobiorum varie proferri ſolent, quæ tamen, cum aliis Monaſteriis hanc rigoroſam Benedictinæ diſciplinæ *obſervantiam amplectentibus, numerantur novem vel decem. In vicinia enim quædam Monaſteria ſub directione ſanctiſſimi Inſtitutoris vivere cupiebant, & ſic ſeſe illius juridictioni ſubmiſerunt.*

Sic, ad annum MLI. refert Baronius ſummum Pontificem Leonem IX. *viſitaſſe S. Joannem* Gualbertum *in* Paſſiniano Cœnobio *degentem, & ibidem prandium, haud ſine miraculo ſumpſiſſe, cùm ille tanquam totius Congregationis Abbas Generalis, pro conſervanda ubique arcta diſciplina Monaſtica, de Cœnobio in Cœnobium excurrere ſoleret. Sic etiam in Actis hujus Sancti legitur, quod* Stephanus IX. Papa, *aliis* X. *Anno MLVIII. cathedram S. Petri occupans, eámque per ſeptem menſes & octo dies ſolummodo retinens, audita fama ſanctitatis, Florentiam profectus, cum illo ſermones pios inire cupiens, Legatos* Vallisumbroſam *miſerit ad eum accerſendum, quem ibidem reſidentem cognovit, ſed mutato conſilio permiſit Abbatem ſanctum cum ſuis Monachis in quiete permanere, ut pro* felici Eccleſiæ ſtatu Dominum oraret.

Quamvis autem ſanctus Joannes Gualbertus, *à tempore ſui ſeceſſus in Eremum, Monachos ſuos jam per varia Monaſteria diſperſos, neque ad tempus derelinquere voluerit, attamen exortis turbis inter Clerum Florentinum & populum, ratione* Petri Epiſcopi *ibidem Simoniacè intruſi, ad turbas ſedandas vocatus, Florentiam acceſſit. Hoc ejus iter refert Mabillonius ſæpe laudatus ad annum MLXIII. in quem etiam finem adfuit* S. Petrus Damianus, *ſed nihil profecerunt. Nam, factum negabat Epiſcopus, nec aliter ipſum per Simoniam intruſum Florentini potuerunt monſtrare, niſi, ignis probatione, res determinaretur, quem prodigioſum rei dubiæ modum approbavit Monachorum Umbroſianorum Inſtitutor, Simoniacorum Præſulum inſectator acerrimus. Nec dubium, quin præſens fuerit, quando unus ejuſdem Inſtituti Monachus per accenſum ignem illæſus tranſivit, & ideo deinceps* Petrus Igneus *appellatus. Quo miraculo perculſus Epiſcopus, culpam agnovit, & Epiſcopatui renunciavit, ſub diſciplina Vallisumbroſianæ Inſtituto, factus Monachus, in* Septimaniæ *Cœnobio, piiſſimam vitam finivit. Hæc omnia fuſius refert* Ughellus *in ſua Italia ſacra tom.* 3. *col.* 220. *atque, adducta ſufficiunt, ad probandam veram cauſam ſeceſſus* S. Joannis Gualberti *ex Monaſterio* S. Miniatis, *non aliam fuiſſe, quàm amorem ſolitudinis, & majoris perfectionis ſtudium, cùm, ante hunc* Petrum *ſuperiori anno intruſum, nullus Epiſcopus Simoniacus Sedem Florentinam occupaverit. Interim fama ſanctitatis ſanctiſſimi Vallis-Umbroſianæ familiæ Abbatis, ubique per Italiam diſſeminata, multi ad eum Diſcipuli confluebant, quibus rigidiſſimam Regulæ Benedictinæ obſervantiam præſcripſit, à qua nullus oberrare impune licuit. Quicumque igitur ad hanc Monachorum Benedictinorum Congregationem convolabant, multis experimentis prius in hoſpitio probati ſunt. Dein in Novitiorum cella aſcetice ſevere exercebantur, neque Monaſtica veſte donati ſunt, niſi poſt annuam probationem, quando ad ſolennem profeſſionem admittebantur.*

Ad annuam autem probationem admiſit omnes, ſine perſonarum diſtinctione, niſi, quod divitibus, ad conſequendam humilitatem, ſi quas offerrent pecunias, magnopere obſtaret. Ideo Novitios gratuito admitti volebat, aut certe nullo hæredum detrimento. Sic, cum reſciviſſet quemdam divitem, cuidam Monaſterio, totum ſuum Patrimonium contuliſſe, propinquis hæreditate omnino privatis, mox ad locum perexit, & donationis inſtrumento minutatim diſcerpto, Cœnobio dira imprecatus eſt; quod quidem immediate repentinus ignis corripuit, & majori ex

parte

Digitized by Google

parte conſumpſit. Conſimile prodigium Muſcetano Cœnobio *accediſſe, referunt auctores, ex eo, quod, Abbas loci, ibidem elegantiores & grandiores cellas erexerit.*

Cum igitur per totam hanc ſanctiſſimam Congregationem Regula S. Benedicti *ſtrictiſſime obſervaretur, ſic & ejusdem approbationem ſolemnem à ſede Apoſtolica nunquam deſideraſſe videtur Piiſſimus Inſtitutor, licet ſanctiſſimis ſummis Pontificibus* Leoni IX. & Stephano IX. *familiaris. Tota enim diſciplina Monaſtica ubique in variis & diverſis Monaſteriis obſervata erat* Benedictina, *tam in Officio divino peragendo, quam in Monaſteriorum Regimine dirigendo. Non enim novam diſciplinam Monaſticam introducere voluit ſanctiſſimus Inſtitutor, ſed rigidiſſimam* Regulæ Benedictinæ *obſervantiam præſcripſit, diſcipulos ſuos in magno rerum temporalium contemptu, & in ſummo ſolitudinis & ſilentii amore erudiens. Hinc nullum Monachum foras exire ad tractanda quæcunque negotia permiſit, ſed curam Hoſpitum & ægrotantium, immo bonorum omnium temporalium* Fratribus Laicis *tradidit, & proin primus dicitur, qui tales Fratres in Monaſteriis inſtituit. In omnibus enim Vallis-Umbroſanæ familiæ Cœnobiis erat hoſpitale & domus Hoſpitum, ab ipſo Monaſterio ſeparata, quibus* tales Fratres *præfuerunt. Et quamvis veri Religioſi tribus votis Monaſticis aſtricti, non tamen choro & divino Officio deputati, à reliquis Monachis Clericis & Presbyteris omnino diſtincti erant, poſtea* Converſi & Oblati *nominati, ac ſæpius ab aliis per diſtinctum habitum diſcreti, prout apud* Carthuſianos & Ciſtercienſes. *Sic apud Vallis Umbroſanos, hi* Fratres Laici *ſive* Converſi, *vel* Oblati, *nec cucullam Monaſticam aut capucium induere audebant, ſed tunica longa & amplo Scapulari ferrugenei coloris induti, pro capitis tegumento bonetam ex pellibus agninis confectam portare debebant. Dum igitur ſanctiſſimus Vallis-Umbroſanæ familiæ Inſtitutor totius Congregationis declaratus* Abbas Generalis, *omnia ſibi ſubjecta Cœnobia cum ſumma pietate & humilitate gubernaret, tandem magnis laboribus & ſenio confectus, anno ætatis octogeſimo ad Cælites translatus eſt, apud* Cœnobium Paſſinianum, *anno MLXXIII. quem in vita & poſt mortem plurimis decoratum miraculis ſummus Pontifex Cæleſtinus III. in ſanctorum Chriſti Confeſſorum numerum retulit, cujus Bullam authenticam profert* Aſcanius Tamburinus, *quondam illius Congregationis Abbas Generalis,* de Jure Abbatum tom. 2. quæſt. 5. pag. 387. *Interea, hæc Monachorum Vallis-Umbroſanorum Congregatio, tam ſub ſanctiſſimi Inſtitutoris, quàm ejusdem Succeſſorum regimine mirum in modum crevit, quod ineunte Sæculo XII. ſupra quinquaginta eximia Cœnobia poſſederit. Poſtquam enim* B. Petrus Aldrubrandinus, *Monachus ejusdem Congregationis ac poſtea S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, ad ſimoniacam labem ex tota Italia extirpandam, per immenſum ignem illæſus tranſivit, ut ſupra dictum eſt; tunc ad eorum diſciplinam amplectendam plura Monaſteria convolabant, atque nova etiam Cœnobia erecta ſunt. Quamprimùm autem mors ſanctiſſimi Inſtitutoris innotuit, tunc ſummus Pontifex* Gregorius VII. *anno MLXXIII. cathedram S. Petri occupans, & ipſe ſimoniacorum clericorum malleus, & ideo illi olim ſingulari amicitia conjunctus, has ſequentes de morte ejus conſolatorias literas ad totius Congregationis Monachos dedit, in quibus, ſpecialis ſit mentio de Religioſis* laicam diſciplinam ſequentibus, *ſive de* Fratribus laicis *ſupra nominatis.*

Epiſtola Gregorii VII. Papæ conſolatoria ad Monachos Vallis-Umbroſanos ſuprà mortem ſanctiſſimi ſui Inſtitutoris.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI. Clericis, Monachis, ac Religioſis Laicam diſciplinam ſanctæ recordationis S. Joannis Gualberti Abbatis imitantibus ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Licet venerandæ memoriæ eundem Joannem Patrem veſtrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fidei ejus puritas in Thuſciæ partibus mirabiliter reſplenduit, multum eum amore dileximus, cujus ſanctæ converſationis ſtudium, quamvis vos imitatores eſſe non ambigimus ut vigor rectitudinis veſtræ ad exſtirpandum de agro dominico zizaniam ſollicitius invigilet, attentiuſque ferveat, paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque dilectiſſimi in quantum humana poſſibilitas permittit, vitam illius ſequentes, & vere filios ejus, & hæredes, ſimili vos converſatione probantes, utiliter agite, & confortamini in Domino, & in patientia virtutis ejus documenta ſanctarum Scripturarum, quibus Hæreticorum argumenta deſtruuntur, & fides ſanctæ Eccleſiæ defenditur contra membra Diaboli,

quæ diverſis machinationibus, Chriſtianam Religionem conantur evertere, mens veſtra, quotidie meditetur, & ea, qua ſolet libertate, in malorum confuſione erigatur: Eos verò, qui in vobis confidunt, & conſilium Religionis veſtræ ſequi diſponunt, more prædicti Patris veſtri ſuſcipite, & de his, quæ ad ſalutem eorum pertinere videntur, ſanctis exhortationibus inſtruite, ut non ſolùm veſtra, ſed & vos ſequentium circumpoſiti populi conſiderantes ſancta opera, glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: Nos autem ipſum amorem, quem Patri veſtro & vobis olim impendimus, donec noſtros ſpiritus rexerit artus, exhibere deſideremus, & tanto quidem deinceps majori vos charitate fovebimus, quibus non ſolum ſpirituale ſed & ſæculare, ſi neceſſe fuerit auxilium DEO adjuvante miniſtrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate, ut ipſe vires & facultates nobis tribuat, quatenus ſuſcepti regiminis importabile pondus poſſimus tollerare, & ſanctam Eccleſiam in ſtatum antiquæ Religionis reducere. Valete.

Hanc Epiſtolam refert laudatus Tamburinus loco citato, quæ tamen ſolennis approbatio hujus ſacri Ordinis appellari nequit, quamvis ſummus Pontifex, diſciplinam Monaſticam jam introductam, ratam habeat, atque ipſos Monachos ad eandem excolendam ſummopere exhortetur. Nulla enim ſpecialia privilegia illis concedit, ſed tantùm de morte ſanctiſſimi Patris ſui, ſolamen ſpirituale impertiri voluit; firmiter promittens, ipſos veſtigia S. Inſtitutoris ſequentes, omni charitate & auxilio etiam temporali fovere. Tardius igitur hæc Vallis-Umbroſanæ familiæ Congregatio, ſolennem approbationem ab Apoſtolica Sede accepit, quamvis nonnulli eandem ab Alexandro II. Papa *jam anno MLXX. Bullam confirmatoriam acquiſiviſſe affirment. Nam, ut ſupra diximus ſanctiſſimus Inſtitutor, nullum novum Inſtitutum Monaſticum introducere volens, haud adeo de obtinendis extraordinariis privilegiis ſolicitus erat. Nec ſane ſæpe laudatus Tamburinus, & ipſe totius Ordinis Abbas Generalis ante annum MXC. aliquod pontificium privilegium adducit, aſſerens ſummum Pontificem* Urbanum II. *fuiſſe primum, qui huic Congregationi aliquam ſolennem protectionis Bullam conceſſit, quam proin ex eodem Auctore deſumptam & hîc exhibemus.*

Bulla Urbani II. Papæ, qua Vallis-Umbroſæ Monachos cum omnibus ſuis Monaſteriis in Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcipit, variáque illis Privilegia concedit.

URbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI. Dilectiſſimis filiis univerſæ Vallis-Umbroſæ Congregationis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis præcipue locis, atque perſonis, quæ ſpecialiùs ac familiariùs Romanæ adhærent Eccleſiæ, quique ampliori Religionis gratia eminent, propenſiori nos convenit charitatis ſtudio imminere. Quia igitur divina propoſitum veſtrum præveniente ac ſubſequente clementia Religionis veſtræ ſimplicitas bonæ opinionis odorem in locis, & prope & longe poſitis aſpiravit, Nos veſtro provectui annuente Domino provectus adjungere cupientes Cœnobium veſtrum pro Beatæ Mariæ ſemper Virginis reverentia, cui dicatum eſt, in Romanæ Eccleſiæ proprietatem, & tutelam, atque protectionem Apoſtolicæ ſedis accipimus & Apoſtolicæ illud auctoritatis Privilegio munientes, ab omnium Perſonarum jugo liberum permanere decernimus. Per præſentem igitur noſtri Privilegii paginam, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quæcunque hodie veſtrum Cœnobium jure poſſidet, ſive in craſtinum, conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, juſtè atque canonicè poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, illis ſucceſſoribus dico, qui eundem Religionis ritum, & fidei conſtantiam conſervare, & ſtrenue omnipotenti Domino in eodem propoſito deſervire ſategerint. Chriſma, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſive Baſilicarum, Ordinationem Clericorum liceat vobis à quocunque volueritis Catholico Epiſcopo, Romanæ Eccleſiæ gratiam atque communionem obtinente percipere; qui noſtra fultus auctoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Ad hæc cenſemus, atque ſtatuimus, ne ulli omninò hominum liceat idem Cœnobium temere perturbare, aut ei ſubditas poſſeſſiones aufferre, minuere vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus profutura. Nec ulli Epiſcopo poteſtas ſit, excommunicationem, aut interdictionem

vobis ingerere, ut qui in ſpeciales eſtis filios Apoſtolicæ ſedis aſſumpti, nullius alterius judicio temere exponamini. Quia verò plura jam Monaſteria, Congregatio videlicet *Sancti Salvii* juxta Florentiam, *S. Fidelis de Strumis*, *S. Salvatoris de Sophena*, *S. Mariæ de Nerana*, *S. Caſſiani*, *de Monte Scalario*, *S. Michaelis Archangeli de Piſtoria*, *S. Salvatoris de Vaiano*, *S. Petri de Muſcheto*, *S. Pauli de Razuolo*, *S. Reparatæ de Marradeo*, *Congregatio de Rivis Cæſaris*, *Congregatio de Funtana Farnis*, & *Congregatio de Monte Armato* in Bononienſi diœceſi: Inſpirante Domino in eandem vobiſcum conſenſerunt Religionis. Nos & ipſis & omnibus, qui ſe in craſtinum eidem Religionis uſui ex integro ſociare voluerint, præſentis privilegii libertatem Apoſtolica auctoritate concedimus, quamdiu in eadem Religionis & conſuetudinis unitate perſiſtere procuraverint. Conſtituimus autem ut eorum omnium caput veſtrum, quod in Valle-Umbroſa ſitum eſt, Monaſterium habeatur. Sane cum terminus vitæ Paſtori veſtro divina diſpoſitione contigerit: Qui ejus loco ſubſtituendus fuerit, quia & vobis & aliis omnibus præeſſe debebit, omnium, qui cæteris præſunt Monaſteriis, conſenſu & in judicio eligatur. Quod ſi forte ex ipſis Abbatibus quilibet, Domino diſponente ad hoc generale regimen electus fuerit, ad veſtrum principale Cœnobium principaliter tranſeat, & ejus mox judicio, ſicut in diebus venerandæ memoriæ Joannis primi Abbatis veſtri factum conſtat, cætera omnia unita vobis Monaſteria diſponantur. Vos igitur filii in Chriſto dilectiſſimi nolite negligere gratiam, quæ in vobis eſt, quæ data eſt vobis per unitatem ſanctæ converſationis, & Religionis: Hæc meditamini, in his eſtote, ut profectus veſter manifeſtus ſit omnibus; participes enim Chriſti electi eſtis, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius, uſque ad finem, firmum retineatis. Mementote, quod Dominus ait: *qui perſeveraverit uſque ad finem hic ſalvus erit.* Itaque *ſic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis.* Ad judicium autem perceptæ hujus à Romana Eccleſia libertatis, per annos ſingulos, duodecim ſagi cilicini brachia, Laterano Palatio perſolvetis. Sane ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, aut Judex, aut perſona quælibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus noſtri Privilegii paginam, ſciens, contra eam venire temerè tentaverit, ſecundo, tertióve commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, à Chriſti, & Eccleſiæ corpore, eum auctoritate poteſtatis Apoſtolicæ, ſegregamus, Conſervantibus autem, pax à DEO & Miſericordia præſentibus, ac futuris ſæculis conſervetur. Amen. Datum Romæ per manus Joannis S. R. E. Diac. Cardinalis, anno Dominicæ Incarnationis 1090. Indict. 13. 8. Idus Aprilis, Domini Urbani Papæ II. tertio.

Poſtquam igitur Urbanus II. Papa, *ſub ſpeciali Apoſtolicæ ſedis protectione Monachos Vallis-Umbroſæ ſuſceperat, ſic & plures ſuccedentes Pontifices Romani eosdem multis gratiis & Privilegiis condecorare voluerunt; quorum indicem ſic refert prædictus Tamburinus, nimirum:* Paſchalis II. *ſub datum Laterani* 1115. Innocentius II. *ſub datum* 1130. Cæleſtinus II. *ſub datum* Laterani 1143. Eugenius III. *ſub datum* Martaræ 1146. *Et ſub datum apud* S. Geneſium *eodem anno.* Anaſtaſius IV. *ſub datum* Laterani 1152. Alexander III. *ſub datum* Beneventi 1168. Lucius III. *ſub datum Anagniæ* 1183. Urbanus III. *ſub datum* Veronæ 1186. Clemens III. *ſub datum* Piſis 1188. Cœleſtinus III. *ſub datum* Laterani 1193. *Et* 1194. Innocentius III. Romæ *apud S. Petrum* 1198. *& ſub datum* Laterani *eodem anno.* Honorius III. *ſub datum Laterani* 1216. Gregorius IX. *ſub datum* Anagniæ 1227. Innocentius IV. *ſub datum* Lugduni 1243. *& ſub datum* Aſſiſii 1253. Alexander IV. *ſub datum* Neapoli 1254. *Et alii fere omnes uſque ad* Julium II. *qui Conſtitut. quæ incipit:* Militantis, *Idibus Julii* 1507. *Privilegia prædictorum ſummorum Pontificum confirmavit, & in ſpecie Monachis Caſſinenſibus, tot tantáque privilegia conceſſa, huic Congregationi communicavit. Hæc quidem omnia Pontificia Diplomata & alia à ſummis Pontificibus poſt* Julium II. *conceſſa privilegia, ſedulo conſervantur in* Vallis-Umbroſæ *Archivo, & eorum Reſcripto habentur apud Procuratorem Generalem Ordinis in curia Romana in Monaſterio S. Praxedis degentem. Inter hæc autem multiplicia monumenta pontificia huic ſacro Ordini conceſſa, ſufficit proferre diploma ſummi Pontificis Clementis XI. quo adducendas conſtitutiones Idiomate Italico conſcriptas confirmat.*

Quemadmodum igitur ſummi Pontifices Romani hanc celebrem Congregationem eximiis Privilegiis exornare voluerunt, ſic & eandem plurimis gratiis & favoribus cumulaverunt varii Imperatores, Reges, & magni Principes. Hallucinantur autem nonnulli Auctores, Piiſſimum Imperatorem Henricum II. *jam anno MXII. quibusdam donis Monaſterium* Vallis-Umbroſæ *honoraſſe volentes, nondum enim illud erigi cæptum eſt, nec* S. Joannes Gualbertus *vitam Monaſticam profeſſus. Refert quidem clariſſimus Mabillonius, Annal. Benedictin. tom. 4. pag. 288. ſanctiſſimum illum Imperatorem, prædicto anno aliquod Monaſterium Ord. S. Bened. erexiſſe in illis Italiæ partibus, cujus tamen nomen in vita Imperatoris non exprimitur, ſed nulla ibidem* Vallis-Umbroſæ *memoria reperitur. Aſt forſan ejusdem Imperatoris immediatus ſucceſſor* Conradus II. *cognomento* Salicus, *huic Monaſterio inſignia dona conceſſit, cùm ipſius mandato Epiſcopus Paderbornenſis illud conſecraverit, prout ſupra diximus. Interim accuſantur hujus Congregationis Monachi à Baronio, quod, Anno MCXV. ab* Henrico V. *Imperatore jam excommunicato acquiſiverint Diploma eximium, Privilegia Cæſaria & varia dona concedens. Et quidem ſæpe laudatus Tamburinus adducit Indicem Diplomatum à variis Imperatoribus conceſſorum, nimirum: à Conrado Imperatore ad annum MCXX.* à Lothario *ſub datum apud* Placentiam *MCXXXVI.* à Friderico I. *ſub datum* Prati Grogniani, *prid. kal. Decembris MCLVIII.* ab Henrico VI. *ſub datum* Prati, 12. *Kal. Martii MCXCI. ab* Othone IV. *apud* S. Geneſium 4. *Id. Feb. MCCIX. &* Friderico II. *ſub datum* Parmæ *MCCXX. ſed inter omnes Principes, horum Monachorum eximios Benefactores, præeminuit* Magna Comitiſſa Mathilda, *quæ illos magnificis prædiis & caſtris locupletavit, prout ejusdem Diploma, datum apud* Monaſterium S. Salvatoris *in comitatu Aretino* 13. *Kal. Decemb.* 1103. *teſtatur, conſervatum adhuc cum aliis authenticis Imperatorum & Principum monumentis in Archivo* Vallis-Umbroſæ.

Interea celeberrimus monumentorum Eccleſiaſticorum Italiæ Hiſtoricus Dom: Ferdinandus Ughellus, *in ſua Italia Sacra, tom. 3. col. 222. adducit ſolummodo Diploma* Henrici VI. Imperatoris, *cùm ex illo ſolo hujus Sacri Ordinis dignitas in rebus temporalibus ſatis innoteſcat, quemadmodum ex bulla* Urbani II. Papæ *ſuperius relata ejusdem Privilegia Eccleſiaſtica abunde monſtrantur.*

Diploma Henrici VI. Imperatoris quo omnia bona Monachorum Umbroſorum per Italiam diſperſa ab omni exactione temporali liberat, & in tuitionem Imperii ſuſcipit.

HEnricus VI., DEI gratia Romanorum Rex, Auguſtus. Cum in exercendo commiſſi nobis divinitus regiminis officio, nihil Deo gratius eſſe ſciamus, quam Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum tuitioni & proficuo jugem & ſollicitam operam adhibere, id nobis ſuo loco & tempore cenſuimus ſummo affectu & ſtudio faciendum. Noverint itaque univerſi Imperii noſtri fideles, præſentem paginam intuentes, quod nos divinæ remunerationis intuitu Monaſterium Vallis-Umbroſæ & cuncta Monaſteria ſuæ Congregationis cum omnibus bonis & pertinentiis, quæ vel nunc habent, vel in poſterum juſtæ acquiſitionis titulo habituri ſunt, & nominatim caſtrum Magnalis, in tuitionem noſtræ Majeſtatis, ac defenſionem recipimus. Regia etiam auctoritate noſtra, Congregationi memorati Monaſterii incluſimus, ut ſolles eorum & omnia molendina ipſorum, in fluminibus ædificata, vel ædificanda, ab omni Nunciorum noſtrorum exactione libera, & ab omni generaliter functione ſint immunia. Inſuper conceſſimus eis, ut in fluminibus, & ripis, non obſtante Nunciorum repugnantia ædificent. Ad cujus rei evidentiam, præſentem chartam conſcribi juſſimus & Majeſtatis noſtræ ſigillo communiri, ſtatuentes, & ſub obtentu gratiæ noſtræ præcipientes, ut nullus Imperii noſtri fidelium, ſæpe dictum Monaſterium in bonis ſuis habitis, aut habendis moleſtare præſumat, vel contra hanc noſtram conceſſionem aliquod præſtare impedimentum, ſalvo tamen omnium privatorum jure, quod qui fecerit, indignationem noſtram ſe noverit incurſurum, & regalis banni ſententiæ ſubjacebit. Datum Prati, anno Incarnationis Dominicæ MCXCI. Indict. 9. XII. Kal. Martii.

Tot

Tot igitur & talibus privilegiis Pontificiis & Imperialibus muniti Monachi Vallis-Umbroſani, mirum in modum creverunt ſub ſuis Piiſſimis Abbatibus Generalibus, quorum primi tres cultu Duliæ honorantur, nimirum B. Rodophus ab ipſo ſanctiſſimo Inſtitutore Abbas Generalis totius Ordinis ordinatus, ad quem S. Gregorius VII. Papa ſuperiorem Epiſtolam miſit. Cui mortuo ſucceſſit B. Ruſticus de Florentia, qui ab anno MLXXVI. uſque ad annum MXCII. totam Congregationem optime gubernavit, quando illi fatis diſcedendi ſucceſſit B. Erizzo de Florentia, qui longo tempore præfuit & profuit, magnum ſui deſiderium poſt ſe relinquens. Omnes autem hujus Ordinis Abbates Genetsles ab exordio, erant perpetui ad dies vitæ, uſque ad annum MDXXVI. deinde ſingulis trienniis eligebantur, ac demum & uſque ad noſtra tempora ſunt quadriennales. Quamdiu autem hi Abbates Generales erant perpetui, magnam auctoritatem obtinuerunt, nam, in ſenatu Florentino præcipuam ſibi ſedem vendicabant, atque ſæpe ſummi Pontifices Romani eosdem ad componendas exortas, inter Principes Chriſtianos, differentias, Arbitros conſtituerunt, immo cauſas Eccleſiaſticas in Thuſcia vertentes illorum arbitrio ſubjiciebant.

Hæc omnia exacte tradit Tamburinus loco citato, qui & dicit, talem totius Congregationis Superiorem perpetuum, hoc ſequenti titulo indigitatum fuiſſe: N. Sacri Monaſterii S. Mariæ Vallis-Umbroſæ Ordinis Abbas perpetuus, Caneti, Montis viridis, & Villæ Gualdæ Dominus, caſtri de Magnale Comes &c. His autem Abbatibus Generalibus uſum Pontificalium primus conceſſit ſummus Pontifex Clemens VI. circa annum MCCCLII. atque alii Pontifices idem privilegium reliquis Abbatibus hujus ſacri Ordinis impertiri voluerunt. Nec ſane Abbates illi Generales ſemper apud Vallem-Umbroſam reſidere ſolebant, ſed ſæpius in Paſſiniano Cœnobio apud ſacras ſanctiſſimi Inſtitutoris reliquias fixam ſedem poſuerunt, prout varia exempla probant. Et forſan hujus rei cauſa erat nimis difficilis acceſſus ad Vallis-Umbroſæ Cœnobium, quod in clivo montis altiſſimi ſitum eſt, & humiles ejusdem ædes non ſufficiebant ad continendum numerum tot Abbatum ac aliorum Superiorum Capitula Generalia totius Ordinis celebrantium. Nam Dom: Averardus Nicolini, hujus Abbatiæ Abbas, & olim totius Ordinis ſuperior Generalis, primus fuit, qui anno MDCXXXVII. ejus ædificia moderna cum ſumma magnificentia ædificavit, atque acceſſum commodiorem reddidit, cujus Cœnobii Ichnographiam exhibet clariſſimus Mabillonius loco citato.

Interim reperimus, non omnes Abbstes Genersles, fuiſſe ex hujus Sacræ Congregationis Monachis deſumptos, ſed quosdam ex aliis ſacris Ordinibus ad hoc nobile officium ſubeundum ordinatos, prout refert Hyacinthus Eliot in ſua Ord. Rel. Hiſtoria, tom. 5. cap. 28. pag. 313. Sic enim Vigeſimus nonus hujus Ordinis Abbas Generalis erat Dom: Placidus Paſcanelli, qui ex Monaſterio Mantuæ Ordinis S. Benedicti, ad hoc officium vocatus eſt à ſummo Pontifice Eugenio IV. Deinde poſtquam Blaſius de Mediolano à Generalatu depoſitus eſt per Leonem X. Papam, circa annum MDXV. tunc in ejus locum, auctoritate Apoſtolica, conſtitutus eſt ex Ordine Prædicatorum Joannes Msria de Florentia, qui, per octo annos Generalatum geſſit, poſtea Epiſcopus Hipponenſis ab Adriano VI. Papa creatus, & iterum præfatus Dom: Blaſius ad Generalatum Ordinis reſtituitur, qui & ultimus inter Abbates Generales perpetuos numeratur.

Poſtquam autem Abbates Generales primùm triennales, & deincept quadriennales, regimen ſui Ordinis iterum acquiſierunt, tunc & antiqua Monaſtica diſciplina florere cœpit, ac Monaſteria ubique in melius renovantur. Ex hac enim ſola Benedictinæ diſciplinæ Congregatione, prodierunt Sancti, Beati, & Martyres, ſuprà centum; tres ſummi Pontifices, Cardinales plusquam duodecim; Archiepiſcopi & Epiſcopi ultra triginta; Scriptores plusquam centum; quorum elogia & nomina edidit Reverendiſſimus Dom: Baldaſſanus Raballinus Florentinus, Abbas Vallis-Umbroſæ in ſuo nobiliſſimo tractatu, inſcripto Vallumbroſa perita. Hæc quidem in ſui Ordinis honorem refert ſæpe laudatus Tamburinus, ſed tres ſummos Pontifices ex hoc ſacro Ordine deſumptos non nominat, & miramur, quomodo nonnulli S. Gregorium VII. inter illos tres Pontifices recenſeant, cum ille teſtetur ſe nunquam corporeis oculis ſanctiſſimum Vallis-Umbroſæ Inſtitutorem vidiſſe, prout ex ſupra allata ejusdem Papæ Epiſtola omnino

conſtat, licet ambo in Italia ſimul eodem tempore floruerint. Deinde certum eſt, ex Actis ejuſdem ſummi Pontificis, illum jam à teneris annis Regulam Benedictinam *profeſſum quidem fuiſſe, ſed in celeberrimo* Cluniacenſi Cœnobio *educatum, nec unquam apud Vallis-Umbroſanos Monachos fixam ſedem poſuiſſe.*

Refert etiam idem Tamburinus ex hac ſacra Vallis-Umbroſana familia prodiiſſe & alias tres Benedictinæ Diſciplinæ Congregationes, nimirum: Congregatio Sylveſtrina, Congregatio Sancti Araldi, & Congregatio Vallumbroſellæ; *de quibus pauca dicemus. Et quidem, quod* Sylveſtrinam Congregationem *attinet, non eſt ambigendi locus, quin ſanctiſſimus ejus Inſtitutor* Sylveſter Gozzelinus *apud Monachos* Vallis-Umbroſæ, *primos ſuæ converſionis annos Deo conſecraverit, priusquam horridum deſertum* Montis-Fani *acceſſerit, prout infrà de ejusdem Congregationis ſtatutis agentes obſervabimus. Si dein* Congregationem S. Araldi *conſideremus, tunc & talem nunquam extitiſſe exiſtimant nonnulli, præſertim ſupra laudatus Hyacinthus Eliot;* Sanctus enim Araldus *Archidiaconus Mediolenſis, nunquam Monachalem ſtatum amplexus eſt, ſed anno MLXVI. cum quibusdam ſociis acriter ſimoniacos Clericos perſequens, paſſus eſt Martyrium. Sed forſan quædam Cœnobia huic S. Martyri ſacra Congregationi Vallisumbroſanæ poſtea adunita ſunt, cum* B. Andreas de Parma *olim* S. Araldi *ſocius & diſcipulus, poſtea ad hos Monachos tranſiverit, & Abbas Monaſterii* de Strumi *creatus ſit. Pari quoque modo loquendum eſt de* Congregatione Vallumbroſellæ *olim apud Gallos inſtituta, uam præfatus* Dom: Eliot *aſſerit nullum hujus Ordinis Cœnobium in Galliis extare, niſi unum in Aurelianenſi diœceſi ſitum, & à ſacris Reliquiis Sanctorum Cornelii & Cypriani, appellatum* Corneillac. *Adeoque negat alia Monaſteria Monachis Vallisumbroſanis fuiſſe conceſſa, vel* Pariſiis, aut *in* Delphinatu, *quamvis ſæpe laudatus Tamburinus ex Actis Ordinis aſſerat* Sanctum Ludovicum *Francorum Regem à* Reverendiſſimo Domno Benigno XV. *Abbate Generali, accepiſſe brachium ſanctiſſimi Inſtitutoris* Joannis Gualberti, *in cujus proin honorem erexiſſe* Vallumbroſellæ Cœnobium, *atque eidem varia alia Monaſteria ſubjeciſſe.*

Utut hæc ſint, nulla hodie harum Congregationum memoria ſupereſt, ſed certiora ſunt quæ ſequuntur. Etiamſi enim S. Joannes Gualbertus *nullas Sanctimoniales fœminas in ſuum Inſtitutum admiſerit, attamen hodie plura ſacrarum Virginum Cœnobia adſunt ſub hujus Congregationis juriſdictione florentia, quæ, pro ſua prima Inſtitutrice, habent* B. Humilitatem, *verum humilitatis Chriſtianæ exemplar. Hæc enim eſt Matrona illa lectiſſima* Roſana *appellata, nobili genere nata, & forte ex* comitibus Roſanis *oriunda, unde & nomen traxiſſe videtur, prout ex Actis ſanctorum Bollandianis ad XXII. Maij inſtruimur; ubi ipſius vita ſanctiſſima eleganter deſcribitur. Quæ quidem nobili viro nupta, ſimul cum Marito mundum relinquens, primum ad Canonicos Regulares confugit, ac tandem majoris perfectionis ſtudio ducta, cellulæ prope* Eccleſiam S. Apollinaris *ſeſe incluſit, ſub ſpirituali directione Monachorum Vallisumbroſorum, ad quos locus ille pertinebat. Et cum ad illam plures confluerent ſacræ Virgines, tandem juxta* Faenzam, *Sanctimonialium inſigne Cœnobium erectum eſt, ab Epiſcopo Florentino ſolenniter conſecratum, ad inſtantiam* Valentini II. *Abbatis Generalis Congregationis Vallisumbroſanæ, Anno MCCXCVII. ubi deinceps arctiſſima* Regulæ Benedictinæ *obſervantia introducta eſt.*

Refert etiam præfatus Dom: Eliot *apud hos Monachos introductum aliquod genus Sororum Laicarum, quæ, ſub directione alicujus diſcreti & grandævi Fratris laici communem vitam religioſam duxerunt, ad curam animalium, aliaque externa officia fœminis propria deputatæ erant. Cum verò tales ſorores laicæ haud longo tempore in Ordine duraverint, & jam ubique ſint exſtinctæ, ſic de illis plura dicere ſuperſedemus. Nam, ſanctiſſimus hujus Congregationis Inſtitutor, omne ſuis Monachis commercium cum fœminis etiam Sanctimonialibus interdixit. Atque etiamnum hodie ad Eccleſiam* Magnifici Cœnobii Vallis-Umbroſæ, *Mulieribus cujuscunque ſtatus & conditionis nullus ingreſſus conceditur, niſi tribus vicibus per annum, & hoc quidem ex ſpeciali mandato ſummi Pontificis* Clementis VIII., *prout ejus Bulla deſuper confecta & anno MDXCVI. data teſtatur. Adeoque, in feſto* S. Joannis Gualberti, *ad diem XII. Julii celebrato, & feria quinta & ſexta hebdomadæ ſanctæ, omnibus utriusque ſexus hominibus liber acceſſus ad Eccleſi-*

am

am conceditur. Atque, in ipſo feſto Aſſumptionis B. M. V. *fæminis permittitur ingreſſus, cum quotannis ad dotandas pauperes ſed honeſtas Virgines, diſtribuatur illo die certa pecuniarum ſumma.*

Diximus ſuperius ſanctiſſimum hujus Congregationis Inſtitutorem Monachis ſuis tantum præſcripſiſſe rigidiſſimam Regulæ Benedictinæ *obſervantiam, illóſque potius exemplo & viva voce, quàm particularibus ſcriptis ſtatutis, ad culmen perfectionis Chriſtianæ perducere conatum fuiſſe; attamen, ſucceſſu temporis, & creſcente numero Monachorum & Cænobiorum, perneceſſarium erat condere quaſdam Conſtitutiones, ad regimen externum firmandum requiſitas. Nec ambigere licet, quin hæc ſalutaria ſtatuta in diverſis Capitulis Generalibus ſancita, & idiomate latino conſcripta, jam dudum in unum volumen collecta, publicam lucem viderint, quamvis illa ad manus noſtras non pervenerint. Nam, præſentes Conſtitutiones idiomote Italico conſcriptæ, ex eiisdem antiquis ſtatutis collectæ ſunt, prout ſequens Bulla ſummi Pontificis* Clementis XI. *teſtatur, quam hic præmittimus, cum ex illa anno MDCCIV. data, percipiamus has novos Conſtitutiones juxta veterem diſciplinam in hac Congregatione obſervatam, ordinatas fuiſſe. Nam, illæ in duas partes ſunt diviſæ, quarum prima continet omnia neceſſaria ſtatuta ad externum ſive politicum totius Congregationis regimen requiſita; altera autem complectitur rigidam diſciplinam Monaſticam olim in omnibus Cænobiis obſervatam, juxta* Regulam Benedictinam *in LXXIII. Capitula diviſa, quæ recte vocontur totidem morales declarationes ad* Regulam S. Benedicti, *pront ex ſequenti Bulla Pontificia colligimus.*

Bulla Clementis Papæ XI. ſequentes Conſtitutiones Congregationis Vallis-Umbroſæ confirmans.

CLemens Papa XI. ad perpetuam rei memoriam. Injuncti nobis divinitus paſtoralis officii ratio exigit, nt paternam Religioſorum Virorum Altiſſimi obſequii ſub laudabili vitæ Monaſticæ inſtituto mancipatorum curam gerentes, ipſos in ſalutari eorum vivendi norma, regularique obſervantia confovere, atquè conſervare ſatagamus, ac proinde ea, quæ ſimili conſilio, ac pro ſelici, proſperoque illorum regimine & gubernio provide prudenterque facta, atque ordinata eſſe noſcuntur, quo firma ſtabilitate perennent, Apoſtolici muniminis præſidio roboremus. Exponi ſiqnidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, Viſitatores, & Definitores Congregationis Vallis-Umbroſæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, quod aliàs de Mandato noſtro nonnullæ Declarationes ad Regulam ejuſdem ſancti Benedicti ac Correctiones & Addictiones ad antiqnas ejuſdem Congregationis Conſtitutiones, quo illæ ad poſteriota Apoſtolica & præſentem rerum ſtatum aptarentur, factæ, omneſque ordinationes aliàs à felicis cordat: Alexandro P.P. VII. Prædeceſſore noſtro pro ipſa Congregatione emanata eiſdem conſtitutionibus inſertæ ſnerunt. Porro ipſæ Conſtitutiones nna cum Correctionibns, Additionibus & Ordinationibus, ac Declarationibus hujuſmodi à nonnullis Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibns, & Dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, quibus id commiſeramus reviſæ, & in unum Volumen collectæ ſunt, tenoris, qui ſequitur videlicet *: Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes easdem Declarationes & Conſtitutiones in hanc formam redactas, quo firmius ſubſiſtant, & obſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent; nos ipſorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas à qnibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſeqnendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & ſingulas Declarationes ad Regulam ſancti Benedicti, ac Conſtitutiones

* In edirione Florentina de anno 1704. poſt verbum *videlicet* ſequitur Textus Conſtitutionum, ad quarum calcem reliqua Bullæ hic in uno contextu poſitæ rejecta ſunt.

tiones, illarúmque Correctiones & Addictiones, ac Ordinationes præinſertas, & in eis contenta quæcunque auctoritate Apoſtolica tenere præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes ipſas præſentes litteras ac Declarationes, Conſtitutiones, illarumque Correctiones & Addictiones, ac Ordinationes præinſertas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore, quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibos, privilegiis quoque, Indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenore præſentium pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſqoe contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XV. Martii MDCCIV. Pontificatus noſtri anno IV.

COTSI-

COSTITUZIONI
DELLA CONGREGAZIONE
DI VALLOMBROSA

PARTE PRIMA

Spettante al genere Politico

Capitolo I.

Della Celebrazione del Capitolo.

SEguendo le veſtigie de' noſtri antichi Padri, per l' oſſervanza della Carità fraterna ordiniamo con autorità Apoſtolica per le preſenti Coſtituzioni, che ogni quattro anni ſi faccia il nuovo Preſidente, per la creazione del quale ſi celebri il Capitolo Generale di noſtra Congregazione, quale cominci la terza Domenica di Paſqua di Reſurrezione, e che ſi celebri in quel luogo, dove avranno ordinato il P. Preſidente, e i Definitori del precedente Capitolo, nel quale, vogliamo, che vengano tutti quelli, ch' avranno voce in Capitolo, talmente che ſiano preſenti al primo atto capitolare, che ſi deve fare dopo il Veſpro della detta terza Domenica, ſotto pena, che i Vocali ſiano privi della voce attiva in Capitolo quel l' anno, ſe già non foſſero detenuti da qualche legittimo impedimento approvato, e accettato dalla maggior parte del Capitolo per ſave nere, è bianche, nel qual caſo quel Vocale, che non ſarà arrivato da principio, s' intenda nondimeno aver la voce nel teſtante degl' atti Capitolari: E chi ſi troverà aſſente, benchè con licenza, non poſſa per ſoſtituto avere in quel Capitolo la voce attiva in modo alcuno. Oltre al Capitolo Generale da convocarſi ogni quattr' anni, come s' è detto, per isfuggire le ſpeſe ſuperflue, e non privare coſì ſpeſſo i Monaſterj de loro Superiori, e d' altri Vocali, ordiniamo, che nel luogo deputato dal Padre Preſidente ſi celebri ogni due anni dopo il Capitolo una Dieta Generale nel giorno ſolito cioè nel Lunedì della terza Domenica dopo Paſqua di Reſurrezione, alla qual Dieta ſiano tenuti intervenire il P. Preſidente, ambidue i Viſitatori, e tutti i Definitori attuali ſotto pena della ſoſpenſione dall' Ufizio, ſe pure non foſſe ſtato alcun di loro diſpenſato per qualche legittimo impedimento dal P. Generale, e Viſitatori: E in detta Dieta Generale abbia l' autorità d' eleggere i Definitori, che mancano, di creare i nuovi Viſitatori, far nuovi Abati, mutar Governi, conferir Gradi, far' Ordini per il buon ſervizio d' Iddio, e della Religione; e finalmente s' intenda avere tutta quella autorità, che riſiede nel Definitorio in tempo del Capitolo Generale.

Capitolo II.

Del mutare per giuſta cauſa il luogo deputato per la Celebrazione del Capitolo.

ORdiniamo parimente, che il P. Preſidente con i due Viſitatori, e tre Definitori attualmente Collegiati del proſſimo paſſato Capitolo, più vicini alla ſolita Reſidenza del Preſidente poſſano con più della metà de i voti, occorrendo giuſta cauſa, mutare il luogo del Capitolo ordinato, e deputato nel Capitolo antecedente, ma non poſſano già nè allungare, nè abbreviare il tempo di detto Capitolo, ma che oſſervino il tempo determinato per le dette Coſtituzioni.

Capitolo III.

Come ſi debba procedere, occorrendo frà l' anno la morte del Preſidente.

VOgliamo ſimilmente, che quando occorreſſe fra anno vacare l' Ufizio del Preſidente per morte, o per qualſivoglia altro accidente, reſti Vicario Generale in ſuo luogo, e con la medeſima autorità l' Abbate di Vallombroſa fino al nuovo Capitolo, quale, vogliamo, che ſi celebri in tal caſo la terza Domenica dopo Paſqua di Reſurrezione proſſima ſeguente a detta vacanza, non oſtante che in detto tempo, ed anno non s' aveſſe a celebrare, e convocare il Capitolo Generale. E in tale evento, eletto il nuovo Preſidente, ſi celebri il Capitolo quà tro anni dopo tale elezione, e così ſi ſeguiti l' ordine ſolito di due in due anni, col quale ordine, vogliamo ſimilmente, che ſiano creati tutti i Prelati, e Ufiziali, e ordinati da un Capitolo all' altro, e reſpettivamente da una Dieta Generale all' altra. E dato, che il Preſidente paſſaſſe

a miglior vita tanto vicino a detta Domenica terza, che non ci reſtaſſe tempo a notificare il Capitolo a' Prelati di Lombardia, o più lontani, in tal caſo, vogliamo, che il P. Vicario, e i due Viſitatori abbiano facoltà di prolungare detto Capitolo a quaranta giorni dopo la detta Domenica, per intimare a' Prelati, che vengano al Capitolo, e alla creazione del nuovo Preſidente: Dichiarando, che ogni volta, che il detto Preſidente veniſſe a morte per tutto il detto giorno di detta Domenica terza per inſino all' ore ventiquattro incluſivè, il nuovo Preſidente s' elegga fra detto tempo di quaranta giorni dopo la terza Domenica, e perciò debbano eſſere intimati ſubito i Padri aſſenti, come s' è detto: ma caſo, che il Preſidente moriſſe dopo le ventiquattro della detta terza Domenica, vogliamo, che in luogo ſuo ſucceda l' Abate di Vallombroſa per Vicario ſino alla terza Domenica dopo la Paſqua di Reſurrezione proſſima futura. E in evento, che creato il Preſidente, paſſaſſe à miglior vita avanti l'elezione de' Prelati, nel qual caſo, per l' Aſſoluzione, non ci ſarebbe Vicario Generale, ordiniamo, che quello, che era prima Abate di Vallombroſa, convochi il Capitolo per l'elezione d' un' altro Preſidente.

Capitolo IV.

Quando debbano partirſi per venire a Capitolo i Monaci Capitolari.

AFfinchè i Prelati, è Monaci Capitolari ſotto il preteſto d' andare a Capitolo non abbandonino ne' giorni Santi i loro Monaſterj, ordiniamo, che quelli di Lombardia, e di Roma non ſi partano prima, che il Lunedì dopo l' Ottava di Paſqua, e gli altri più vicini ſe non il lunedì dopo la ſeconda Domenica di Paſqua ſotto pena, che i Prelati, che contraffaranno dicano i Salmi Penitenziali nel mezzo del Refettorio, mentre gli altri Padri mangiano; e ſe ſaranno Monaci ſemplici, oltre a detti Salmi Penitenziali mangino pane, e acqua una volta.

Capitolo V.

Di quelli, che debbano venire a Capitolo per avervi la voce attiva, e paſſiva ſecondo i gradi loro.

PEr tor via ogni dubbio, che poteſſe naſcere per l' avvenire intorno à coloro, che debbano venire al Capitolo per avervi la voce attiva, e paſſiva ſecondo i gradi di ciaſcuno, ordiniamo, che al Capitolo ſiano tenuti venire gl' inſraſcritti Monaci, e non altri, cioè il Preſidente, i Viſitatori, gli Abati Collegiati di Abazie unite, e che ſi uniſſero per l' avvenire alla Congregazione, fra' quali Abati Collegiati, dichiariamo eſſere, come ſempre è ſtato inſino al preſente giorno, l' Abate di S. Bartolommeo di Ripoli. Item ſiano tenuti à venire gli Abati, e Priori non Collegiati, quali noi chiamiamo Titolari, non tanto delle ſottoſcritte Priorie, e Abazie, ma ſe altre ſe ne acquiſtaſſero alla Congregazione, dichiarando detti Abati, e Priori Titolari avere la voce attiva, e paſſiva, quantunque per qualche legittimo impedimento non riſedeſſero ne' proprj luoghi de' Titoli loro. Debbano parimente venire à Capitolo i Priori Abaziali, cioè di S. Bartolommeo di Novara, di S. Benedetto di Verzelli, e finalmente il Decano di Vallombroſa, il Maeſtro di Paſſignano, e il Procuratore Generale di Firenze; E tutti i ſopraddeti Vocali di voce attiva, e paſſiva inſieme, ſi ordina, che unitamente rappreſentino tutta la Congregazione, e tutto il Capitolo noſtro Generale; e neſſun' altro poſſa venire a detto Capitolo, nè avervi voce attiva, ancorchè aveſſe avuta amminiſtrazione di qualunque ſorte, ſe già non foſſe chiamato dal Preſidente, o Definitorio, che allora ciaſcuno ſia tenuto venirci; ma non per queſto s' intenda averci voce; proibendo à ciaſcuno de' ſuddetti, che vanno al Capitolo, che non poſſano ſotto qualſivoglia preteſto, nè anco d' infermità, menar ſeco Monaco alcuno, che non abbia l' obbligo d' andarci.

Capitolo VI.

Quali ſiano l' Abazie, e Priorie di noſtra Congregazione ſolite darſi in Titolo.

LE Badie, e Priorie di noſtra Congregazione ſolite darſi in Titolo ſiano l' infraſcritte. -- Badie Titolari di governo. -- S. Paolo di Razzuolo a Ronta, S. Maria di Vigeſimo, S. Maria della Serena, S. Maria di Tagliafune, S. Maria di Soffena. -- Badie di puro Titolo. -- S. Salvi titolo del Padre Generale, S. Gio. Gualberto di Pomaio titolo del primo Viſitatore, S. Andrea a Candeli titolo del ſecondo Viſitatore, S. Maria de' SS. Magi di Bibbona, titolo del Procuratore Generale di Roma, S. Maria della Romita di Spoleto, S. Trinita in Alpe, S. Zaccaria di Trecento. -- Priorie Titolari di governo. -- S. Benedetto di Muleggio vicino Verzelli, S. Bartolommeo di Novara, S. Maria di Seſto nel Frioli;

la

la Decania di Vallambroſa; la Procureria di Firenze. -- Priorie di puro Titolo. -- S. Maria ad Ughi, S. Piero a Gello, S. Donato in Vinca. Tutte l' altre Badie, e Priorie di puro Titolo non ſi conferiſcano più ad alcuno, ma la prima volta, che vacheranno, s' intendano ipſo facto ſoppreſſe, e del tutto eſtinte.

Capitolo VII.

Di quello, che debbano portare i Prelati al Capitolo.

Similmente ordiniamo, che ciaſchedun Prelato quando viene à Capitolo, porti ſeco tutta quella ſomma di denari, che gli ſarà biſogno per condurſi alluogo del Capitolo, per le ſpeſe di eſſo Capitolo, per il ſuo ritorno, e finalmente per pagare nel Capitolo ogni altra coſa, che foſſe conſueta. Porti anche i Bilanci dell' Entrate, e Uſcite, e de' Debiti, e Crediti eſtratti da' Libri ſaldati dal Prelato, e Seniori del ſuo Monaſtero: Così anco porti la nota di tutti gl' Iſtrumenti, e Contratti fatti fra anno ſpettanti al ſuo Monaſtero, purchè ſiano di coſe notabili, o a lungo tempo, i quali il Definitorio faccia regiſtrare nel Libro da eſſo ordinato a tale effetto; e mancando d' alcuna delle predette coſe, ſia privo di voce attiva per quell' anno in quel Capitolo, nella qual pena incorrano quelli ancora, che non avranno pagato i gravami della Congregazione in tempo, cioè la terza parte per tutto Settembre, l' altra per tutto Novembre, e l' altra per tutto Marzo ſeguenti: E ſe queſti tali ſaranno aſſenti dal Capitolo, ſiano privi della voce paſſiva, ſe già in qualſivoglia de' ſuddetti caſi non aveſſero mancato per cauſa legittima approvata dalla maggior parte del Capitolo, o Definitorio. Volendo di più Aleſſandro VII. n' ſuoi Decreti fatti per noi nel 1660. n. 8. che quelli Abati, o Camarlinghi, che non averanno pagato la prima Terzeria, mangino una volta pane, e acqua in Refettorio, e recitino i Sette Salmi; Se non pagheranno la ſeconda Terzeria colla prima, gli Abati oltre le pene taſſate dalle Coſtituzioni, ſiano rimoſſi da quella Badia, e mandati in altra di governo inferiore, e i Camarlinggi reſtino privi dell' Ufizio. E ſia obbligo del P. Depoſitario dare in nota a' Superiori quelli, che non avranno pagato, ſotto pena della privazione dell' Ufizio da incorrerſi ipſo facto; Adducendo poi gli Abati, e Camarlinghi le coſe, per le quali non hanno potuto pagare, dal P. Generale, e Viſitatori ſia riconoſciuta tale impotenza, e ſecondo la troveranno, giudichino, ſe ſiano, o non ſiano incorſi nelle ſuddette pene. Da' gravami paſſati neſſuno s' intenda aſſoluto, ma ogni anno ſe ne paghi qualche parte fino all' intero pagamento. Si ordina ſimilmente ſotto le medeſime pene ſopradette, che gli Abati, e Priori Titolari, che faranno reſidenza ne' loro Titoli, debbano portar ſeco quella ſomma di denari, che gli biſognerà per le ſpeſe de' viaggi loro, del Capitolo, e per ogni altra coſa, che gli foſſe ſtata ordinata da' Superiori.

Capitolo VIII.

De' Prelati, che non vengono al Capitolo.

Acciocchè nel tempo, che ſi celebra il Capitolo, non naſca confuſione ne' Monaſterj, dove rimangono i Prelati, che non vengono a Capitolo per qualche legittima cauſa ammeſſa, e approvata dal P. Preſidente, e Viſitatori; Ordiniamo, che i predetti Prelati nel tempo del Capitolo come Vicarj, ed Economi, o pure come Amminiſtratori, e non come Abati, e Prelati abbiano la medeſima, o continuata autorità ne' loro Monaſterj, così nello ſpirituale, come nel temporale, e tengano i loro ſoliti luoghi in Capitolo, Coro, e Refettorio, e in ogni altro luogo fino a che dal nuovo Abate, o Prelato non ſarà altrimenti diſpoſto, o ordinato, ovvero inſino, che i vecchi Abati, o Prelati foſſero di nuovo eletti, o confermati, come erano prima ne' medeſimi Monaſterj. Ma ſe alcuno Abate, o Prelato mancaſſe di venire al Capitolo ſenza il conſenſo del P. Preſidente, e Viſitatori, che non aveſſe avuto da loro la licenza eſpreſſa; Ordiniamo, che queſti tali in quel giorno, che gli altri Abati, o Prelati di noſtra Congregazione ſono aſſoluti dalle dignità, autorità, e amminiſtrazione, s' intendano ancor' eſſi aſſoluti, e depoſti così in ſpirituale, come in temporale, e quello, che poi accaderà diſporre, e ordinare in detti Monaſterj, vogliamo, che immediatamente s' aſpetti al Priore, o Decano, o altri Deputati. E ſimilmente i Prelati Titolari, che per legittima cauſa non faceſſero reſidenza ne' loro Titoli, dopo l' Aſſoluzion Capitolare degli altri Prelati, vogliamo, che ancor' eſſi ritornino a' luoghi della lor profeſſione ne' Monaſterj Collegiati, ove ſi troveranno. Ma quelli, che riſedendo ne loro Titoli, non verranno a Capitolo ſenza licenza, come di ſopra, vogliamo, che ſiano ſottopo-

ſti a pena arbitraria del P. Preſidente, e Viſitatori.

Capitolo IX.

Quando alcuno de' Viſitatori non veniſſe al Capitolo.

AFfinchè le coſe trovate da' Viſitatori nel tempo delle Viſite non rimangano incognite al P. Preſidente, e a' Definitori, ordiniamo, che ſe alcuno de' Viſitatori per qualche legittima cauſa approvata, e ammeſſa dal Preſidente, e dall' altro Viſitatore non poteſſe venire a Capitolo, con ſue lettere ſignifichi a' proprj Prelati lo ſtato di quei Monaſterj, che da lui ſaranno ſtati viſitati.

Capitolo X.

A chi s' aſpetti l' Ufizio di Conventuale.

PErchè col mandare i Conventuali al Capitolo ſi moltiplicano ſenza biſogno alla Religione le ſpeſe, e in detto tempo ſi privano le Chieſe, e i Monaſterj di Sacerdoti, che le ufizino, e gli ſervano, e potendoſi dall' altro canto ſupplire alle loro incombenze in miglior forma, e ſenza diſpendio. Ordiniamo pertanto, che da qui avanti l' Ufizio di Conventuale s' aſpetti a quel Padre Vocale, che in Monaſtero, toltone il Prelato, ſarà il maggiore di profeſſione; e non potendo queſto venire a Capitolo, ſubentri in ſuo luogo un' altro Vocale, ſe vi ſarà, e non eſſendovi, ſi ſuppliſca per il Prelato, come ſi dirà nel Capitolo XII. non intendendo per queſto di pregiudicare all' elezione de' Scribi, che vogliamo, ſecondo il ſolito poſſano farſi in qualſiſia Monaſtero, purchè in eſſo oltre al Superiore vi ſtanzino almeno ſei altri Monaci profeſſi.

Capitolo XI.

Dell' Ufizio del Conventuale.

Di ciò che debba fare quel Vocale, che ha l' Ufizio di Conventuale.

ORdiniamo dunque, che quel Vocale il quale avrà l' Ufizio di Conventuale, porti ſeco al Capitolo la lettera teſtimoniale ſcritta per mano del primo profeſſo, e ſigillata col proprio ſigillo del Monaſtero, l' Ufizio del quale ſarà informare il P. Preſidente, e Definitori dello ſtato del Monaſtero, e governo così ſpirituale, come temporale, come ſi ſia portato l' Abate co' Monaci, e queſti col loro Prelato, ſe ci ſono nati ſcandoli per la parte di quello, o di queſti, ſe ſi debba provveder coſa alcuna a benefizio di quel Monaſtero, o de' Monaci d' eſſo: Ed affine, che il Definitorio più facile, e ſicuramente poſſa eſſere informato, e provvedere a quanto fa di biſogno, vogliamo, che il Conventuale ſia tenuto, e obbligato, oltre l' impoſizioni, e ambaſciate fattegli portare, a preſentar fedelmente al Definitorio le lettere di ciaſcun Monaco ſigillate; e perciò ordiniamo, che ciaſcun Monaco ſia tenuto a ſcrivere una lettera, dicendo almeno, non gli occorre coſa alcuna: E venendo al Capitolo ſenza queſte lettere, abbia ripulſa dal Preſidente, e Viſitatori, e ſia privo di voce attiva in quel Capitolo; ſe però non giuſtificherà al Capitolo, non eſser reſtato per lui di portare tutte le dette lettere de' Monaci del ſuo Convento.

Capitolo XII.

Come s' abbia a procedere, quando non vi ſia alcun Vocale, che faccia l' Ufizio di Conventuale.

MA ſe accaderà, che in Monaſtero non vi ſia alcun Vocale, che poſſa fare da Conventuale, o che eſsendovi, non poſsa andare à Capitolo, in tal caſo il Prelato ſia obbligato a portar' egli tutte le ſuddette lettere; ovvero non venendo a Capitolo le mandi per il Prelato più vicino, o per il più comodo Capitolare, per il quale parimente ſia tenuto mandare il Bilancio, e l' altre coſe neceſſarie da portarſi a Capitolo, come di ſopra ſi contiene nel Capitolo VIII. Dichiarando, che neſſun Prelato, o Conventuale poſſa ſoſtituire alcuno, che faccia tal' Ufizio, ſe non in queſto, come sè detto.

Capitolo XIII.

Forma della lettera Teſtimoniale.

Reverendiſſime Pater, voſque cæteri RR. PP.

Poſt filialem commendationem &c.

MIttimus ad RR. PP. veſtras Dilectiſſimum Confratrem noſtrum D. N. ſecundùm formam noſtræ Congregationis, cui oramus plenam, & indubitatam fidem in his, quæ fratrum, & Monaſterii noſtri utilitatem concernunt, adhibere dignentur RR. PP. Veſtræ, quibus nos ipſos, & Congregationis noſtræ univerſale bonum plurimùm commendamus. Ex Monaſt. N. Die An. Dom

RR. PP. VV.

Indigni filii Conventus &c.

CA-

Capitolo XIV.

Della forma del Capitolo.

La terza Domenica dunque dopo Paſqua ſi faccia commemorazione dello Spiritoſſanto nella Meſſa, e dopo, che ſarà detto il Veſpro, coadunati tutti i Capitolari ſecondo, che s' è detto di ſopra nel Capitolo v. nel luogo deputato inginocchioni avendo prima fatto alquanto d' orazione mentale a Dio, il Preſidente dirà il verſo Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus &c. Oratio. Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Antiph. O Chriſti miles Reverende Beate Joannes, cujus Sacrarium vivens, templumque fuiſti, noſtræ te cauſæ Patronum poſcimus omnes, ut Dominum nobis facias mitem, placidumque ℣. Ora pro nobis &c. ℟. Ut digni efficiamur &c. Oratio. Deus, qui per noſtræ Redemptionis ſalutiferum ſignum Beatum Joannem Gualbertum Confeſſorem tuum, atque Abbatem, cæteris præſtantius decoraſti, præſta quæſumus, ut quem laudis veneramur Officio, ſanctæ Converſationis imitemur exemplo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Dopo queſte Orazioni ſi drizzino, e ponganſi a ſedere ſecondo i gradi loro; E benchè a tutti s' aſpetti, in ogni tempo moſtrar ſegni d' umiltà, ſi ammoniſcano, dover queſto principalmente eſeguire nel tempo del Capitolo; e non ſolo i Monaci, ma anche i Prelati moſtrino ſempre con parole, e con geſti, eſſer preparati ad ogni determinazione, che ſarà fatta dal Capitolo. E aggiunto dal P. Preſidente, o da chi egli avrà giudicato a propoſito, qualche breve ragionamento, ed eſortazione conveniente a tal luogo, e tempo, ſaranno per ordine di Sua Paternità chiamati ordinatamente quei Vocali, che faranno l' Ufizio di Conventuale di ciaſchedun Convento, quali preſenteranno le loro lettere teſtimoniali nella forma detta di ſopra nel Capitolo XIII. e così dal Preſidente, e dagli altri Vocali ſaranno ammeſſi, o riprovati dal Capitolo, ſecondo, che la giuſtizia richiederà. Dopo gli Abati, o a chi toccherà, paghino la parte della taſſa per le ſpeſe del Capitolo, e ogni altra contribuzione, che ſia ſecondo gli ordini, e la conſuetudine di noſtra Congregazione, o Statuti del Capitulo, o per comandamento, e ordine fatto dal P. Preſidente, e Viſitatori per comune neceſſità della Congregazione; e in queſto tempo tutti i Capitolari tengano i luoghi de' loro gradi, e dignità, ſino a tanto, che ſiano aſſoluti, e fattagli dal P. Preſidente l' ammonizione, che attendano all' Orazione, ſiano licenziati ſino alla ſeguente mattina.

Capitolo XV.

Dell' Aſſoluzione de' Prelati.

La ſeconda mattina immediatamente ſeguente coadunati tutti i ſopranominati del Capitolo con quelli del Convento a buonora in Chieſa dal P. Preſidente, o da chi egli avrà commeſſo, ſi canti la Meſſa dello Spiritoſſanto col Credo, acciocchè Gieſu Criſto Noſtro Signore il quale colla potenza, e volontà ſua riſtaura ogni coſa, ſi degni di conſervare i cuori di tutti quelli del Capitolo mondi, e immacolati da ogni ſpirito di malignità, e dirizzi la volontà di ciaſcuno ad onore di S. D. M., e accreſcimento di noſtra Religione: E finita la Meſſa, tutti quelli del Capitolo a ſuono della campanella, com' è coſtume, convengano nell luogo deputato, e ſi proceda all' elezione del Preſidente nella forma, che ſi dirà ſotto nel Capitolo XVIII. Dopo la quale elezione il nuovo Preſidente nel primo atto Capitolare, che ſarà per fare, proceda all' Aſſoluzione de' Prelati nella forma ſeguente. Radunati a ſuono di campanello nel ſolito luogo quelli del Capitolo, e poſtiſi a ſedere, il P. Preſidente parli in tal guiſa. --- Fratelli dilettiſſimi, egli è venuto, ſecondo l'antica, e ſanta conſuetudine, e come detta il noſtro Indulto, il tempo del Capitolo di noſtra Congregazione, nel quale tutti i Benefizj, Ufizi, Dignità e Prelature debbano vacare. E però Jo N. Abate ec. e Preſidente di tutta queſta noſtra Congregazione dedicata, e conſecrata ad onore della glorioſa, e ſempre Vergine Maria, e del noſtro Padre S. Gio. Gualberto, per autorità Apoſtolica, e de' noſtri Privilegj da ora vi pronunzio, e dichiaro con ogni altro di noſtra Congregazione eſſere aſſoluti da ogni Benefizio, Ufizio, e Dignità, ed Adminiſtrazione. E fatta in tal guiſa la detta Aſſoluzione, tutti col capo ſcoperto, e inchinato per ſegno d' umiltà ritorneranno al luogo della loro Profeſſione, che dovranno tenere fintanto, che non ſi pubblicherà la loro riaſſunzione alle Dignità, e Gradi, che dal Definitorio gli verranno conferiti.

Capitolo XVI.

Delli Stati, e Gradi di noſtra Congregazione.

E Da conſiderare, che gli Stati, e Gradi de' Monaci della noſtra Congregazione ſi riducono a otto. Nel primo ſono i Novizj non Profeſſi in età compita d' anni 15. Nel ſecondo i Monaci Profeſſi non Sacerdoti d' anni 17. Nel terzo i Sacerdoti Profeſſi ſenza altro grado d' anni 25. Nel quarto i Priori Clauſtrali, Lettori de' Monaci, Maeſtri de' Novizj, Segretario del Generale, Camarlinghi, e Scribi di anni 28. Nel quinto gli Abati Titolari, Priori Abaziali, Priori Titolari, il Decano di Vallombroſa, il Maeſtro di Paſſignano, il Procurator Generale di Firenze, e tutti quelli, che dopo il Sacerdozio deputati dal Definitorio in Capitolo, o dal Generale, e Viſitatori fra Anno, avranno letto quattr' anni continui, o intercetti negli Studj formati di noſtra Congregazione, i quali Studj formati, s' intendono eſſer quelli, dove continuamente fuori delle vacanze ordinarie ſi legge Ariſtotile inſieme colla Teologia, e vi ſi diſputa, d' anni 31. Nel ſeſto ſono gli Abati Collegiati, e il Procurator Generale di Roma d' anni 34. Nel ſettimo i due Viſitatori principali, e il Vicario Generale, purchè abbiano viſitato tutta, o parte della Congregazione d' anni 37. Nell' ottavo il Preſidente, o Abate Generale d' anni 38. Dichiarando, che tanto nel preſente Capitolo, come negli altri, dove ſi fa menzione d' anni, baſta, che ſiano toccati, ſe non v' è eſpreſſa dichiarazione, o manifeſta conſeguenza, ch' abbiano da eſſere anni compiti.

Capitolo XVII.

Dell' modo d' aſcendere per i ſuddetti Gradi.

ORdiniamo dunque, per dar principio a un ben diſpoſto governo, che neſſun Monaco poſſa aſcendere da minore à maggior Grado, o Dignità a caſo, ſenza ordine, e ragione, e conpregiudizio de' più degni, anteriori, e benemeriti della Religione. Per ottener tutto queſto, fa d' uopo il porſi avanti gli occhi, e più nel cuore quanto diſpone Papa Clemente VIII. ne' ſuoi Decreti pro Reformatione Regularium al nu. 35. 36. e 37. Si guardi ognuno, dice egli, dall' andare in traccia di guadagnar Voti o per ſe, o per altri ne' Capitoli Generali, o nelle Diete; perchè i traſgreſſori, oltre le pene, e cenſure fulminate, e tuttavia perſiſtenti nel ſuo vigore contro ſimili ambizioſi, vogliamo, che incorrano in pena di privazione de' loro Ufizj ipſo facto, e ſiano a tutti gli altri reſi inabili per l' avvenire, nè poſſano eſſerne diſpenſati, che dal Papa, oltre altre pene, giuſta la qualità delle colpe, con eſtendere tutte le pene ſuddette anche a' complici, e conſapevoli, che non rivelano i delinquenti. Nell' elezione dunque di tutti gli Ufiziali, e Superiori ſi oſſervi la forma preſcitta dal Sac. Concilio di Trento, e dalle Coſtituzioni dell' Ordine, e giurino gli Elettori d'eleggere in coſcienza i migliori, e più abili, e perciò prima di venire all' elezione ſi leggano le Coſtituzioni, ove trattano de' requiſiti, e qualità degli eligendi; e quelli in ſpecie ſi eleggano agli Ufizj, Gradi, e Prelature, che vogliono, o poſſono oſſervare le Coſtituzioni, e Regole dell' Ordine, e in particolare quelle, che appartengono al Coro, e alla vita comune. Nel Capitolo Generale s' eleggano tre Padri almeno gravi, e dotti per Eſaminatori de' Lettori pubblici, de' Predicatori, Confeſſori, e Ordinandi; non ſolo in ordine alla dottrina, ma anche in quanto a' coſtumi ſiano queſti diligentemente eſaminati: Circa che ſi oſſervi il Decreto della Congregazione degl' Interpreti del Sacro Concilio di Trento fatto a tal propoſito.

Vogliamo perciò, che neſſuno poſſa aſcendere al grado del Preſidentato, ſe prima non ſarà ſtato nel grado di Viſitatore principale, ovvero Vicario Generale della Congregazione, come di ſopra ſi dice nel Capitolo III. talmente però, che ciaſcun di queſti abbia una volta viſitata la Congregazione di Vallombroſa tutta, o la maggior parte. Che neſſuno poſſa eſſer Viſitatore, ſe prima non ſarà ſtato anni due Abate Collegiato: Ordinando di più, che i Viſitatori non durino più di due anni, nè gli Abati Collegiati più di quattr' anni nella medeſima Abazia, ma quelli debbano vacare, finito il loro biennio, per altri due anni, e queſti per altri quattro: nè poſſano gli uni, e gli altri eſſer confermati, ſe non per Breve di Sua Santità. Che neſſuno poſſa eſſere eletto Abate Collegiato, ſe prima non ſarà ſtato nel quinto Grado anni tre continui, o intercetti. Dichiarando, che, atteſochè nel quinto Grado ſono ſei ſorte di perſone, cioè Abati Titolari, Priori Abaziali, Priori Titolari, Decano di Vallombroſa, Procurator Generale di Firenze, e Lettori di Studj formati, baſti eſſere ſtati tre anni continui, o inter-

ter-

§. 3. In quel giorno, che ſi cominciarà la viſita, perche ſi conoſca il principio di eſſa, ſi farà un breve ſermone, ò eſortatione dal Padre Generale, ò dal primo Viſitatore, non eſſendovi il P. Generale, guardandoſi di non metter le mani in quelle coſe, che non toccano à loro. E prima di qualunque coſa faccino ſapere publicamente a' Monaci, che hanno da eſſer Viſitati, che non proponghino di nuovo quelle coſe iſteſſe, che in altre Viſite ſono ſtate legitimamente corrette, e punite, ne meno dichino in pubblico, ò in privato alcuna coſa enorme, ò che meriti ſenz'altro la condannatione contro il Superiore, ò contro alcun Monaco, ſe non diranno anco da chi l' hanno ſaputa, & inteſa ſotto la pena preſcritta contro gl' Infamatori diſt. 2. cap. 7. E circa i Superiori locali ſarà officio del Padre Generale, e de' Viſitatori punirgli, e correggerli, & anco deporgli dal grado, quando vi foſſero cauſe tali, che meritaſſero canonica depoſitione, il che non potrà farſi ſenza tela giudiciaria, e ſentenza canonica; come anco ſarà loro parte punire i delitti de Monaci, quando non haveſſero ſufficientemente ſodisfatto alla pena de' loro eccesſi, impoſtagli dal Superior locale.

§. 4. Nel viſitar poi la Chieſa, & il Monaſterio potranno ſervirſi dell' or-

dine

dine, che inſegna il Directorium Viſitatorum, ò di altro, che ſia di propoſito, il che anco faranno nella Viſita delle Monache à noi ſoggette, oſſervando diligentemente quanto ſopra ciò commanda il Sac. Concilio di Trento, le Bolle Apoſtoliche, & i decreti della Sac. Congregatione ſopra lo ſtato Regolare, ſcrivendo tutta la Viſita ordinatamente, che faranno di ciaſcun luogo in un libro, per darne conto al Capitolo generale, e per conſervarla in Archivio. Siano ſopra tutto diligenti circa le coſe della Chieſa, e del culto Divino, e procurino con tutta attentione, che ſtrettamente venghi oſſervata la Regola, gl' ordini della riforma Apoſtolica, e le preſenti Coſtitutioni.

Cap. VI.

Della ſoſtitutione de Graduati, Preſidenti, e Vocali.

§. 1. SEcondo il citato Breve Apoſtolico del 1683. i Graduati, e Vocali della noſtra Congregatione godono la perpetuità nella forma eſpreſſa in detto Breve, quantunque il P. Generale finito il quadriennio non poſſa eſſer reaſſunto a tal carica, ſe non dopo altri due governi, e gl' Abbati compito un quadriennio, ſiano tenuti paſſare per il governo ad altro Monaſterio, come anco ſi notò nella preſente diſtintione cap. 3. §. 4. Ma perche poſſono ben ſpeſſo accadere delle vacanze, ò per cauſa di morte, ò di rinuncia, ò di canonica depoſitione, onde ſia neceſſario far nuova proviſta, nello ſteſſo Breve ſi ordina, che dovendoſi far nuova Elettione ne' Capitoli Generali, ò nelle Diete, ſi oſſervi tal forma. Se vacarà Badia di governo, ſia ſempre ſoſtituito un titolare. Se vacarà Badia titolare, ſia ſempre ſoſtituito ò uno de' Vocali non Abbati, ò altro ſoggetto, che per tre governi ſia ſtato lodevolmente, ò Camerlengo, ò Priore, ò Curato d'Anime, ò Confeſſore de ſecolari, ò Sacreſtano, come anco per tale officio di Sacreſtia ſi decreto per il tempo futuro nel Capitolo generale del 1688. E ſe vacarà uno de Vocali non Abbati, ſia ſolo ſoſtituito un ſoggetto degno, e capace di quell' officio, che vacarà.

§. 2. Se poi tal proviſta haverà a farſi fuori de' Capitoli, e delle Diete, ſi faccia in tal modo. Se vacarà il Generalato, ſia ſoſtituito l'Abbate, ò Preſidente del ſacro Eremo di Monteſano, come ſi è detto nella terza diſtintione cap. 1. §. 6. Se vacarà la Procura generale, ſi ſoſtituiſca ſoggetto, che habbia i requiſiti notati in detta 3. diſt. cap. 3. §. 1. Ad arbitrio del P. Generale. Se vacarà il Viſitatorato, ſi proveda dal P. Generale, e Definitori attuali di ſoggetto, da cavarſi dal numero de gl' Abbati di governo, ò da titolari, che habbino ſoſtenuto il governo. Se vacarà Badia di governo, ſi proveda da ſudetti di Preſidente, da cavarſi dal numero de' titolari. Se vacarà Badia titolare, ò il Bibliotecario di Fabriano, non ſi facci proviſta ſino al Capitolo generale, ò ſino alla Dieta proſſima. E ſe vacarà alcuno de gl' altri Vocali non Abbati, ſi proveda da medeſimi di ſupplemento idoneo fino a detto Capitolo generale, ò Dieta, dove ſi farà l' elettione dell' officio, che vaca; quali ſupplementi goderanno le cariche ſecondo ſi è notato nella preſente diſtintione cap. 1. §. 9.

§. 3. Si diſpone anco in detto Breve, che volendo alcuno de gl' Abbati di governo permuttare con altro di governo, ò pure con altro titolare, poſſa per giuſte cauſe, da riconoſcerſi dal P. Generale, e Viſitatori, e col conſenſo dell' Eminentiſſimo Protettore, farſi anco fuori de Capitoli, ò Diete; come anco volendo alcuno de gl' Abbati di governo ſpontaneamente rinunciare, ſia ſempre rinueſtito della Badia titolare, che vacarà per l' aſſuntione alla Badia del renuntiante, il che anco deve ſolo farſi per giuſte cauſe, da riconoſcerſi come ſopra. In oltre ſi dice, che volendo deſiſtere dal governo alcuni di quelli, che ſono ſtati Generali, ò Procuratori Generali, poſſano in caſo di vacanza eſſer reaſſunti al governo egualmente che ogn' altro titolare. Onde eſſendo tal diſpoſitione ottima, ſi ordina, che ſia ſempre inviolabilmente oſſervata ſotto pena di nullità per qualunque atto, che in altro modo ſi faceſſe.

Cap. VII.

De i publici lettori, e ſtudenti.

§. 1. ORdinandoſi nell' antica Coſtitutione, e con decreti de Capitoli generali, che non ſia mai conceſſo a noſtri Monaci, di andare alle ſcuole fuori della Religione, volendo però, che ne' noſtri Monaſterij vi ſia ſempre, chi inſegni le ſcienze liberali, maſſime la Logica, la Filoſofia, la Theologia Scholaſtica, è la morale, acciò ſi buona ordinatione ſia poſta onninamente in prattica, nel ſudetto Breve Apoſtolico ſi diſpone, che oltre a varij lettori, quali ſono in molti Monaſterij, in tre luoghi

ghi della Congregatione ſi deputino tre lettori publici per ſervitio particolare della noſtra gioventù; uno per le lettere humane, e per la Rettorica; il ſecondo per la Logica, e Filoſofia; & il terzo per la Teologia Scholaſtica, i quali perche venghio animati alla fatica, godano voce attiva, e paſſiva ne' Capitoli Generali, habbiano l' habilità alla Badia titolare, e la precedenza, come ſi è detto al ſuo luogo, perſeverando però ne' loro officij ciaſcheduno per due letture continue, che ſaranno in tutto otto anni, ma laſciando, ò eſſendo per lor difetto depoſt dalla carica prima che ſiano provisti di Badia titolare, non godano privilegio alcuno. Onde per la Teologia ſi deputò il Monaſterio di S. Stefano del Cacco di Roma; Per la Logica, e Filoſofia il Monaſterio di S. Benedetto di Fabriano. E per le lettere humane il Monaſterio di S. Lucia della Serra S. Quirico, ò altro ad arbitrio del Capitolo generale, ò Dieta, purche ſia di profeſſorio.

§. 2. Quei lettori dunque, che ſi trovaranno eletti a tal carica, eſſendo queſta molto importante per il beneficio, e decoro, che ne riſulta a tutta la Congregatione, procurino in ogni conto ſodisfare al proprio debito, con cercare il profitto nelle ſcienze, e nella bontà della vita, che perciò havendo il timor di Dio avanti gl' occhi, attendano con tutta carità, e diligenza alle quotidiane lettioni, che devono eſſere almeno con i loro eſercitij di un' hora, e mezza per ciaſcheduna volta, ſenza mai tralaſciarne alcuna, ſe non in caſo di vacanza, ut infra, ò per grave urgenza da riconoſcerſi dall' Abbate, ò per infermità, che quando foſſe molto lunga, doverà provederſi dal P. Generale di ſupplemento, acciò i ſtudenti non perdano il tempo. E perche ciaſcheduno ſappia il proprio debito, i Lettori di Teologia ſiano tenuti leggere nel termine del quadriennio i principali trattati, cioè, *De Deo Trino, & Uno; De Beatitudine, & ultimo fine hominis; De Incarnatione; De gratia, & libero arbitrio; De actibus humanis; De Juſtitia, & Jure; De Virtutibus Theogicis, & de Sacramentis in genere*, & eſſendovi il tempo, anco *de Virtute, & Sacramento Pœnitentiæ*. I Lettori di Filoſofia la Logica; gl' otto libri della Fiſica, *De Cœlo, & Mundo; De Ortu, & Interitu*; Le Meteore; *De Anima*, e la Metafiſica. Et i Lettori delle lettere humane ſiano tenuti rendere i ſcolari franchi nella lingua latina, nella regola del verſo, & in ogn' altra coſa, che s' inſegna nell' Humanità, e nella Rettorica,

§. 3. Siano poi anco tenuti eſercitare i medeſimi ſtudenti ne' quotidiani eſercitij, nelle Concluſioni private di ciaſchedun Meſe, e nelle Concluſioni publiche nel fine di ciaſcun trattato, e di tutti i trattati inſieme nel fine del quadriennio, che doveranno far ſoſtenere nel Capitolo generale, ò in altro luogo, ſecondo che verrà ordinato dal P. Generale. E ſe alcuno de ſudetti lettori ſarà trovato negligente, e manchevole nel proprio officio, e dopo ammonito due volte dal Superior locale non ſi ſarà emendato, ne venghi avviſato il P. Generale, il quale ſenz' altro lo rimova dalla carica, & altro più diligente venga ſoſtituito in ſuo luogo. E circa le vacanze ſi tenga tal ordine. Un giorno della ſettimana, che ſarà ò il Mercordì, ò il Giovedì non vi ſia lettione, ne tampoco in alcuno de' giorni feſtivi di precetto. In oltre dalla feſta del Beato Vgo Protettore delle noſtre ſcuole, che cade li 26. Luglio, fino al primo Lunedì di Settembre ſi legga la mattina ſolamente, come anco ſia vacanza tutto il Meſe di Ottobre, ſei giorni per il Carnevale dell' Avvento, dieci per il Carnevale di Quareſima, e dal Sabbato delle Palme fino al Lunedì dopo la Domenica in Albis. E concedendoſi licenza a Lettori, di vſcire a Predicar la Quareſima (che per l' Avvento non deve mai concederſi ſe non per i luoghi, dove ſono di ſtanza, e che non porti impedimento alli ſtudij) ò non ſi ammettano in alcun modo le vacanze di Ottobre, ò ammettendoſi, ſi proveda di ſupplemento idoneo, che legga in aſſenza de' lettori, acciò i ſtudenti non perdano il tempo migliore.

§. 4. E quanto a ſtudenti ſi oſſervi queſt' ordine. Che a quelli, li quali haveranno capacità, ſia dato congruo tempo per le lettere humane, e per la Rettorica, dopo gli ſiano dati quattro anni per la Logica, e Filoſofia, & altri quattro per la Teologia Scolaſtica, ſe però il P. Generale non voleſſe aggiongerli altro tempo, per renderli più idonei ad inſegnare ad altri. Siano per tanto applicati in tutto al loro profitto, ſi guardino di dire, ò fare coſa alcuna, per la quale ſi rendano indegni di tal gratia, e principalmente dimoſtrino, dopo il Superiore, tal riverenza a' lettori, che non poſſino mai eſſer notati d' ingratitudine, ma più toſto gli porgano motivo per il loro avvanzamento; mentre ſaranno in ſtudio, e faranno il corſo delle ſcienze, ſiano eſenti da tutti gl' officij, che poſſono impedire il loro profitto, ſe però non foſſe tanto grande la ne-

neceſſità, che al Superiore, al Lettore, & a' più vecchi pareſſe, non poter fare ſenza il loro ajuto. Siano però ſempre tenuti a recitare il Divino Officio, ne ſiano mai eſenti dal Coro ſenza eſpreſſa licenza del Superiore, quale deve concederla per qualunque grave neceſſità. Occorrendo al medeſimo Superiore, mandar fuori del Monaſterio alcuno de ſtudenti in tempo di ſcuola, dopo che queſto haverà havuta l' obedienza, lo farà anco ſapere al lettore, perche ſappia la cagione, che non và in ſcuola. E tanto il Superiore, quanto gl' altri ſi devono portare caritativamente verſo de' ſtudenti, acciò il tempo conceſſa loro per lo ſtudio paſſi con il dovuto frutto.

§. 5. Se alcuno ſtudente ſarà negligente nel proprio debito, e diſobediente al Lettore in materia di ſtudio, dopo che da queſto ſarà ſtato più volte ammonito, e corretto in ſcuola, ſia anco ad inſtanza del medeſimo Lettore mortificato in publico dal Superiore, e non emendandoſi, ò perdendo otioſamente il tempo ſenza frutto, venghi rimoſſo, con applicarlo à diverſo officio, & un' altro più idoneo ſia ſoſtituito in ſuo luogo. Ordiniamo di più, che i ſtudenti non ſolo ſiano ſempre pronti, & obedienti a Lettori per gl' eſercitij quotidiani, Concluſioni del Meſe, e di qualunque trattato, dopo che ſarà terminato, ma ſopra tutto ſiano tenuti nel Capitolo Generale ſecondo ſaranno avviſati dal P. Generale, difendere publiche concluſioni di tutto il quadriennio, e quelli, che ſi ſaranno portati bene, & haveranno terminati tutti i corſi delle ſudette ſcienze, e con profitto, e con lode, dovendoſi deputare qualche Lettore in alcuno de noſtri Monaſterij, ò occorrendo qualche vacanza delli ſudetti tre Lettori, deſtinati per il ſervitio della noſtra gioventù, con patente ſpeciale del P. Generale, precedendo la profeſſione della fede, e ſervate le conditioni preſcritte nella deputatione de Vocali, potranno eſſer dichiarati tali; come anco potranno eſſer applicati alla predicatione, ma ſolo nel modo, e forma preſcritta nella Diſtintione 1. cap. 4. §. 3. non dovendoſi habilitare alcuno a tale eſercitio, ſe non dopo terminato tutto il corſo delle ſudette ſcienze, e ſe prima non ſia ſtato publicamente ſentito, come ſi ordina nello ſteſſo luogo.

§. 6. Avvertano però tanto i Lettori, quanto i ſtudenti di non dar mai alle ſtampe concluſioni di trattati intieri, ò di tutto il quadriennio, ne eſporle alla difeſa in qualſivoglia luogo ſenza eſpreſſa licenza del P. Generale, e de Superiori competenti del Sant' Officio, ſotto pena di ſoſpenſione ipſo facto ab officio per i Lettori, e di pene ad arbitrio del P. Generale per i ſtudenti. Ordiniamo finalmente, che tanto i Lettori creati, come ſopra, quanto i Predicatori ſiano poi tenuti ſpendere il loro talento, inſegnando ne' luoghi dove ſaranno deſtinati con diligenza, & applicatione, e predicando nelle Quareſime, ne gl' Avventi, & in ogn' altra parte dell' anno nelle noſtre Chieſe, ne' Capitoli generali, e dove occorrerà ſecondo l' ordine, che darà il P. Generale, e non facendo l' obedienza ſiano puniti ad arbitrio di eſſo P. Generale, e ſoſpeſi da loro officij.

§. 7. Et acciò nella Congregatione non manchi coſa alcuna circa il commodo de ſtudij, & anco ſi proveda di miniſtri idonei per il Sacramento della Penitenza; Ordiniamo che (oltre a quelli, li quali haveranno il peſo di far la conferenza de caſi due volte la ſettimana, come ſi diſſe nella prima Diſtintione cap. 12. §. 2.) In uno almeno, ò più de noſtri Monaſterij ſia deputato Lettore idoneo dal Capitolo Generale, ò dalla Dieta, il quale ſecondo il biſogno legghi a noſtri Monaci, ſpecialmente a quelli, che non haveranno habilità alla ſpeculativa, la Teologia morale, ò caſi di coſcienza, con fare ſcrivere almeno vna lettione il giorno, e regolarſi nelle vacanze, come ſi è detto di ſopra, parlandoſi de Lettori publici, e con fare i quotidiani eſercitij, per habilitare i ſtudenti. E quei, che con lode, e profitto de medeſimi ſtudenti haveranno almeno per otto anni eſercitata tal carica con lettioni continuate, habbino habilità alla Badia titolare, e ſiano con altri officij di honore riconoſciute a tempo le loro fatighe.

Formula ſolemnis Profeſſionis emittendæ in Congregatione Silveſtrina.

Eſaminati, & approvati li Novitij, compito l' anno della probatione, ſecondo il decreto della Sacra Congregatione ſopra lo Stato Regolare, ſono ammeſſi alla profeſſione, e ſtando ciaſcuno avanti l' Altare ad alta voce fà la preſente petitione.

In Nomine Domini Noſtri JESU Chriſti, & Sanctorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Silveſtri Abbatum. Anno à Nativitate ejuſdem milleſimo ſexenteſimo Die Menſis

Ego

Ego D. N. N. de N. Diœceſis
Promitto ſtabilitatem meam, morum meorum converſionem, caſtitatem, paupertatem, & obedientiam ſecundùm Regulam ſanctiſſimi Patris Benedicti, & Conſtitutiones hujus Silveſtrinæ Congregationis coram Deo, & omnibus Sanctis, quorum Reliquiæ habentur in hoc Monaſterio Sancti N. de N. in præſentia, & manibus Reverendiſſimi Patris N. N. Abbatis Generalis ejuſdem Congregationis Silveſtrinæ, in qua profeſſionem emitto, nomine tamen Monaſterij S. N. N. In cujus rei fidem petitionem hanc manu propria ſcripſi, & ſubſcripſi, die, & anno quibus ſupra.

Ego D. N. N. manu propria.

Si ſcribere neſciat, dicat, In cujus rei fidem petitionem hanc manu propria ſigno Crucis ſignavi. Die, &c.

Avvertimento.

§. 1. PEr provedere, che le preſenti Coſtitutioni ſiano inviolabilmente, e ſempre oſſervate, e la Regolare diſciplina venghi rigoroſamente mantenuta; Ordiniamo a tutti gl' Abbati locali, & in loro aſſenza a Priori Clauſtrali, che una volta l' anno nel Meſe di Gennaro, da cominciarſi il primo giorno, faccino leggere in publica Menſa ò in altro publico luogo alla preſenza di tutta la Famiglia la Regola del P. S. Benedetto; E parimente una volta l' anno nel Meſe di Giugno, da cominciarſi il primo giorno le preſenti Coſtitutioni, ſotto pena di ſoſpenſione ipſo facto ab officio, alla quale ſoggiacciano ſin tanto non haveranno obedito, e di altre ad arbitrio del P. Generale. Dove ſi avverte, che non vogliamo con le preſenti Coſtitutioni in alcun modo obligare i traſgreſſori alla colpa, e peccato, ma ſolamente alla pena, purche non ſi facci in eſſe eſpreſſa mentione della colpa, ò che alcuno non ardiſſe traſgredirle per diſprezzo. Eccettuando però li tre Voti di Obedienza, Povertà, e Caſtità, nelli quali ne tacimente, ne eſpreſſamente ſi può diſpenſare; reſtando anco ſempre nella ſua forza, & integrità la Regola del P. S. Benedetto, che con la preſente Coſtitutione non deve eſſere in alcuna parte alterata, overo oſcurata.

§. 2. In oltre ſi ordina, che il P. Generale entrando nell' officio, ſia tenuto dar giuramento di far' oſſervare le preſenti Coſtitutioni, ne diſpenſare ſenza urgentiſſima cauſa, oltre al quale ſopra tal negotio, e ſopra il governo della Congregatione ſiano anco deputati quattro Padri, perche non ſia variato, e queſti ſiano l' Abbate dell' Eremo di Monteſano, l' Abbate di S. Benedetto di Fabriano, e li due Abbati Viſitatori pro tempore, quali tutti ſiano tenuti a preſtare il ſopradetto giuramento con rogito del Secretario del Capitolo avanti i Definitori nell' ultima ſeſſione capitolare, non permettendo mai, che il P. Generale, ò altri, faccino coſa alcuna contro la giuſtitia, contro la Regola, e contro le preſenti Coſtitutioni, & occorrendo qualche dubbio fuori de' Capitoli, ò Diete habbino tutti inſieme autorità di chiararlo ſecondo la loro coſcienza, ò di commun parere, ò della maggior parte, intendendoſi ſempre incluſo il P. Generale, e non potendo rimediare, ricorrino all' Eminentiſſ. Protettore pro tempore, ò alla Sacra Congregatione ſopra lo Statto Regolare; ò al Sommo Pontefice, & alla Santa Sede Apoſtolica.

§. 3. Non ſia lecito ad alcun Monaco di qualſiſia grado, ò conditione, di dare, impreſtare, ò in alcun modo far vedere le preſenti Coſtitutioni a perſone ſecolari, ò Eccleſiaſtiche fuori dell' ordine noſtro ſenza eſpreſſa licenza del P. Generale, e PP. Deputati ſotto pena di grave colpa, e tal licenza non ſia mai data ſenza urgente cauſa, & in gratia di perſone meritevoli, delle quali non ſia ſoſpetto, che torni in pregiudicio della Congregatione. E l'altre coſe non prevedute nelle preſenti Coſtitutioni potranno eſſer dichiarate ò ne' Capitoli generali, ò nelle Diete, ſecondo l' occorrenze. E ſortando in tanto tutti i noſtri Monaci nelle viſcere del Signor Noſtro Gieſù Chriſto, che per honore di Dio, e per ſalute dell' anime loro procurino con vera humiltà, e raſſegnatione, di oſſervare le coſe contenute nel preſente libro, e nella ſanta Regola, con certezza di acquiſtar per tal via la gloria eterna. Amen.

ADDITAMENTUM XXXVII.

CONSTITUTIONES COELESTINORUM MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

OBSERVATIO CRITICA.

C*Eleberrima* COELESTINORUM MONACHORUM *Congregatio, avitam* Diſciplinæ Benedictinæ *obſervantiam ſequens, hanc denominationem ſibi non arrogavit, niſi poſtquam illius primus Inſtitutor ad ſummum Pontificatum vocatus, nomen* COELESTINI *aſſumpſerat. Ab exordio enim, illius Congregationis Inquilini, appellati ſunt* Eremitæ de Murrone, *ab ipſo horrido monte in agro Sulmonenſi ſito, ſic dicti; ubi primùm a mundo ſeceſſum invenerunt illi piiſſimi Eremitæ, qui & aliquando* Eremitæ S. Damiani *nuncupabantur, ex eo, quod ſanctiſſimi illius Cardinalis rigidam Eremiticæ vitæ diſciplinam imitari voluerint.*

Ab exiguo enim exordio mirum in modum crevit hæc Monachorum ſive Eremitarum Congregatio, cujus primus Inſtitutor erat PETRUS DE MURRONE *à primo ſeceſſus loco ſic nominatus, Italus quidem natione* Æſerniæ *in Samnitibus natus, Parentibus piis ſed arctis domi rebus, ipſe undecim Fratrum ſuorum ultimus; quem ex materno alvo, pellicula ſubnigra, Monaſtici habitus inſtar, corpuſculo obducta mirabiliter prodiiſſe ferunt, cujus miraculi eventum admiranda ipſius vitæ religioſa comprobavit. A teneris quippe annis vitam religioſam excolere cæpit, & piiſſime peractis ſtudiis humanioribus, in Eremum ſeceſſit, ubi in latebroſa ſpelunca latitans, immanem draconem divina virtute expellere meruit; ac humi cubans, ſaxo ſubter caput ſtrato, & cilicio, ferreâque catena præcinctus, jejuniis, vigiliis, & orationibus carnem domans, jam tum eximiæ ſanctitatis indubium ſpecimen præbuit. In primo autem ſeceſſus anno, habitum Monaſticum ſuſcepiſſe videtur, a Piiſſimo Abbate Benedictino Monaſterii* Frayſolis; *quod poſtea Cænobium, injuriis temporum ad incitas redactum reparare, ac piiſſimis Monachis replere curavit, aliisque Ordinis ſui Monaſteriis incorporavit.*

Dum autem in horrida illa ſpelunca ſeceſſum a conſortio hominum quæreret, haud ita deliteſcere potuit, quin à quibusdam piiſſimis viris aliquando viſitatus, eosdem cæleſtis doctrinæ pabulo paſcere coactus fuerit. A quibus tandem rogatus, ut locum deſertum relinqueret, ac ſacris Ordinibus initiatus, circumjacentem populum rudem ſuis piis exhortationibus inſtrueret, atque Italiæ perpetuis Guelforum & Gibellinorum *factionibus dilaceratæ conſuleret; quorum admonitioni tanquam cælitus miſſæ conſentiens,* Romam *pro acquirendis ſacris Ordinibus migravit. Aſt, ſacro Presbyteratus Ordine honoratus, non longo tempore* Romæ *commoratur, amore quippe ſolitudinis ductus in* montem Murronis *in agro Sulmonenſi ſitum ſeceſſit, ubi in anguſta caverna ſolis ſerpentibus frequentata deliteſcens, aſperrimam vitam eremiticam integro quinquennio ſectatus eſt. Dum autem vicini coloni ſylvas circa montem undequaque poſitas excidere cæperint, locaque illa excolere & inhabitare voluerint, ſic & ille alium Eremum magis ſecretum quærere coactus eſt, quem & invenit, ab hoc autem monte* PETRUS DE MURRONE *communiter appellatus.*

In

In eremum igitur Magellanum *ſeceſſit, ubi in cacumine* Magellæ *ſive Majellæ invenit cryptam magnam ipſi ſociiſque duobus ſatis commodam, niſi, quod ad illam acceſſus fuerit nimis difficilis, unde infra cryptam, ad radices montis, & cellas ac oratorium ex arbuſculis & fruticibus erigere cæperunt, ipſo* S. Petro *in abdito antro remanente. Adeoque, hi duo ſocii jam ſanctiſſimi Viri adhuc in* monte Murrone *degentis conſortio ſeſe conjunxerant, quamvis nullis adhuc votis religioſis aſtricti fuerint. Cum autem multi mundum relinquere cupientes ad eum accedere indies ſolerent, ut ſub ejusdem aſperrima diſciplina religioſam vitam dirigerent; ſic eosdem in ſocios & Diſcipulos ſuſcipere coactus eſt. Atque, hoc modo inſigni huic Congregationi exordium dedit, vitam Eremiticam cum Cænobitica conjungens, prout, longe ante ipſum* S. Romualdus *& ſanctus* Joannes Gualbertus *Camaldulenſium & Vallis-Umbroſæ Monachorum Inſtitutores præſtiterant. Et quamvis ſanctiſſimus bujus Congregationis Inſtitutor, ſolitudinis amator acerrimus in ſua crypta plerumque remanere ſoleret, attamen Charitate Chriſtiana excitatus, in ſociorum ſolatium, certis temporibus, ad illos deſcendere ſolebat, ut ſimul omnes divino officio incumberent, ſuosque filios Cæleſtibus exhortationibus recrearet. Et quia deſcenſus difficilis erat fabricavit ſibi ſolerti induſtria uncos ligneos, quibus innixus, tutius & ſecurius deſcendere valeret, & hoc modo etiam ſocii facilius Patrem ſuum accedere potuerint.*

Creſcente enim Fratrum numero, ad eosdem in Religione Monaſtica continendos Monaſterium cum Eccleſia Sancto Spiritui *ſacrum conſtruxerat, in eodem quidem loco, ubi primi duo ſocii cellas ſuas erexerant, quod quidem primum erat hujus Ordinis Cænobium, anno MCCLXIV. erectum, ac proin evaſit totius Congregationis Caput. Cùm verò ſanctiſſimus Inſtitutor jam a primis ſeceſſûs annis, habitu Benedictino donatus fuerit, ut ſuprà dictum eſt, ſic & ſibi ſuisque ſociis Regulam ſanctiſſimi Monachorum Occidentalium Patriarchæ ſtrictiſſime obſervandam præſcripſit, nec illum particulares Conſtitutiones condidiſſe reperimus.*

Nam, ejus vita & actiones vivam arctiſſimæ diſciplinæ Monaſticæ præbuerunt exemplum, perpetuis jejuniis & orationibus inſiſtens, cùm nec carnes, aut piſces, vel lacticinia commederet, & rarò berbas coctas in cibum admitteret, aut vinum biberet. Sex autem Quadrageſimas per annum Diſcipulis injunxit, quibus quidem quadrageſimales cibos permiſiſſe videtur, dum ipſe crudas & inſipidas berbas ſolùm manducaret, ac ſæpius pane & aqua per integras ſeptimanas utebatur. Humi ſemper cubabat, & ſomno oppreſſus, capiti ſuppouere ſolebat vel aridum lignum aut durum lapidem, in modum cervicalis; ſemper cilicio hiſpido & nodoſo indutus, ac catena ferrea præcinctus. Nec ſane corpus jejuniis & vigiliis tantum dilacerabat, ſed & animam, perpetua rerum cæleſtium contemplatione & cantandis divinis laudibus excolere voluit, media nocte ad cantandas nocturnas Vigilias ſurgens, reliquasque divini Officii boras, ſecundùm præſcriptum Benedictinæ Regulæ *obſervans, ac inſuper ſingulis diebus integrum Pſalterium devotiſſimè recitare ſolitus.*

Interea, etiamſi hi piiſſimi Eremitæ Magellanici, *ad exemplum ſanctiſſimi Inſtitutoris, aſperrimam vitam ducerent, in omnibus ſuis Religioſis actionibus arctiſſimam Veterum Anachoretarum & Monachorum diſciplinam imitantes, ac* Regulam Benedictinam *ad amuſſim obſervantes; attamen multi mundanam pompam fugientes, eorum vivendi modum amplexi ſunt; quod tandem plura Monaſteria condere cæperint. Hinc, præter Cænobium* Sancti Spiritus in Monte Magellæ *ſitum, jam ante annum MCCLXIV. plura Cænobia condita ſunt, prout Annales Ordinis referunt. Aſſerit enim* Domnus Lelius Marini, *quondam totius Congregationis Abbas Generalis in vita ipſius ſanctiſſimi Inſtitutoris, ſummum Pontificem* Urbanum IV. *prædicto anno ad Inſtantiam Epiſcopi Theatini, confirmaſſe* Congregationem S. Petri de Murrone *jam pluribus Monaſteriis locupletatam, licet certum Cænobiorum numerum non adducat. Nec ſane in dubium verti poteſt, quod, ante annum MCCLXXIV. extiterint hujus Congregationis ſexdecim Monaſteria per Italiam diſperſa, prout authentica Ordinis monumenta docent, qui quidem Cænobiorum numerus ad conſtituendam novam Monachorum Congregationem ſufficiebat.*

Verùm, hæc Urbani IV. *confirmatio videtur fuiſſe tantum conditionata & privata, cùm omnes in hoc conſentiant, hanc celebrem Monachorum Benedictinorum Congregationem, haud fuiſſe ſolenniter ab Apoſtolica Sede approbatam & confirmatam, ante concilium Lugdunenſe anno MCCLXXIV. celebratum. Ad hoc quippe concilium à Gregorio X. convocatum acceſſit ſanctiſſimus Inſtitutor, non curru vectus, aut equo incedens, ſed pedeſtri itinere tot viarum ambages ex* Apulia *in* Gallias *ſuperans; qui facile ab optimo Eccleſiæ Catholicæ ſupremo Capite confirmationem noviter inſtituti Ordinis accepit, cognita jam pridem Auctoris probitate & ſanctitate.*

Prædicto igitur anno ſummus Pontifex Gregorius X. *ſolennem Bullam Confirmatoriam conceſſit* Superiori Monaſterij S. Spiritus de Magella, *tanquam totius Ordinis capiti directam, in qua diſertis verbis hæc continentur:* In primis ſiquidem, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundùm Deum & B. Benedicti Regulam in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. *Per hanc quoque Bullam, ſummus Pontifex, non ſolum huic Monaſterio ſed & omnibus reliquis totius Congregationis Cænobiis varias immunitates conceſſit, eadem ab omni Epiſcoporum jurisdictione liberans & a ſolvendis cuicunque decimis eximens.*

Talibus igitur Privilegiis Pontificiis munitus ſanctiſſimus Inſtitutor, ad ſuos filios in Italiam reverſus eſt, per cujus piiſſimam præſentiam novus Ordo adeo creſcere cœpit, quod, paucis elapſis annis, ſexcentos Fratres & Oblatos in ſua Congregatione numerare meruerit, quibus quidem ad inhabitandum triginta ſex Monaſteria aſſignavit. Sic enim Eminentiſſimus Cardinalis Petrus de Alliaco *in vita S.* Petri Cœleſtini, lib. 2. cap. 1. §. 6. apud Bollandianos ad XIX. Maji *refert, aſſerens non ſolùm ad hunc noviter approbatum Ordinem plures Monachos & Oblatos convolaſſe, ſed etiam multos utriusque ſexus homines ad participationem bonorum operum, quæ in tam ſancta Congregatione indies exercebantur concurriſſe; anhelantes ſaltem Ordinis ſocietatem & conſortium quoddammodo obtinere. In quorum proin gratiam in pluribus Civitatibus & Villis, erecta eſt quædam hujus Ordinis* Confraternitas, per quam innumera utriusque ſexus multitudo in miſericordiæ aliarúmque virtutum operibus proficiens, Chriſto & membris ejus pia exhibebant obſequia.

Interea ſanctiſſimus Inſtitutor ſolitudinis amantiſſimus, poſt celebratum Generale totius Ordinis Capitulum, Regimen Monachorum deponere ſerio cogitavit, ut iterum loca deſerta incoleret, ſuavemqúe vitæ Eremiticæ receſſum iniret, ſolus contemplationibus divinis intentus. Hinc anno MCCLXXXVI. Diſcipulis in unum congregatis, arctiſſimam Regulæ Benedictinæ *obſervantiam recommendans, ipſis valedixit, & in Eremum ſeceſſit, poſtquam inſtituerat* Piiſſimum Robertum *tunc Monaſterii* de Magella *Priorem, totius Ordinis Abbatem Generalem. Poſt quem, omnia hujus Ordinis Cænobia & alii duo Generales gubernabant, donec anno MCCXCIII. in Capitulo Generali, in Abbatem Generalem Ordinis electus eſt vir magnæ ſanctitatis* Onuphrius de Como, *ſub cujus regimine*, Monaſterium Sancti Spiritus de Magella *declaratur inconveniens ad celebranda Capitula Generalia, ob difficilem ad idem acceſſum, & ſic* Cœnobium Sulmonenſe *juxta montem* de Murrone *ſitum, evaſit caput totius Congregationis.*

Sub hujus Abbatis Generalis regimine, ſanctiſſimus Inſtitutor anno MCCXCIV. & quinto die Julii, electus eſt in ſummum Pontificem Romanum, & ſic ille, qui amore ſolitudinis ductus, ſuorum Diſcipulorum moderamen recuſaverat, nunc ad totius Eccleſiæ Imperium ſubeundum eſt vocatus. Poſtquam autem ſuorum Monaſteriorum regimini valedixerat, ut magis hominum effugeret conſortium, de loco in locum magis ſecretum ſeceſſit, unico horridæ ſolitudinis ſocio cognitus, cujus proin Cæleſtes actiones toto hoc tempore patratas ignoramus, etiamſi illum perpetuis divinis revelationibus illuſtratum facile ſupponere poſſimus. Si enim Sanctam ipſius vitam in Eremo peractam vel obitur percurramus, tunc & illam Cæleſtibus prodigiis & monitis repletam reperiemus, prout ex variis ipſius vitæ Scriptoribus colligi poteſt, quos doctiſſimi Bollandi ſocii loco laudato adducunt. Et quidem ipſe S. Petrus de Murrone, *poſtea* S. Petrus Cœleſtinus *nominatus, exordium vitæ ſuæ religioſæ, ſcripto humili ſed maxime laudando poſteris reliquit, quod inſigne ſanctitatis monumentum, cum aliis ſanctiſſimi illius Viri Opuſculis edidit*

Cœ-

Cœleſtinus Talera *ejuſdem ſacri Ordinis Scriptor eximius. Atque utinam & reliqua ſanctiſſima ſua Acta usque ad initum Pontificatum ſcripto mandaſſet, cum ex iisdem omnes religioſæ vitæ Cultores eximia omnium virtutum exempla perciperent.*

Si enim titulum huic piiſſimo Opuſculo à Doctiſſimis Bollandi Sociis præfixum conſideremus, tunc facile quisquis percipiet, ſanctiſſimum hujus Ordinis Inſtitutorem, ad imitationem S. Auguſtini Confeſſiones *ſcribentis, voluiſſe Diſcipulis ſuis relinquere exemplum humilis mentis divina beneficia in ſe collata ſcripto mandantis. Sic autem hanc humilis mentis Confeſſionem exorditur :* Venite & audite me, & narrabo vobis, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Cor mundum crea in mea Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Quidquid dicimus, ad laudem Dei ſit & ad ædificationem Proximi : Quia dicit ſcriptura : Miſericordia & veritas non te deſerant. Circumda eam gutture tuo, & deſcribe eam in tabulis cordis tui. Et alibi : Os quod mentitur occidit animam. Ideo in omnibus quæ dicturus ſum, veritatem dicam in Chriſto, nihil mentiar. *Hæc præfatus pergit vitæ ſuæ initia explicare, omnesque ſuas actiones ſcripto mandare, quod quidem & præſtitiſſet niſi mirabiliter ad ſummum Pontificatum vocatus fuiſſet. Referunt enim Scriptores hoc Opuſculum imperfectum quidem, nec ultra tricenarium ætatis annum protractum, in cella ſua inventum fuiſſe a Cardinalium Legatis, electionem in ſummum Pontificem denunciantibus.*

Lubet tamen hujus ſanctiſſimi Viri electionem ad ſummum Pontificatum breviter percurrere, cum per talem ſtupendam ſupremæ Dignitatis Eccleſiaſticæ adeptionem, tota hæc nova Monachorum Congregatio novum induerit honoris nomen, cujus Inquilini deinceps appellati ſunt Monachi Coelestini, *ab Inſtitutoris pontificali nomine ſic nuncupati, & novis Privilegiis ac immunitatibus donati. Notum quippe eſt, poſt mortem ſummi Pontificis* Nicolai IV. *ex diſcordia Cardinalium Sedem Apoſtolicam vacaſſe annos duos, menſes tres, dies duos, atque in ſummum Pontificem Romanum tandem electum fuiſſe* S. Petrum de Murrone *notiſſimæ ſanctitatis Eremitam, & hujus Sacri Ordinis Inſtitutorem, anno & die ſuprà notato. Quamprimum enim* Cardinalis Latinus, *ex Ordine Prædicatorum, & Purpurati Collegii Decanus,* S. Petri de Murrone *mentionem feciſſet, illum abſentem & in horrido eremo degentem unanimo conſenſu elegerunt Cardinales, quaſi divinitus inſpirati; quem jam electum per ſuos Legatos certiorem reddere voluerunt, a quibus tamen & ipſe aufugere cogitavit, ſed tandem conſenſum electioni præbuit, videns talem electionem à Deo approbatam, & ideo* Coelestinus *vocatus, quod cœlitùs ad tantæ dignitatis faſtigium miſſus crederetur.*

Poſtquam igitur electioni de ſe factæ ægerrime conſenſiſſet, victus quidem precibus & piis comminationibus Legatorum, ſed præcipue Caroli Regis Siciliæ *&* Caroli Martelli *ejus filii pariter Hungariæ Regis, qui hoc unico remedio diuturnis & maximis Chriſtiani orbis incommodis ſubveniri poſſe proteſtabantur, & magnis Sacramentis ſuperventurorum malorum rationem, niſi acceptaret, à Deo decretum & miſſum Pontificatum, eum coram ſupremo Judice reddituram inſtanter inculcabant. His itaque precibus & piis commonitionibus victus vir ſanctiſſimus, cellam ſuam reliquit, & poſtquam in ſuo* Monaſterio S. Spiritus, *aliquo parvo tempore permanſiſſet, ad inſtantiam prædictorum Regum, non* Romam *aut* Peruſium, *ubi Cardinales eum exſpectabant, ſed* Aquilam *profectus eſt, ubi XIX. Auguſti in feſto Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, conſecratus eſt in Epiſcopum, & in ſummum Pontificem Romanum ſolenniter coronatur. Pulcherrimum humilitatis Chriſtianæ ſpectaculum præbuit novi Pontificis iter* Aquilam *verſus, cum, humili aſello ſedens, eam urbem ingreſſus ſit, præfatis Regibus aſini fræna tenentibus, aliisque pluribus Magnatibus ductus, ad cujus ſolennem conſecrationem ſupra ducenta millia hominum concurriſſe referunt coætanei ſcriptores omni fide digniſſimi.*

Conſecratus autem & ſolenniter coronatus ſummus Pontifex, & nunc Petrus Cœleſtinus *nominatus, de augendo Cardinalium numero cogitavit, & inter duodecim noviter electos Cardinales, ſolum duos ex ſuis Monachis ad hanc dignitatem promovere voluit, ut cum iisdem divinarum laudum conſueto exercitio, privatim vacare poſſit. Deinde, memor ſacrum ſuum Monaſticum Ordinem jam ab*

aliis

aliis ſummis Pontificibus approbatum, & variis immunitatibus ac Privilegiis donatum, omnes illas immunitates & privilegia per ſolennem Bullam confirmare voluit, datam Aquilæ *quinto Kal. Octobris. Hanc Bullam jam in Bullario magno impreſſam, atque ad calcem Conſtitutionum inter alia Succeſſorum Pontificum Privilegia, editam, hic inſerere lubet, cum ex illa ſola veram notitiam hujus Sacri Ordinis ſeu potius Congregationis ad Ordinem Benedictinum omnino pertinentis habere valeamus.*

Bulla Cœleſtini Papæ V. Privilegia Monachorum Cœleſtinorum confirmans.

Cœleſtinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Onuphrio Patri Abbati Monaſterii Sancti Spiritus de Sulmona Valvenſis Diœceſis, ejusque Coabbatibus, ac Prioribus, & Prælatis Monaſteriorum, Prioratuum, Eccleſiarum, Membrorum, & Locorum eidem Monaſterio Sancti Spiritus ſubjectorum, eorumque Conventibus, Collegiis, & Fratribus Ordinis Sancti Benedicti præſentibus & futuris in perpetuum.

Etſi cunctos Ordines plantatos in agro Sacroſanctæ, ac univerſalis Eccleſiæ paternis proſequamur affectibus, & ad ſtatum ipſorum tranquillum, & proſperum ſolicitè intendamus; Beati tamen Benedicti Ordinem, in quo, dum juventutis noſtræ progreſſio ordiretur, profeſſionis noſtræ vota devovimus, ſingulari, & præcipua affectione diligimus, & zelo ſincerioris, & ſtrictioris charitatis afficimur circa ipſum; & ad ſuæ ſtabilitatis, & promotionis incrementa felicia, opem, operamque ſolicitam impendentes ſperamus in Domino, quòd idem Ordo ab antiquis annis in divinæ laudis charitate fundatus per veſtræ ſolicitudinis ſtudium ſervabit eò perfectiùs fructus ſuos, quò neglectiùs diminutus erga vos per veſtæ ſolicitudinis ſtudium, quantum vobis ex alto permiſſum fuerit reſtauratus, amiſſi luminis propriam reaſſumere poterit in ſummæ lucis, quæ Chriſtus eſt, potentia claritatem. Cupientes igitur, ut circa præfatum Ordinem hujusmodi noſtræ charitatis affectus eniteat operis per effectum, Statuta, Conſtitutiones, Inſtituta, & Ordinamenta in eodem Ordine pro ſalute veſtra facta, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & canonicè in poſterum facienda volumus, & mandamus ex tunc inviolabiliter obſervari. Ac eundem Ordinem, necnon Monaſterium Sancti Spiritus de Sulmona, & alia Monaſteria, Eccleſias, Prioratus, Membra, & alia omnia loca dicto Monaſterio Sancti Spiritus ſubjecta, ubicunque conſiſtentia, eidem Ordini incorporata, vel incorporanda in poſterum; Eorumque perſonas ab omni prorſus jurisdictione, poteſtate, ac dominio Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Abbatum omnium, in quorum civitatibus, & Diœceſibus, ac Provinciis illa conſiſtunt, & conſiſtent etiam in futurum; ac aliorum quorumlibet Ordinariorum, Prælatorum, Capitulorum, ſeu Conventuum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum, & perſonarum quarumlibet, prorſus eximimus, & etiam liberamus; & ea omnia, & ſingula libera, & exempta volumus perpetuò totaliter permanere; exemptionum gratiis in illis ex veſtris Monaſteriis, quæ prius per Sedem Apoſtolicam exempta fuerant, in ſuo robore nihilominus duraturis. Non obſtante ſi Monaſteria, Prioratus, Eccleſiæ, Membra, & alia loca præfata Diœceſanis Epiſcopis, vel aliis perſonis ad cenſus aliquos teneantur, vel reperirentur forſitan eſſe aliquibus in aliquo obligata: Et in eo præcipuè, quòd Fratres dicti Ordinis in Sancti Spiritus de Magella, & Sancti Spiritus de Sulmona Monaſteriorum Conventibus conſtituti ſubmiſſiones quasdam dilectis filiis Capitulo Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, de facto, ſive de jure feciſſe dicuntur: Quas ſubmiſſiones ſub quacumque verborum conceſſione, vel expreſſione confectas, necnon & præfatos cenſus de plenitudine poteſtatis enervamus, caſſamus, irritamus omnino, & viribus carere decernimus, & nullius ex nunc exiſtere firmitatis. Itaque prætextu earundem ſubmiſſionum, ac cenſuum aliquorum, Tu fili Pater Abbas, tuique Succeſſores, & Fratres, ac perſonæ Monaſteriorum, & locorum aliorum veſtrorum prædictorum, à quoquam de cætero nequeant moleſtari, vosque, veſtrosque Succeſſores, ac Monaſteria, & loca in perpetuum nolumus moleſtari. Et quia inter alia, quæ immunitates ſapiunt, de præcipuis caſibus arbitramur hoc eſſe neceſſarium, ut de ſubſtitutione futuri Abbatis, Tibi fili Abbas Sancti Spiritus, quem Patrem Abba-

tem

tem cæteris tuis Coabbatibus , & Prælatis , & Fratribus tibi ſubjectis præſentibus , & futuris perpetuò ſtabilimus : præcipuè ordinamus , & præſenti Decreto ſtatuimus , ut annis ſingulis in majori veſtro Monaſterio , vel in alio loco veſtri Ordinis , ubi vobis expediens , & viſum fuerit , fiat Capitulum Generale , ubi veſtri Ordinis , & locorum , ſecundum Sancti Benedicti Regulam , ſacta tractentur. Præſidentes veſtris Capitulis celebrandis , & Viſitatores veſtri , locorumque veſtrorum conſtituantur in illo , ſecundum veſtri Ordinis inſtituta , ubi volumus , & diſtrictè præcipimus obſervari. Quòd Pater Abbas ſingulis trienniis in Generali Capitulo ſpontè ſuam offerat , & exhibeat ſeſſionem : niſi fortè dictus Pater Abbas ante tempus hujusmodi in aliqua de gravioribus culpis , à Viſitatoribus , vel alias legitimè deprehenſus admonitionem in dictu Capitulo mereatur. Quod ſi idem Pater Abbas , vel ceſſerit , aut amotus extiterit , idem Capitulum ſtatim , & absque temporis intervallo ad Patris Abbatis ſubſtitutionem procedant , & juxta formam in Regula traditam debitos conſtituant Electores , qui ſub conclavi poſiti , antequam cibum , & potum ſumant , de Abbate cedente , ſi eum utilem eſſe putaverint , vel de alia Perſona Monaſteriorum , & locorum veſtrorum per electionem canonicam prædicto Monaſterio Sancti Spiritus provideant de Abbate. Qui quidem Abbas , nulla ſuper hoc à Sede Apoſtolica confirmatione petita , vel obtenta , eo ipſo ſuæ adminiſtrationis officium habeat , & illud tamquam Pater Abbas , prout ad eum pertinet , liberè exequatur. Ac idem electus , ſi alias non extiterit benedictus , benedictionis ſuæ munus à quocumque maluerit Catholico Epiſcopo gratiam , & communionem Apoſtolicæ Sedis habente recipere ſtudeat , illudque ſibi dictus Epiſcopus (ſi divinam ultionem evitare voluerit) gratis impendat. Alioquin prædictum electum (ut præmittitur) in executione ſuæ adminiſtrationis , in Ordine tamen Sacerdotii volumus permanere. Et ſi dictus Pater Abbas infra annum ſurtè decederet , Prior , vel Supprior dicti Monaſterii Sancti Spiritus , & Viſitatores etiam curam , & adminiſtrationem , ac cuſtodiam dicti Monaſterii Sancti Spiritus gerant , & habeant usque ad tempus Capituli Generalis ; ubi ſecundum præmiſſum modum dicto Monaſterio provideri debeat de Abbate. Nos quoque volentes vos , & bona veſtra paternis favoribus confovere ; Perſonas veſtras , & loca , in quibus eſtis divino obſequio mancipati , cum bonis veſtris omnibus ſub Beati Petri , & noſtra protectione ſuſcipimus , & præſentis ſcripti patrocinio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes , ut præfatus Ordo in eodem Sancti Spiritus , & aliis Monaſteriis , Prioratibus , locis , & membris veſtris præſentibus , & futuris , perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur. Et quaſcumque poſſeſſiones , & bona quæ præfatum Monaſterium Sancti Spiritus , cum Monaſteriis , & locis ſuis inpræſentiarum rationabiliter poſſidet , aut in futurum conceſſione Pontificum , largitione Regum , vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis (præſtante Domino) poterit adipiſci, firma vobis , veſtriſque ſucceſſoribus illibata maneant , & quieta. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis ; Locum ipſum , in quo præfatum Monaſterium ſitum eſſe dignoſcitur , cum omnibus pertinentiis ſuis ; Monaſterium S. Joannis in Plano Nucerinæ Diœceſis , S. Spiritus de Magella , S. Petri Vallisbonæ , S. Spiritus de Buclano , S. Spiritus de Ortona , S. Spiritus de Lanzano Theatinæ Diœceſis , Sancti Euſebii de Urbe , Sanctæ Mariæ in Pizano , Sancti Salvatoris de Civitate Pennenſi Pennenſis Diœceſis , Sanctæ Mariæ de Collemadio juxta Aquilam , Sancti Spiritus de Iſſernya , Sanctæ Mariæ de Trivento, Sanctæ Mariæ de Anglone Triventinæ Diœceſis , Sancti Spiritus juxta Venafrum , Sancti Spiritus Aliſanenſis , Sancti Antonii de Campania Ferentinatis Diœceſis , Sancti Antonii Anagniæ Diœceſis ; Prioratus Sancti Joannis de Aqua ſancta , Sanctæ Mariæ inter Montes , Sancti Georgii de Rocha Morici , Sancti Petri de Monte plano , ac Sancti Antonii Anagniæ Diœceſis ; Eccleſias cum Eccleſiis , Capellis , Decimis , & Grangiis , pratis , vineis , terris , ſylvis , nemoribus , uſuagiis , & paſcuis , aquis , aquarumque decurſibus , molendinis , viis & ſemitis , juribus , libertatibus , & immunitatibus , fructibus , & univerſis obventionibus eorundem. Sanè de fructibus terrarum , & poſſeſſionum veſtrarum , ac etiam novalium , quæ propriis manibus , & ſumptibus colitis , vel per homines veſtros , aut alios excoli faciris in propriis prædiis , ſeu etiam alienis , ſive de hortis , & piſcationibus veſtris , vel de nutrimentis animalium veſtrorum , nullus à vobis Decimas exigere , vel extorquere præſumat ; à quarum præſtatione vos totaliter liberamus. De decimis namque , quæ pro ſubſidio Dominorum temporalium de mandato Sedis Apoſtolicæ Clericis , & Perſonis Eccleſiaſticis in Italiæ partibus pro tempore exiguntur ; circa vos , & veſtra Monaſteria , & loca ſic volumus obſervari : quòd vobis pro ſingulis veſtris Monaſteriis ,

cum

cum Grangiis, & pertinentiis eorundem pro Decimis prædictis ſingulos Florenos auri plenè ſolventibus; ad ſolutionem majorem, vel aliam, pro prædictis Decimis faciendis, vos, & Monaſtéria, Prioratus, Eccleſias, Grangia, & loca veſtra omnia decernimus non teneri, & Excommunicationum, Suſpenſionum, & Interdicti ſententias contra vos, & in prædicta loca quavis auctoritate in contrarium proferendas ipſo facto aliquatenus non teneri. Liceat quoque vobis Clericos ſeculares, vel Religioſos, cujuſcumque Religionis exiſtant, vel Laicos quoscumque, qui Mundi relictis illecebris ad vos, & loca veſtra convolaverint, ad Ordinem veſtrum in locis veſtris recipete, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis, Literis, ſive Indulgentiis Apoſtolicæ Sedis ſuper hoc cuicumque Ordini, vel Religioni, ſeu Perſonis quantavis exemptione, vel immunitate gaudentibus, ſub quavis ſorma verborum conceſſis. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum poſt ſactam in Monaſterio veſtro, vel in aliis locis veſtris ejusdem Ordinis Profeſſionem, fas ſit ſine Abbatis ſui licentia Ordinem ipſum relinquere, & ad locum Religionis alterius, vel ad Ordinem alıom ie transſerre. Diſcedentem verò aliter nullus cujuſcumque Religionis, vel Status exiſtat, andeat retinere; quod ſi ſecus factum fuerit, tàm diſcedens, quàm is, ſeu illi, qui ipſum talem receperint, ſi requiſiti eum à ſe non rejecerint infra menſem, ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrant. Illud quoque diſtrictius inhibentes, ne Tu fili Pater Abbas, vel aliquis ex Prælatis veſtris terras, ſen quaslibet poſſeſſiones dicto Monaſterio Sancti Spiritus, vel membris ejus à Chriſti Fidelibus collatas, vel in poſterum conferendas, aut ſucceſſores rui dare, vendere, diſtrahere, aut alienare absque conſenſu totius Capituli Generalis, aut majoris, vel ſanioris partis, & in caſibus à jore permiſſis modo qoolibet præſumatis. Quod ſi ſecus factum fuerit, alienationes hujusmodi, ex nunc irritas eſſe, & tàm concedentes, quàm ipſos recipientes ſingulos eorum, videlicet Excommunicationis; Collegia verò, & Univerſitates Interdicti ſententiis, ſi fortè requiſiti à vobis bona prædicta alienata taliter reſtituere noluerint infra menſem, ipſo facto volumus ſubjacere. Cæterum ne aliquis Monachus, vel Converſus in Monaſteriis, & locis veſtris Profeſſus, absque conſenſu, & licentia proprii Abbatis, ſeu majoris partis ſui Conventus pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo recipiar quoquo modo, diſtrictius inhibemus. Quod ſi ſecus factum fuerit, Abbatem, & Conventum præfatos ad hæc teneri nolumus, & fidejubentem, & recipientem pecuniam mutuatam, eo ipſo volumus vinculo Excommunicationis aſtringi. Inhibemus etiam, ne aliquis Epiſcopus, vel quævis alia Perſona ſpiritualem, vel aliam jurisdictionem habens, vos ad Synodos, vel Conventus Forenſes, nec ad convocationes ſuas accedere, vel cum eis intra, vel extra Civitates, vel terras proceſſionaliter exire, aut ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, ſeu Capitula, Scrutinia, & Inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis, vel de veſtrûm aliquo facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam à vobis, aut Prioribus, & Supprioribus veſtris exigere; ſeu etiam prohibere, ne ad Civitates, ſeu Villas, & ad loca quælibet, ubi religioſè, & honeſtè morari poſſitis, audeatis accedere, ibique pro veſtris uſibus Ædificia, Monaſteria, Eccleſias, ſeu Oratoria ex permiſſione, & indulto noſtro conſtruere liberè valeatis. Aut in accedentes Fratres, & Monachos veſtros, ſeu conſtructores hujusmodi, vel receptatores eorum excommunicationis, vel interdicti proferre ſententias: Aut alias Fratres veſtros ire ad Conventus forenſes, nec ad Monaſteria, Eccleſias, Prioratus, ſeu membra, & loca veſtra præfata cauſa celebrandi Ordines, aut tractandi cauſas, vel Conventus aliquos publicos convocandi, vobis invitis venire præſumat. Nec regulares electiones Abbatum, vel Priorum Monaſteriorum, & locorum veſtrorum impediat, aut de inſtituendis ipſis ſe aliquatenus intromittat. Quod ſi alletet præſumptum extiterit, venientem contra præmiſſa cujuſcunque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis exiſtat, Interdicti ſententiæ volumus ſubjacere. Liceat quoque, prædicte Pater Abbas, tibi, tuisque ſucceſſoribus inter Fratres ejusdem Ordinis, & aliis ad Miſſas veſtras convenientibus benedictionem ſolemnem facere; dummodo ibi præſens non ſit aliquis Epiſcopus, vel alia quævis ſuperioris Perſona ſtatos, ſicut ſunt Patriarchæ, vel Cardinales; ac vaſa, & alia paramenta ad cultum Divinum pertinentia; necnon in ædificandis Capellis, Eccleſiis, aur Hoſpitalibus primarium lapidem, fundamenta Pontificali more benedicere. Necnon omnes minores Ordines cum Fratribus, & aliis familiaribus, & ſubditis veſtris aſcribi volentibus militiæ clericali, veſtra largitione conferre, & omnia alia facere, quæ ad Abbates exemptos in ſuis Monaſteriis,

riis, & Ordinibus pertinere noſcuntur. Pro conſecrationibus verò Altarium, vel Eccleſiarum, aut pro Oleo Sancto, vel quolibet Eccleſiaſtico Sacramento nullus à vobis ſub obtentu conſuetudinis alicujus, aut alio quovis modo quicquam audeat extorquere; ſed hæc omnia vobis gratis, & libenter impendantur. Sit etiam vobis liberum eadem à quocumque Catholico Epiſcopo, qui gratiam, & communionem prædictæ Sedis obtineat, licitè recipere, qui noſtra fretus auctoritate vobis, quod poſtulatur impendat. Concedimus quoque vobis, ut ſi quem hujusmodi Epiſcopum, de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contingerit, ab eo conſecrationes Altarium, & Monachorum Ordinationes in ſacris ex permiſſione Sedis Apoſtolicæ recipere valeatis. Porrò cùm generale terræ fuerit interdictum, in Monaſteriis, Eccleſiis, & Oratoriis veſtris, & aliis quibuscumque locis competentibus, ſi in terra ſic interdicta conſtiterint, clauſis januis, interdictis, & excluſis non pulſatis Campanis (ſubmiſſa tamen voce) vobis liceat celebrare Divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta; dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec id contingat vobis per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter interdici, neque Monaſteria, Eccleſiæ, & Oratoria eadem alias ſuerint ejusdem Sedis auctoritate ſpecialiter interdicta. Illis verò, qui veſtris immorantur obſequiis, aliisque omnibus Chriſti fidelibus propter hoc ad vos devotè recurrentibus, ex permiſſione Apoſtolica, & indulgentia ſpeciali, quas vobis hujusmodi Privilegii auctoritate concedimus cuncta libere miniſtrare poſſitis, Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſorum corpora, cum decedunt, in veſtris Cœmeteriis libere, & absque Diœceſanorum, vel aliorum Ordinariorum contradictione, & aliorum quorumlibet ſepelire. Sepulturam ſiquidem veſtram liberam eſſe decernimus, ita quòd extremæ voluntatis decedentium, & illis, qui ſe illic deliberaverint ſepeliri, niſi fortè excommunicati, vel interdicti fuerint, aut uſurarii manifeſti, nullus obſiſtat. Et ſi quando in terras, in quibus reſidetis, vel earum Perſonas excommunicationis, & interdicti ſententias contingerit promulgari; homines veſtris ſervitiis inſiſtentes, negociorum quoque veſtrorum geſtores, & procuratores, oblati, & operarii, qui in locis cum eorum operibus perſonaliter inſtiterint, hujusmodi ſententiis innoxii habeantur, nec prædictis ſententiis ſint ligati, ibique poſſint audire Divina juxta formam, quæ locis ipſis, & in eo caſu, in quo a Sede Apoſtolica eſt conceſſa; niſi præfatæ Perſonæ cauſam dederint interdicto, vel excommunicari, ſeu interdici per dictam Sedem contingat eosdem. Inſuper recipientibus Ordinem veſtrum, & in eo facta etiam inſtituta, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationum ſententiis à jure, vel ab homine promulgatis, generaliter, & ſpecialiter ſunt ligati, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ impartiri, ipſosque in fratres, & Monachos recipere; dummodo in eodem Ordine perſeverent: ac eos, qui poſt aſſumptum habitum, vel Profeſſionem emiſſam recoluerint ſe talibus in ſeculo ſuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam eandem, tu fili Pater Abbas tempore tuo, in poſterum ſucceſſores tui auctoritate noſtra de abſolutionis beneficio providere, & diſpenſare cum eis ſuper irregularitatibus, quas contraxerunt, vel contrahent, ſi talibus forſan innodari ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis divina præſumpſerint officia celebrare, aut Ordines receperunt: Ita tamen, quòd ſi aliqui hujusmodi ſententiis propter debita ſunt aſtricti, in quantum poſſunt ſatisfaciant, ut tenentur: Vosque Abbates, & Priores parentibus oppreſſorum, cum ab eis fueritis humiliter requiſiti, de pœnitentiis ſalutaribus, juxta formam à Canonibus traditam, providere ſalubriter valeatis. Sanè quieti veſtræ providere volentes, quod per literas Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum ejus, ſeu Delegatorum Apoſtolicorum, ſeu Subdelegatorum ab eis, conveniri à quoquam minimè valeatis; quodque nullus veſtrum correctionis, ſeu viſitationis, vel inquiſitionis Officium in Monaſteriis vel Eccleſiis, aut Prioratibus, Membris, & locis veſtris impendere, vel cognitiones cauſarum audire præſumant; nullusque veſtrum citationes partium, & denunciationes ſententiarum interdicti, vel excommunicationis facere in prædictis locis; Aut recipere curam Monialium, ſeu Religioſarum quarumlibet Perſonarum minime teneamini. & ad id cogi non poſſitis inviti per literas dictæ Sedis, vel Legatorum ejus, niſi eædem literæ Apoſtolicæ de indulto hujusmodi, & Ordine veſtro, & de dicto Monaſterio Sancti Spiritus de Sulmona fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. Concedentes vobis nihilominus, quòd ſi aliqui veſtri Monachi, ſeu Fratres poſt obtentam licentiam à Sede Apoſtolica, vel à vobis ad Religionem aliam tranſeundi, infra ſpatium trium menſium ſe ad illam Religionem ſuæ ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperent habitum regula-

gularem; licitè, abſque aliqua requiſitione Ordinariorum, ſeu Diœceſanorum, locorum, ubi reperti fuerint, aut licentia, ipſos tanquam Apoſtatas Monaſteriorum veſtrorum, & locorum excommunicare, incarcerare, ac alias rigori ſubdere veſtri Ordinis diſciplinæ poſſitis per vos, aut alios etiam in quocumque habitu eos contigerit inveniri, & invocare ſuper hoc (ſi neceſſe fuerit) auxilium brachii ſecularis, quod tenore conceſſionis hujusmodi per eos, quos ſuper hoc requiretis, ſub obſtentatione divini nominis volumus exhiberi. Inſuper omnes Monachos, vel Fratres, quos à Monaſteriis, vel locis veſtris, eorum culpis exigentibus, per vos, aut per veſtros Vicarios expelli contigerit, & qui proprio ſuo motu de locis, vel Monaſteriis ipſis exiverint ad Religionem aliam abſque hujusmodi licentia, vel ad ſeculum, aut ad Laicatum tanquam Canis ad vomitum rediens, convolabunt, ab omni promotione dignitatis, & adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, ſeu ſecularis eſſe decernimus alienos: Prædicandi officium, audiendi etiam Confeſſiones, ac docendi alios in quacumque facultate, poteſtate talibus Apoſtatis penitus interdicta. Inhibentes expreſſius, ne aliqua Perſona cujuscumque ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſtat, habitum veſtrum, aut conſimilem (niſi de Monaſteriis, & locis veſtris fuerint) deferre præſumant: Contra facientes per Diœceſanos locorum, cum à vobis ſuper hoc fuerint requiſiti, deponere habitum hujusmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, cujuslibet appellationis obice non obſtante, arctius compellantur. Quod ſi iidem Diœceſani, vel Ordinarii id efficere malitiosè fortè neglexerint, poſtquàm à vobis, vel nunciis veſtris ſuper hoc requiſiti fuerint, in ſuſpenſionis laqueum incidant ipſo facto. Adjicimus etiam, quòd ſi aliquis in aliquo Monaſteriorum, vel locorum veſtrorum profeſſus ante ingreſſum ſuum in Religionem aliquibus Perſonis, Univerſitatibus, vel Collegiis, de quibus, quorumque nominibus memoria penitus non habetur, in aliqua quantitate pecuniæ, vel ad reſtitutionem aliquarum rerum eſſet obnoxius, illam, & rerum æſtimationem ab eo licitè recipere, & in locis veſtris, in quibus expedire videbitur in uſus utiles convertere valeatis, & hujusmodi ſatisfactionem impendens à præſtatione ſatisfactionis alterius remaneat abſolutus. Nullisque Religioſis, vel ſæcularibus, cujuscunque ſtatus, vel conditionis exiſtant, liceat aliquorum corpora defunctorum vobis invitis (quod prohibemus) penitus in veſtris ſepelire Cœmeteriis; nec in Monaſteriis, Eccleſiis, Prioratibus, & aliis locis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel Mortuorum Officia celebrare. Nullisque ex veſtris Monachis, Fratribus, & Converſis licitum ſit cuiquam, abſque Prælatorum ſuorum licentia, niſi Prælatis ipſis, ſua confiteri peccata. Concedimus quoque vobis, ut de iis, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, Anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſive aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pietantiis, aut victu ad ſubſtentationem veſtram, vel indumentis, & calceamentis veſtris, nec non pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliqua Monaſteria, Eccleſiæ, Prioratus, Membra, aliquaque loca veſtri Ordinis obligata forſitan viderentur, aut de iis, quæ pro domibus, prædiis, hortis, aliisque locis emendis vobis legantur: De obligationibus quoque, & obventionibus etiam, quas occaſione funerum, & aliis, quæ jure inſtitutionis, ſeu ſucceſſionis, aut legati, vel relicti, aut fideicommiſſi ad vos, & Eccleſias, & loca veſtra pietatis intuitu devenire contigerit, nulli teneamini juſtitiam, ſeu portionem Canonicam exhibere; & ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri. Cæterum; cum felicis recordationis Innocentius Papa Quartus Prædeceſſor noſter olim duxerit ſtatuendum, ut exempti quantacunque gaudeant libertate; nihilominùs tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei de qua contrà ipſos agitur, ritè poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quo ad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere: Nos vobis, ut occaſione Conſtitutionis hujusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus, ſeu Indulgentiis, vel Privilegiis vobis, & Monaſteriis, & locis veſtris per nos (ut præmittitur) Apoſtolica auctoritate conceſſis, præjudicium generetur, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Præterea proponendi populo verbum Dei, & dandi omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui hujusmodi prædicationi intereſſe voluerint, quadraginta dierum Indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis. Audiendi quoque confeſſiones, & injungendi pœnitentias, & imponendi abſolutionem debitam pro confeſſis; conferendi etiam Eccleſiaſtica Sacramenta, tam hominibus, & vaſſallis veſtris, quàm cæteris Chriſti fidelibus. Necnon habendi, & pulſandi campanas die, noctuque ad horas canonicas, & quandocunque de veſtra proceſſerit voluntate, abſque cujuslibet contradictionis objectu. Diſpenſandi etiam cum Fratribus, ſeu Monachis ad veſtra Monaſteria, & loca convolantibus, & ibidem degentibus

bus ſuper irregularitatibus quibuscunque, etiam ſi prius eas fortaſſe contraxerint, quà in prædicta loca, & Monaſteria intraviſſent; dummodo ex homicidii, vel mutilationis cauſa irregularitates ipſæ minimè ſint contractæ. Abſolvendi etiam Fratres, & Monachos memoratos ab excommunicatione quacunque, etiam ſi ejus abſolutio tantùm ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, plenam, & liberam vobis, filii Abbates, auctoritate Apoſtolica concedimus poteſtatem. Indulgemus etiam vobis, ut bona feudalia, vel alia quælibet vobis oblata liberè recipere valeatis, ac licitè retinere, nulla conſtitutione, ſeu conſuetudine contraria obſiſtente; aut etiam ſi loci Diœceſanus bona ipſa pro Decimis non ſolutis, aut præſtationibus aliis ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ aſſerat obligata. Et quia mutatio temporum facti mutationem fortè requireret, licitum ſit vobis aliquod aliud de Monaſteriis veſtris præſentibus, aut futuris caput aliorum Monaſteriorum, & Membrorum veſtrorum (ſi expediens fuerit) ordinare. Nos enim ex nunc decernimus irritum, & inane quicquid contra tenorem Conceſſionum, Conſtitutionum, Indulgentiarum, & Inhibitionum hujusmodi, & capitulorum omnium, & etiam ſingulorum, quæ ſuperius ſunt expreſſa, per quoſcunque attentatum eſt, vel in poſterum contingerit attentari: & interdicti ſuſpenſionum, & excommunicationum ſententias, ſi quas contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum in vos, vel in veſtrum aliquem, ſive aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros, aut executores, vel hæredes à quocunque cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut honoris, vel ſtatus exiſtat, in poſterum contingerit promulgari, volumus, eo ipſo penitus non tenere. In ſignum verò perceptæ libertatis veſtræ, & ſubjectionis ſolius Romanæ Eccleſiæ per nos vobis conceſſæ, ut ſuperius præmittitur, unam unciam auri ſolvendam annis ſingulis in Feſto Nativitatis Domini, tam pro capite, quàm pro membris veſtris, Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus perſolvatis. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc Paginam noſtratum Conceſſionum, Conſtitutionum, Indulgentiarum, & Inhibitionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Aquilæ quinto Calen. Octubris, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Per hanc igitur Bullam ſanctiſſimus Pontifex Inſtitutum ſuum juxta Regulam Benedictinam *ordinatum ſed quibusdam ſalutaribus ſtatutis ad arctiorem* Regulæ *obſervantiam maxime conducentibus exornatum confirmavit, atque ut introducta jam ardua diſciplina Monaſtica rite obſervaretur, mandavit, ut ſingulis annis Capitulum Generale totius Ordinis celebraretur, & ſingulis trienniis novus* Abbas Generalis *eligeretur, huic etiam Abbati Generali reliquiſque totius Ordinis Abbatibus uſum Pontificalium conceſſit, permittens, ut illi non ſolum ſuis Religioſis, ſed etiam aliis Clericis ſub eorum jurisdictione conſtitutis conferre poſſint Ordines Minores.*

Deinde, Monaſterium S. Spiritûs de Sulmona *accedens, ipſius noviter erectum magnificum Templum ſolenni ritu conſecravit, in cujus dotem dediſſe videtur* Carolus Rex Siciliæ *integrum oppidum de* Pautolla, *quemadmodum &* Monaſterio de Collomodio *alias opimas terras conceſſit. Refert quidem* Hippolytus Eliot *in ſua Religioſorum Ordinum Hiſtoria, tom. 6. pag. 186. ſanctiſſimum Pontificem hoc ipſo Menſe Octobri, acceſſiſſe celeberrimum* Montis Caſſini *Cœnobium, Monachosque ad ſuſcipiendum ſuum Inſtitutum coegiſſe, & ibidem miſiſſe quinquaginta ſuos Diſcipulos ad introducendam arctam Diſciplinam ab ipſo jam ubique practicatam. Utut ſit, talis Monachorum Cæleſtinorum intruſio nullam Ordinis Monaſtici Benedictini notabilem immutationem apud Caſſinenſes induxit, cum omnes illi Monachi pro primaria vitæ norma,* Regulam S. Benedicti *obſervarent.*

Interea parvo tempore hæc intruſio duravit, nam ſanctiſſimus Cœleſtinus V. Papa, *poſt quinque menſes & paucos dies Cathedram S. Petri occupans, Papatui valedixit, ejusque* Succeſſor Bonifacius VIII. *poſtea Caſſinenſibus antiqua Privilegia confirmavit, jusque ad eligendum proprium Abbatem conceſſit. Nam* Sanctus Cœleſtinus *ſentiens ſeſe tanto oneri regendæ Eccleſiæ imparem, præſertim, poſt mortem* Cardinalis Latini, *ſupra laudati, qui pondus Apoſtolicum vice Pontificis ſuſtinebat, ſerio de Pontificatus abdicatione cogitavit, & edito Decreto, quod exſtat* cap. quoniam de renunc. in ſexto. *licere Pontifici abdicare ſe dignitate. Adeoque, Idibus Decembris,* Neapoli *in publico Cardinalium conceſſu abdicationem ſuam his verbis ex ſcripto expreſſit:* Ego Cœleſtinus Papa quintus motus

ex legitimis cauſis, id eſt, cauſa humilitatis & melioris vitæ & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate Perſonæ, & ut præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem; ſponte ac libere cedo Papatui, & expreſſe reouncio loco & dignitati, oneri & honori; dans plenam & liberam facultatem ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium eligeodi & providendi duntaxat caoonicè univerſali Eccleſiæ de Paſtore.

Et quidem ad hoc inſuetum Abdicationis facinus, Sanctiſſimum Pontificem, amore ſolitudinis inductum fuiſſe exiſtimant coævi Auctores, cùm in Pontificatu, eandem ſervaret vitæ normam & auſteritatem, in qua tot ante annos fuerat maceratus, nec ſuſtinere potuerit pauca dignitati concedere; vel debitum tempus impendere ad tot gravia negotia requiſitum. Hinc facile ad hanc abdicationem perducere potuit Piiſſimum Papam Cardinalis Beoedictus Cajetanus, *Vir gerendis publicis negotiis aptiſſimus, & jam a morte optimi* Cardinalis Latini *Apoſtolicum onus vice Pontificis gerens, & forſan Papatui inhians. Verùm, falſiſſimum eſt, quod nunnulli ſcribant, eundem* Cardinalem Benedictum Cajetanum, *vel per ſeipſum, vel per alios immiſſos ſubordinatos, noctu clanculum dimiſſa, per cannam ſive fiſtulam, voce, quaſi cælitus* Cœleſtinum *monuiſſe, ut ſi ſalvus fieri vellet, Pontificatu abiret. Nullus enim Antiquorum de tali injurioſo convitio cogitavit, & meritò illud Spondanus in* Cardinales Columnenſes *rejicit qui à* Bonifacio VIII. Papa *depoſiti, varia malitioſa figmenta, famoſis libellis per orbem ſparſis, contra ipſum evomuerunt. Nec ſane, talibus vaframentis opus habuit ſanctiſſimus Pontifex ad onus Apoſtolicum deponendum, quod invitiſſime ferebat; nec etiam credendus eſt adeo rudis fuiſſe in diſcernendis ſpiritibus, ut talibus verſutiis ſe deludi paſſus eſſet, qui cum Angelis Dei frequenter converſabatur & ſpiritu prophetico donatus erat.*

Notum quippe eſt S. Petrum Cœleſtinum *cæleſtibus monitis, & revelationibus ſæpe recreatum fuiſſe ante & poſt abdicatum Papatum, prout ex variis authenticis ejuſdem Actis, per Eruditos Bollandi ſocios ſupra laudatos, ad diem XIX. Maji additis, omnino conſtat; in quibus nulla hujus figmenti memoria reperitur, ſed econtra manifeſtatur ipſum dono diſcernendi ſpiritus, donatum fuiſſe. Et quidem etiamſi præfatus* Cardinalis Benedictus Cajetanus, *immediate concordi omnium Cardinalium voto in ſummum Pontificem electus, &* Bonifacius VIII. *dictus, attamen nuſquam legimus* S. Cœleſtinum *attentaſſe ſpontaneam & liberam abdicationem revocare, quamvis & ille à plurimis ad hoc præſtandum rogatus fuerit. Non enim defuerunt viri Eruditi & Magnates, qui aſſerebant ſummum Pontificem non poſſe de Jure Pontificatui renuntiare, quibus quidem & ipſe ſæpius respondebat, aſſerens id, quod juſte fecerat, etiamſi non feciſſet, voluntarie ſe eſſe facturum. Quod autem* Bonifacius VIII. Papa *ipſam arctæ cuſtodiæ poſtea mancipaverit, ad evitandum in Eccleſia Schiſma fecit*, timebat enim, *ait Petrus de Alliaco ſuprà laudatus*, ne forte vir ſanctus a devoto ſibi populo tanquam ſummus Pontifex coleretur, maxime quia & dubium vertebatur, utrum ipſe Papatui reſignare potuerit.

Nolo tamen hîc Bonifacium VIII. Papam *ab omni aſtutiæ labe liberare, dum ille ſanctiſſimum ſuum Anteceſſorem jam Papatu ſpontanee abdicatum, & veterem Eremiticam vitam ſolummodo inire deſiderantem, diro carcere tradiderit. Si verò tempora illa ſeditioſa &* Italiam *factionibus agitatam conſideremus, tunc & illum quodammodo excuſare poſſumus, cùm tali arctæ Cuſtodiæ* S. Cœleſtioum *haud aliter devoverit, niſi ad evitandum Eccleſiæ ſchiſma, omnium malorum peſſimum. Nec ſane famoſis libellis contra* Bonifacium Papam *tunc ſcriptis fides adhibenda eſt, quaſi illum durius incarceratum tractaverit. Nam*, Jacobus Cardinalis *in præfatione ad poëma de* S. Cœleſtini *incarceratione part. 2. cap. 14. ſic ſcribit:* Eundem quondam Cœleſtinum, ad Græciæ remotas tendentem plagas, ut littoribus Veſtiæ Civitatis Adriatici inventum forte comperit (quatenus orbis ſui Eccleſiæque diſcrimina vitaret) ſolennioribus a ſe Siciliæque Carolo ſecundo Rege transmiſſis nunciis, conſentientem, Anagniam meare fecit, blande ſuſcepit, laudemque exhibuit acquieſceoti Præſulis monitis Caſtro Fomonia Campaniæ Provinciæ morari, ubi aſſvetam, ſicut prius vitam agens Eremiticam, nolens laxioribus, quibus potuit uti. *Adeoque ſi, in hoc carcere durius a Cuſtodibus hic Sanctus tractatus fuerit, permittente ad id virtutis exercitium Deo, id fa-*

ctum

ctum eſt , præter Bonifacii Pontificis mentem , qui eum, ante & poſt mortem , debito honore reverebatur , quidquid hujus Magnifici Pontificis inimici inepte obgarriant.

Nam, ad illius inſtantiam , permiſit , ut duo Diſcipuli Monachi, ſemper ipſi aſſiſterent , tam in cantandis divinis laudibus , quam ad alia obſequia præſtanda. Et audita morte Miſſam ſoleunem in præſentia omnium Cardinalium pro illius animæ piiſſime defunctæ celebravit. Atque immediate ad Caſtrum Fumonis *delegavit* Cardinalem Thomam Camerarium ſuum , *ad ſacras exuvias honorificè ſepeliendas in Eccleſia* S. Antonii de Ferentino , *quam ille conſtruxerat , & Monachis Cæleſtinis conceſſerat , ſumptuoſo erecto ibidem monumento. Sic enim* Petrus de Alliaco *ſæpe laudatus ſcribit :* Bonifacius exequias ejus in Eccleſia S. Petri de urbe cum Cardinalibus ſolenniter celebravit , miſitque unum Cardinalem & Camerarium ſuum , qui cum omnibus Epiſcopis & plurimis Religioſis de Provincia Campaniæ Corpus ejus ad Eccleſiam S. Antonii de Ferentino , quam ipſe noviter conſtruxerat honorificè tranſtulerunt , ubi juxta majus Altare cum debita veneratione ſepultum eſt. *Poſtquam enim* S. Cœleſtinus, *per decem menſes, ſqualorem carceris patientiſſime ſuſtinuerat , nihil de priſtina auſteriori vita Eremitica relaxare volens , eandem anno MCCXCVI. & XIX. Maji piiſſimam animam Deo reddidit , anno ætatis octogeſimo primo ; cujus animam a corpore egreſſam in cælum efferri vidit* Robertus Salentinus *olim ejus Diſcipulus ; prout refert Franciſcus Petrarcha lib. 2. de vita ſolitaria ſect. 3. cap. 8.*

Vitam S. Cœleſtini *ſeu* S. Petri de Murrone *ſcripſit ſæpe laudatus* Petrus de Alliaco , *Cardinalis Cameracenſis , quæ exſtat apud Surium & apud Bollandianos ad diem XIX. Maji , quando Eccleſia ſacram ejusdem memoriam ſolenniter honorat , qui etiam varia alia ejusdem ſancti Acta collegerunt , quæ in unum collecta appellant* Syllogen vetuſtorum Monumentorum , ex variis libris collectam. *Ex his igitur monumentis deſumpta ſunt huc uſque dicta , omiſſis plurimis ad ejusdem Sancti prodigioſa Acta pertinentibus, quæ integrum volumen componerent , & proin apud laudatos Auctores reperiri poſſunt. Et quidem ipſe* S. Cœleſtinus *ſcripſit quandam vitæ ſuæ relationem , prout ſupradictum eſt , quam cum aliis ejusdem Sancti opuſculis edidit Neapoli* 1640. Cœleſtinus Telera Monachus & Abbas Cœleſtinus.

Opuſcula autem hujus ſanctiſſimi Pontificis edita a præfato Telero , *& poſtea plerumque inſerta Bibliotec. Max. Patrum tom. 25. ſunt ſequentia.* De virtutibus *Opus quinque partibus diſtinctum.* De vitiis & de hominis vanitate. De exemplis ac ſimilibus moralibus. De ſententiis Patrum Eremitarum. De miraculis Beatæ Mariæ Virginis. De cenſuris *ſeu* , ſumma Cœleſtina. De Sacramentis Eccleſiæ. De decem præceptis Decalogi. De præceptis Eccleſiæ. De legibus. Epiſtolæ ſeptem ad varios. Formularium litterarum dimiſſorialium ad Ordines ſuſcipiendos. Orationes devotiſſimæ viginti. Quædam Conſtitutiones Eccleſiaſticæ , *quarum una habetur :* licere Pontifici Romano abdicare ſe Magiſtratu. *Petrus Creſpitius Cæleſtinus aſſerit in ſermone de S.* Cœleſtino V. *exſtare librum MS. in Monaſterio Meduntenſi* de perfectione Religioſorum, *quem ſe legiſſe affirmat. Hac quidem opuſcula ſic anumerat Franciſcus Pagi in ſuo Breviario Hiſtorico Romanorum Pontificum tom. 3. pag. 502. Quæ ſane opuſcula ſatis erudita denotant ſanctiſſimum Pontificem non fuiſſe adeo rudem & illiteratum, vel in jure Canonico indoctum , adeoque non ob ignorantiam Juris Pontificii , ſed pure ob ſolitudinis & humilitatis amorem Papatui reſignaſſe , quemadmodum & ipſe in actu abdicationis teſtatur.*

Interea in Cælum translato ſanctiſſimo Cæleſtino , mirum in modum crevit ab ipſo piiſſime inſtituta Monachorum Congregatio , præſertim , poſtquam ſummus Pontifex Benedictus XI. *anno MCCCIII. cathedram S. Petri occupans eandem ſolenni Bulla confirmaverat , atque ejusdem ſucceſſor* Clemens V. *ipſum ſanctiſſimum Inſtitutorem ante & poſt mortem miraculis clarum , anno MCCCXIII. Sanctorum faſtis aſcripſerat. Nam , non ſolum per Italiam plurima hujus Congregationis Monaſteria ſunt erecta , ubi adhuc ſuperſunt circa centum ; ſed etiam per Gallias & Germaniam varie ſunt propagata , quamvis Cœnobia Germanica ab Hæreticis occupata perierint. Adeſt quidem Catalogus horum Centum Monaſteriorum per Italiam diſperſorum , inter ipſas Conſtitutiones tract. 14. ſ. 15. ubi illa taxantur*

ad

ad certam annuam pecuniæ ſummam, pro ſuſtentandis expenſis Generalis Capituli & Abbatis Generalis, quia omnia illa Cœnobia a Prioribus ſolummodo gubernata Abbati Generali ſint ſubjecta. Deinde, hæc Cœnobia Italica iterum in certas claſſes, quas Quarterios *nominant, dividuntur, ut inter illa certus ordo in celebrandis Capitulis Generalibus obſervari poſſit. Etiamſi enim hæc Monaſteria communiter non Abbatibus ſed Prioribus gubernentur, cùm tamen totius Congregationis Abbas Generalis ſingulis trienniis eligatur, & ſemper Abbatialem dignitatem retineat, ſic accidit, ut ſimul adſint in eadem Congregatione plures Abbates Abbati Generali ſubjecti, quibus nobiliora Cœnobia regenda aſſignantur. Quæ omnia ex ipſis Conſtitutionibus mox adducendis clarius patebunt, ubi quidem tract. 2. cap. 5. §. 2. plures Monaſteriorum Abbates numerantur, qui tamen videntur fuiſſe quondam Abbates Generales, cum, ex primæva Congregationis inſtitutione, ſolus* Monaſterii de Murrone *Superior titulum Abbatis gerere permiſſus fuerit, qui proin totius Congregationis Pater Generalis extitit.*

Interim, in Gallias introducti ſunt hujus Congregationis Monachi à Philippo Pulchro Rege, *perpetua jurgia gerente cum ſummo Pontifice* Bonifacio VIII. *in cujus forſan odium & hos Cœleſtinos Monachos Rex ille magnanimus foviſſe videtur, Princeps aliàs haud adeo Religioſis Ordinibus favens, qui tamen dicitur his Viris Religioſis conceſſiſſe teſſeram Gallicam, pro Sacri Ordinis Inſignibus, nimirum duo Lilia, ad inſinuandum, quod Monachi non laborent, neque nent. Utut ſit, apud Gallos mirifice propagari cœpit ſacer hic Ordo, quod novendecim eximia Cœnobia in hoc ampliſſimo Regno poſſidere mereatur, quæ unam diſtinctam Provinciam conficiunt, ſuperadditis tribus aliis in vicinia ſitis, nimirum: Monaſterio Avenionenſi, altero in Sabaudia, & tertio prope Lovanium in Belgio. Cum his igitur tribus Monaſteriis Provincia Gallica viginti duo ampliſſima Cœnobia a Prioribus gubernata complectitur, ſed particulari Patri Provinciali ſubjecta, cui eadem juriſdictio incumbit, ac Abbati Generali apud Italos. Adeoque, hi Monachi Cœleſtini per Gallias diſperſi, ab Italis diſtingui videntur, aliis Statutis gubernati, ſed* Regulam Benedictinam *arctiſſime obſervantes. Sic anno MDCLXIV. nova Statuta condiderunt, in Capitulo Generali Pariſiis celebrato ſancita, quæ ibidem anno MDCLXX. promulgata ſunt, licet ad manus noſtras non pervenerint. Per hæc igitur ſalutaria Statuta, ſingulis trienniis, omnes hujus Provinciæ Priores & Diffinitores conveniunt in celeberrimo Monaſterio Pariſienſi ad celebrandum Capitulum provinciale, ubi quidem Dominica quarta poſt feſtum Paſchatis, eligunt novum Patrem Provincialem & quinque Diffinitores, qui legitime electi, conſtituunt reliquorum Monaſteriorum Priores, ad quos pertinet, cujuslibet proprii Monaſterii regimen, pro conſervanda religioſa Diſciplina neceſſarium.*

In quolibet autem Cœnobio arcta diſciplina Benedictina obſervatur, media enim nocte ad nocturnas Vigilias decantandas ſurgunt, & omnis uſus carnium ipſis prohibetur, exceptis ægrotis. Tempore etiam Adventus & Quadrageſimæ ab ovis & lacticiniis abſtinere debent, atque ſingulis feriis quartis & ſextis per totum annum excepto Paſchali tempore, eandem abſtinentiam obſervant. Apud utriusque autem gentis Monachos, ſumma paupertas obſervatur, neque poſt mortem alicujus, alter audet ſibi appropriare aliquid olim ad Defunctum pertinens, ſic enim in Capitulo Generali ſancitum reperimus, ut infra monſtrabitur. Inter omnia hujus Provinciæ Gallicæ Cœnobia, celeberrimum eſt illud, quod Pariſiis anno MCCCXVIII. eſt erectum, per quemdam Petrum Martellum *civem Pariſienſem, & eſt quaſi primarium & caput totius Provinciæ, in quo Capitula Generalia ſingulis trienniis celebrantur. Hujus Cœnobii Inquilini, quamvis Monachi privati, ejusdem Privilegiis gaudent, quibus* Regii Secretarii, *& certis ſolennitatibus* Burſam *portare ſolent, ſicuti & reliqui nobiles Domini à ſecretis Regis geſtant. Antiquiſſimum hoc eſt Cæleſtinorum Pariſienſium Privilegium, cujus origo ſic enarrari ſolet. Tempore* Philippi Valeſii Regis, *erat quidam nobilis Gallus* Robertus de Juſſi *nominatus, qui adhuc juvenis, tunc ſacrum Ordinem ingreſſus, ſed, ante exactum probationis annum, in Aulam vocatus, tandem Regi a ſecretis declaratus eſt. Hic igitur ſemper memor beneficiorum in Novitiatu acceptorum, ſuis Sodalibus facile perſuaſit, ad ineundam quamdam hujus ſacri Ordinis confraternitatem, qua omnes Nobiles Domini Secretarii bona opera Religioſorum participarent, hi verò prædictis Privilegiis gauderent, & inſuper a quolibet Secretario ſingulis menſibus ſuſciperent in eleemoſynam duos ſolidos pariſienſes ex communi Bur-*

ſa

ſa ſolvendos. Quam Confraternitatem ratam habuit Philippus Rex, *ac poſtea eandem confirmavit* Joanoes Rex , *anno MCCCLXI. ex captivitate Anglorum in Regnum redux.*

Ex quibus quidem omnibus apparet , Cæleſtinos Gallos ab Italis quodammodo ſeparatos , nec ab Abbate Generali de Murrone *amplius dependere , cum illius Provinciæ regimen omnino gubernetur à Patre Provinciali , ſingulis triennis, legitime electo , qui quidem eandem juriſdictionem in Monaſteria Gallica exercet , quam Abbas Generalis apud Italos. Reperio tamen hæc Monaſteria Gallica ſimul ac Italica, ad certam peccaniæ ſummam annuatim ſolvendam Abbati Generali totius Ordinis taxata fuiſſe anno MDCXXIX. Sic enim in ipſis præſentibus Conſtitutionibus tract. 2. cap. 14. §. 15. de taxationibus Monaſteriorum Abbati Generali ſolvendis , ſcriptum eſt :* Monaſteria Gallica ſolvant ſimul & io totum pro prædicta Abbatis Generalis taxa , ſcutar auri io auro viginti , in ſignum ſubjectionis Abbatiæ Sanct Spiritus. *An vero Galli hanc ſubjectionem Abbati Generali olim debitam & præſcriptam taxam adhuc obſervent , plane ignoramus.*

Arctam tamen diſciplinam Benedictinam obſervant , juxta primævum Inſtitutum hujus Congregationis , eodem quoque habitu induti incedere ſolent , ſicuti & ipſi Itali , nimirum cum toga alba & Scapulari ac Capucio nigro , licet eorum capucius & ſcapulare anguſtiora appareant. Apud utroſque tamen Fraters laici & Oblati habitum gerunt griſei coloris , quemadmodum Fratres laici Carthuſienſes portant , cum hoc tamen diſcrimine , quod Cæleſtini fratres & Oblati debeant geſtare ſupra ſcapulare crucem albam ipſi aſſutam , circa cujus pedem littera S. interlineatur.

Interea , percurrendo Catalogum Abbatum Generalium *reperio Monachos Gallos hujus Congregationis jam ineunte Sæculo XVII. ſeparationem a juriſdictione Italorum ambiiſſe , ſed a Sede Apoſtolico repulſam paſſos fuiſſe. Deinde , circa annum MDCXX. in Gallias à ſummo Pontifice* Paulo V. *ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Regis , miſſus eſt Abbas Generalis* Reverendiſſimus Dominus Celſus Americus *ad ſ piendas quaſdam rixas in illa Provincia exortas , quibus ſopitis , & Generali Capitulo Pariſiis celebrato , abs dubio Provincia Gallica etiam jugum Italicum ſubire coacta eſt , quod tamen poſtea & forſan circa MDCLXIV. rejecerunt Galli , quando proprium Patrem Provincialem elegerunt , eandem juriſdictionem illi attribuentes , quam Itali Abbati Generali aſcribunt. Hæc omnia , & plura ad hiſtoriam totius Ordinis pertinentia , ex ipſo Catalogo Abbatum Generalium clarius pateſcent , quem ad calcem ipſarum Conſtitutionum impreſſum hic exhibemus , licèt ille Abbates Generales ultra annum MDCXXVII. non adducat , & ſic de ſubjectione Gallicæ Provinciæ nihil certum determinare valeat.*

Catalogus quorundam Abbatum Generalium Congregationis Cœleſtinæ , ab anno Domini MCCLXXIV. uſque ad annum MDCXXVII.

HIc Catalogus, cum Nominibus & Cognominibus, & Patria quorundam (prout ex antiquioribus Cœleſtinæ Congregationis monumentis, & ſcripturis repertum eſt) Reverendiſſimorum Patrum , qui Abbatiali Dignitate , cum onere , & officio Generalatus conjuncta , Religionis regimini præfueruot : Ab Anno Domini 1274. quo Sanctiſſimus Pater , & Fundator noſter Cœleſtinus Quintus è Lugdunenſi Concilio regreſſus (in quo Religionis approbationem, & confirmationem à Gregorio X. obtinuerat) primùm ſuæ Reformationis Generale Capitulum indixit , & celebravit , in Sacro Eremo, & Monaſterio Sancti Spiritus in Magella ſub die 18. Menſis Junii ejuſdem anni. Fuit autem electus eo tempore primus Abbas Generalis , electione compromiſſoria Reverendiſſimus Pater Dominus Franciſcus de Atria.

Nam idem Sanctiſſimus Pater Tutelaris noſter, & Reformator, per longa temporis intervalla fundamenta ſuæ Reformationis, & Congregationis longè antea jecerat; eamque etiam Abbatiali Dignitate præfulgens, rexerat: qua fuerat decoratus in Abbatia Sanctæ Mariæ in Fayſulis Monachorum Nigrorum in Diœceſi Beneventana (in quorum Congregatione Religionis vota voverat) prout legitur infraſcriptis verbis in erectione Monaſterii Sancti Spiritus de Iſernia in Samnio. Tibi Fratri Petro de Iſernia Abbati Sanctæ Mariæ in Fayſulis Beneventanæ Diœceſis; & alibi.

Reverendiſſimus D. Franciſcus de Atria electus die 18. Junii 1274. in Monaſterio S. Spiritus de Magella per viam compromiſſi, ut ex inſtrumento electionis conſervato in præfato Monaſterio legitur.

Rev. D. Raynaldus de Rionero.
Rev. D. Onufrius de Comina Theatin. Dioc.
Rev. D. Alaynus de Urſa Valven. Dioc.
Rev. D. Bernardus de Comina Theatin. Dioc.
Rev. D. Joannes de Cucullo.
Rev. D. Onufrius de Comina, qui præfuit eo tempore, quo Sanctiſſimus Pater ad Pontificatus apicem eſt evectus.
Rev. D. Joannes de Tritulio 1296.
Rev. D. Joannes de Cucullo, ſecundo. Exequutor Teſtamenti Domini Cardinalis Fratris Thomæ Aprutii de Ocra Aquilani 1299.
Rev. D. Bernardus de Cornu Aquilanus 1302.
Rev. D. Joannes de Tritulio, ſecundo 1305.
Rev. D. Manerius de Urſa 1308.
Rev. D. Benedictus de Colle alto Pennen. Dioc. Teſtis oculatus in reſurrectione ex mortuis Fratris Placidi de Sulmone, apud Monaſterium S. Petri de Monte aureo de Urbe præmortui: meritis, & interceſſione ipſius Sanctiſſimi Patris reſuſcitati, examinatus.
Rev. D. Mattheus de Comina, qui coemit Caſtrum Roccæ Caſalis, præfuit annis ſeptem, vel circa continuatè.
Rev. D. Mattheus de Salle Theatin. Dioc. primo electus anno 1320. Vir omni tum virtute, tum eruditione præditus: in rebus gerendis, ſuique muneris functione conſpicuus: Cumque nonnullos ſuorum Præceſſorum, Religionis gubernium, Abbatisque Generalis Dignitatem, non lege, non æquis juribus, ſed potius quadam vi, animique libidine, ad perpetuitatem protrahere velle, animadverteret: in Generali Capitulo apud Abbatiam Murronenſem 15. Kalend. Junii 1320. celebrato, Conſtitutionem edidit, ne deinceps Abbates cedentes, expleto primo eorum triennio, iterum ad eandem Dignitatem aſſumerentur, niſi à Congregationis regimine, novennio vacaſſent. Hic, cum Prioratus officium in Aquilano Cœnobio, non mediocri ſui laude, qua in eodem Monaſterii regimine D. Joannes de Spoleto, ſub anno 1313. & D. Marianus de Abbatigio Theatin. Dioc. ſub anno 1317. ſe geſſerant, exerceret: ab Apolectis Aquilanæ Reipublicæ, communi omnium conſenſu, ut Civitatis regimini præeſſet (quemadmodum illi præfuerunt) Camerarius eligitur.

Rev. D. Joannes de Sulmone 1323.
Rev. D. Joannes de Bugnaria 1326.
Rev. D. Joannes de Lecto 1329.
Rev. D. Mattheus ſine Patria 1332.
Rev. D. Mattheus de, Salle, ſecundo 1335.
Rev. D. Joannes de Lecto, ſecundo 1338.
Rev. D. Leonardus de Como 1341.
Rev. D. David de Monte Ityliæ 1344.
Rev. D. Franciſcus de Caſtro Piniano 1347.
Rev. D. Joannes de Turribus ab Aquila 1350.
Rev. D. Jacobus de Ebulo 1353.
Rev. D. Petrus de Monte Ityliæ 1356.
Rev. D. Nicolaus de Aliſio 1359.
Rev. D. Franciſcus de Caſa Candidella, vulgò Canatella Theatin. Dioc. 1362.

Rev.

Rev. D. Rogerius de Monte Ferrato 1365.
Rev. D. Joannes de S. Benedicto, qui præfuit anno uno, & menſibus 1368.
Rev. D. Mattheus de Planiſia: Iſte cum Paſtorali Dignitate fungeretur, Generale Capitulum in Monaſterio S. Bartholomæi de Luceria Saracenorum, niſus eſt congregare: Tamen illius conatus irriti fuere; Nam cum ſuſceptæ Dignitati aſſignato tempore cedere renueret, nova Paſtoris electione communi Monachorum indicta, onus, & honor invitus deponere cogitur 1370.
Rev. D. Joannes de Cilento 1373.
Rev. D. Thomas de Rocca Vallifcuræ, 1376. qui etiam ſecundo præfuit.
Rev. D. Nicolaus de S. Juliano 1382.
Rev. D. Raymundus Neapolitanus 1385.
Rev. D. Nicolaus de S. Maximo 1388.
Rev. D. Nicolaus de Monte Alto 1391.
Rev. D. David de Mediolano 1394.
Rev. D. Nicolaus Averſanus 1397.
Rev. D. Antonius de Rocca Raſi 1400.
Rev. D. Nicolaus de Guglioniſio 1403.
Rev. D. Philippus de Guardia 1406. qui ſecundo præfuit.
Rev. D. Joannes de Alborono 1412. qui etiam ſecundo præfuit.
Rev. D. Marinus de Diano 1418.
Rev. D. Laurentius de Atria. Decretorum Doctor, qui etiam ſecundo præfuit 1421.
Rev. D. Marinus de Diano, ſecundo electus. Obiit quinto menſe 1427.
Rev. D. Palmerius de Luceria 1428.
Rev. D. Laurentius de Jeſualdo 1431.
Rev. D. Mattheus de Guglioniſio. Decretorum Doctor 1434.
Rev. D. Angelus de Sulmone 1437.
Rev. D. Mattheus de Diano. Obiit ſexto menſe 1440.
Rev. D. Antonius de Afflictis Alethynus 1441.
Rev. D. Mattheus de Archi Decretorum Doctor 1444.
Rev. D. Lucas Romanus. Præfuit decem, & novem menſibus, fuitque Vir vitæ ſpectabilis, electus Romæ de mandato D. Nicolai PP. V. In Monaſterio S. Euſebii 1447.
Rev. D. Mattheus de Pizzulo Aquilanus; Vir, nedum induſtrius, verum etiam probitate, eruditione, & auctoritate plurimum valens: Invictiſſimi Regis Alphonſi, ex delectu Conſiliariorum ſuorum, præcipuus ad pias cauſas Conſiliarius; morum comitate, animique qua florebat integritate; privatis, ſummis, infimis carus, jucundusque fuit: A Domino Amico Agnifilo Cardinali Aquilano, Monaſterium S. Laurentii Averſan. Diœc. jam antea ſibi creditum, & commendatum cum Monaſterio Monialium S. Blaſii Averſan. Monachorum Nigrorum, & à Domino Abbate Farenſi Monaſterium S. Mariæ de Gordiano Aquilan. ejus cura erectum, induſtria, zelo & exemplo, reformanda traduntur 1450.
Rev. D. Joannes Berthaldus de Ambianis Gallus 1453.
Mattheus de Aquila, ſecundo electus 1456.
Rev. D. Thomas de Caramanico 1459.
Mattheus Aquilanus, tertio 1462.
Reverendiſſimus D. Cyprianus de Monte Regali 1465.
Mattheus Aquilanus, quarto 1468.
Rev. D. Nicolaus de Camplo 1471.
Mattheus Aquilanus, quinto. Obiit Neapoli menſe ſexto ſui quinti Triennii 1474.
Rev. D. Stephanus de Litio Sac. Theol. P. 1474.
Rev. D. Franciſcus de Sulmone S. T. P. 1477.
D. Stephanus de Litio ſecundo. Obiit Pratulæ die 11. ante Capitulum Generale 1480.
Rev. D. Nicolaus de Sulmone 1483.
Rev. D. Petrucius de Barulo Decret. Doctor 1486.
Rev. D. Michael Gipſer Alemanus 1489.
Rev. D. Raymundus de Litio. S. T. P. 1492.
Petrucius de Barulo, ſecundo 1495.
D. Raymundus Alethynus, ſecundo 1498.
Reverendiſſimus D. Antonucius de Sulmone 1501.
Petrucius de Barulo, tertio 1504.

Rev. D. Petrus de Theano Decret. Doct. 1507.
Raymundus de Litio, tertio 1510.
Petrus de Theano, ſecundo 1513. Confirmationem Privilegiorum à Leone X. obtinuit.
Rev. D. Placidus de Poliſtina Calaber. 1516.
Rev. D. Chriſtoforus de Mantua 1519.
Rev. D. Petrus de Ebulo 1522. Suorum majorum veſtigiis inhærens Galliæ iter arripuit; illius Provinciæ Monachos à veræ Religionis Inſtitutis ſemotos, ac devios veluti Oves ſine Paſtore errantes, ad Caulam obedientiæ, & Regulæ obſervantiam revocaturus, Chriſtianiſſimi Regis publico edicto ad Pontem Rhodani amnis apud Lugdunum, ut nulla interpoſita mora Gallicos fines relinquat, per Preconem proclamatur.
Rev. D. Placidus de Poliſtina, ſecundo 1525.
D. Chriſtoforus de Mantua, ſecundo 1528.
Rev. D. Franciſcus de Silveſtris Sulmonen. Protogavit Capitulum Generale à Menſe Auguſti ad primam diem Maij: Præfuit annis tribus, & menſibus octo 1531.
Rev. D. Lucas de S. Georgio Calaber 1534.
Rev. D. Franciſcus de Sulmone. ſecundo 1537. Celebre Colliſmadii Cœnobium, & Monaſterium S. Benedicti de Nurſia, à Monachis Gallis, Francorum Regum brachio jam dudum per longa temporis intervalla, præoccupata; iterum in Italorum ditione (Sanctiſſimi Domini Adriani Sexti auctoritate, & Domini Caroli de Lanoij Proregis Neapolis Regni, brachio) reduxit: eosque perditis imbutos moribus, correxit, obedientiæ jugo ſubmiſit, expulſis tamen iis, qui ſub umbra aurei lilii lentè accubabant, propriique Paſtoris ſuperioritatem, Viſitationem, & correctionem ægrè ferebant, Stabilia Monaſterii Colliſmadii, non minus pretioſa, quam ſpecioſa dilapidarant, & diſtraxerant.
Rev. D. Dominicus de Sora S. T. P. 1540.
Rev. D. Franciſcus de Sulmone, tertio 1543. Obiit menſe quinto ante Capitulum Generale.
Rev. D. Jacobus Alethynus S. T. P. Capitulum Generale ad tertiam Dominicam poſt Paſcha, auctoritate Apoſtolica, & Patrum conſenſu protraxit 1546.
Reverendiſſimus D. Alexander Crucius Bononien. 1549.
Rev. D. Petrus Capocittus de Circulo 1552. Reverendiſſimi D. Petri Janitellæ ab Agellis Epiſcopi S. Angeli de Lombardis ex Nepta Pronepos. Omnibus Religionis officiis exemplo perfunctus Monaſterio Gargani Montis eo tempore præficitur, quo Dominus Cardinalis de Monte Sypontinæ Metropoli præerat; qui cum à ſummo Deo, quæ in Terris ſumma ſunt, ſub nomine Julii Tertii aſſequeretur, ob notam humanitatem cum Monaſtica diſciplina, Regularique obſervantia conjuncta, deque illius magna exiſtimatione, non minus longo, quam domeſtico exemplo edoctus, Abbatis Generalis dignitate decorandum impetitat.
Rev. D. Theofilus Bergomen. 1555.
Rev. D. Marcus de Colleniſio 1558.
Rev. D. Jacobus de Ortona S. T. P. præfuit tantum duobus annis cum dimidio, ut iterum ad tertiam Dominicam poſt Paſcha, Capitulum Generale futuris temporibus celebraretur 1561.
Rev. D. Petrus Junior Capocittus de Circulo S. T. P. D. Petri Senioris ex fratre Nepos 1564.
Rev. D. Franciſcus Maria Rothomagenſis Gallus 1567.
Rev. D. Petrus Capocittus ſecundo Junior, officii plenus, animi magnitudine præſtans, vitæ integritate, ac morum venuſtate illuſtris, in rebus agendis, Paſtoralique officio exercendo, vigilantia, àc prudentia facilè primus, in omnium ſcientiarum genere ita verſatus, ut à Magnatibus, & Principibus in eorum arduis deliberandis ſæpè ſit adhibitus: Tanta præterea in regimine ſolertia uſus, ut diſcolos ſeveritate, obedientes humanitate, & à Regulæ Inſtitutis devios, novis Conſtitutionibus, & Decretis (nomothetica providentia editis) moderaretur. Congregationem gravi ære alieno apud Romanam Curiam nimis obſtrictam nedum liberam reddidit omninò, verum etiam multum pecuniæ, ex ſuperfluis Monaſteriorum redditibus, in publicum Ærarium, futuris temporibus duraturum, pro oneribus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſolvendis, coacervavit; Sed quanta ejus in aggregando ſollicitudo, tanta Quinti ex Succeſſoribus ſuis prodigali-

galitas fuit in diſſipando ; qui non ut Cuſtos, ſed ut direptor, paucis planè diebus Ærarium evacuavit. Monaſterium S. Euſebii de Urbe vetuſtate ruinoſum funditus erexit. Pretioſa ſuppellectile delubra ditavit. Quamplurima Congregationis noſtræ Monaſteria ſtudentium commoditati indulgens, congruis tum ædificiis, tum Lyceis exornavit. Omnia ſub feliciſſimis Auſpiciis Illuſtriſſimi Domini Innici Avalos Cardinalis de Aragonia Protectoris memorandi, geſta. Cujus prudentiam Religio primum præſagiens, ſecundum admirans, tertium, & quartum experiens, à Prioribus illius temporis, tamquam de Religione meritus, bis, terque quaterque præficitur. Tandem Romæ annum agens quinquageſimum octavum, ſama celebris, diem clauſit extremum quinto Idus Februarii anno 1587. Ejus Corpus novennio elapſo à die obitus ſui, à Reverendiſſimo Domino Donato Lantona Tarentino (cui Religionis primordia jam antea ille contulerat) delatum in Abbatia S. Spiritus de Murrone. in Sacello paulò ante ab illo extructo, fuit reconditum 16. Kalend. Februarii 1596.

Rev. D. Vincentius de Vaſto S. T. P. 1573.

Rev. D. Petrus de Circulo, tertio 1576.

Rev. D. Mattheus de Sulmone 1579.

Rev. D. Petrus de Circulo, quarto 1582.

Rev. D. Mauritius Bergomen 1585.

Rev. D. Vincentius de Tocco S. T. P. 1588.

Rev. D. Thomas Theatinus S. T. P. 1591.

Rev. D. Donatus Lantona Tarentinus 1594. Vir frugi. Cum in Abbatia S. Spiritus de Murrone decem ferè annorum ſpatio Prioratus officium geſſerit, eam egregiis ædificiis ampliavit, redditibus adauxit, Eccleſiaſticis ornamentis decoravit. Tandem in eadem Abbatia iterum Prioratus curam habens (non ſine invidiæ livore) ob paratas illi inſidias, Tarentum Patriam ſuam repetere compulſus, illic obiit 14. Kalend. Decembris 1599. Ejus corpus à Reverendiſſimo D. Petro ab Agellis, quinto poſt ejus obitum anno, pari pietate in eandem Eccleſiam, & Sacellum Murronenſe, quo ille Corpus Domini Petri de Circulo tranſportandum curavit, tranſlatum, & cohumatum fuit anno 1604. 14. Kalend. Februarii.

Rev. D. Thomas à Benevento S. T. P. 1597.

Rev. D. Theodoſius de Bononia 1600.

Rev. D. Petrus de Agellis D. Petri Capocetti Junioris de Circulo ex Sorore Nepos. Hoc tempore Monachi Provinciæ Galliæ apud Summum Pontificem conqueſti ſunt per D. Carolum Campygni, quod Abbas generalis Monachos è Gallia fugaces ad ſe confugientes reciperet, & de quibusdam aliis, & propterea ſatis expedire illis, ſi totam Provinciam à Generalis dominio, & ſuperioritate adimat; Quorum petitio uti vana à Summo Pontifice, & Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus ſuper hanc differentiam præfectis, rejecta, decretum eſt in futurum licere P. Abbati Generali Italo, eandem præeminentiam, ſuperioritatem, ac dominium habere, & exercere in Gallicana Provincia, & Monachis ejusdem, quam habet, & exercet in Monaſteriis, & Monachis totius Italiæ.

Rev. D. Celſus Americus Romanus primo electus anno 1606. A Summo Pontifice Paulo V. quædam inſignia, & habitum Prælatorum, quæ temporum varietate in deſuetudinem abierant, in uſum revocanda, obtinuit.

Rev. D. Archangelus de Mediolano 1609.

Rev. D. Joannes Baptiſta Sulmonenſis primo ex Apoſtolicæ Sedis Indulto, ſex annis præfuit, efflagitante hoc Illuſtriſſimo Domino Cardinali Bellarmino Protectore, cujus opera & patrocinio à Summo Pontifice Paulo Quinto principalia Religionis Monaſteria nomine, & Inſignibus Abbatialibus fulciuntur.

Rev. D. Celſus Romanus, ſecundo electus 1618. Anteceſſoris ſui exemplo ex Pontif. Indulto usque tertiò præficitur absque temporis interſtitio. Ejus tempore Gallicanæ Provinciæ Patres execrabili ſeditione commoti altercantes, mirabiliter rixabantur, Chriſtianiſſimi Regis, & aliorum procerum conſilio adhortati, à Summo Pontifice Paulo V. & Illuſtriſſimo Domino Cardinali Bellarmino Protectore pro illius Provinciæ tranquillitate Reverendiſſimi Domini Generalis acceſſum deprecabantur; qui horum magnorum Principum litteris fretus jucundè Galliam petiit, & in Provinciali Capitulo, ac Viſitatione generali, cuncta ſuaviter diſpoſuit, omnium animos mulxit, & illis optatam pacem reliquit.

Rev. D. Dominicus Chimentus de Tarento 1624. à Sanctiſſimo Domino PP. Urbano VIII. Communicationem Privilegiorum omnium, tam mendicantium, quàm non mendicantium, & Caſſinenſium obtinuit, ſub feliciſſimis Auſpiciis Sereniſſimi Principis Cardinalis de Sabaudia Protectoris.

Reverendiſſimus D. Franciſcus ab Agellis 1627.

Ex quo Catalogo inſtruimur S. Petrum Cœleſtinum *priusquam in* Montem de Morrone *receſſerat, jam ſolemnia vota religioſa emiſiſſe, juxta* Regulam S. Benedicti, *in Cœnobio* Sanctæ Mariæ de Faytulis *Beneventanæ Diœceſis; adeoque non tanquam ſimplex Eremita, prout volunt Bollandi ſocii, ſed tanquam verus Cœnobita in Eremum diſceſſit, jam Monaſterii probatione edoctus, contra Diabolum pugnare, & bene inſtructus fraterna ex acie ad ſingularem pugnam Eremi deſcendere, prout ſanctiſſimus Monachorum Patriarcha Benedictus in primo capite Regulæ docet. Quod autem dicatur exſtitiſſe aliquando ejusdem* Cœnobii de Fayfulis *Abbas, hoc quidem factum fuiſſe videtur, poſtquam à concilio Lugdunenſi reverſus, cum approbatione ſui Inſtituti, Abbatem Generalem totius Ordinis conſtituerat prædictum Dominum* Franciſcum de Atria. *Legimus enim in vita hujus Sancti, hoc Cœnobium injuriis temporum ad incitas redactum, iterum ab ipſo reparatum, & Monachis ſui Ordinis repletum. Non ergo novum Ordinem Monaſticum inſtituit, ſed* Ordinem Benedictinum *reformavit, arctam diſciplinam Monaſticam cum Eremitica vita conjungens, & ideo appellatur hujus Congregationis* SANCTISSIMUS PATER TUTELARIS ET REFORMATOR.

Verum ut ad præſentes Conſtitutiones redeamus & illas non ab ipſo S. Petro Cœleſtino *conditas venditare præſumimus; ille enim acerrimus* Regulæ Benedictinæ *obſervator, ſecundum ſacram illius præſcriptum, omnes ſuas actiones ordinavit, viva voce Diſcipulos ſuos ad arctam ejuſdem* Sacræ Regulæ *obſervantiam aſtringens. Si igitur ſub hujus Congregationis ſanctiſſimo Inſtitutore quædam Conſtitutiones conditæ ſiat, & illæ ſolummodo arduum ipſius vivendi modum explicant, nullatenus ab arctiſſima diſciplina Benedictina obſervatione aberrantes, ſed vivida exempla virtutum cœleſtium exhibentes. Diverſis enim temporibus ſecundum varias locorum, rerum & perſonarum circumſtantias hæ Conſtitutiones in Capitulis Generalibus ſancitæ ſunt, juxta* Regulam S. Benedicti, *& ſecundum multiplices ſummorum Pontificum & Conciliorum Eccleſiaſticorum ordinationes digeſtæ, prout eaſdem percurrendo diſcimus.*

Dividuntur autem in duos Tractatus, quorum primus per diſtincta capita & §§. omnia tradit, quæ neceſſaria videntur ad conſervandam arctam Diſciplinam Monaſticam per omnia hujus Congregationis Monaſteria, tam circa divinum Officium, quàm circa alia munia Monaſtica. Alter dein Tractatus eodem modo diviſus, continet ſtatum Cœnobiorum, eorumque unionem circa Capitula Generalia & Provincialia celebranda; et præſertim præſcribit Regulas circa electionem Abbatis Generalis aliorumque Prælatorum requiſitas, præſcribens Diffinitorum, Viſitatorum, aliorumque Officialium munia regularia, quæ ad rectum totius Congregationis Regimen requiruntur, juxta locorum, & perſonarum circumſtantias.

Reperimus autem ad calcem harum Conſtitutionum hoc ſancitum fuiſſe circa Reſignationes Monachorum defunctorum & piarum Perſonarum, quod & hic inſerere lubet. Bona item relicta ſeu Reſignationes tam Monachorum, quàm aliarum Perſonarum, Monaſteriis noſtris, aut Congregationi quocunque jure, vel titulo provenientia & obvenientia; ſi libri Bibliothecis Quarterii illius, in quo deceſſit, ſi utenſilia neceſſitatibus Monachorum & Monaſterii ejusdem Quarterii, ſi pecunia, vel quid pretioſum ad augendos redditus illius Monaſterii, de Abbatis Generalis, Patrumque diffinitorialium illius Quarterii mandato, conſultatione & conſenſu applicentur. Quod ſi defunctus fuerit Abbas vel Prior vel Vicarius vel Granerius, omnia illi Monaſterio, cui præerat, ipſo jure indubitanter accreſcant.

Apparet autem has ſalutares Conſtitutiones, a Cœleſtinis Gallis *integras nunquam ſuſceptas fuiſſe, ſaltem quoad ſecundam partem, quæ ſtatum & ordinem ſolummodo Cœnobiorum Italicorum attingere videntur. Jam dudum enim & longe ante annum MDCXXIX. Galli jugum Abbatis Generalis Italici excutere attentabant, prout ex ipſo Catalogo Abbatum Generalium colligimus. Et cùm anno MDCLXIV. novas Conſtitutiones condiderint, atque legitime electo Patri Provinciali eandem juriſdictionem, quam olim Abbas Generalis exercebat, attribuerint, ut ſupra dictum eſt; ſic Monaſteria Gallica in unam Provinciam congregata, aliud diſtinctum regimen ab Italis inire voluerunt, licet ſalutares Conſtitutiones ad arctiſſimam Diſciplinam Benedictinam pertinentes retinuerint. Præſentes igitur Conſtitutiones à ſolis Italis ſuſceptæ videntur, quæ, juſſu Eminen-*

tiſſimi

tiſſimi Mauritii Emmanuelis Cardinalis Sabaudiæ, tunc hujus Congregationis protectoris prodierunt, Romæ anno MDCXXIX. Cum verò ad harum Conſtitutionum calcem adjecta ſint quædam alia opuſcula cum ipſa S. P. N. Regula, ſic & illa hic ſupprimere conſultum duximus. Nam, Regula Benedictina *jam in ipſo Codice Regularum reperitur, atque opuſculum* de Ordine Monaſtico, *inter Additamenta ſecundi tomi impreſſum eſt, cum ſua obſervatione critica. Denique, inter varia ſummorum Pontificum Privilegia huic ſacro Ordini conceſſa, ſolum ſelegimus Bullam* Urbani VIII. Papæ, *qua ſequentes Conſtitutiones per diverſa Capitula generalia recognitas & emendatas confirmat, omnibuſque ſtrictiſſime obſervandas præſcribit.*

Bulla Urbani VIII. Papæ confirmans Conſtitutiones Monachorum Cœleſtinorum.

URbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Sacroſanctum Apoſtolatus Officium humilitati noſtræ per ineffabilem divinæ Sapientiæ providentiam commiſſum, jugiter nos admonet, ut inter graviſſimas, multiplicesque Apoſtolicæ ſervitutis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam Chriſti fideles ſub ſuavi Religionis jugo virtutum Domino famulantes, ſub certis, & provide ordinatis ſtatutis, atque conſtitutionibus in ſanctitate & juſtitia felicioribus indies proficiant incrementis, ac proinde iis, quæ propterea ſtatuta & ordinata ſunt, ut ab omnibus, ad quos ſpectat inviolabiliter obſerventur, perpetuaque roboris firmitate ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane Dilectus filius Abbas Generalis Monachorum Congregationis Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti, ſuo & Diffinitorum dictæ Congregationis nominibus, Nobis nuper exponi fecit, quod pro felici & proſpero ejuſdem Congregationis regimine atque gubernio, nonnullæ Conſtitutiones & Statuta diverſis temporibus facta, noviſſime autem de mandato noſtro recognita, & multis in locis ad Sacri Concilii Tridentini Decretorum & Conſtitutionum Apoſtolicarum præſcriptum emendata, atque aptata, tandem in unum volumen compilata fuerint tenoris ſubſequentis, videlicet: * Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Abbas Generalis nominibus prædictis, præinſertis Conſtitutionibus pro perpetua illarum ſubſiſtentia, & immobili obſervantia, Apoſtolici noſtri muniminis firmitatem per nos adjici ſummopere deſideret: Nobiſque propterea humiliter ſupplicari fecerit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos inviolabili earundem Conſtitutionum obſervationi, quantum nobis ex alto conceditur, conſulere, nec non dictum Abbatem Generalem, ac totam Congregationem prædictam ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Præinſertas Conſtitutiones, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quam facti, quantumlibet ſubſtantiales defectus, ſi qui in illis intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem Conſtitutiones, nec non præſentes litteras, ſemper & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore; nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos ſpectat & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter ſub pœnis in eiſdem Conſtitutionibus comminatis obſervari & adimpleri debere; ac quoſcunque ejuſdem Superiores, Monachos, & Perſonas ad obſervationem, omnibus juris, & facti remediis cogi & compelli poſſe; ſicque per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi

ſecus

* In editione Romana anni *1629.* legitur poſt verbum *videlicet* textus harum Conſtitutionum.

ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis & quibusvis aliis dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibusvis ipſius Congregationis Superioribus, Monachis & Perſonis hujusmodi, ſub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarium derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum tenor præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu Scribæ dictæ Congregationis, vel Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis Generalis, vel alterius Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die octavo Julii MDCXXVI Pontificatus noſtri anno tertio.

CON-

CONSTITUTIONUM MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS COELESTINORUM

TRACTATUS PRIMUS.

Caput I.

De Officio Divino.

§. 1. DEcet ſanctitudo domum Domini DEI noſtri, ut cujus in pace locus poſitus eſt, & ipſe in majeſtate mirabilis, ejus cultus cum debita veneratione peragatur, & qui ſua ineffabili providentia, recti cenſura judicii cœleſtia pariter, & terrena diſponit, eidem à ſuis fidelibus ejus obſequio ſtrictius addictis devotum præſtetur obſequium.

Licet itaque per bonos, fideleſque ſervos D. O. M. debitus ubique cultus impendatur; in Eccleſia tamen, quæ præcipuè Dei domus eſt, ad ſerviendum ei humiliter, & devotè, & ſacrificium laudis, fructumque labiorum ſuorum in cordis munditia, & puritate offerendum, ſpecialis devotio deſideratur.

Quapropter inviolabiliter duximus obſervandum, quod monachi omnes noſtri Ordinis cujuſcumque gradus, præeminentiæ, ſeu conditionis exiſtentes, divinum officium per omnes horas Canonicas, tam nocturnas, quàm diurnas in Eccleſia recitent, aut decantent.

§. 2. A cujus quidem divini officii celebratione in Eccleſia adimplenda, nullus penitus eximatur, præter infirmos, ac in negociis, & ſervitiis Monaſteriorum, ſeu Religionis neceſſario, & actualiter detentos; Qui autem ad Eccleſiam horarum tempore accedere nequeunt, ſeorſum, aut privatim divini officii debitum penſum perſolvere teneantur.

Si verò illud morbo oppreſſi explere nequeant, ipſius recitatione, quoad fieri poterit, vel ſpirituali aliqua lectione ab alio reficiantur. Quod Præſidentes locorum ſumma cum vigilantia, & charitate fieri mandent, & procurent.

Si qui verò non legitimè impediti, infirmis exceptis, propriæ ſalutis immemores divinum explere officium negligent, & de illius frequenti omiſſione notati fuerint, terque moniti non reſipuerint, aut ſe corrigere neglexerint. Si Officiales fuerint, ab officio, quod obtinent, ipſo facto ſint ſuſpenſi, voceque careant per triennium, tam activa, quàm paſſiva, & ad quæcumque ipſius Congregationis officia exercenda ſimiliter per triennium ſint inhabiles; ſi vero Officiales non fuerint, per menſem in carcere detineantur, & ſimiliter ad triennium iisdem pœnis privationis activæ vocis, & paſſivæ, atque inhabilitatis puniantur, pœniſque nihilominus ſubjaceant in Canonicis ſanctionibus expreſſis.

§. 3. Monachi omnes Religionis noſtræ divinum officium tam nocturnum, quàm diurnum, Pſalmos, Hymnos, aliaque ad divinum abſolvendum officium requiſita recitare, vel cantare debent, ſecundum rubricas in Breviario Monaſtico Pauli V. Pontificis Maximi auctoritate edito, eaque in dicendo ordinare, atque horas quaslibet canonicas incipere, eo modo, & tempore, prout in regula ſanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti continetur à capite octavo uſque ad vigeſimum, quod in omnibus locis, & Monaſteriis Ordinis noſtri ad unguem ab omnibus Monachis ſervetur; Officium etiam Beatæ Virginis Mariæ in Eccleſia recitetur diu, noctuque juxta rubricam, & modum in eodem Breviario ordinatum, & diſpoſitum. Qui verò ex cauſa divinis horis in Eccleſia intereſſe non poſſunt, privatim illud perſolvant.

Adijcimus autem ultra præſcriptum, & rubricas Breviarii Monaſtici, ut hora prima poſt abſolutionem Capituli reci-

citetur Oratio pro Abbate Generali, & Congregatione, retineatutque uſus ſolemnitatum ſanctiſſimi P. N. Petri Cœleſtini Translationis, Coronationis, & Apparitionis, juxta aotiquam noſtri Ordinis traditionem, & conſuetudinem. Item Inter ſuffragia ad Veſperas, & laudes, in omnibus noſtri Ordinis Monaſteriis habeatur commemoratio de Spiritu ſancto, & juxta antiquam ejuſdem noſtri Ordinis conſuetudinem, ſingula quaque hebdomada die veneris poſt completorium diei decantentur, aut recitentur vigiliæ B. M. Virginis, videlicet tres Pſalmi, Domine Dominus noſter, Cœli enarrant, Domini eſt terra, cum tribus lectionibus ex ſancto Auguſtino, O Beata Virgo Maria, & Reſponſoriis conſuetis, ante Antiphonam currentem B. Virginis.

§. 4. Officium pro mortuis ab omnibus in Eccleſia, & ab iis qui horis Canonicis ex cauſa in Choro non interſunt privatim recitetur, modo & forma, prout in eodem Breviario Monaſtico adnotatur, ita tamen, ut Veſperæ mortuorum poſt Veſperas diei recitentur juxta rubricas ejuſdem Breviarii Monaſtici; Vigiliæ verò, & Laudes poſt Veſperas prædictas, aut opportuniori tempore.

Præterea anno quolibet ultra præcipuum mortuorum officium, quod recitatur ſecunda die Novembris, & alia ſingularia officia mortuorum, tam in die, quo humantur, quàm in ſeptimo, & trigeſimo, ſeu alio die, ac etiam Anniverſario, tria generalia mortuorum officia fieri mandamus in omnibus locis, & Monaſteriis ipſius Congregationis, unum quidem pro defunctis Monachis noſtræ Religionis, poſt exaltationem ſanctæ Crucis; alterum autem pro defunctis Fundatoribus, & Benefactoribus, poſt octavam Epiphaniæ; tertium verò pro defunctis Monachorum noſtræ Religionis parentibus, & conſanguineis, poſt octavam Corporis Chriſti; prima, ſcilicet feria, in qua non occurrit feſtum poſt feſta prædicta.

Item pro quolibet Monacho, & Oblato noſtræ Religionis, tam Novitio, quam Profeſſo, qui moritur in habitu Religionis, dicantur vigiliæ Mortuorum, ut ejus obitus nunciatus fuerit.

Item quoque fiat quando Summi Pontificis, & Protectoris obitus auditus fuerit.

Item ſi quis Monachus petierit in Capitulo veniam pro patre, matre, fratre, aut ſorore paulò ante mortuis, dicatur in Capitulo pſalmus De profundis, cum oratione convenienti.

§. 5. Oblati verò, ſive Converſi noſtri Ordinis quotidie pro horis Canonicis recitent Roſarium Beatæ Virginis Mariæ, & pro mortuorum officio idem Roſarium dicant prima die cujuslibet menſis, & ſimiliter cum in Choro recitatur officium magnum pro mortuis.

Ad prædictam igitur divini officii recitationem, & omnes horas Canonicas tam nocturnas, quàm diurnas, omnes qui debent, & potuerint (ut præmittitur) dato ſigno ultimo, ad Eccleſiam devotè accedant, & per ordinem juxta profeſſionis tempus, vel officii rationem in Choro diſponantur, & cum primum ad propria loca pervenerint, quilibet in ſuo genuflectat ad implorandum ſanctiſſimæ Trinitatis auxilium, juxta antiquam Patrum noſtrorum conſuetudinem, & traditionem, ac breviter oret.

Adjicientes, ut feſtivis diebus, & quandocumque frequens convenerit in Eccleſia populus, cuculiis induti, & cum cappa, qui Novitii ſunt, ad Eccleſiam conveniant; Idem quoque in ſolemnibus, & publicis proceſſionibus ſervetur.

§. 6. Cum autem convenerint, ut ſupra, ſtatim qui præeſt in Choro, poſt prædictam brevem orationem, ſignum faciat, & omnes ſe erigant, dictaque oratione Dominica, ſalutatione Angelica, aut etiam ſymbolo Apoſtolorum, juxta rubricam Breviarii, Sacerdos, cui hoc competit, officium divinum incipiat, & omnes illud devotiſſimè proſequantur. Cum verò divinum recitatur officium, omni qua decet humilitate, ac devotione aſſiſtant, nec loquantur, niſi magna neceſſitate coacti, & ſubmiſſa voce, ut ne quidem minima muſſitatio audiatur; laſcivas, & impuras muſicas, motus corporis incompoſitos evitent, ut qui interſunt ædificentur; cum per Eccleſiam incedunt modeſtiam præſeferant.

Durante divino officio, è Choro non egrediantur, niſi urgenti cauſa, & venia à Præſidente obtenta; pſalmos, lectiones, omneſque alias officii partes, tam recitando, quàm cantando punctis, & notis, atque convenientibus, & debitis pauſis diſtinguant, & terminent ſecundum antiquum uſum ipſius Congregationis.

Ac ideò Præſidentes Monaſteriorum, tam in punctis, quàm rubricis, & notis, dictionibus, & ſyllabis libros Eccleſiaſticos ſtudeant à peritis ſecundum prædictum uſum uniformiter conſcribi, atque corrigi, itaut idem divini officii modus ab omnibus ubique ſervetur.

§. 7. Cum

§. 7. Cum autem tardius ad Chorum Monachi conveniunt, ad altare converſi genufle&tant, atque tacitè, & humiliter ſubmiſſo capite, propriæ tarditatis eos pœniteat, & tamdiu ſic pœnitendo perſeverent, quouſque Præſidenti viſum fuerit, eos pro modo culpæ ſatisfeciſſe. In cæteris autem deficientes arguantur in Capitulo, vel in ipſo Choro ſatisfaciant ad libitum Præſidentis, prout temporis, vel culpæ ratio pro fidelium ædificatione requirit.

Levius in Choro deficientes, dete&o capite genufle&tant in ſcamnis; Gravius verò deficientes, proſtrati in medio Chori ſatisfaciant ad ſignum, & nutum Præſidentis; finito autem divino officio, antequam ab Eccleſia diſcedant, orent genuflexi, dicant verſus, orationes, & antiphonas, prout in Breviario, & ad ſignum Præſidentis omnes pariter ſurgant, & cum ſummo ſilentio exeant, ut mandat ſanctus Pater Benedictus in regula cap. 52.

Ceremonias autem inter cantandum, ſeu recitandum divinum officium, & in Miſſis, atque proceſſionibus ſolemnibus, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus faciant, atque obſervent juxta Ceremonialia, & Rituale Romanum ultimò editum.

§. 8. Oratio etiam mentalis omninò fiat quotidie in Choro, aut alio aptiori loco, hora, quæ Abbati, & Prælato magis opportuna videbitur, commodè autem videtur fieri poſſe poſt laudes, & poſt Completorium, & ad minus per ſpatium dimidiæ horæ protrahatur, atque ad eam omnes, nemine excepto etiam Converſi, conveniant. Privatim etiam in oratione mentali ſe exerceant Monachi, & exercitationes alias ſpirituales frequentent, & legantur ſæpe, & ſerventur ea, quæ tradit ſanctus Pater Benedictus in Regula à cap. 4. uſque ad 8. & cap. 20. & 52.

Ac præter opus meritorium, quod hujuſmodi exercitationum ſpiritualium frequentia faciunt, advertant, & meminerint etiam à fel. rec. Paulo Papa V. Religioſis (revocatis Indulgentiis) novas eſſe conceſſas, ut ſua Conſtitutione cavetur, cujus tenorem in calce præſentium Conſtitutionum inſeri decrevimus. Prælati diligenter curent, ut Monachi ſæpius vel ſaltem ſemel in anno exercitia ſpiritualia, quæ etiam apud alios Religioſos frequenter habentur, & noſtris majoribus, ac primis Patribus fuerunt in uſu, amplectantur, & frequentent, moneantque illos de fructu, & Indulgentiis per ipſos acquirendis, juxta prædictam Conſtitutionem fel. rec. Pauli Papæ V.

Caput II.

De Celebratione Miſſarum.

§. 1. Officium Miſſarum, Proceſſionum, Palmarum, Candelarum, Cineris, & Mortuorum, ſecundum Romanum ritum, & ordinem in omnibus locis, & Monaſteriis ipſius Congregationis ubique exiſtentibus recitari, ſeu decantari mandamus, ac propterea volumus, ut ipſius Congregationis Monachi ſecundum eumdem ritum, Miſſali monaſtico, & modo canendi Epiſtolas, Evangelia, lectiones, & orationes utantur, eumdemque prorſus modum, & ordinem in prædictis ubique ſervent.

§. 2. In Miſſis tam conventualibus, quàm votivis decantandis ſervetur in unoquoque noſtro Monaſterio antiqua conſuetudo, de qua fiat adnotatio in Tabella.

Attamen prima die Capituli Generalis de Spiritu ſancto. Secunda de Trinitate. Tertia verò de Beata Virgine Miſſæ in omnibus locis, & Monaſteriis noſtræ Religionis devotiſſimè decantentur.

§. 3. Item pro quolibet Congregationis noſtræ Monacho, & Oblato, tàm Novitio, quàm Profeſſo cum habitu, & gratia Religionis defuncto, ſingulis in locis, & Monaſteriis cantetur Defunctorum Miſſa, ut primum ejus obitus ipſis Monaſteriis fuerit nunciatus, & quilibet ſacerdos Miſſam celebret pro illius anima. In monaſterio autem ubi moritur, quilibet ſacerdos tres Miſſas pariter celebret. Idem quoque fiat quando ſummi Pontificis, aut Protectoris obitus auditur, in omnibus Monaſteriis.

§. 4. At poſt exaltationem ſanctæ Crucis pro omnibus ſratribus defunctis, poſt octavam Epiphaniæ pro omnibus benefactoribus, & fundatoribus, & poſt octavam feſti Corporis Chriſti pro omnibus parentibus, & conſanguineis Monachorum ordinis noſtri, prima videlicet feria, in qua non occurrit feſtum poſt feſta prædicta uſque ad tres dies annuatim continuas per ſingulas prædictas ferias in omnibus locis, & Monaſteriis noſtris per omnes ipſos tres dies cantetur Miſſa pro eiſdem ſolemniter, & ſacerdotes dicant tres Miſſas poſt feſta prædicta pro eis. Cum autem inter ipſos tres dies feſtum occurit duplex ad ſequentes dies ſimiliter non impeditos Miſſæ prædictæ decantandæ celebratio transferatur: Semper quoque ſacerdotes in Miſſa commemorationem faciant omnium mortuorum Con-

gregationis noſtræ, ſivè ſit Miſſa pro vivis, ſivè pro mortuis in memento pro defunctis.

§. 5. A prædicta igitur Miſſarum celebratione, aliorumque ſolemnium, atque à proceſſionibus quibuſcumque, tam ex præcepto, quàm ex devotione, & conſuetudine, faciendis, aliisque præmiſſorum occaſione requiſitis, nullus penitus Monachus noſtri Ordinis (niſi legitimè impeditus) eximatur, aut niſi ex Regulæ, Conſtitutionumque diſpoſitione fuerit exemptus.

§. 6. Item omnes presbyteri (quoad fieri poterit) ſæpius tam ex debito pro mortuis perſolvendo, quàm ex devotione Miſſas celebrent; officiales quidem ſingulis diebus feſtis, & ter ſaltem in hebdomada; cæteri autem ſacerdotes tertiò quoque die, niſi fuerint impediti. Prælati verò pariter ſæpius celebrent, & quotidiè (ſi legitime impediti non celebrant) Miſſam audiant, niſi noſtrarum eccleſiarum onera ſæpius celebrari requirant: Curent ſimiliter Prælati, ut Oblati, & famuli Miſſam quotidie audiant. Meminerint verò Monachi ſacerdotes, à fel. mem. Paulo Papa V. Religioſo ſacerdoti canonicè promoto, & confeſſo primam Miſſam celebranti, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die ſimiliter Miſſam celebraverint, Indulgentiam peccatorum plenariam eſſe conceſſam. Et in feſto principali ordinis cuilibet Religioſo confeſſo, & communicato, aut Miſſam celebranti, ac Deum pro ſanctæ Eccleſiæ exaltatione oranti, ſimiliter plenariam.

§. 7. Studeant autem Prælati, ut obligationes in lucem evocent Miſſarum, aliorumque onerum, & deſcribi curent in Tabella, quæ in Sacriſtia appenſa remaneat, Miſſarum numerum.

Caput III.

De Confeſſione, & Confeſſoribus.

§. 1. Studeant ſacerdotes cum celebrare voluerint, pœnitentiæ ſacramento, & ſemel ſaltem in hebdomada mundare conſcientiam, ac immaculatam hoſtiam ſine macula contrectare, ut dignè offerant, & ſuſcipiant; Cæteri etiam Congregationis noſtræ Monachi, & Oblati ſingulis menſibus, tam in monaſteriis, quàm extra, ad confeſſionem ſaltem bis accedant, & in prima Dominica menſis cujuslibet ſemper Euchariſtiam ſumant.

Quicumque verò (ut præmittitur) confeſſionis ſacramento conſcientiam abluere neglexerint, ſaltem ſemel in menſe, puniantur acriter ad arbitrium Superioris. Et Prælati ipſi, qui hanc Conſtitutionem ad unguem ſervari non curaverint, ab officio per menſem ſuſpenſi ipſo facto cenſeantur, qua ſuſpenſione durante Vicarius illius officium exerceat.

§. 2. Cum autem conſcientiarum inquinamenta dignoſcere, peccatorumque differentias, & peccati ſpeciem mutantes circumſtantias dijudicare, non vulgare exigat judicium. Ideò in ſingulis Ordinis noſtri monaſteriis, quæ per Abbates, aut per Priores reguntur, Superiores, aut etiam Abbas Generalis ex rationabili cauſa deputent tres Confeſſarios, ſive plures, aut pauciores pro Subditorum numero majore, aut minore, ſed non minus duobus, juxta Conſtitutionem Clementis VIII. Confeſſarii verò per prædictos deputandi, ſint prudentia, charitate, & ſcientia prædit, & ſi fieri poteſt, ætate provectiores, qui à caſuum reſervatorum abſolutione abſtineant, niſi facultate obtenta à Superiore.

Circa caſuum reſervationem, Superiores locorum, ut ſupra decretum Clementis Papæ VIII. attendant, ut ſcilicet, ea tantum peccata reſervent, quæ in ejuſdem Clementis decreto expreſsè continentur, aut ex illis aliqua prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint. Quod ſi aliud peccatum grave præter ea pro Religionis conſervatione reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli matura diſcuſſione, & conſenſu.

Attendant præterea Congregationis noſtræ Superiores, ne Monachi aliis, quàm deputatis peccatorum ſuorum confeſſiones aperiant, nevè alterius Congregationis, vel Ordinis regularibus, aut Presbyteris ſæcularibus peccata confiteantur, niſi in mortis articulo, aut de ſuorum Superiorum conceſſione, aut cum non adeſt inculpabiliter copia Confeſſarii, ut contingit iter agentibus.

Nullus ex ordine noſtro ſecularium confeſſiones audire præſumat, niſi à ſuo Prælato fuerit coram Ordinario loci præſentatus, & ab eodem facultatem ad id obtinuerit, aut à ſancta Sede Apoſtolica ſpeciali indulto fuerit deputatus, qui nihilominus à reſervatis abſtineat, niſi de eiſdem caſibus Ordinario, aut Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in mandatis legitimam etiam obtinuerit facultatem.

Caput IV.

De Excommunicatione.

§. 1. SPiritualis impedimenta medicinæ, quæ pro ablutione peccatorum, & emundanda conſcientia adhibetur, quamvis multa eſſe noſcantur; ea tamen per quæ ab Eccleſiæ gratia, & participatione divinorum officiorum alliqui abſcinduntur, & ſuſpenduntur, maximi videntur eſſe periculi, præcipuumque requirere pro reintegratione remedium ſalutare. Itaque Abbates, & qui curam gerunt animarum, quique ad aliorum Confeſſiones audiendas deputantur in primis attendant, & cum omni qua decet ſollicitudine perquirant ſuper caſibus excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ut ſubditos ſuos, aut pœnitentes valeant, cum occurit in iis, quæ ſibi de jure, vel privilegio permittuntur, abſolvere, aut diſpenſare cum eis, & in aliis eos ad Superiores, & ſanctam Sedem Apoſtolicam pro abſolutione, vel diſpenſatione remittere.

Caput V.

De Novitiis recipiendis.

§. 1. UT hæc ſancta vinea, quam ſanctiſſimus Pater Benedictus multo ſudore plantavit novis ſubcreſcentibus vitibus vireſcat, indeque incrementum ſuſcipiat: Monachi Novitii ad Ordinis noſtri habitum, juxta infraſcriptum modum, non aliter accipiantur, niſi ſponte, firmoque propoſito, ac bono zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, nullaque dignitatum, lucri, vel otii ſpe ducti ſe Deo dicare velint, neque cuiquam facilis tribuatur ingreſſus, ſed probentur ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Idcirco ſerventur ea, quæ S. P. Benedictus præſcribit in Regula cap. 8. de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum.

§. 2. Recipiendi, ſint corpore ſani, ex legitimo matrimonio, & honeſtis parentibus nati, ſint conditione liberi, & in ætate legitima conſtituti, ut ſaltem quartum decimum ætatis annum compleverint, grammaticalibus rudimentis inſtructi, non excommunicati, non ſchiſmatici, non alterius Congregationis Profeſſi, niſi ſummus Pontifex expreſsè juſſerit, ut recipiantur, nulla ſint vulgari infamia maculati, de nullo errore ſuſpecti, non criminoſi, non ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii, ſani mente, Deum timentes, & qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem, & obedientiam in omnibus, & per omnia ſervaverint, & tenuerint. Sint etiam cum membris aptis, & nullum habeant in illis notabilem defectum, nec in vultu cicatrices, ac demum tales, qui ritè, & canonicè poſſint ad ſacros Ordines promoveri. Quod ſi vigeſimum annum exceſſerint, non niſi per Capitulum Diffinitoriale admittantur. Et ſi quis vigeſimum quintum excedens admitti poſtulaverit, & eruditionis expers inventus fuerit, in Converſorum numerum, & habitum admittatur.

Qui pro laicis, & oblatis recipiuntur ſint ſimiliter liberi, ac ſani mente, & corpore, atque ad labores utiles, apti, & tales ut eorum admiſſio Monaſteriis proficua ſit, & populo non modicam afferat ædificationem. Nec recipiantur pro Converſis ante decimum octavum, & non poſt vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint. Qui verò vigeſimum quintum exceſſerint, non niſi per Capitulum diffinitoriale recipi poſſint.

§. 3. Recipiendorum verò qualitates per fide dignorum hominum teſtimonium probentur, & quæſitæ viſæ, ac notæ ſciantur, itaut nulla remaneat ſuper eis ambiguitas, antequam ad habitum admittantur. Inquiratur etiam ſuper corporis valetudine, ne ad ordinem noſtrum aliqua detentos infirmitate occulta, aut contagioſa, ut lepra, morbo gallico, vel caduco, aut valetudinarios recipiant. Si verò interrogati morbum celaverint, cum morbus innotuerit, ſi profeſſi expreſsè non ſint, ejiciantur. Idem ſerventur ſi aliquid ex requiſitis ſupra, ſibi deeſſe compertum fuerit. Et recipiendi omninò eas conditiones habeant, quæ ſacris Canonibus, ſummorum Pontificum præſertim Clementis VIII. Conſtitutionibus, & Decretis generalibus ſuper Novitiorum receptione, profeſſione, & inſtitutione ab eo editis, & in Regula præſcribuntur.

§. 4. Sacri Concilii Tridentini diſpoſitioni inhærendo, ut in Monaſteriis noſtris is tantum numerus conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui ex ipſorum redditibus commodè poterit ſuſtentari: Statuimus quod in eadem Provincia plures ad habitum recipi nequeant, quam ejuſdem Provinciæ Monaſteriorum facultates ferre poſſint; & quot ſucceſſivè deficient in qualibet Provincia, tot & non plures ſucceſſivè recipiantur in locum deficientium ex illiſmet Provinciis, unde ſunt Monachi, qui deficiunt, ſi habiles, ut ſupra repe-

riantur, ſin minus diligentius exquirantur. Numerus autem perſonarum in Monaſterio cujuslibet Provinciæ à Diffinitoriali tantum Capitulo deputetur.

§. 5. Nullus Religionis noſtræ cujuſcumque ſit gradus, quempiam noſtro habitu induere, & ſic ad Congregationem recipere, & exacto probationis anno ad profeſſionem admittere audeat, ſub pœna privationis propriorum officiorum, ſine Abbatis Generalis, aut Diffinitorialis Capituli licentia, quæ licentia non tribuatur, niſi habita informatione, & plenè compertis recipiendorum qualitatibus ſupradictis. Hi verò qui excedent decimum ſextum ætatis annum non recipiantur, aut admittantur extra tempus hujuſmodi Capituli per Abbatem Generalem, niſi in Congregatione ſaltem trium principalium Patrum naturalium Quarterii ab ipſo, & eodem Capitulo deputanda, & de ejus mandato congreganda reſpectivè approbati, & admiſſi fuerint, juxta formam, & modum prædictarum Conſtitutionum Summorum Pontificum, & Decretorum generalium Clementis VIII. Admiſſi ad habitum ad ea Monaſteria tranſmittantur in Provincia, ubi fuerit Novitiatus, ac in iisdem Monaſteriis habitum Religionis ſuſcipiant; vel ſi in aliquo ex Monaſteriis principalibus Religionis habitum ſuſceperint, ſtatim cum litteris teſtimonialibus ad locum Novitiatus tranſmittantur. Recipiendi autem coram Patribus congregatis toto corpore humi proſtrati petant ſupplices ſe recipi, & genu flexi, junctiſque manibus inter manus recipientis, habitu Novitiorum induantur, videlicet alba tunica, cingulo conſtricta, patientia nigra, & cappa nigra à cingulo ſuperius clauſa, uſque ad collum, inferius verò ſciſſa ſine manicis, & cum caputio, & ſic induti pro Novitiis habeantur, tondeanturque more Monaſtico.

Qui verò ad Oblatorum habitum fuerint admiſſi, tunica alba induantur cum patientia nigra pro latitudine tertiæ partis Saiæ, quæ vulgo dicitur Scotto, & ſic in probatione maneant uſque ad Profeſſionis emiſſionem. Sed antequam admittantur, prædicentur eis dura, & aſpera juxta Regulam, & de tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & aliis Congregationis Inſtitutis diligenter inſtruantur.

Quilibet autem habitum monaſticum ſuſcipiens die primo ipſius ingreſſus in Religionem per generalem peccatorum confeſſionem conſcientiam diſcutiat, & expurget: Nam & fel. rec. Paulus Papa V. die primo ingreſſus in Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, plenariam conceſſit Indulgentiam, quod erit illis ſignificandum.

§. 6. Recepti ergo juxta edictũ Regulæ, & prædictas Clementis VIII. Conſtitutiones, & Decreta in ſeparato loco à Dormitorio, & loco Profeſſorum collocentur.

Locus autem hujuſmodi ſit omnino propria clauſura à loco Profeſſorum ſegregatus, atque diſtinctus.

Habeat tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, nec non cellulam, aut certum locum pro Magiſtro, ejuſque Socio, ubi neceſſarius fuerit.

Sit etiam locus aptus ad ſpirituales collationes faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & ad ignem communem hiemis tempore, & ſi commodè fieri poterit, etiam Capella ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in ceremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

Habeant Novitii hortum peculiarem ad honeſtam recreationem, ſin minus concedatur eis per hortum communem certis horis ſpatiari, præſente Magiſtro, cæteriſque Monachis remotis.

Ad Novitiatum, aut Novitiorum cellas nemini ullo unquam tempore pateat aditus, præterquam Magiſtro, ejus Socio, & Superiori Monaſterii, quandocumque ſibi ingrediendum neceſſario judicaverit, & tunc cum Magiſtro, & aliquo ex Patribus ſenioribus, & Superioribus majoribus, ac Viſitatoribus tempore viſitationis.

Locus idem ſit ſemper clauſus, & clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur; neminem Novitii alloquantur, niſi concedente, & præſente Magiſtro, & non aliter.

§. 7. Provideatur Novitiis de Magiſtro, qui ſit Sacerdos ſaltem annorum quadraginta, bonorum morũ, & vitæ anteactæ exemplo, ac doctrina præſtanti, per decennium profeſſo, Regulæ, ac Inſtitutorum noſtræ profeſſionis experto, & jugo Monaſticæ diſciplinæ aſſueto, qui eoſdem Novitios in Dei timore, regulari diſciplina, divinis officiis, cantu firmo, ac ceremoniis Eccleſiaſticis ſedulò exerceat. Doceat quoque vocationis, qua digni facti ſunt præſtantiam, votorum ſolemnium, ac Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam; modum in oratione mentali, & etiam vocali fructuosè perſiſtendi, paſſiones illicitas cohibendi, ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem, crebram conſcientiæ diſcuſſionem, & examen ſæpius in dies, ſacramentorum frequentiam præſertim Pœnitentiæ, exercitium humilitatis, circa viliora miniſteria, quæ eis imponuntur, mode-

modeſtiam in geſtu, & omnibus actionibus, frequens diuturnumque ſilentium, præſertim præſcriptis, & ſtatutis horis; diſciplinas quoque, & auſteritatem, ac cæteras obſervantias ad præſcriptum Regulæ, & ſpiritualis fructus augmentum.

Ad hæc autem addiſcenda, & cum fructu adimplenda, dentur Novitiis præter Regulam, libri ſpirituales pro cujuscumque captu tam latina, quàm vulgari lingua conſcripti in quorum lectione ſæpe verſentur; bis ſaltem in die dent operam orationi mentali, non ſolum publicè cum cæteris in choro, ſed etiam privatim in cella.

§. 8. Ad Regulæ, ac Conſtitutionum expoſitionem in Capitulo conveniant Novitii cum Profeſſis, ad collationes, & ſermones: Similiter in choro, In proceſſionibus, & refectorio: alio tempore nuſquam cum Profeſſis commorentur; neque tamen cum illis loquantur, niſi neceſſariò, & præſente Magiſtro.

Nullo modo permittatur Novitiis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Soli Magiſtro Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur, licebit tamen Superiori etiam locali ipſis Novitiis ſemel, aut bis in anno confeſſarium extraordinarium deputare.

Exercitationes etiam corporales, & opera manuum imponantur, juxta regulam, atque etiam modeſtæ animi relaxationes, ſed in ſolitario loco, & extra Novitiatum ſemel in hebdomada, ſemper præſente Magiſtro, qui curet, ne duo ſimul ab aliis commorentur, aut vagentur disjuncti, & tunc cujuſque naturalem propenſionem animadvertat.

Pro communibus, & propriis cujuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, unus ex Novitiis ætate moribuſque provectior deputetur, qui omnia prout opus fuerit agat, & eidem januæ cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

Novitii etiam cum reliquis Clericis Profeſſis ad ſacram Euchariſtiam bis in menſe accedant, & in omnibus præcipuis ſolemnitatibus. In Quadrageſima verò, & Adventu ſingulis dominicis diebus confiteantur, & communicent.

§. 9. Converſi etiam in loco ſeparato à Clericorum Novitiatu ad dormiendum collocentur ad exercitationes ſpirituales alicui ſeniori per Superiorem deputando, ac Superiori Monaſterii ſubditi ſint, neque tantum circa corporalia obſequia probentur, verum etiam pro eorum capacitate de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi diligenter inſtruantur. Et idcirco ad Capitula, & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Novitiis, vel in Monaſterio fieri ſolent, accerſiri debent, & etiam in Eccleſia convenire ſtatutis horis, niſi tunc in ſuis officiis fuerint actualiter occupati.

§. 10. Magiſtri Novitiorum deputentur, & ſtatuantur in Diffinitoriali Capitulo, per triennium adminus quod ſi extra tempus capitulare, & intra triennium aliquem eorum vel mori, vel urgenti de cauſa amoveri contigerit, tunc per Abbatem Generalem, de Diffinitorum tamen Quarterii reſpectivè conſilio, deputatio Magiſtri hujuſmodi, & ſubrogatio fiat. Et eadem ratio habeatur, ubi dandus ſit Socius, qui in regimine Novitiatus Magiſtro immediatè ſubjectus exiſtat.

Magiſter Novitiorum, & Socius, ubi fuerit datus, ab omnibus officiis, & oneribus ſint exempti, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire poſſunt.

Ipſi autem Novitii, ſi magiſtram in omnibus non ſequantur Regulam, atque in monaſticis Inſtitutis minus profecerint, à Monaſterio ejiciantur, aut ſi ex ipſorum diſpoſitione voluntatis, vel aliàs humanis litteris imbui recuſaverint, vel nequiverint, ut propterea ad ſacros ordines promoveri non poſſint, ſi diſcedere noluerint, veſtibus induantur Oblatorum. Sed qui ad Oblatorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire nullo unquam tempore poſſint; & ſi habitum dimiſerint, & habitum alterius Religionis receperint, ad noſtrum ordinem nullus omninò detur regreſſus.

§. 11. Veſtes autem ipſorum, quibus ante ingreſſum utebantur, & alia, quæ ſecum ad Congregationem detulerunt, antequam reciperentur, & ſimiliter donata, vel legata ab eis conſerventur ad annum, nec liceat cuiquam interim de eis diſponere: elapſo anno ſi profiteri voluerint, emiſſa profeſſione, diſtribuantur, prout Abbati viſum fuerit, pro Monaſterii utilitate, vel commodo.

§. 12. Quod ſi completo anno, receptus in ætate exiſtens legitima profiteri voluerit Ordinem Monaſticum, & cum excipienti poſt diligens, & novum examen placuerit admittere, idem recipiendus teneatur profeſſionem expreſſam in ſcriptis facere, ipſamque ſcribere manu ſua, vel ſigno S. Crucis, ſi Oblatus fuerit, & ſcribere ignoraverit, ſignare, ſcriptam quoque omnibus adſtantibus

tibus propria voce legere, lectamque in Altari deponere juxta formam à S. P. Benedicto in Regula traditam, & in Congregatione conſuetam, atque ab Abbatis, vel Prælati manibus Cucullam, aut ſi Oblatus fuerit Cappam ab anteriori parte apertam accipere, ita ut Clericus ab Oblato diſcernatur. Debent autem Novitii ipſa die profeſſionis peccata ſua confiteri, & ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, nam pœnitenti, & confeſſo, ac ſacra Communione refecto Novitio, poſt completum probationis annum, profeſſionem emittenti, plenariam peccatorum Paulus Papa V. concedit Indulgentiam.

§. 13. Profiteatur autem Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, morum converſionem, & ſtabilitatem in Congregatione, juxta Regulam ſanctiſſimi P. N. Benedicti: Ipſa verò Profeſſio in Monaſteriis recipiatur, ubi fuerint Novitiatus inſtituti, atque etiam in aliis, ubi vigeat regularis obſervantia, ex cauſa tamen rationabili, & conſulto Abbate Generali, aut Capitulo Diffinitoriali; In aliis autem nullo modo permittatur.

Ad Profeſſionem verò ante decimum ſextum ætatis annum, & non niſi expleto, & continuato probationis anno, Novitii Clerici non admittantur, Converſi verò, ſeu Oblati, niſi vigeſimum primum ætatis ſuæ annum exceſſerint; Profiteri verò volentes, in Capitulo humiliter petitionem faciant, & ſuper ipſa petitione vota Patrum exquirantur per ſcrutinium ſecretum, nec aliter cenſeantur admiſſi, niſi majorem votorum partem obtinuerint.

Cùm primum autem profeſſionem emiſerint, in Matricula deſcribatur eorum nomen, cognomen, nomen parentum, patria, in qua natus eſt, profeſſioniſque locus, annus, menſis, & dies annotentur in libro ad hoc ſpecialiter deputato, ipſamque profeſſionem ſic regiſtratam Profeſſus propria manu, & duo teſtes qui præſentes fuerint ſubſcribant, & juxta decretum Clementis PP. VIII. idem liber aſſervetur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium pertinentes cuſtodiri conſueverunt. Ea verò omnia, quæ ſupra ſtatuta ſunt circa receptionem, & profeſſionem Novitiorum, obſervari volumus, ſub pœnis privationis officiorum contra Superiores, nullitatis, & aliis in prædictis Conſtitutionibus, & decretis Clementis PP. VIII. contentis.

§. 14. Prædicti autem jam in Profeſſorum numerum recepti, vt melius in bono ſpiritu, & regularis diſciplinæ obſervantia confirmentur, ſi in eodem Monaſterio aderit locus Profeſſorij, ſive ſecundi Novitiatus diſtinctus ab habitatione antiquiorum Profeſſorum, & Novitiorum ibi collocentur, ſi eos Monaſterium alere queat, ſin minus ad aliud Monaſterium commodum ad hujuſmodi effectum deputandum tranſmittantur, in quo locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupra narratis reperiatur: Quo in loco degant ſub regulis, & modo vivendi, prout in Novitiatu, ibique permaneant uſque ad ætatem ſacris ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem, vel ut ſaltem per triennium, & litterarum ſtudiis operam dent ſub regimine Superioris iis qualitatibus prædīti, quibus Magiſtrum Novitiorum præditum oportere eſſe dictum eſt. Ac propterea in Capitulo Diffinitoriali, vel intra triennium ab Abbate Generali cum conſilio Diffinitorum Quarterij reſpectivè locus hujuſmodi deputetur in quolibet Quarterio, & provideatur de Magiſtris tam pro exercitatione obſervantiæ Regularis, quàm pro ſtudiis litterarum. Lectores verò Philoſophiæ, & Theologiæ iiſdem gaudeant privilegiis, quibus Magiſtrum Novitiorum gaudere dictum eſt. Et cætera obſerventur, quæ in Conſtitutionibus fel. rec. Clementis Octavi præſcripta ſunt.

§. 15. Præterea tam ſeculares, quàm alios maſculos, & fœminas, bonæ tamen conditionis, & famæ, qui ſe ſe, & bona ſua ſponte noſtræ Religioni offerunt, ac donant, poſſint Prælati Monaſteriorum pro Oblatis, & mortificatis recipere, dummodò iidem Oblati, ſi conjugati fuerint, obedientiam, ſin autem cum obedientia paupertatem, & caſtitatem ſuis Prælatis promittant, & Cappa B. Petri Cœleſtini Patris noſtri poſtmodum induantur, eamque deferant: & ſi peccaverint ſicut cæteri Monachi corrigantur; & ut Monachi ipſi, dum vixerint, Religionis gaudeant privilegio ſpeciali, dummodo cum effectu obtulerint ſe, & ſua, & actu inſerviant, & habitum ſolitum cum ſigno deferant. Prædictis autem Oblatis uti interulis lineis, & veſci carnibus liceat in domo propria, vel etiam viris in Monaſterio, ſi ab Abbate de ſpeciali gratia concedatur: Cum hujuſmodi autem Oblatis fœminis nimia familiaritas, & privata locutio, etiam in ipſa Eccleſia omninò vitetur.

CA-

Caput VI.

De Promovendis ad Ordines.

§. 1. CUm autem ante Profeſſionem emiſſam minimè ſint Novitii aggregandi, integrumque illis ſit manere, vel abire, ideò præſenti Conſtitutione ſancimus, quod Novitii nullatenus ante Profeſſionem valeant minoribus, aut ſacris Ordinibus initiari. Profeſſi verò ab Abbate Generali, vel de ejus licentia, in ſcriptis habita, ad minores tantùm, ad majores autem de ipſius, vel diffinitorialis Capituli licentia in ſcriptis obtenta, valeant promoveri. Ad minores quidem ii, qui linguam latinam callent, bonoſque mores præſeferunt, & aliàs habiles reperti fuerint, quoſvè eruditionis ſpes majoribus Ordinibus dignos fore promittat, promoveantur juxta Sacri Concilii Trid. diſpoſitionem, & per temporum interſtitia, niſi Abbati Generali, vel Capitolo ſupplicandum Epiſcopo neceſſitatis cauſa, pro diſpenſatione ſuper interſtitiis, videbitur, ut in unoquoque munere ſe exerceant.

§. 2. Ad majores autem ordines ii promoveri valeant, qui juxta ejuſdem Concilii decretum habiles, & digni, prævio examine tales, & idonei judicati fuerint, quorum probata vita ſit, & in inferioribus ordinibus jam probati, & à poſtremo ordine ſuſcepto ad ſuſcipiendum per annum ad minus in miniſterio ſuſcepti ordinis verſati, & aliàs digni ad ſuſcipiendos ordines dijudicati, ac litteris, & his, quæ ad ordinem exercendum pertinent inſtructi, ſuper quibus ipſe Abbas Generalis, vel Diffinitores diligentiſſimè ſe informent, ordinandorum genus, perſonam, natalia, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtigantes, & examinantes, & talibus repertis, licentiam in ſcriptis tribuant, ut poſſint ſe coram quocumque Catholico Epiſcopo gratiam, & communionem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ habente, conferre, atque ad ſacros Ordines promoveri ad formam decreti Clementis VIII.

§. 3. Si qui verò grandiores natu ad Religionem accedunt, & in ea profitentur, ita per temporum interſtitia ordinibus initientur, tam minoribus, quàm ſacris, & juxta ejuſdem ſacri Concilii decreta non modo in ætate requiſita cum ordinantur, conſtituti, ſed aliàs habiles ſint, ac idonei, & nihilominus ipſi quoquè ad Subdiaconatum, non ante ſecundum, ad Diaconatum non ante tertium, & ad Presbyteratum non ante quartum, ab

emiſſa eorum profeſſione, annum, valeant promoveri.

Caput VII.

De Studiis.

§. 1. NE autem Clerici propter inſcitiam à divinis repellantur, dicente Domino, quia ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi, & ut ad divinarum rerum cognitionem poſſint facilius pervenire. Ideò diſtrictè præcipimus, ut Profeſſi, qui ad humaniores litteras percipiendas idonei judicati fuerint, ad præcipua Monaſteria ad id deputanda, vel deputata, & ubi litterarum ſtudia vigent, ſtatim, ut dictum eſt, tranſmittantur, diſtribuanturque, ſecundùm prædictorum Monaſteriorum commoditatem, & facultatem, prout Patribus Diffinitoribus videbitur, vel Abbati Generali pro tempore exiſtenti.

§. 2. In quibus Monaſteriis Superiores ipſi Præceptorem doctrina, & moribus præditum ex eadem Congregatione deputare teneantur, qui juniores præfatas humanas litteras doceat, latinas ſcilicet, græcas, & hebraicas. Qui verò ad ſcientiarum intellectum apti eſſe dignoſcentur, ad ſtudia, ſuperioreſque facultates, juxta eorum habilitatem promoveantur, & quamprimum ad loca illa, in quibus de præſenti retinentur, vel retinebuntur in poſterum ſtudia, tranſmittantur.

Ad ſtudia autem deſtinentur hi, qui bonam ſpem de ſe concitarunt; quare in ſingulis Diffinitorialibus Capitulis, tam annalibus, quàm generalibus prævio examine, & ſufficientia, & requiſitis qualitatibus præditos ad ſtudia tranſmittant, nec aliter quiſquam in poſterum admittatur, & propterea in Capitulo Diffinitoriali deputentur Examinatores, ac Viſitatores etiam tempore viſitationis, qui eamdem diligentiam, & examen adhibeant. Cum autem ſtudentes ad locum ſtudii accedere voluerint, Superiores locorum undè diſcedunt dent eis viaticum, equum, ac ſi quæ alia fuerint eis neceſſaria ex exacto ſubſidio.

§. 3. In primis autem in Abbatia ſancti Spiritus habeatur ſtudium publicum, ut ſicut ipſa caput eſt omnium Monaſteriorum, & ab ea in cætera Congregationis Monaſteria Regularis vitæ emanare debet exemplum, ita ſcientiarum, virtutumque ſemina diffundantur,

Inſuper in ſingulis Quarteriis pro Studentium commoditate, atque ut ſtudii onera per ipſa Quarteria diſtribuantur, ſingula erigenda eſſe ſtudia decernimus, in illis videlicet Monaſteriis, in quibus id facilius, & commodius fieri poterit, & quæ commodiora viſa fuerint, tam in redditaum abundantia, quàm aliàs in ſitu, & habitatione.

Collegium Cœleſtinum nuper erectum in Alma Urbe, apud ſacras Ædes S. Mariæ in Poſterula ad Urſum, quam quidem Parochialem Eccleſiam cum honoribus & redditibus ſibi annexis anno 1627. tertio Kalendas Januarii SS. D. N. Urbanus PP. VIII. noſtræ Congregationi benignè in perpetuum aggregavit, & conceſſit, ad octo noſtros Religioſos juvenes ex quolibet Quarterio binos aſſumendos, (prout in Bulla Apoſtolicæ Conceſſionis) in SS. Canonibus, & Theologicis inſtruendos; in poſterum pro reſidentia Procuratoris Generalis Ordinis, qui ejuſdem Collegii & Eccleſiæ Abbas, & Præfectus futuris temporibus deputatur, deſerviat.

§. 4. In ſtudiis, ut ſupra deputandis pro infraſcriptarum facultatum lectionibus, provideatur de Lectore pro lectione ſacræ Theologiæ, qui ſit omninò doctus, & licentiatus in ſcholaſtica Theologia, atque ad hoc officium habilis, & idoneus, & qui legendo aliis totum Philoſophiæ curſum expleverit per triennium; Provideatur etiam de aliis ſimiliter idoneis, & licentiatis, qui inferiores facultates Logicam videlicet, & Philoſophiam, ac ſacros Canones, & caſus Conſcientiæ doceant.

§. 5. Lector per hebdomadam quinquies legat, & diſputet ab octava Paſchæ, uſque ad feſtum ſancti Jacobi, & inde à ſupradictis lectionibus vacet uſque ad feſtum S. Hieronymi; à feſto autem ſancti Hieronymi uſque ad Palmas legat omninò duas lectiones ejuſdem facultatis in die, vel ex Scriptura ſacra receptis, & probatis ejus Expoſitoribus inhærendo, vel ex Theologicis, maximè verò Divi Thomæ, & quotidie poſt prandium conferat, aut diſputet.

Lectores autem aliarum facultatum legant, juxta Studentium capacitatem, prout eis prudenter expedire videbitur.

§. 6. Cæterum, ut Scholæ in locis prædictis perpetuò conſerventur, & tam propterea legentes, quàm Studentes ob incommoda, exiguoſque redditus aliquando ſacrarum, & humanarum litterarum ſtudia intermittere non cogantur, præſenti Conſtitutione decernimus, quod in ſingulis Capitulis Diffinitorialibus de ſtudiorum neceſſitatibus, & indigentiis pro ipſorum conſervatione tractetur, ibidemque de ſubventionibus Monaſteriorum prædictorum, ac taxis propterea imponendis, aut redditibus applicandis provideatur. Subſidia verò ipſa ad hoc impoſita exigantur, & exacta pro ſtudii neceſſitatibus, & non in alios vſus de Diffinitorii, vel Abbatis Generalis mandato expendantur.

§. 7. Ut autem ob librorum defectum Studentes à ſtudio, & lectione deſicere non cogantur, in ſingulis Quarteriorum Gymnaſiis Bibliothecæ erigantur, & locupletentur, quibus etiam libri tam Studentium, quàm Lectorum, & aliorum Monachorum, ſi quos fortè apud ſe de Superiorum licentia pro uſu habuiſſent, poſt eorum mortem applicentur, & de cætero applicati cenſeantur Bibliothecæ ejus Quarterii, in quo moriuntur.

§ 8. Deputentur autem Cuſtodes Bibliothecarum, eorumque curæ ſit numerum librorum, & qualitatem apud ſe retinere, atque ſtudentibus eos, ut opus erit, de Prælati licentia diſtribuere, notamque eorum, quos iiſdem diſtribuerint, facere, & ut nullo modo aſportentur, aut diſtrahantur, diligenter cavere, integramque librorum notam, & numerum (cum opus eſt) reſignare. Quod ſi quiſpiam de furto, ſive aſportatione, aut diſtractione librorum convictus fuerit, capucio per annum privetur, & nihilominus libros reſtituere cogatur, ſi apud eum extant. Neque verò ullo modo libri Bibliothecarum aſportentur extra Monaſteria ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, cujus abſolutio Abbati Generali ſit reſervata, & aliis pœnis arbitrio ejuſdem Abbatis Generalis infligendis.

§. 9. Lectores cujuſcumque facultatis, cum eos lectionibus incumbere oporteat, à communibus Eccleſiæ, ac menſæ ſervitiis omnibus eximantur, atque ferialibus diebus tantum ab horis tam nocturnis, quàm diurnis, præterquam Tertia, Veſperis, atque Antiphona B. Virginis in Completorio, immunes ſint. Diebus autem feſtis duplicibus, Dominiciſque omnibus diebus, ad horas omnes canonicas, tam nocturnas, quàm diurnas, ſive legendas, ſive decantandas, & ad proceſſiones omnes, & ſingulas tam quotidianas, quàm ſolemnes, tam debitas, quàm injunctas, vel injungendas, & ad Miſſas quaslibet Conventuales ſingulis per totum annum diebus, poſt Tertiam, vel Sextam, vel

No-

Nonam decantandas, & ad officia mortuorum, tam generalia, quàm particularia pro aliquibus non tamen ferialia, & ad Capitula culparum convenire debeant, ſed officium, quod in Eccleſia dicere omittunt, explere privatim omninò teneantur, ſub pœnis contra omittentes divinum officium in ſacris Canonibus expreſſis.

Lectores autem actu legentes, ſi Sacerdotes fuerint, tam in Eccleſia, quàm in Capitulo, & in menſa immediatè primum locum teneant poſt Vicarium. Si verò Clerici, non Sacerdotes, poſt Sacerdotes immediatè locum teneant.

10. §. Sed & ſtudii tempus, quo ſcilicet ſtudium perfici poſſit, præfigendum eſſe duximus, ut alii cedentium loco ſucceſſive ad ſtudia mitti, & ſubrogari poſſint. Ideoque tres annos pro Humanitatis, Rhetoricæ, & Poeticæ facultatibus, totidemque pro Logicis, Phyſicis, & Metaphyſicis lectionibus, ac totidem pro Theologia, ſeu jure Canonico ſingulis Studentibus aſſignamus. Decernentes quòd interea provectiores repetant, Phyſici quidem, & Metaphyſici Logicam, Theologiæ verò Studentes, lectiones Phyſicas, & Metaphyſicas.

§. 11. Cum verò ſit Abbatis Generalis, & Capituli Diffinitorialis Lectores, & Prædicatores deputare, ut ii, qui magis idonei ſunt, deputentur. Nullus ad explanandas lectiones, niſi ſaltem Diaconatus ordine initiatus, ad verbum verò Dei populo prædicandum ſe ingerat, niſi ſit Presbyter, ac Licentiatus, ut ſupra, & habita ab iiſdem legitima facultate. Peracto verò toto curſu ſtudii adhuc per tres annos immediatè ſequentes, Theologi in principalibus locis, & ſcholis legere teneantur, atque in primis S. Thomæ Summam explanent; qui verò ex legitima cauſa legere non valuerint; prædicare debeant, prout à dicto Capitulo decernetur. Nec poſſint ad officia Congregationis aſſumi, niſi dicto triennio expleto, legendo, ſive prædicando, ut ſupra; quo quidem elapſo, propriis eorum ſuffragantibus meritis, ad Prioratus officium aſſumi poſſint.

§. 12. Qui verò ad prædicandum, ſeu legendum dimittendi erunt, coram Capitolo Diffinitoriali, ſeu Abbate Generali genuflexi, vel eo abſente, coram Prælato Monaſterii, fidei profeſſionem emittant juxta decretum ſacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionem Pii Quarti. Lectores autem, & Studentes in ſeparato loco diſputent, & lectiones audiant, & nihilominus ſicut cæteri, quoad regularem diſciplinam, & obedientiam Prælatis in omnibus, & per omnia ſubdantur. Advertant autem Prælati ne Studentes laicos intra Monaſterium cum Studentibus Monachis admittant, nevè eos ſimul cum eis habitare permittant, neque commorari, niſi de Superiorum licentia: Si autem legere, vel prædicare ſtatis temporibus intermiſerint, ab officiis omnino exercendis reijciantur, careantque Privilegiis & immunitatibus.

§. 13. Lectores etiam deputentur juxta ſacri Concilii Tridentini decreta, in ſingulis Monaſteriis, qui ſaltem ter in hebdomada præſcriptis diebus lectiones ſacræ Scripturæ eam interpretando, & Caſuum conſcientiæ habeant. Ad lectionem autem hujuſmodi omnes (nemine excepto (conveniant, eaque abſoluta circa explicatam doctrinam ſe ſe utiliter exerceant, provideantque omninò Viſitatores, & Prælati Monaſteriorum, ut hujuſmodi lectio numquam intermittatur, tam concedendo aliquas immunitates legentibus, quàm pœnas irrogando intermittentibus, vel negligentibus, & non adeuntibus.

Caput VIII.

De Nominibus, & Tonſura.

§. 1. Omnes ipſius Congregationis Monachi nullam in veſtibus, & Tonſura differentiam faciant, ſed juxta Regulæ diſpoſitionem, ſicut à principio Inſtitutionis noſtræ ſtatutum fuit, uniformiter veſtiant, & tondeantur, citra omnem exceſſum, faſtum, aut luxum.

Nullus præterea ſe Magiſtrum, Doctorem, Graduatum, aut Baccalaureum appellari permittat, neque alio uti nomine, aut titolo audeat, quam officii, quod obtinet, ne propterea præponatur aliis, niſi per Abbatem præpoſitus fuerit. Sed omnes in appellatione edictum Regulæ ſervent, ut ſcilicet juniores ſeniores ſuos, Patres appellent, ſeniores verò juniores Fratres vocent, omnes autem Patrem Abbatem nominent: Cognomina autem, pronomina, & agnomina in appellatione non addant; Turpia verò, vel obſcœna nomina penitus evitent.

§. 2. Monachi Religionis noſtræ comam non nutriant, neque barbam, ſed omni tempore decimo quinto quoque die comam, & barbam more monaſtico per tonſuram deponant, parva corona capillorum ſuper ſummitatem aurium in

circulum ducta: Oblati verò ſupra aurium ſummitatem non radant, ſed æqualiter tondeaot, ab auribus verò infra radant, & barbam ſimiliter deponant. Si quis ſecus fuerit pro vice qualibet ad pedes Monachorum comedat, ac in Capitulo recipiat diſciplinam, & ad obediendum cogatur.

Cum Abbas Generalis Religionis noſtræ ad quemcumque Religiouis noſtræ Monachum ſcribet, Prælato, vel ſubdito benedictionem mittat in Domino pro ſalute, ac eorum in Chriſto Patrem, & Fratrem ſe nominans humilem Abbatem ſancti Spiritus, ac Monachorum ſuorum Præſidentem ſe ſubſcribat; è converſo autem cum Prælati, & Monachi alii ſcribunt Abbati Generali recommendationem pro ſalute præſcribant, & obedientiam mittant, tam debitam, quàm devotam, ac ſe ſe ipſius in Chriſto filios nominantes, nomina officiorum, quæ obtinent, apponant. Si officiales fuerint, ſe pro humilitate immeritos ſubſcribant; ſinguli autem Monachi, & Officiales de propriis Monaſteriis, ac patria appellentur; Contrafacientes verò pœna leviori, & arbittaria puniantur.

Caput IX.

De Ordine Monaſterii.

§. 1. Nullus in alterius ſe locum ingerat, ſed in locis ſibi convenientibus diſtribuantur, & ſtent, ut infra, videlicet primam ſedem mediam Chori, nullus unquam occupet, ſed ſit ſemper Abbatis Generalis, poſt quem primum locum teneat Abbas, ſive Prior Monaſterii, ſecundum in Choro, & Eccleſia Hebdomadarius, ſi fuerit ſacerdotaliter iudutus, Tertium Decanus in Monaſterio ſancti Spiritus, in aliis verò Monaſteriis Vicarius, Quartum Lector Theologiæ, Quintum Magiſter Novitiorum, Sextum Lector Philoſophiæ, Septimum Lector caſuum conſcientiæ, vel Sacræ Scripturæ; Cæteri autem per Chorum hinc indè diſtribuantur, & propria loca teneant, ſicut in ætate legitima conſtituti expreſſam profeſſionem feciſſe noſcuntur, itaut loca non à die ingreſſus ipſorum in Religionem: ſed à die profeſſionis emiſſæ ſibi conſignari debeant.

§. 2. Si verò in Monaſterio non erit Studium, primum locum poſt Prælatum teneat Hebdomadarius, in Eccleſia tantum, ſive in choro indutus, ut ſupra: ſecundum Vicarius, tertium Lector caſuum Conſcientiæ, vel ſacræ Scripturæ, poſt Lectorem, ille, qui erit in Monaſterio profeſſione antiquior, & ita de dextro in ſiniſtrum ſibi iuvicem ſuccedentes, minores cedant majoribus, & ſeniores junioribus, juxta præſcriptum ordinem præponantur.

Novitii verò durante probationis tempore, poſt profeſſos collocentur, qui nihilominus (quamvis revera in Religione propria loca non habeant, cum de corpore Monaſterii non ſint) ſibi invicem in Choro ſuccedant, ſicut ad habitus ſuſceptionem ſunt admiſſi, niſi forſan ipſorum aliquis in Sacro aliquo ordine fuerit ante Religionis ingreſſum conſtitutus; Is enim, etſi ultimò advenerit, omnes præcedere debet, & immediatè poſt profeſſos collocari: Poſt emiſſam autem ipſius profeſſionem teneat locum poſt ultimum Sacerdotem, ſi Abbati Conventuali viſum fuerit: Oblati ſimiliter juxta profeſſionis ipſorum tempus invicem ſe præcedant, & Novitii Oblatorum, ſicut Novitii Monachorum diſponantur, & cum ſimul congregari contigerit cum cæteris, poſt Novitios Monachorum collocentur.

§. 3. Cum autem in Monaſterio perſona publica, ſive ex diffinitorio aderit, in loco Præſidentis Monaſterii in Choro collocetur, eadem quoque habeatur ratio de Priore Abbatiæ: Decet enim, ut quemadmodum ipſa eſt caput omnium Monaſteriorum, ita ipſius Prior Superiores alios præcedat: Abbas autem Generalis cum adetit primam, aut mediam ſedem teneat; Abbas autem Conventualis, aut Prior poſt prædictos Officiales publicos collocetur; Scriba ejuſdem Abbatis Generalis proximum locum teneat poſt Prælatum Monaſterii, & cæteros omnes antecedat, tam eos, qui ſunt de corpore Monaſterii, quàm alios omnes, etiam Priores. Socius autem ejuſdem Abbatis Generalis eidem Scribæ immediate ſuccedat. Si aderit aliquis Prælatus alterius Monaſterii à Prælato Monaſterii præcedatur. Si aderit Vicarius Grancerius, præcedatur etiam à Superiore Monaſterii, aliis verò Monachis præponatur.

§. 4. Abbates verò titulares (ſi qui fuerint) qui abſque demerito tamen, aut Canonica depoſitione, ab adminiſtratione vacent, primum locum teneant poſt Præſidentem illius Monaſterii, in quo prædicti Abbates degunt, aut quomodocumque reperiuntur.

Si autem aderit ſubditus alterius Monaſterii cum cæteris per ordinem juxta profeſſionis emiſſæ tempus diſtribuatur & collocetur. Si verò plures in eodem Monaſterio principales, & publici Officiales, aut Priores, & Superiores præſen-

ſentes fuerint, inter ſe collocentur, cum conveniunt, ſicut in Capitulo de ordine Congregationis eſt ordinatum.

Cæremonialia verò tam in Choro, quàm in menſa, & quæcumque ad prælationis, ſive adminiſtrationis officium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ſpectare dignoſcentur, per proprios tantùm Monaſterii Superiores exerceantur.

§. 5. Eumdem verò modum, & ordinem teneant in Capitulo & collatione Patrum ante Completorium, ac omnibus aliis locis publicis, vel privatis, cumque minores antevenerint, majoribus ſupervenientibus eis cedant; ſimili quoque ordine diſponantur in menſa, in qua tamen ſi minores antevenerint, poſtquàm ſederint non cedant majoribus ſupervenientibus, niſi ei tantùm, qui præeſſe debet in menſa.

§. 6. Cùm autem aliqui aderunt in Congregatione Monachi, qui poſt expreſſam eorum profeſſionem ad ſeculi vanitatem redierunt, & per aliquod tempus extra Congregationem, ejuſque limites, & clauſtra permanſerunt ſine ſuorum Superiorum licentia, etiam ſi habitum non dimiſerint, ac deinde ad ipſam reverſi ſunt; ſi poſt regreſſum diſpenſati fuerint, & locum quem apoſtatando amiſerant, recuperaverint ab Abbate Generali, & Capitulo, tempus profeſſionis ipſorum non attendatur juxta numerum annorum currentium à die profeſſionis ipſorum uſque ad diem, quo de loco diſpenſati ſunt, ſed annis Apoſtaſiæ omninò ſubtractis, attendatur juxta numerum annorum, quibus continuatim intra Congregationem, ejuſque limites, & clauſtra regulariter vixerint in obedientia ſuorum Superiorum, & ita pro tot annorum profeſſis habeantur, alioquin ſi diſpenſati, vel gratia donati non fuerint (ſiquidem non erunt in ſacro Presbyteratus ordine conſtituti) cum revertuntur poſt Profeſſos immediatè collocentur: Si autem erunt Presbyteri, poſt Sacerdotes ſimiliter immediatè ponantur, & ordinentur.

§. 7. Hi verò, qui propter demerita, vel aliam rationabilem cauſam ab Abbate Generali canonicè degradati fuerint, illa loca teneant, quæ per demeritorum, vel degradationum tempora eis donantur, nec prima loca recipiant, quouſque per Abbatis Generalis ſpeciales litteras, & in pleno Generali Capitulo ipſis locis fuerint reſtituti.

Nulli autem dictæ Congregationis Monacho quantumvis officiis dignioribus functo (Coabbatibus ob munus benedictionis, & Abbatibus Conventualibus, ut ſupra §. 4. dumtaxat exceptis) poſt propriorum officiorum dimiſſionem, vel carentiam, locum alium, ſeu præeminentiam, aut gradus, aut immunitatem habere, graduque ac præeminentia ob ante habita officia potiri liceat, ſed illum locum attendat, in quo ingreſſus eſt Religionem, & loco ſibi, vel profeſſione, vel Conſtitutionum diſpoſitione convenienti gaudeat, & potiatur.

§. 8. Ipſi verò ſic ordinati, ac diſtributi per Choros, dùm viciſſim, & alternatim recitant, & cantant, non confundantur, ſed invicem ſibi cedant, prout eis ex profeſſione, vel officio competit, & ſicut ſedent, ita invicem in recitando, vel cantando ſuccedant; Pſalmos quidem, & Antiphonas, & Prophetias, & Tractus à majoribus ad minores deſcendendo, Lectiones verò, & Lamentationes à minoribus ad majores aſcendendo, ſtatuto ſuperius pro temporis, vel officii qualitate ſedendi, vel ſtandi, ordine non mutato; In cæteris autem honore invicem ſe præveniant, ſeque in bonis operibus adjuvent, & in humilitate contendant.

Caput X.

De Veſtimentis, & Calceamentis Monachorum, & Utenſilibus.

§. 1. IN veſtibus, & calceamentis, lectiſterniis, rebuſque aliis utenſilibus luxum fugiendum eſſe jubemus, omnemque auri, vel argenti uſum, ſerica, & precioſa quælibet, & alia id generis magni valoris, lineas camiſias ſanis Monachis, ac denique ſingularitatem in prædictis omninò prohibemus.

Veſtimenta, & calceamenta, quibus Monachi noſtri uti debent, in poſterum ſint de Saia, quæ vulgo dicitur, Scotto, ut uniformitas ubique ſervetur.

Abbatis autem Generalis veſtimenta non differant à veſtibus aliorum, juxtà antiquum uſum ipſius Congregationis, præter inſignia Abbatialia.

§. 2. Veſtimentum autem ſit Tunica inferior alba trium telorum Scotti longa uſque ad cratem pedum, manicas habens non ſtrictas, neque bottonatas, ſed aliquantulum grandiores æqualiter ab humeris ad manus uſque protenſas, junctas, & clauſas, cujus Tunicæ anterior pars à collo ad thoracem uſque ſciſſa, & aperta ſit, ut commodiùs ea Monachi indui poſſint. Sed indè infra omninò clauſa, & conſuta eſſe debeat,

Item ſcapulare uſque ad cratem pedum ſimiliter longum, pro medietate ſcotti latum, & cum Capucio conſueto. Item Cuculla longa uſque ad cratem pedum trium telorum, cum manicis grandioribus, & longis ultra ſummitatem digitorum, itaut poſſint amplè ad flexuram brachii duplicari, ad quas duodecim palmi dictæ Saiæ ſufficere poſſunt. Item Interula alba de Saia Flandrenſi pro quantitate corporis, longa uſque ad genua, manicas habens ſimiliter ab humeris æqualiter protenſas, junctas & clauſas uſque ad palmam manus: Veſtimenta autem ſupradicta non ſint ſuta ad luxum, ſed ſimpliciter.

§. 3. Calceamenta Monachorum ſint Caligæ albi coloris. Item Calcei de corio nigro protenſi, & non aperti à lateribus cum duabus ſoleis junctis, vel unà cum ſubere abſque alia ſuperpoſita, & ornata ſutura. Item Crepidæ ſimiliter de corio nigro protenſæ uſque ad cratem pedum cum duabus ſoleis, vel una cum ſubere, ſimplices, & abſque aliqua ſuperpoſita, & ornata ſutura. Item Femoralia, ſeu Mutandæ de panno lineo, vel laneo ſimplices. Cingula ſint de lana communi albi coloris.

§. 4. Veſtimenta pro oblatis ſint hujuſmodi, videlicet, Tunica alba de Saia, vel panno viliori illius Provinciæ, longitudinis ſupra cratem pedis pro dimidietate unius palmi, Scapulare nigrum latum pro tertia parte latitudinis Saiæ prædictæ ejuſdem longitudinis Tunicæ; Interulæ lineæ protenſæ uſque ad genua; Pallium nigrum de panno paulò breviùs Tunica, Biretum more monaſtico. Alia verò indumenta pro eis conformentur indumentis Monachorum.

§. 5. Ut autem nulla appareat inter Monachos differentia veſtium veterum, & novarum, & ut eadem menſura, & diſtributio fiat veſtimentorum; Ideò præſenti Conſtitutione decernimus, quòd uno, eodemque tempore de ſupradictis veſtibus ſinguli Monachi provideantur de triennio in triennium modo infraſcripto: Anno primo triennii Superiores Monaſteriorum providere teneantur eis de Tunica, Scapulari, & Capucio ſecundum modum ut ſupra: Secundo anno de tribus Interulis laneis, Scapulari cum Capucio, prout ſupra. Tertio anno provideantur de Tunica, Scapulari cum Capucio, & Cuculla, prout ſupra. Prædicta verò omnia uno, & eodem tempore conſignentur; ſcilicet, in feſto Reſurrectionis Domini Noſtri JESU Chriſti integra, & abſque mora, ac dilatione aliqua.

Oblatis autem profeſſis provideatur primo anno de Tunica, Scapulari, & Bireto. Anno ſecundo de tribus Interulis, Scapulari, & Bireto: Anno tertio de Tunica, Scapulari, Bireto, & Pallio, tempore quo ſupra.

Provideatur ſimiliter eis annuatim in feſto omnium Sanctorum de Femoralibus, & Caligis; de Calceis verò ſecundùm eorum indigentiam.

§. 6. Ultra verò veſtimenta, & calceamenta prædicta, quamvis alia dare, aut conſignare non teneantur, & nulla apud eos debeat fieri acceptio perſonarum, tamen juxta edictum Regulæ Monachorum indigentiam, & qualitatem attendant, maxime verò debilium Prædicatorum, Lectorum & Officialium, eiſque ultra prædicta de aliis veſtibus, & calceamentis provideant neceſſariis, & opportunis.

Prædicta autem veſtimenta, & calceamenta recipiant Monachi, ubi ſtatutis temporibus, ut ſupra reperiuntur, etiam ſi per annum integrum in Monaſterio eodem non fuerint commorati, pro rata temporis reſpective.

§. 7. Cùm autem tam Monachi, quàm Oblati recipiunt nova veſtimenta, & calceamenta, vetera in manibus Superiorum reſignent, eaque aut Chriſti pauperibus, & egenis, ſeu etiam infirmis, & debilibus quomodolibet opus habentibus, vel etiam ipſiſmet Monachis, & Oblatis ea conſignantibus (ſi quomodolibet eis opus habebunt) ab eiſdem Superioribus, ſi ita judicaverint, erogentur, & concedantur.

Nullus verò cujuſcumque ſit gradus, & conditionis Monachus veſtimenta prædicta tam nova, quàm vetera vendere, vel donare præſumat, aut quomodolibet diſtribuere, neque valorem ipſarum veſtium in alios honeſtos, & neceſſarios uſus convertere, aut etiam charitatis intuitu indigentibus, & pauperibus erogare. Contrarium verò facientes pœnam ſuſtineant gravioris culpæ.

§. 8. Porrò ſi Monachi à longinquis partibus, vel aliter in locis noſtræ Religionis moraturi adduxerint veſtimenta, vel aliqua alia diverſa ab iis, quæ ſupra depoſuimus, Superiores locorum, ad quæ prædicti Monachi miſſi fuerint ad morandum, teneantur infra menſem veſtimenta hujuſmodi, & res illas vetitas, quas tulerint, Monachis prædictis aut fer-

ferre, & dare eis alia, quibus Monachi in ipſis partibus communiter utuntur, itaut in ullo genere veſtimentorum, vel calceamentorum, aliarumque rerum nulla ſit varietas inter Monachos.

§. 9. Nec liceat Monachis eis donata, vel miſſa veſtimenta, vel utenſilia retinere, ſed donata, vel miſſa quæcumque erunt, non per ipſos, ſed per alios pro Superiorum arbitrio conſerventur pro uſu ipſorum communi, qui verò contrarium fecerint, ſi ipſarum rerum valor proprietaris habuerit ſpeciem, gravioris, ſin autem levioris culpæ per octo dies continuos pœnitentia corrigantur, & etiam careant eiſdem. Quod ſi fortè Superior aliquid Monacho ſubdito ſuo petenti negaverit, illud idem is ſubditus nec petere, nec recipere à minore Officiali præſumat.

Nullus denique juxta edictum Regulæ ſine Superioris licentia, aliquid audeat retinere, librique Monachorum, & Lectorum, ſeu Prædicatorum, qui ad eos quomodolibet pervenerint, applicentur Bibliothecis, ut in Capitulo de ſtudiis ordinatum eſt, illis tantùm libris exceptis, qui Lectorum, & Prædicatorum uſui per Superiorem ad tempus conceduntur, & concedentur in poſterum pro lectionis, & prædicationis munere; mobilium uſus permittatur, juxta Sacri Concilii Tridentini decreta; itaut ſuppellex ſtatui paupertatis conveniat.

§. 10. Caveant autem ipſi Superiores, ne veſtimenta & calceamenta ſupradicta ſubditis conſignare differant, ſeu quovis prætextu, & colore, vel cauſa denegare præſumant dolose, ſub pœna privationis Officiorum, neque audeant pannos in pecunia dare, neque Monachi quoquo modo illos in pecunia recipere, poſſint tamen pro aliis neceſſitatibus compenſari. Contrarium autem facientes, vel attentantes, dantes quidem priventur propriis officiis, recipientes verò pœnam ſuſtineant gravioris culpæ. Pecunia verò ipſa, quam receperunt nullatenus in manibus ipſorum relinquatur, ſed pro ipſis à Superioribus expendatur pro veſtimentis eis tunc debitis à Monaſterio.

§. 11. Abbati Generali autem, & Coabbatibus, ac Viſitatoribus, Diffinitoribus, & aliis publicis Officialibus, quibus tam viſitationis cauſa, quàm aliàs pro propriorum officiorum executione Monaſteria viſitare, cauſaſque ſibi commiſſas cognoſcere, & exequi convenit, ne in itinere æſtivo, ac hyemali tempore pluviis, & frigore offendantur, provideatur de indumentis, atque omnibus aliis neceſſariis ad commodè iter agendum; ſervata tamen Monaſticæ paupertatis cenſura.

§. 12. Stramenta verò ipſa, ſeu lectiſternia ſingulis Monachis in illis Cellis conſignentur, eaque de ſacco, matta, leva, capitali, & linteaminibus parentur, juxta Regulæ diſpoſitionem, & uſum, ita tamen modeſte, ut ne quid nimis ipſi affligantur, neque in commoditatibus, & delitiis tepeſcant, & regularis obſervantiæ rigor lenteſcat.

Capſæ etiam ſingulæ ſingulis conſignentur. Depoſitarii verò, Procuratores, Coqui, Celerarii, Expenſores, & Sacriſtæ pro rerum Monaſterii conſervatione, quæ apud ipſos conſervantur, capſas omninò ſera clauſas habeant: Nemini etiam liceat in Cellis pannos, & paramenta pro ornamento retinere, neque impudicas picturas, aut ſtatuas, & alia ipſorum vitæ, quam profitentur, non convenientia, & ſupervacanea; ſinguli autem in propriis Cellis Domini noſtri JEſu Chriſti, aut Beatæ Mariæ Virginis, vel Sanctorum Imagines teneant.

§. 13. Monachi autem ipſi nudi non dormiant, ſed veſtiti, & cingulo accincti, & ſine cultello, juxta Regulæ diſpoſitionem, & propter evitandam immunditiam, & in æſtate calorem, lanea interula ſaltem, & parvo Scapulari ſint induti; ſoli verò ſemper dormiant.

Noctis tempore in Dormitorio à Completorio uſque mane lumen adſit in loco commodiori, ut totum Dormitorium illuminet, ne revertentes ab Eccleſia, & ad ipſam accedentes offendant, & ut lumen ad occurrentes neceſſitates præſto ſit ſemper: Cum autem in Cellis ſunt, & vigilant, orationibus, meditationibuſque incumbant, ſine clamore, & ſtrepitu, & cum ſummo ſilentio, & gravitate, & voce ſubmiſſa, ne alios perturbent, id peragant: Incedentes autem per Dormitorium cum exeunt, vel revertuntur, pedetentim pergant, & ſine ſtrepitu, ne alios inquietent.

Caput XI.

De Clauſura Monaſterii.

§. 1. Decet Monachos in locis ubi degunt, ita eſſe diſpoſitos, ut ſeculi converſationem vitent, quam profitendo renunciant, & quod habitu profitentur, nomine, & factis adimpleant; licet igitur noſtri Ordinis Monaſteria ferè omnia ex Chriſti fidelium devotione, ac

ac diſpoſitione intra Civitates, & Caſtra ſita ſint, & minus à populorum frequentia, & concurſu remota, ea tamen populis, & concurſui patere nullatenus permittantur, ſed ita clauſa ſint, ut nulla præbeatur Monachis vagandi occaſio; ſed tanquam mundo mortui, qui in eiſdem commorantur, mundana non ſentiant, & à divinorum contemplatione minimè retrahantur.

§. 2. Hac itaque ratione moti ſtatuimus, & mandamus univerſis, & ſingulis Monaſteriorum noſtrorum Superioribus, ut locorum, quibus præſunt, principales januas, tam diu, quàm noctu ita ſeris clauſas teneant, ut neque externis ingrediendi, neque domeſticis egrediendi liber aditus pateat. Et ne propterea Monaſterii neceſſaria ſervitia, quæ foris agenda ſunt, omittantur, in ſingulis Monaſteriis deputetur, juxta Regulam, Oſtiarius vigilans, & prudens, qui cum opus fuerit ipſam portam ingredientibus, vel egredientibus claudat, vel aperiat.

Ipſe verò januarum Cuſtos neminem egredi, neque ingredi ſecundam januam permittat, vel permittere præſumat, niſi de Superiorum licentia, vel mandato, ſed venientium nominibus, adventuſque ipſorum, cauſis interrogatis, & cognitis antequam ad Monachos introducat, Prælato nunciet, & ab eo mandatum accipiat.

§. 3. Potiſſimè verò caveant, tam ipſi Oſtiarii, quàm locorum Superiores, & alii, qui Monaſticam profitentur vitam, ne mulieres cujuſvis ſint conditionis, gradus, vel ſtatus, & præeminentiæ intra Monaſteria, domoſque, ubi ipſi habitant, ſub quovis prætextu, occaſione, vel colore, aut quavis etiam urgentiſſima cauſa introducere, vel intromittere, aut quovis modo permittere, & conſentire, quod mulieres intra ipſa Monaſteria ingrediantur ſub pœna privationis propriorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, & aliis pœnis in Canonicis ſanctionibus, & Rom. Pont. Bullis expreſſis: Subditi verò contrarium facientes ultra pœnas prædictas per ſex menſes in carceribus detineantur.

§. 4. Animadvertant ſimiliter Superiores, ac diligenter attendant, ne laicos, aut perſonas alias extraneas, qui intra noſtra Monaſteria ingrediendi cauſam, vel neceſſitatem non habent expreſsè in Monaſterio, vel Eccleſiæ utilem, & commodum, facile ingredi ſinant, niſi fortè benefactores fuerint ipſius Ordinis, aut locorum, vel litteras familiaritatis habuerint, ſive etiam ſint domeſtici, quibus devotionis, & charitatis ipſorum erga nos, noſtrumque Ordinem, receptorumque ab ipſis beneficiorum intuitu rationabiliter obſequi, meritorumque erga nos ſuorum præmia, noſtris orationibus, & obſequiis retribuere debemus. Ipſis enim cum ad noſtra pervenerint loca, liberum eſſe volumus ingreſſum, ſine licentia tamen Prælati ſecundam januam ingredi non permittantur.

§. 5. In ſingulis noſtri Ordinis monaſteriis attendant Prælati, & Officiales, ut loca illa in quibus intra Monaſterium Monachi ſæpius commorantur, & conveniunt, ut locus Capituli, Menſæ, Dormitorii, Collationis, & alia loca ſimilibus neceſſaria in propatulo non ſint, neque in primo ipſius Monaſterii ingreſſu, ſed in loco remoto, & ſeparato, ut poſſint ipſi Monachi non perturbati, neque ab aliis viſi, explere, quod debent. Superiores verò negotia Monaſteriorum in locis prædictis, aut in propriis cubiculis nullo modo pertractent, ne alios interrumpant, ſed in loco ſemoto, & ad hoc deputato, ne ingredientes laici, vel alii pertranſeant ad dormitorium.

§. 6. Perſonæ omnes, quæ de Congregatione noſtra non fuerint ad cohabitandum in locis, & Monaſteriis noſtris non admittantur, cujuſcumque illæ ſint nominis, & conditionis, & gradus, vel præeminentiæ, & quo magis fieri poterit, Superiores attendant, ne illas ad pernoctandum recipiant intra Monaſteria. Benefactores verò, & eos, qui pro Monaſteriorum, & Congregationis negotiis, & cauſis invigilant, ac Monaſteriis inſervientes, & famulos, conſanguineos. Item pauperes, aliarumque Congregationum Monachos, & Clericos ſæculares, & magnos Principes, ac litteras familiaritatis habentes, qui neceſſitate compulſi, vel devotione moti, ad pernoctandum ad dicta Monaſteria pervenerint, per tres tantùm dies, ſi neceſsè fuerit, extra tamen Monachorum habitationem ad hoſpitium recipere valeant, & per tres tantum noctes in eiſdem Monaſteriis quieſcere permittant. Caveant autem Superiores Monaſteriorum, aliique Monachi, ne recipiant, ſive admittant, aut quovis modo tolerent in ipſis Monaſteriis, eorumque clauſura contumaces, ſive fugitivos, niſi ii ſint, qui verè confugiant, quos dumtaxat recipere, & defendere tenentur; iſtos tamen

men quamprimum dimittere, ceſſante periculo, ſub pœnis arbitrio Abbatis Generalis imponendis.

§. 7. Sanè cum hoſpitalitatis officia inter Religioſas perſonas maximè exerceri debeant, & juxta edictum Regulæ debeant hoſpites recipi, tanquam Chriſtus: Ideò maximam Superiores curam habere debent, ut hoſpitia in omnibus locis, & Monaſteriis noſtris neceſſariis parentur rebus, utenſilibuſque, ac cæteris ad hoſpitalitatis officium explendum requiſitis; Ipſa tamen hoſpitia in ſejuncto loco ſint, & ab habitatione Monachorum (ſi fieri poterit) ita remota, ut hoſpites cum eis minimè miſceantur.

Procul item à dormitorio Monachorum Cellas habeant Oblati, & famuli Monaſteriis inſervientes. Item qui aliquando habitum Religionis abjecerunt, cum revertentur, ſeparatim extra Dormitorium recipiantur, & habitent uſque ad tempus, prout Abbas Generalis, & Capitulum diſpoſuerit.

§. 8. Liceat Monachis propter honeſtatem, & ut commodius, libentiuſque in orationibus, meditationibuſque ſeſe valeant exercere, diviſas, & clauſas habere Cellas, quæ tamen omnes, & ſimul, & in eodem Dormitorio debeant fabricari; ſinguli autem Monachi ſingulas habeant Cellas in Dormitorio, quæ claudantur, eo modo tamen, ut poſſint Superiores Cellam introire, & introſpicere juxta Regulam, an aliquod contra Inſtituta regularia intus habeant, & an aliquid eis ex neceſſariis deſit. Munus autem hoc Superioris ſit, & non alterius, qui clavem habeat, qua cum ei libuerit eas aperire, & perſcrutari valeat.

§. 9. Nullus inſuper Monachus Monachi Cellam ingredi audeat, etiam ſi ſit de proprio Monaſterio, ipſo in ea exiſtente, quod ſi abſuerit ſine ipſius, & Superioris licentia, nihilominus in ipſam ingredi non præſumat.

Cum verò de licentia duo, vel plures Monachi in eadem Cella conveniunt aliquando, quamdiù ſimul in Cella ſunt, oſtium apertum teneant, nec liceat eis quamcumque perſonam, cujuſcumque ſit conditionis, laicam, vel Eccleſiaſticam, neque advenas, & alterius Monaſterii Monachos, vel perſonas ſine licentia in Cellam introducere, neque Cellam taliter claudere, aut intus aliquid apponere, quominus in ipſam Superiores, cum voluerint, ingredi poſſint. Superiores autem in locis, & Monaſteriis ſuis ſemel per menſem quemlibet per ſe, aut alios ſcrutentur diligenter Cellas Monachorum, & omnia ſuperflua, quæ in illis Cellis inveniunt, auferant.

Caput. XII.

De Converſatione Monachorum.

§. 1. Clericalis, & Religioſa in primis vita veluti ardens lucerna ſupra montem poſita bonis ita debet exemplis, & ſancta converſatione fulgere, ut omnes qui ingrediuntur lumen videant; Ideò debent Monachi vitæ, quam profitentur auſteritatem, & perfectionem, mutua inter ſeipſos, & cum aliis præcipuè converſatione docere; quare Monachorum inter ſe converſatio in primis quieta, & pacifica ſit, ut ſimul non rixentur, vel contendant, nec murmurent, nec jocoſa, riſumque moventia, vel ſcurrilia verba proferant, aut ſigna faciant. Qui verò in præmiſſis deficere, vel delinquere comprehenſus fuerit, juxta delicti modum corrigatur ad arbitrium Superioris.

§. 2. Sanè cum oris cuſtodiam, & circumſtantiæ oſtium in labiis omni tempore habere debeant Monachi, & vana fugere colloquia, & ſine intermiſſione orare ad Dominum pro remiſſione peccatorum. Ideò in primis ſilentium horis, & locis debitis, diu, noctuque ſervent ſuis quilibet intentus orationibus, & meditationibus, caveantque ne tunc illud ſignis, aut verbis interpellent, nevè perturbent alios, cum ſibi obviant, invicem cum ſilentio ſe ſalutent, ſenioribuſque, ac ſuperioribus genuflexi ſe inclinent, & ab Abbate benedictionem petant; cum extraneis Monachis, & perſonis, quæcumque illæ ſint, ſive laici, vel Clerici ſæculares, ſivè tam alterius, quàm noſtræ Congregationis perſonæ, quæ de Monaſterio non fuerint, ſine licentia nullo modo converſentur, nec loquantur, neque comedant, neque bibant, excepto Prælato, cæteriſque Officialibus ad ejus diſpoſitionem, & licentiam pro negotiis, & cauſis Monaſteriorum tractandis deputatis. Advertant autem Prælati, ne illam paſſim, vel indifferenter, aut ſine cauſa rationabili, & neceſſaria tribuant, eos autem, quibus licentiam dederint, ſolos cum ſolis colloqui vel converſari nullo modo permittant, ſed ſocium deputent juxta Regulam, qui ædificet adſtantes, cum quo, & in cujus præſentia conſerant: Ideòque ſecreto, & ſeorſum neque conferre,

re, neque converſari aliquo modo præſumant. Cum mulietibus verò nullo modo loqui permittanrur, niſi cum honeſtis conſanguineis, & ex cauſa urgenti, ac neceſſaria, aut matre, vel ſororibus rariſſimè, & cum duobus ſociis, vel ſaltem uno. Litteras dare, aut accipere nullo modo præſumant, niſi de Supetiorum licentia, qui quidem Superiores nihilominos litteras ipſas prius aperiant, & legant, antequam eas conſignent, vel mittant, exceptis litteris, quæ à Superioribus majotibus ſcribuntur ad ſubditos, vel à ſubditis ad eoſdem Supèriores majores.

§. 3. Ludos omnes cujuſcumque ſint generis, jocos, & ſabulas, verba obſcœna, & choreas à Monaſtetiis noſtris procul eſſe volumus, quod ſi quis ſecus ſecerit, per menſem in carceribus detineatur, & aliàs pro culpæ metito ad atbitrium Superiotis corrigatur; Deniquè quia non ſolùm à crimine, ſed etiam à ſuſpicione criminis religioſæ perſonæ vacare debent; Ideò Prælatis, & Officialibus quibuſcumque præcipimus, quod ſuſpectas perſonas intra Monaſterium non admittant, nequè cum eis ullo modo converſentut, aut converſari alios permittant, & ſuſpecta colloquia, ſuſpectaſque convetſationes, undè ſacilè mali ſuſpicio forſan otiti poſſit, aut inſamia, penitùs & omni tempore ſugiant, & à Monaſteriis, ubl præſunt, prohibeant.

§. 4. Cum autem ſrequens Monachorum extra clauſtra vagatio nonnonquam ſoleat etiam mentium vagationem afferre, hujuſmodi periculo proſpicere, & occurrere cupientes, bac irrefragabili Conſtirutione ſancimus, quòd Prælati, & alii Præſideotes Monaſtetiorum, & locorum Religionis noſtræ, nec ipſi pro levioribus cauſis de Monaſteriis exeaot, nee aliis Monachis eundi licentiam concedant, niſi ob cauſam ipſi Prælato manifeſtandam; nequè eos ad Terras, & Civitates, vel etiam extra clauſtra Monaſteriorum ire petmittant, attendantque præcipuè, ne poſt prandium, aut poſt Completorium exeant Monachi de Monaſtetio, cum debeant juxta Patrum inſtituta tunc temporis lectionibus, ac meditationibus incumbete, caveantque ne plusquam bis in hebdomada licentiam concedant Monacbis exeundi, cum ſcilicet coguotur exire ex cauſa, excepto Procuratore, & Expenſore, qui quandocumque opus ſuerit ad mandatum Prælati exite valeant non ſoli (quod abſit) ſed cum ſociis Monachis, quos Præſidentes ipſi deſtinaverint, ubi abſque Monaſterii incommodo fieri poterit.

§. 5. Monachi autem alli cum ſociis, quos eis Præſidentes injunxerint, ire permittantur, & nunquam dum eunt, & redeunt, ſeparentur, ex quavis magna cauſa, ſub pœna carceris ad arbitrium ſui Supetiotis. In ſocios autem Monachis euntibus, non jungant omnes, ſed tantum probatos vitos, neque eos, quos ipſi poſtulaverint, ſed arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpius: & euntes, ac redeuntes benedictionem petant à Prælato genuflexi, & rationem geſtotum reddant, neque aliis Monachis, quæ viderint in via, aut Civitate, manifeſtent, juxta Regulam, & ita omnes bini incedant. Monachi autem ſine licentia euntes, aut ſoli, carceribus trudantut; Generales autem Procuratores, quando expediens fuerit, ſoli de Abbatis licentia poſſint ite cum equitant, dummodo famulum habeant citcumpedem: Si autem non equitabunt, ſoli ire non permittantut (ſi commode fieti poteſt.) Cultores quoque vinearum, & hortorum, atque terrarum, necnon gregatii, & alii, quibus rationabiliter duxerit Abbas injungendum, ſoli ite valeant, cum neceſſitas hoc expoſcit.

§. 6. Non poſſint Prælati, & Præſidentes, vel ire ipſi, vel aliis licentiam eundi dare ad loca remota à Monaſteriis, quibus præſuetint, niſi eadem die valeant ad Monaſterium redire, nec extra Monaſteria pernoctare ipſi præſumant, nequè comedete, ſivè peregrinationis cauſa, ſivè quavis alia occaſione, abſque Abbatis Generalis, vel Viſitatotis ſpeciali licentia, & in ſctiptis obtenta, niſi pto cauſis utilibus, & neceſſariis Monaſteriorum.

Quod ſi Prælati, ſive ſubditi, qui noctis tempore, vel diei de Monaſteriis poſitis in Civitatibus, & Caſtris, vel ſoli, vel ſine licentia egrediuntur, per tres dies, vel ultra juxta circumſtantiarum qualitatem, & ſcandalum, qund indè poſſit otiri, graviori pœna ſubditi ad Superioris Monaſterii; Prælati verò ad Abbatis Genetalis arbitrium puniantut. Extra Provincias verò, & Quatteria nullatenus abſque Abbatis Generalis licentia in ſcriptis obtenta, ex quavis etiam urgentiſſima cauſa exire petmittantur; Contraſacientes, tam euntes, quám mittentes, tot continuis diebus in carcere panem, & aquam comedant, & bibant, quot ſic extta ptoptia Monaſtetja permanſerunt, & aliàs pro-

prout ratio culpæ exigit, puniantur ab Abbate Generali.

§. 7. Nullus Monachus cujuſcumque ſit conditionis, & gradus Congregationis noſtræ ad ſæcularium pertractanda, & peragenda negotia exire, aut prophanis ſeſe cauſis immiſcere, aut ad Principum Curias accedere, atque in eis converſari, niſi cum licentia, & pro neceſſitate Monaſterii, neque ad artem medicam addiſcendam, ſeu profitendam, aut ad infirmos extraneos curandos, aut ad venandum, ſeu aucupandum, vel ad alias quaſcumque res peragendas, regulæ, quam profitemur, quomodolibet repugnantes, ullo modo audeat. Si quis autem contrarium attentaverit, graviori pœna ſubjaceat, ad Abbatis Generalis arbitrium puniendus.

§. 8. Caveant autem cum exeunt, per Urbem diſcurrere, aut per loca incedere inhoneſta, ſeu cum inhoneſtis mulieribus, & perſonis colloqui, aut ad eorum domos accedere, aut choreis, & ludis, aut comediis, & bacchanalibus intereſſe, ſed vultu gravi, demiſſis oculis, & compoſitis euntes, verbis, geſtibus, & ſingulis ipſorum actionibus, honeſtatem, & regularem vitam, quam profitentur præſeferant. Contrafacientes pro culpæ merito puniantur.

Volumus etiam, & ſtatuimus, ut per Monaſteria, & loca Religionis noſtræ, ubi neceſſitas expoſtulaverit, retineri poſſint famuli ſeculares pro vilibus ſervitiis tantùm, qui tamen ætatem viginti annorum excedant, & extra Dormitorium habitent.

§. 9. Quod ſi aliqua neceſſitas immineret, propter quam Superiorem, ſive ſubditum aliquem vocatum noctis tempore, ad perſonam aliquam intra Civitatem, vel Caſtrum quomodolibet oporteret accedere, tunc cum duobus Monachis ſociis, ac cum lumine accedere debeat; & ſic etiam ad locum, ſive Monaſterium reverti, quod tamen non concedatur, niſi ex urgentiſſima cauſa. Qui verò contrarium præſumpſerit attentare, graviori pœna ad Abbatis Generalis arbitrium puniatur.

Caput XIII.

De Monialibus.

§. 1. Nulli Religionis noſtræ ſubditi, vel Superiores accedere audeant ad Monaſteria, vel loca Monialium, ſeu incluſarum mulierum, ſivè earum cura ad nos, ſivè ad alios ſpectet, quacumque impellente cauſa, ſine Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii loci pro conſanguineis in primo, & ſecundo gradu, & per quatuor vices dumtaxat in anno, licentia in ſcriptis obtenta. Cum autem ad funus aliquod earum, quæ nobis ſubditæ ſunt, aliqui vocati ſunt, eant proceſſionaliter, ut conſuetum eſt, ſed cum Monialibus nullatenus loquantur. Si verò ad ipſarum Confeſſiones audiendas accedere debent, in illis Monaſteriis, quorum regimen, aut animarum cura noſtræ Congregationi ſubmittitur, deputentur tantùm per Capitulum Generale, vel per Generalem & Viſitatorem, Abbate tamen Monaſterii ſemper conſulto & conſentiente. Contrà verò facientes, ultra pœnas aliàs contentas in dictis Conſtitutionibus per duos menſes pœnam ſuſtineant gravis culpæ.

§. 3. Intra Monialium etiam domos, & Monaſteria, quæ ſub cura, & regimine noſtro ſunt, nullus de Religione noſtra cujuſcumque ſit conditionis, & gradus ingredi præſumat, ſub pœnis, & cenſuris contentis in Sac. Conc. Trident. & Conſtitutionibus Summorum Pontificum. Confeſſarii item, ac Viſitatores ipſarum, & ipſe Abbas Generalis pro tempore exiſtens citra meram, & legitimam neceſſitatem, & urgentiſſimas cauſas, & facultatem ſibi ex officio attributam ipſa Monaſteria ingredi non præſumat, juxta diſpoſitionem Sacri Concilii Trid. & Conſtitutiones Apoſtolicas; præcipuè Gregorii XIII. Cum autem pro cauſis ſupradictis ingrediuntur, tunc id faciant à paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitati, & quam citius ſe expediant. Caveant ſimiliter tam ipſi, quàm alii noſtræ Congregationis Monachi, ne cum dictis Monialibus intus aliquando bibant, vel comedânt. Contrafacientes pœnis ſubijciantur arbitrariis.

§. 3. Sanè cum animarum ſaluti maximè expediat, ſufficientem, & providum habere Confeſſarium; Ideò pro dictarum Monialium Confeſſionibus audiendis deputentur Sacerdotes ſenes, ſaltem quadraginta annorum, bonorum morum, in Lege Dei, & Caſibus conſcientiæ ſufficienter inſtructi, & quorum vita, & ſufficientia probata ſit. Ipſa verò deputatio Confeſſariorum fiat in Annalibus, vel Generalibus Capitulis; Ideòque ad Confeſſiones dictarum Monialium audiendas nullus ſe ingerat, niſi (ut præmittitur) per Annale, vel Generale Capitulum fuerit pro Confeſſario ipſa-

ipſarum deputatus; Ipſi verò Confeſſarii de triennio in triennium mutari debeant, & ſi contigerit infra dictum tempus neceſſitas providendi de dictis Confeſſariis, per mortem forſitan, aut alia rationabili cauſa, provideatur ab Abbate Generali, ſive à Viſitatore prædicto Monialium, & in eorum abſentia interim à Superiore Monaſterii, cui ſubeſt cura dictarum Monialium per modum proviſionis, ſervatis tamen Conſtitutionibus Apoſtolicis, & in ſpecie Gregorii XV. in terminis, in quibus nunc uſu inveniuntur.

§. 4. Præterea Monialium Viſitatores, qui ipſarum curam, & regimen habere debent, de triennio ſimiliter in triennium mutentur, & per Generale Capitulum deputentur, qui regularia, & canonica Inſtituta in omnibus Monaſteriis, quæ ipſorum curæ commiſſa ſunt, inviolabiliter obſervari faciant, & ipſam Monialium, & Monaſteriorum clauſuram, & honeſtatem in primis cuſtodiri procurent, & præſertim ut cum extraneis perſonis ſine urgenti neceſſitate, & legitima licentia, in ſcriptis obtenta, minimè colloquantur, nec litteras, & munera mittant, vel recipiant, nec proprium retineant; attendantque ut in omnibus, & per omnia pacificè, & ſine perturbationibus, & impedimento, Divi Benedicti Regulam, ac vota ipſarum adimpleant, quæ ſolemni profeſſione promiſerunt.

§. 5. Ipſi verò Viſitatores in electionibus Abbatiſſarum, aut aliarum Officialium, quæ in dictis Monaſteriis fieri conſueverunt, nullo modo ſe intromittant, ſed eas juxta Canonum, ac ejuſdem Sacri Concilii Tridentini, Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac declarationum Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, fieri curent.

Caput XIV.

De Stabilitate, & Mutatione Monachorum.

§. 1. Cum verò Monachorum in Monaſteriis, & Congregatione ſtabilitas, quam profitentur, eiſdem animarum ſalutem, & ſpiritualem profectum operetur; ſicut ex adverſo ipſorum frequens mutatio eos ita inſtabiles reddit, ut ſtare loco neſciant, & in profundum propterea demergantur malorum. Ideò diſtrictè præcipimus, quod Monachi à Monaſteriis, ad quæ à Generali Capitulo diſtributi, & tranſmiſſi ſunt, intra triennium nullatenus amoveantur, niſi ex magna, & neceſſaria cauſa, & de Diffinitorialis Capituli, vel Abbatis Generalis licentia.

Ipſa verò mutatio, præhabita matura conſideratione fiat, ſecundum locorum, & perſonarum qualitatem, & neceſſitatem, ut ſcilicet, prout locis, & perſonis eſt congruum, diſtribuantur, & mutentur de Monaſterio ad Monaſterium.

Ad evitanda autem ſcandala, contentiones, & ſimultates, prædictus Abbas Generalis, & Capitulum Diffinitoriale nullatenus duos germanos fratres, aut conſanguineos in eodem Monaſterio commorari jubeant, vel permittant.

§. 2. Cum autem ex cauſa mutandi ſunt à Monaſteriis, in quibus commorantur, ante feſtum Dominicæ Reſurrectionis à Dominica Septuageſimæ præcedentis diſcedere non cogantur, niſi gravis eſſet adeò neceſſitas, ut illicò indè diſcedere cogerentur, & ita Abbas Generalis duxerit faciendum.

Cum autem Monachi de Abbatis Generalis, aut Diffinitorialis Capituli mandato mutantur, vel diſtribuuntur ad aliqua Monaſteria, ſtatim obedientiæ mandatum exhibeant, poſt cujus oſtenſionem Superior illos abſque mora recipere debeat tamquam filios, eoſque cum charitate ſuſcipere, & tractare, Cellam, & utenſilia conſueta eis aſſignando, prout ſibi in Domino videbitur. Quod ſi Superiores Monachos ad ſe tranſmiſſos recipere dolosè noluerint, ab ipſo Reverendiſſimo canonicè corrigantur.

§. 3. Mandata verò, quæ pro mutandis Monachis fieri occurrerit Rever. Patris Secretarii, tunc exiſtentis, manuque prædicti Abbatis Generalis firmata, ejuſdemque ſolito ſigillo munita ſint, nominibus eorum, qui mutantur & tranſmittuntur, & nominibus Monaſteriorum, à quibus diſcedunt, & ad quæ transferuntur, in eiſdem mandatis manu ejuſdem Secretarii omninò appoſitis, & expreſſis, ac nullibi ſpatium in albo, ad effectum mandata hujuſmodi poſtmodum ſcribendi, vel nomina in eis apponendi continentibus, datam, ſeu diem ad libitum Abbatis Conventualis.

Quæ mandata, ſicut ſupra confecta, uſque ad finem triennii per Superiores, quibus exhibebuntur conſervari, & per eos in manibus Rev. Viſitatorum, cum ad viſitandum accedunt, conſignari debeant; ſecus verò facta mandata, aut non conſignata infra menſem

ſem poſt eorum datam, nullam ad obedientiæ inducant obligationem, ſeu mutationis neceſſitatem; Item mandata, ſeu licentiæ legitimæ obtentæ peregrinationis cauſa, vel ad alia, niſi infra menſem executióni mandentur, nullius roboris eſſe cenſeantur, neque cuiquam ſuffragentur.

§. 4. Et ut Monachis omnis prorſus tollatur vagandi occaſio, cum mandata hujuſmodi præſentantur, dies in eiſdem per præſentantem annotentur, & cum ad Monaſteria, ad quæ tranſmittuntur, pervenerint, dies adventus ipſorum ſimiliter in illis notetur, ut propterea dignoſci poſſit, an recto tramite, juxta præfixum in eis terminum ad Monaſterium (ſi aliàs legitimè non fuerint impediti) acceſſerint, & recipiantur, & ſi fuerint moroſi in obediendo, puniantur ut ſcilicet, tot continuatis diebus in carcere detineantur, quot ſine rationabili cauſa morati ſunt, & obedire diſtulerunt. Ipſi verò Monachi, ut præmittitur, ad obediendum euntes, ut ſpiritualibus armis muniti proficiſcantur, antequam diſcedant, peccatorum ſuorum confeſſionem faciant, & communicent, ac Breviarium deferant, ut divinum poſſint explere ſervitium.

§. 5. Mutandis autem Monachis à Superiore Monaſterii undè diſcedunt, de veſtimentis ſibi debitis ſatisfiat, & de juſtis provideatur expenſis, & viatico ſufficienti antequam diſcedant: Pedeſtribus, id eſt Oblatis pro refectione prandii de uno Caroleno, vel Julio; pro cœna, & hoſpitio de duobus: Equitantibus de duobus pro prandio, & de tribus pro cœna, & hoſpitio, ſi contigerit hoſpitari in locis, ubi non fuerint Monaſteria: Inſuper equitantibus ultra prædictam taxam pro victu provideatur ab eiſdem de equo, cum ſumptibus; ſi quid autem euntibus, completo itinere de aſſignatis pro viatico pecuniis ſupererit, tam pedeſtres, quàm equeſtres, nullus id niſi de Superioris ſui benedictione retinere audeat.

§. 6. Monachi ſubditi ultra triennium, ſeu ad ſummum ſexennium in eiſdem locis, & Monaſteriis commorari nullo modo permittantur, niſi fortè utilitas Monaſteriorum id expoſcat, & populorum ædificatio, & ſi quis per preces, ſeu faventes litteras contrarium procurare repertus fuerit, per tres menſes in carcere includatur, & nihilominus in dictis Monaſteriis remanere nullatenus permittatur.

§. 7. Præſidentes verò Monaſteriorum, & locorum, tàm eorum unde Monachi diſcedunt, antequam diſcedant, quàm eorum ad quæ ſunt acceſſuri, cum ad illa pervenerint, omnes Monachorum pannos, libros, reſque alias prædictorum recedentium, ſive accedentium videant, & ſcrutentur. Qui ſecus fecerint, tribus diebus continuis in pane, & aqua jejunent. Occultantes autem bona, quæ deferunt, carcerentur juxta illorum valorem, & qualitatem, quibus etiam privandi erunt.

§. 8. Superiores omnes cujuſcumque gradus extiterint, in ſuorum officiorum locis, durante eorum officio, reſidere debeant, juxta diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini; Abbas quidem Generalis in Monaſterio Abbatiæ reſideat, niſi cum in viſitatione, aut aliis Congregationis occurrentibus negotiis, & cauſis, ejus requirentibus præſentiam, occupatus fuerit, Viſitatores verò Generales in proprio Quarterio, atque in eo Monaſterio, in quo Rectores deputati fuerint, reſideant, excepto tempore viſitationis, & cum pro Viſitatoriatus officio, aut ſpecialium Commiſſionum ab Abbate Generali extra tempus viſitationis ſibi tranſmiſſarum executione, à propria reſidentia abeſſe eos oportebit. Diffinitores etiam, aliique Patres Diffinitoriales in propriis Provinciis, cujus Diffinitores exiſtunt, & quibus præſident, reſideant, in eo videlicet Monaſterio, in quo Officiales extiterint, niſi ſecus aliquando in commiſſis habuerint ab Abbate Generali, commiſſionis dumtaxat tempore durante; Abbates item, Priores, & Vicarii parvorum Monaſteriorum in propriis Monaſteriis, & locis, ad quæ electi fuerint, permaneant, ſub pœna privationis officiorum, aliiſque pœnis arbitrio Abbatis Generalis.

§. 9. Superiores omnes inferiores ab Abbate Generali, à Monaſteriis, & Provinciis ubi reſident, aut præſident reſpectivè, per dietas diſcedere, vel inde abeſſe non præſumant, niſi ab Abbate Generali prius vocati, vel licentiati fuerint. Si verò Abbate longe abſente, oportuerit officialem aliquem ſupradictorum, juſtis de cauſis, & pro neceſſitate Monaſteriorum, & Provinciarum, moram non patientibus, ad eumdem accedere, ſi Abbas fuerit, ante diſceſſum à proprio Monaſterio notificetur Viſitatori, & eo abſente, Diffinitori. Si verò fuerit publicus Officialis, notificetur Vicario Generali, vel ad eum, ſi ita expediet, petita, & obtenta ab

eo licentia, recurſus habeatur. Ad Viſitatorem autem cum accedendum erit, Abbate Generali, & Vicario Generali abſentibus, obtenta prius ab eodem Viſitatore licentia, Abbates, Priores, & Vicarii, cum oportuerit pro Monaſteriorum cauſis, eant. Si autem Viſitator aberit, recurrant ad eum, qui ſibi vicinior fuerit, Diffinitorem, obtenta ſimiliter ab eo licentia.

§. 10. Caveant autem Abbas Generalis, Vicarius Generalis, & Viſitatores, ac Diffinitores Generales prædicti, hujuſmodi licentias, cum petuntur Officialibus prædictis concedere, niſi pro juſtis, & rationabilibus cauſis, & Monaſteriorum, ſeu Provinciarum utilitate, & neceſſitatibus maturè diſcuſſis, & probatis. In prædictis verò licentiis, vel mandatis tempus exprimant, & terminum, qui ſit conveniens, præfigant eundi, ſeu ſtandi, & redeundi, ultra quem ſupradictis Officialibus non liceat abeſſe à Monaſteriis. Ut autem juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem Officiales, & Præſidentes per illius temporis ſpatium, ſcilicet Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item & Corporis Chriſti diebus in ſuis Monaſteriis, & locis præcipuè reſideant, ne propterea Eccleſias, & Monaſteria tunc temporis cum ſui ipſorum, & proximorum periculo, & pernicie animarum relinquant, per illud temporis ſpatium licentias eundi, vel diſcedendi dare, & concedere nullatenus audeant, vel præſumant, niſi ex urgentiſſima, & neceſſaria cauſa, aut cum accedunt ad Capitulum Generale. Si quæ verò contra hujus formam Statuti licentiæ concedantur, irritæ, & nullæ ſint, & tam dantes, quàm recipientes Abbatis Generalis arbitrio puniantur.

§. 11. Pari quoque ratione ſubditi cum juſſu Abbatis Generalis ad Monaſteria Congregationis miſſi, & deſtinati fuerint, ut in eis commorentur uſque ad aliud mandatum, ſub obedientia Superiorum in eiſdem Monaſteriis deputatorum, poſtquam ad dicta Monaſteria pervenerint, inde ſub quavis occaſione, vel quæſito colore, aut cauſa occurrente recedere non audeant, niſi ab eodem Abbate Generali mandatum obedientiæ habuerint pro alio Monaſterio, aut ab eodem miſſi, aut vocati fuerint, ſeu etiam ab Officialibus publicis, & commiſſionis alicujus, aut viſitationis vigore, & cauſa, aut etiam à Commiſſariis, ſi quos in arduis eligi contingat, ultra publicos Officiales, mandato in ſcriptis præcedente vocati fuerint. Secus autem diſcedentes, prima quidem vice per duos menſes carceribus mancipentur; Secunda verò, duplicatas pœnas ſuſtineant; Tertia, activa, & paſſiva voce, atque Capucio priventur ad arbitrium Capituli Generalis, ac in numero Oblatorum deputentur, aliiſque pœnis mulctentur, qualitate delicti attenta. Oblati verò taliter delinquentes Scapulari priventur, & triplicata carceris pœna plectantur, & qualibet ſexta feria diſciplinam recipiant ad arbitrium ejuſdem Capituli Generalis, aliiſque pœnis mulctentur, juxta gravitatem delicti.

§. 12. Recedens item à propriis Monaſteriis, etiam ſub prætextu Superiores conveniendi, niſi licentiam in ſcriptis habuerit, tanquam proprii Inſtituti deſertor, ſimiliter puniatur: A propriis autem Monaſteriis Monachos noſtros recedere dicimus, cum ab eiſdem ubi reſident, ſine licentia diſcedunt, ſeu in illis permanentes extra Monaſteriorum prædictorum clauſtra hoſpitantur, vel habitant. Item adjiciendo mandamus, quod Monachi ſine licentia ad alia Congregationis Monaſteria euntes, quocumque pervenerint, carcerentur, & redire compellantur (exacta pœna) ad propria Monaſteria unde diſceſſerunt. Quod ſi ſponte redierint, ſimiliter carcerentur, & juxta vagationis menſuram ad Superioris libitum puniantur.

§. 13. Si quando autem (quod abſit) ob illatum ſubditis, aut Officialibus gravamen, ſeu injuriam, Monaſteriorum utilitatibus, aut propriarum animarum ſaluti expediat, ad Superiores, aut etiam ad Abbatem Generalem habere recurſum, ipſi quidem quibus gravamen illatum eſt, & quorum intererit, Abbati Generali, ſeu eo abſente viciniori Vicario Generali, aut Viſitatori, vel Diffinitori Generali, ad quem reſpectivè ſpectabit gravaminis, & injuriæ cauſam omnem per litteras, ſeu Nuncios curent exponere, ad obtinendam ab eiſdem Superioribus facultatem ipſos conveniendi re maturius, & ex charitate conſiderata.

§. 14. Quod ſi à Superiore in prædictis impediti fuerint, proteſtatione reverenter, & coram teſtibus præmiſſa, nihilominus ad ſuos Superiores confugere poſſint. Si verò non præcedentibus recurſus, vel gravaminis cauſis, aliàs Monachi clanculum receſſerint, vel aufugerint, ſtatim à Superiore Monaſterii ejus, ad quod confugeriat,

rint, in carceres detrudantur, unde liberare eos nullus præſumat, ſed Superiorem, à quo aufugerint, de ipſorum adventu certiorem reddat, ut ſic vel de delictis forſitan commiſſis, & fuga puniantur, vel ad proprium locum, ac Superiorem tutè remittantur.

§. 15. Cum autem Monachi tam Officiales, quàm ſubditi ad loca alia Congregationis noſtræ proficiſcuntur, à propriis Monaſteriis, quibus præſunt, vel reſident, Superioribus, ſeu Officialibus illorum Monaſteriorum, ad quos pervenerint, ſtatim licentiam oſtendant, & adventus cauſam in verbo veritatis exponant. In dictis verò Monaſteriis, ad quæ pervenerint, ultra triduum non excipiantur ad hoſpitium, ſed ad propria Monaſteria redire compellantur. Si autem gravis eſſet cauſa, ob quam inibi diutius commorari cogerentur, elapſo triduo, pro hoſpitibus non habeantur, ſed pro Conventualibus, & Eccleſiam, & Dormitorium, & Menſam ſequantur cum cæteris, & expenſæ ſolvantur à Monaſteriis, ubi aſſignati ſunt de familia.

§. 16. Officiales verò, qui debent venire ad Capitulum Generale, vel aliàs ad Abbatis Generalis arbitrium fuerint de propriis Monaſteriis removendi, penultimo die antequam diſcedant, Monachis exiſtentibus in Monaſterio, unde diſcedunt, omnes ſuas res oſtendere teneantur, convocato prius conſueto Capitulo, & ſi aliquid habuerint, eis ab Abbate Generali, vel Conſtitutionibus non conceſſum, cogantur inſtanter in ipſo Capitulo reſignare.

§. 17. Ad tollendam autem Monachis noſtris omnem vagandi materiam, & Generalis Capituli celebrationem reddendam pacificam, & Monaſteriorum indemnitatem, Eccleſiæque ſervitia tunc maximè conſervanda tempore proximo Capitulo Generali, hoc eſt per ſex menſes ante, nullæ fiant Monachorum mutationes, itaut ab uno Monaſterio mutentur in aliud, ſed in Monaſteriis ubi aſſignati ſunt, permaneant uſque ad Generalis Capituli diſpoſitionem. Ad ipſum autem Capitulum nullus de noſtra Congregatione cujuſcumque ſit conditionis accedere præſumat, niſi qui votum habet activum, & qui ab ipſo Capitulo, vel Abbate Generali vocatus fuerit, licentia, vel mandato in ſcriptis facto, nec tempore Capituli Generalis, vel Annalis à Monaſteriis diſcedant; Contrafacientes per menſem carceribus mancipentur, & per triennium ad quælibet officia ſint inhabiles.

§. 18. Superiores cum iter faciunt, unum tantùm peditem famulum ducere debeant; Vicarius verò Generalis, Coabbates, ac Viſitatores ultra peditem famulum, unum ſocium equitantem ducere poſſint; Abbas verò Generalis præter Viſitatorem ſecum ad viſitam accedentem, tres alios equitantes, Scribam videlicet, Socium, & alium ſibi inſervientem ducere valeat, neque liceat ipſis in Civitates, & Caſtra, ubi poſita ſunt Monaſteria, ſive Viſitationis tempore, ſive cum ipſorum poſſeſſionem capit, cum equitatu ſecularium, aut aliarum perſonarum, quæ de Congregatione noſtra non fuerint, ingredi, neque Superioribus cum ipſum excipiunt, ei cum equitatu, aut faſtu obviam ire ſub pœna privationis propriorum officiorum.

§. 19. Nemo ſive Superior, ſive ſubditus accedat ad Urbem, aut Curiam Romanam ſine licentia Abbatis Generalis, vel Protectoris in ſcriptis obtenta. Qui ſine hujuſmodi facultate Romam, vel Curiam Romanam adire præſumpſerit, dignitate, ſi quam obtinet, ac voce activa, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitrio Superiorum infligendas pœnas; quæ omnia etiam contra admittentes, & recipientes ſine ulla exceptione locum habeant, juxta fel. rec. Clementis Papæ VIII. & ſacræ Congregationis Regularium, aliaque decreta.

§. 20. Sanè Monachi, qui de Monaſterio, in quo reſidentes fuerint, ſeu de Religione noſtra exierint, ſiquidem habitum abjecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, Privilegia quoque, ac Immunitates Congregationis, & locum amittant, omnique actu legitimo privati, aliiſque cenſuris & pœnis obſtricti exiſtant, juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem; etſi redierint, per Abbatem Generalem, & ſex Patres Diffinitoriales tantùm, & non per inferiores Officiales, ſub pœna privationis propriorum officiorum, recipi valeant in principali Monaſterio Abbatiæ, non quidem ad habitum, ſed ad carcerem, & pœnitentiam in eo habitu, in quo reperiuntur, vel in habitu Oblatorum. In Carcere verò, ac pœnitentia detineantur juxta menſuram temporis, & aggravantes circumſtantias apoſtaſiæ ipſorum, ad Abbatis Generalis diſpoſitionem; è carceribus verò liberati, extra communem Monachorum habitationem intra Monaſterium collocentur, & habitent, & communibus, vilibuſque Monaſterii ſervitiis ad tempus deputentur, nulloque unquam tempore ad officia, & Prælaturas,

turas, vel qualecumque aliud officium curam exigens animarum aſſumi valeant.

§. 21. Si verò habitum non abjecerint, & ut præmittitur de Monaſteriis, & Congregatione exierint, & ad tempus extra permanſerint ſine licentia, in eaſdem pœnas incurrant, & ſimiliter per Abbatem Generalem, & ſex Patres Diffinitoriales tantùm, ut ſupra, cum revertuntur, recipi valeant, receptique in carceres detrudantur ad tempus, prout Abbas Generalis diſpoſuerit, & & per tres continuos annos ad officium, curam gerens animarum, tamquam inhabiles promoveri non poſſint.

§. 22. Quod ſi rationabilius præcedentibus cauſis, prædictos Apoſtatas poſt ipſorum regreſſum, & pœnitentiam in præmiſſis contigerit diſpenſari, decenſque fuerit, & judicabitur eos habilitari ad votū, & officia, diſpenſatio, vel habilitatio hujuſmodi per Generale tantùm, vel Annale Capitulum fieri valeat, & non per alios, ac cum his tantùm, qui habitum non dimiſerunt. Ad locum verò, qui habitum non depoſuerunt, per Abbatem Generalem diſpenſari valeant. Si autem habitum dimiſerunt per annum, in carceres detrudantur, & ad officia omnia perpetuo inhabilitentur, ſimiliterque voce activa, & paſſiva in Capitulo, tam Generali, quàm Conventuali, careant, actuque omni legitimo priventur; & cum eis neque Abbas Generalis, neque Capitulum Generale diſpenſare valeat. Et ſi tertiò cum habitu diſceſſerint, inhabilitatis, triplicatiſque carceris pœnis ſubjaceant.

Attendant autem tam Abbas Generalis, quàm Diffinitores, ne Apoſtatas ullo modo recipiant ad Congregationem aliquo morbo contagioſo laborantes, aut notabilem mutilationem, vel membri defectum patientes.

§. 23. Si autem qui exeunt infra octo dies ad loca Religionis acceſſerint, timentes fortè ad Abbatem Generalem accedere, ducantur ad carcerem, & ſtatim Superior, qui eos recipit, Abbati Generali ſignificet, & ſecundùm mandatum ipſius diſponat de illis: Qui verò contrarium fecerit, pœnam gravioris culpæ ſuſtineat, ad Abbatis Generalis arbitrium. Si autem ultra dies octo extra Congregationem permanſerint in illis ſcilicet locis, ubi ſunt Monaſteria, tamquam inſtituti deſertores, puniri poſſint.

§. 24. Superiores Monaſteriorum in ſingulis Capitulis, tam Annalibus, quàm Generalibus denuncient omnes Apoſtatas, Rebelles, & fugitivos, ut poſſit de illis Capitulum diſponere, ac deliberare, juxta decreta Sacræ Congregationis Concilii nuper edita, juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Urbani Papæ VIII. de regularibus Apoſtatis, & ejectis; Recipientes verò, & permittentes Apoſtatas, vagantes, inobedientes, ſeu fugitivos, & ſcandaloſos, ipſiſque faventes, vel eos apud ſe retinentes alio modo, quàm ſupra, aut ad alium Congregationis Superiorem, quàm ad Abbatem Generalem eos mittentes, Superiores quidem officio priventur; Subditi verò per menſem carceribus mancipentur, ac voce careant activa, & paſſiva.

§. 25. Abbati Generali pro tempore exiſtenti expreſsè interdicitur Monachos Congregationis noſtræ, poſtquam in ea ſolemnem emiſerint profeſſionem, tam Clericos, quàm Oblatos ad Dominorum temporalium, vel ſpiritualium ſervitia concedere.

§. 26. Si Monacho Ordinis noſtri contingat ad aliam ſtrictiorem Religionem tranſire, non fiant literæ Dimiſſoriales, niſi ſervata forma dictorum decretorum Sacræ Congregationis Concilii, de quibus ſupra in §. XXIV. præſentis Capituli, & ſi aliquod commiſerit delictum, non niſi prius pœnam pro commiſſis ſuſtineat; Si quis verò alius, quàm Abbas Generalis cujuſcumque dignitatis exiſtat, quacumque de cauſa dimittere præſumat aliquem Monachum, aut Oblatum expreſsè profeſſum, ipſo facto ſua dignitate, vel officio ſit privatus, & per annum pœnam ſuſtineat gravioris culpæ; Ipſe verò Abbas Generalis in eijciendo aliquem incorrigibilem Monachum, vel Oblatum, obſervet omnia, & ſingula in decretis prædictis Sacræ Congregationis Concilii circa hoc nuper, ut ſupra, editis contenta.

Caput XV.

De Cibo, Potu, ac Refectione Monachorum.

§. 1. In hora refectionis, dictis horis Canonicis, poſt quas debent Monachi immediatè comedere, Lector Hebdomadarius primum ſignum faciat diſcumbendi, & poſt breve temporis ſpatium, in quo manus lavare, aliaque neceſſaria facere poſſint, Abbas, ſive Prior, vel Superior, aut etiam Hebdomadarius Miſſæ in eorum abſentia ſecundum ſignum dari faciat, ad comedendum, quod quidem ſecundum ſignum tamdiu teneatur pulſando, quamdiu poſ-

poſſunt ſimul in locum refectionis congregari, & convenire.

§. 2. Quando ergo ſecundum ſignum pulſari inceperit, & non ante, omnes Monachi intrent in Refectorium, adorantes Crucem, & ſtent quilibet in ſuis locis cum ſilentio ordinati, qua pulſatione finita, ad nutum, vel ſignum Præſidentis benedicant pariter ex more. Lector autem, benedictione petita, legat à principio uſque ad finem menſæ, ipſi verò Monachi ſedeant in ſuis locis, & collocentur, ſicut ſunt in Choro, & in Eccleſia ordinati, capite tecto. Cum autem ſederint, aliquantulum quieſcant, antequàm cibum ſumant & elapſo ſpatio, in quo ſemel Pſalmus, Miſerere, dici poſſet, comedere incipiant ad ſignum Præſidentis, niſi forte Abbas, ſeu Superior ſecus mandaverit, aliqua rationabili cauſa emergente.

§. 3. A Refectorio autem nullus excuſetur, ſed omnes in illud convenire teneantur, tam ſubditi, quàm Superiores, & Officiales Monaſterii omni tempore pro refectione ſumenda; omneſque de eodem pane, obſonio, & potu reficiantur, excipiantur tamen infirmi, qui juxta regulæ Inſtituta, in Infirmaria (quam vocant) refici debent de cibo, & potu, juxta Medicorum juſſa. Item Abbas Generalis, ſive Conventualis à Refectorio excuſatur, ſi hoſpites occurrerint, cum quibus juxta Regulam in loco ſeparato refici poſſunt; famuli quoque à menſa conventuali, & loco communi refectionis eximuntur.

Nullus autem Monachus audeat aliqua cibaria ſingularia comedere, quantumcumque parva, & vilia, vel ad menſam portare, ſed omnes, ſinguliquetam Superiores, quàm alii cibis communibus veſcantur. Caveant verò Prælati convivia ſine neceſſitate facere, aut immoderatos ſumptus, lautaſque comeſſationes, nec pro ſeipſis, nec pro aliis.

§. 4. Si quis autem Monachus non ita robuſta corporis habitudine fuerit, ut poſſit communibus cibis uti ſine valetudinis læſione, ſic ei provideatur ſine ſcandalo aliorum, ut ſi Abbas, vel Superior voluerit in Refectorio miſericordiam facere ſpecialem, cibum aliquem ſalubrem, non ante illum, ſed ante ſe faciat afferri, de quo ipſe illi faciat pietantiam pro ſuſtentatione. Si cui verò oblatum fuerit aliquid à Superiore, illud is reverenter accipiat, & cum gratiarum actione ſe inclinet: nullique ſibi invicem præſentent aliquid in menſis, niſi tantùm Præſidentes. Poſtquam autem comederint, ad ſignum Præſidentis Lector hebdomadarius finem faciat, reddantque gratias conſuetas.

§. 5. Verùm ne in prædictis delinquendi materia relinquatur, ſciant omnes in ſubſcriptis horis comedendum eſſe, videlicet à ſancto Paſchate uſque ad feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, IV. & VI. feria jejunent Monachi uſque ad Nonam: Cæteris autem diebus ad Sextam prandeant, & ſero cœnent. A prædicto autem feſto Exaltationis uſque ad caput Quadrageſimæ, ad Nonam, & ex tunc uſque ad Paſcha, ad Veſperam Monachi comedant, exceptis diebus Dominicis, ſicut in Regula continetur. De ſero autem (cum jejunant) qui voluerint, bibant in Refectorio. Prætèrea in Quadrageſima majori, ac Domini noſtri JESU Chriſti Adventu, & omnibus ſexta, & quarta feriis, & Sabbatis totius anni, Vigiliiſque ſacratis, Quatuortemporibus, aliiſque diebus, in quibus indictum eſt, vel in poſterum incidetur jejunium, non alia cibaria, quàm Quadrageſimalia Monachi comedant; Extra prædictos verò dies, & tempora, licitum eſt Monachis comedere caſeum, & ova.

§. 6. At ſi qui Monachorum Religionis noſtræ, hujuſmodi conſtitutionem contemnentes, audebunt forte (quod abſit) comedere extra prædictas horas, & loca, videlicet ſani in Refectorio, & ægri in Infirmaria, vel alia cibaria, quàm prædicta, aut quicumque accipiant mixtum, alii quàm qui debent, videlicet Servitores, & Lectores hebdomadarii primæ menſæ, ac Coqui, & hi ſi accipiunt extra horas debitas, videlicet inter primum ſignum, & ſecundum edendi, ſeu alibi quàm in Refectorio, vel ſi accipiunt aliud pro mixto quàm panem, & vinum, pro quolibet prædictorum, & pro qualibet vice diſciplinam recipiant in Capitulo, & eodem die vinum amittant.

§. 7. Eſum carnium quarumcumque Monachis omnibus Congregationis noſtræ ubicumque conſiſtentibus interdicimus in Refectorio; in Infirmaria autem juxta præſcriptum Regulæ, & Sacrorum Canonum Indulgentiam licitum eſſe dicimus; Contemptores autem, & præſentis Conſtitutionis tranſgreſſores ad Abbatis Generalis arbitrium puniantur, juxta menſuram culpæ; Cibi lauti vitentur, ſed ea, quæ pro Monachis alendis erunt neceſſaria, & communia tribuantur, juxa loci qualitatem, & opportunitatem. Contrafacientes pro qualibet

libet vice jejunent in pane, & aqua. Omnes autem illud ſine murmuratione accipiant in communi menſa, quod à Regula, Conſtitutionibus, ſive Præſidente ſecundùm eaſdem permittitur, & conceditur.

§. 8. Nec liceat Monachis comedere cum ſæcularibus laicis, aut Clericis, ſeu fratribus alterius Religionis, neque intra, neque extra menſam communem in Monaſterio, nec ipſi extranei ad menſam communem ducantur, ſed in loco ſeparato reficiantur, cum eos opus erit reficere, ut dictum eſt. Contrarium facientes pro vice qualibet in Capitulo recipiant diſciplinam.

§. 9. Ut autem dum corpus reficitur, anima non eſuriat; is adhibeatur cibus, qui eam ſpirituali dulcedine reficiat, quocirca quotidiana menſæ lectio habeatur, recitanda ex ſacris, tam veteris, quàm novi Teſtamenti libris, aut aliis ex receptis Patribus, vel Hiſtoriis Eccleſiaſticis, & libris ſpiritualibus, juxta præſcriptum Regulæ, & eo modo, & ordine, prout S. P. Benedictus cap. 9. jubet. Ad ſecundam quoque menſam ſemper continua habeatur lectio, ex aliquo libro vulgari ſpirituali, vel ex Hiſtoria Eccleſiaſtica vulgari, & ſervetur omninò ſilentium, tam in prima, quàm in ſecunda menſa, juxta præceptum Regulæ cap. 38.

Caput XVI.

De Monachis infirmis curandis.

§. 1. Abbates, Viſitatores, & cæteri Præſidentes Monaſteriorum, & locorum Religionis noſtræ, ante omnia, & ſuper omnia de infirmis Monachis curam habeant, & illis præſto ſint, ut æquum eſt, & S. P. Benedictus mandat cap. 36. Pro curandis autem commodè infirmis Monachis in quolibet Monaſterio deputetur locus ad id aptus, & commodus, ubi infirmi curari poſſint, & refici valeant. Quæ quidem Infirmaria de neceſſariis ſupellectilibus ad curam requiſitis provideatur, & præſertim in ea ſit Oratorium, in quo Miſſam infirmi auſcultare poſſint. Ipſis verò Infirmis aſſignetur Infirmarius, qui illis inſerviens Deum timeat, & in charitatis operibus ſit aſſiduus, exercitatus, & prudens, ut quod Medicus juſſerit, rectè percipiat, ac prudenter exequatur. Cum autem infirmatur aliquis, propriam infirmitatem Præſidenti pandat, & cum ejus licentia Medicum pro curanda infirmitate conſulat: Ipſe verò Præſidens quotidie Infirmos viſitare debeat, nec ullus quamvis Infirmus, ſine ejus licentia ſe ſe curari permittat.

§. 2. Cùm primum Monachi aliqui infirmantur, confiteantur, confeſſi verò ad Infirmariam de Præſidentium conſenſu ducantur, à qua deinceps poſtquam intraverint, ſine dicti Præſidentis voluntate, nec exire, nec ad communia cibaria reverti valeant.

Prædictis Infirmis tam de famulis, Medicis, & comeſtibilibus, quàm aliis omnibus neceſſariis per Præſidentes ipſos integrè provideatur, juxta Medicorum conſilium, itaut in re nulla defectum aliquem patiantur; ſecus autem facientes, tam Abbates, quàm Priores, aliique ad quos ſpectat eorum cura, prout culpa exigit, graviſſimè puniantur; quod attentè Viſitatores Generales tempore viſitationis ſtrictè, diligentiſſimèque perquirant. De prædicta autem Infirmaria, poſtquam legitimè, ut præfertur, exierint, per octo dies immediatè ſequentes infirmi neque ad jejunium, neque ad communia cibaria cogantur, ſed eis provideatur de peculiari cibo, ut convaleſcant.

§. 3. Cùm aliquis Monachorum noſtrorum morti appropinquaverit, ab hac miſerabili vita diſceſſurus, omnes Monachi ſani, qui in Monaſterio fuerint, circa ipſum conveniant morientem, & eidem in extremis laboranti addant animum, legendo apud ipſum Evangelia, Orationeſque pro eo, ac Litanias cum Sanctorum ſuffragiis, Symbolumque Apoſtolorum, & Athanaſii, ac cætera ad commendationem animæ ſpectantia, juxta Rituale Romanum nuper editum. In primis autem attendant Præſidentes, ut Infirmi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant, caveantque ne ipſorum defectu ſine Viatico, & Extrema Unctione decedant, pro quorum omnium adimplemento deputet Prælatus particularem Monachum, & moneatur ſæpius infirmus, prærer cætera, à fel. rec. Paulo Papa V. cuilibet Religioſo in mortis articulo, ſi verè pœnitens, & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus, nomen JESU, ore ſi potuerit, ſin autem corde, devotè invocaverit, plenariam peccatorum Indulgentiam eſſe conceſſam.

§. 4. Cum verò Abbatem, Priorem, aut Vicarium Grancerium alicujus Monaſterii, ſeu loci Religionis noſtræ Conventualis, vel non Conventualis mori contigerit, ante mortem ſigillum Monaſte-

naſterii reponi faciat in depoſito conſervandum, in præſentia totius Conventus, & Monachorum omnium ad hoc ſpecialiter vocandorum. Quo defuncto, congregati in unum ad Capitulum, more ſolito per illum, qui primum locum, ſecundùm profeſſionis tempus, in ipſo Monaſterio, vel loco obtinet, ſibi Vicarium canonicè eligant ex ipſiſmet, qui Monaſterium in ſpiritualibus, & temporalibus regat, & de ipſis bonis mobilibus, & ſtabilibus ſtatim Inventarium faciat, intervenientibus Patribus à Conventu electis, non minus tribus, & exinde de Monaſterio, & prædictis curam gerat, quouſque per Abbatem Generalem (cui ſtatim ipſe Vicarius hoc ipſum nunciare ſtudeat) de alio deliberetur Vicario.

§. 5. Si quis verò de bonis Monaſterii, aut quovis modo ad Monaſterium ipſum, aut Congregationem pertinentibus poſt mortem Superioris prædicti aliquid ſurripuerit, uſurpaverit, aut occultaverit, ipſo facto excommunicationis pœnam incurrat, quam excommunicationis pœnam ſimili modo incurrant participantes quovis modo, & non revelantes poſt uſurpationem, & occultationem prædictam, & poſt uſurpantis præcedentem, & legitimam admonitionem infra trium dierum ſpatium. Hujuſmodi autem excommunicationis abſolutionem Abbati Generali reſervamus.

§. 6. Cederet quidem in offenſam divini nominis, & in noſtræ Religionis opprobrium atque damnum, ſi monachi, Religionis pondus & æſtus portantes, dum ſani ſunt, ſupervenientibus infirmitatibus deſtituerentur, ac non curarentur. Cum autem hoc, quod Deo & hominibus diſplicet, non ſit tolerandum, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, quod Abbates, Viſitatores, Priores, & cæteri Præſidentes Monaſteriis & locis Religionis noſtræ ante omnia & ſuper omnia de infirmis Monachis curam habeant, & illis præſto ſint.

§. 7. Senes, debiles, & diuturna infirmitate detenti in principalioribus Monaſteriis infra aſſignatis collocentur, ubi eximantur ab oneribus ordinariis cæterorum Monachorum, famulum deputatum habeant, non tamen ſæcularem, ſi id commodè fieri poterit, eiſque neceſſaria abundè ſuppeditentur; ipſi autem ſe gerant, ut præcipit S. P. Benedictus in regula cap. XXXVI. Monaſteria verò pro eiſdem aſſignantur. In primo Quarterio, Abbatia Sancti Spiritus, Monaſterium Aquilanum, & Oropolis. In ſecundo, Monaſterium Neapolitanum Sancti Petri ad Magellam, Sancti Georgii de Novo, Sanctæ Catharinæ de Terranova. In tertio, Monaſteria Sanctæ Crucis de Litio, Sanctiſſimæ Trinitatis de Sancto Severo, & Sancti Benedicti de Monte Gargano. In quarto, Monaſteria Sanctæ Joannis Baptiſtæ de Bononia, Sancti Petri Cœleſtini de Mediolano, & Sancti Nicolai de Bergomo; Infirmi verò in parvis locis commorantes, ubi non adeſt copia Medicorum, & medicinalium transmittantur ad principalia, & commoda Monaſteria viciniora, ubi curentur expenſis locorum in quibus aſſignati ſunt de familia.

Caput XVII.

De diverſis officiis Monaſteriorum.

§. 1. Ut Monaſterii negotia, tam temporalia, & in dies occurrentia, quàm regulariter ordinata, & ſpiritualia, dum ſub unius judicio diſponuntur, nullum ſentiant propter confuſionem detrimentum, cum vel uni plura committuntur, quibus incumbere non poſſit, vel pluribus indiſtinctè committuntur omnia, quæ prætcrea nec providentur, nec providentia præcedente peraguntur; Ideò hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, ut ſingula ſingulis perſonis diſtribuantur officia Monaſterii, juxta Regulæ diſpoſitionem, itaut alius quidem rerum ſacrarum cuſtodiam habeat; Alius item juxta dicendorum in Eccleſia, vel menſa diverſitatem, legat; Alius horarum principium faciat; Alius etiam communem, & conventualem Miſſam legat, vel cantet; Alius ante cætera ad primam Miſſam legendam ſurgat; Alius Altari miniſtret; Alius cantum regat; Alius menſæ deſerviat; Alius ad nocturnas horas cæteros invitet; Alius Monaſterii non ſacra, & cætera utenſilia cuſtodiat; Alius comeſtibilia præparet; Alius ad Portam pro Ingredientibus aſſiſtat; Alius infirmorum curam gerat; Alius cenſus, & redditus, ac proventus exigat; Alius depoſitum ſervet; Alius expendat, niſi exiguus ſit Monachorum numerus, tunc enim unus Monachus plura poſſit obire officia in eodem Monaſterio.

Item alius qui prædictorum Cenſor ſit, ut quæcumque agenda ſint ſingula ſinglis ordinet, ejuſque judicio, ac voluntati, juxta commiſſam, traditamque ei poteſtatem omnes obtemperent: Ipſi verò

verò, quibus ex commiſſo eis munere competit, Officiales ſinguli Religionis noſtræ ſingulis contenti officiis, aliorum officia præter honeſtum non uſurpent; Horum autem officiorum varietatem, vel diſcrimen modo ſequenti duximus diſtinguendum.

§. 2. Primo tamen hoc duximus præmittendum, ſcilicet, omnia, & ſingula noſtræ Congregationis Monaſteria, & loca non eodem modo, neque per eaſdem perſonas pari dignitate, aut officio præditas regi; Ea enim Monaſteria, in quibus commodè ſuſtentari poſſunt duodecim perſonæ, computatis etiam famulis, per Abbatem Conventualem reguntur; quæ verò ſex perſonarum numerum tantùm alere poſſunt, per Priores reguntur, reliqua verò, quorum facultates tot minus alere poſſunt, per Vicarios reguntur, juxtà Pauli V. diſpoſitionem in ſua Bulla ad favorem Ordinis noſtri exaratam, ſalvo tamen jure Abbatis Generalis, qui omnibus, & ſingulis Monaſteriis eiſdem præſidet, juxta Bullam D. Petri Cœleſtini Inſtitutoris noſtri; Conveniunt autem eiſdem Abbatibus Conventualibus nova Abbatiali dignitate inſignitis functiones Abbatiales facere, præter ea, quæ ſunt propria habitus Prælati Regularis, & quæ conveniunt Abbati Generali ex ſpeciali Indulto Cœleſtini V. Ita tamen, ut functiones Abbatiales exercere valeant ter dumtaxat per annum, cùm, ſcilicet, major populi concurſus ad Eccleſias noſtri Ordinis confluxerit, facultate tamen obtenta ab Abbate Generali, qui tamen eam denegare non debet, & dummodo in Civitate, in qua extiterint Monaſteria, eodem tempore, eademque feſtivitate Epiſcopus non fuerit ſolemniter celebraturus; Quæ autem ad eorundem Abbatum Conventualium officium, & Priorum etiam prædictorum ſpectant, hæc ſunt, quæ ſequuntur.

§. 3. Abbas, aut Prior, aut etiam Superior Monaſterii, qui videlicet in Monaſterio omnibus ſub ejus obedientia exiſtentibus perſonis præponitur ab Abbate Generali, præſtare debet aliis bonis moribus, ceteroſque omnes bono ſui ipſius exemplo ad bona opera invitare, primuſque pro explendis horis ad Eccleſiam accedere, Regulamque in omnibus ſervare, ut ipſius vita regularis regula ſit Confratribus ſuis benè vivendi, & in ſancto ipſorum propoſito proficiendi; Primam Antiphonam ad nocturnum quotidie, & ad utraſque Veſperas in feſtis duplicibus incipere, benedictionem legentibus ubique dare, Te Deum laudamus incipere, Evangelium poſt nocturnos legere, & Te decet laus, poſt ipſum, & ſimiliter Antiphonas Benedictus, & Magnificat in omnibus feſtivis diebus, & per Octavas Nativitatis, Reſurrectionis Dominicæ, ac Pentecoſtes, & ad Proceſſionem ultimam Antiphonam, vel reſponſorium incipere; Ad Laudes, & Veſperas Pater noſter, quotidie dicere; In omnibus feſtis duplicibus, & præcipuis defunctorum officiis, aliiſque ſolemnibus, Miſſas cantare, Lectiones in Eccleſia, Clauſtro, & Capitulo, menſa, vel alibi corrigere, & terminare; Aquam benedictam poſt Completorium Monachis dare, divina Officia cum ſigno inchoari jubere, & ipſa cum ſigno, ac benedictione adjuncta, terminare; Orationes ad menſam in principio, & in fine dicere; Abſolutionem Capituli facere, benedictionem legentibus ubique dare; Ad gratias poſt cœnam, vel prandium ſolum ire; ſecundum ſignum ad menſam, & tabulam, & ad laborem pulſare, vel pulſari facere, officia majoris hebdomadæ diſtribuere, & in Eccleſia ordinare; Confeſſionem ad Primam, & Completorium facere, verſus & orationem pro Abbate Generali, & Congregatione poſt Primam dicere; In fine Completorii benedicere, & orationem B. V. M. poſt Completorium recitare; Extremam unctionem Monachis dare; Monachos ſub ejus obedientia exiſtentes, in caſibus ſibi à jure conceſſis abſolvere, & ipſos in Choro mutare, & ordinare, atque omnia, quæ divino cultui neceſſaria erunt, & opportuna, facere; Capitulum convocare, & retinere, Regulam explanare, & Monachis monita Regulæ pro ipſius obſervantia proponere, delinquentes corrigere, & caſtigare, Cellas Monachorum ſingulis menſibus, & quandocumquè opus fuerit viſitare; Monaſterii officia diſtribuere cum conſilio Patrum Deum timentium, & Capituli bona temporalia cuſtodire, ac diſpenſare ſecundum harum Conſtitutionum Inſtituta; nihil ſcilicet per ſeipſum, ſed per Officiales Monaſterii exequendo; computa Monaſterii de hebdomada in hebdomadam de receptis, & expenſis recognoſcere, & tempore Viſitationis reddere; ita ut unuſquiſque villicationis ſuæ coram ipſo rationem reddat, & ſingula, quæ per unumquemque ipſorum geſta fuerint, recognoſcantur. Ceremonialia ad Abbatis Generalis officium pertinentia facere, illis tamen exceptis, quæ ipſius propriæ Juriſdictionis, & præeminentiæ ſunt, & dummodo ipſe non ſit præſens. Qui Abbas Generalis præmiſſa, & alia in omnibus Monaſteriis, & locis noſtræ Congregationis per ſe ipſum prin-

principaliter liberè, & licitè exequi, & exercere poteſt. In omnibus autem tam præfatis, quam aliis rebus, & cauſis Abbates, & Priores Monaſteriorum, & locorum, tam præſente, quàm Abbate Generali abſente, domi & foris in omnibus, & per omnia ſub ipſius obedientia regant, & gubernent.

§. 4. Vicarius verò Conventualis, aut etiam Superior, dum Abbas, aut Prior in aliquibus detinetur negociis, in cæteris debet ejus vices gerere: ſcilicet in primis, Eccleſiæ curam habere, ac regularem diſciplinam aliorum mentibus imprimere, concordiamque ac pacem inter Monachos conſervare, eorumque indigentias, & neceſſitates, ſeu etiam ſpirituales infirmitates manifeſtare, ut in neceſſitatibus eis provideatur, & in infirmitatibus curentur, Monachos in utroque Choro ad Officium excitare; in Abbatum, & Priorum ſuorum abſentia omnia eorum præfata ceremonialia exequi, Abbatialibus exceptis.

§. 5. Ad Cantoris officium pertinet in dextro Choro, ad Succentoris in ſiniſtro, in ſuis tamen juxta Profeſſionis tempus convenientibus ſibi locis Eccleſiæ ſtare. Ad vigilandum, & cantandum ſe, ac alios excitare, errores in Antiphonis, & reſponſoriis, hymnis, & verſiculis imponendis corrigere. Ad Miſſam Introitum, Kyrie eleiſon, &, In terra pax hominibus, Graduale, Patrem omnipotentem, Offertorium, Sanctus, Benedictus qui venit, Agnus Dei, & Poſtcommunionem in diebus ferialibus ſolus; In feſtivis verò cum Succentore incipere verſus Graduale Alleluja, ac Tractum, quibus voluerit, binis (ſi feſtum fuerit) dicendos mandare. Hymnos diebus feſtivis ſolemnioribus, quoad Veſperas, & Laudes tantum, ad omnes horas incipere, libros in Eccleſia aperire, & conſervare, omnes in Eccleſia prævenire, ad nutum Sacriſtæ citius ad Eccleſiam accedendo; Ad Matutinum in nocte cantare omnes Antiphonas, poſt Pſalmos quoslibet; Verſum per ſingulos dies in Hymno, Te Deum laudamus, in medio Chori incipere; Ad Benedictus, & Magnificat in principio privatis diebus Antiphonam imponere, & Præſidenti, quando debet cantare, dictas Antiphonas cantandas oſtendere. Hebdomadarios officiales Chori, & Eccleſiæ, ac Menſarum futuræ hebdomadæ quolibet Sabbato ſcribere, & publicare, Lectiones, & Reſponſoria in feſtis duplicibus præcipuè melius legentibus, & cantantibus in nocte diſtribuere; Proceſſiones ordinare, omnes Antiphonas, & Reſponſoria (exceptis ultimis reſponſoriis) imponere; Lecturis, quid legere debeant, demonſtrare, & ipſas lectiones auſcultare. Ad menſam Benedicite, verſusque tam antè, quàm poſt Refectionem dicendos inchoare, Kyrie eleiſon dicere, Pſalmoque, cùm gratiæ aguntur, principium dare; diebus privatis prædicta ſolus dicere, & explere: feſtivis verò cum ſocio, ut dictum eſt. Si verò Cantores defuerint, prædicta eorum officia Succentores, Vicarii, vel Superiores implebunt.

§. 6. Ad Hebdomadarium Miſſæ pertinet omnes horas in Eccleſia incipere, Miſſam Conventualem in hebdomada ſua dicere, ac in feriali defunctorum officio, Pſalmum de Profundis, & Verſus poſt Primam, ac Orationes, & Pſalmos pro abſolutione Capituli incipere; Prædicta etiam Ceremonialia Abbatum, & Priorum, & Superiorum, ipſis abſentibus, Abbatialibus exceptis, in Eccleſia, & in Menſa adimplebit. Primum locum in Eccleſia, tantùm Sacerdotalibus indutus, poſt Prælatos in Choro ſuo tenebit; & tam in legendo, quàm in cantando locum non mutabit: ac ſicut in Antiphonis, ita in Lectionibus, & aliis divini Officii operibus, & ceremonialibus eundem ſervet ordinem, quem ſervat in ſedendo. Quòd ſi aliquando defuerit Sacerdos, qui juxta ipſum eſt infra, vel ſupra, ſi inferiorem non habebit, ipſius officium adimplebit; quòd ſi nullus Sacerdos in Choro ſuo fuerit, primus Sacerdos, qui fuerit in alio Choro, illud agat.

§. 7. Ad Hebdomadarium Invitatorii pertinet feriatis diebus ſolum, feſtivis verò cum proximo monacho ſibi inferiore, Domine labia mea, & Deus miſereatur noſtri, & verſiculos omnes horarum poſt Capitulum, & Hymnum, & Cum invocarem incipere; ac cum proximè præterito Hebdomadario Invitatorium, Venite, Reſponſoria ad Veſperas, & alia Reſponſoria brevia in medio Chori cantare; Primam Antiphonam ad Laudes, & Veſperas, & per omnes horas, omnes Hymnos privatis diebus Alleluja; In ſecundo nocturno, & Antiphonam poſt cantica incipere, Benedicamus Domino ad Laudes, & ad Veſperas cum hebdomadario Sacerdote cantare; In collatione, & Capitulo legere. Qui ſi quando defuerit, is, qui eſt juxta eum inferior in Choro, ejus officium exequatur: & hoc idem ſervetur in aliis hebdomadariis.

§. 8. Ad Hebdomadarium miniſtrum Altaris pertinet ſervire omnibus Miſſis tam votivis, quàm Conventualibus ſuæ Hebdomadæ, tam horarum Primæ, quàm Tertiæ, Sextæ, & Nonæ: Aquam pro lavandis Sacerdotum manibus, & Miniſtrorum in Miſſis ad locum debitum deferre. Vinum ad collationem afferre, cum ſocio præcedentis hebdomadæ in ipſa collatione ſervire; ignem in thuribulo ponere; Lectiones, Invitatorium Venite, & Reſponſorium ad Veſperas, Reſponſoria brevia, Orationes, & Antiphonas in Eccleſia invenire, & in armario in medio Chori patenter ponere; candelas ad Laudes, & Veſperas accendere, aquam benedictam, qua Monachi aſpergantur poſt Completorium, præparare, & ipſam ad benedicendum die Dominico in hebdomada ſua, hora prima Sacerdoti cum ſale præbere: ſequenti verò hebdomada privatis Miſſis deſervire, ac lampades in Dormitorio accendere.

§. 9. Ad Hebdomadarium Lectorem pertinet die Dominico poſt Miſſam petere ab omnibus pro ſe orari, prout in Regula continetur; ad primam menſam legere; Lectiones omnes breves, id eſt Capitula in Eccleſia recitare cantando, vel legendo; primum ſignum ſtatim finito officio illius horæ, qua debent comedere Monachi, facere; & ad menſam ſecundam poſtquam comederint, & de Refectorio cum gratiis exierint, ad comedendum pulſare.

§. 10. Sacriſtæ munus erit ad omnes horas Canonicas horis debitis die, noctuque pro primo, & ſecundo ſigno campanas pulſare, ſeu pulſari facere ſecundum temporum differentias; hoc eſt in duplicibus omnibus primæ Claſſis, ad nocturnas Vigilias, ad utraſque Veſperas, & Tertiam ter, & omnes campanas. In reliquis duplicibus, & in Dominicis per annum bis, ſed duplas. In Dominicis verò primæ Claſſis pulſentur campanæ, prout in duplicibus primæ Claſſis: Pro aliis autem horis ſcilicet Sexta, Prima, Nona, & Completorio ſemel tantum, ſed duplas, aut triplas, ſecundùm dierum prædictorum differentiam; cæteris autem diebus ſemel una pulſetur.

Item eius officium eſt, candelas, cereos, & candelabra pro Altaribus, ac diverſis Eccleſiæ locis in Officio, & ſacrificio, prout opus fuerit, præparare, ac diſtribuere juxta eorumdem dierum differentiam. Pro feſtis quidem diebus duplicibus in Miſſa, Tertia, Veſperis, atque in Antiphona B. V. in Completorio, & in nocturnis Vigiliis decantatur Te Deum laudamus usque ad finem Laudum, candelas ſex majores ſenum unciarum ſingulas: in duplicibus verò per annum, & in Dominicis diebus, & ſemiduplicibus quatuor, & quatuor unciarum ſingulas: cæteris autem diebus duas trium unciarum ſingulas. Pro aliis autem horis Canonicis in feſtis tantum duplicibus duas, & pro candelabris, quæ per Ceroferarios, vel Acolithos deferuntur, in ſolemnitatibus majoribus duas. In aliis autem feſtis duas, & pro Miſſæ ſacrificio tam feſtivis diebus, quàm Dominicis duo intortitia; cæteris autem diebus unum. In Miſſa verò Abbatiali ad elevationem deferantur quatuor intortitia.

Debet item Sacriſta in ſingulis Altaribus Crucem apponere, portas aperire, & claudere, & quando horæ matutinorum citius cantandæ ſunt, Cantori ſignificare; Cineres, ramoſque palmarum, & ignem novum ad benedicendum parare: Ad ungendum infirmum Oleum ſanctum, & alia neceſſaria præparare; Omnia vaſa, veſtimenta, & alia Eccleſiæ utenſilia, quæ ſibi per inventarium conſignanda ſunt, cuſtodire & reponere, & ita conſervare, ut nihil deperdatur: atque in fine Officii ſimiliter, ſcilicet per inventarium conſignare, & reſtituere; Demum cætera alia facere, quæ ad ornatum, & decus Eccleſiæ pertinere noſcuntur.

§. 11. Ad Cellerarium pertinet omnia vaſa Monaſterii tam coquinæ, quàm alia non ſacra cum magna diligentia cuſtodire; Sal, oleum, vinum, & utenſilia Monaſterii, quæ ſibi committuntur, & conſignantur, conſervare; menſam Monachorum, dum comedunt circumire, & eis ſubminiſtrare neceſſaria, & eſſe ſanis, & infirmis omnibus tanquam Patrem, qui curam gerat de Monachis, eoſque non contriſter, & conſtitutam annonam, & pictantiam, ſive obſonium ſine mora horis opportunis præbeat.

§. 12. Ad officium Procuratoris pertinet curam de temporalibus habere, redditus, cenſus, & omnes proventus Monaſterii ubicumque fuerint tam per inſpectionem titulorum, quàm regiſtrorum ſcire; Jura Monaſterii ſollicitè conſervare; cum Præſidentis Monaſterii, & Conventus conſenſu lites movere,

vere, proceſſuſque facere, motasque ad finem deducere, aut viis pacificis, habito Capituli Monaſterii conſenſu, & ſapientum conſilio concordare; Credita Monaſteriorum diligenter petere, & via juridica debitores ad ſolvendum compellere; pecunias omnes utcumque Monaſteriis debitas, & obvenientes, quas recipit, Depoſitariis quamcitiùs conſignare, quietantias debitoribus, & aliis, quibus opus fuerit, facere, & ſigillum pro illis obſignandis, & librum habere, in quo quæ conſignat, & recipit, annotentur. In omnibus autem, & per omnia pro voluntate Prælati, & Capituli ſe gerere, eisque in omnibus ſemper humiliter obedire debeat.

§. 13. Ad Depoſitarios pertinet omnia Monaſterio advenientia mobilia, tam pecuniam, quàm res alias, frumentum, videlicet, hordeum, legumina, & oleum ſub clavibus in Depoſito conſervare, ac Inventaria, tam generalia Monaſterii, in quibus bona ipſius deſcripta ſunt, quàm particularia Officialium, Sacriſtæ, videlicet, & Cellerarii, atque artificum facere, eorumque exemplar apud ſe retinere; Inſtrumenta, Privilegia, & Contractus, & ſi quæ ſint alia in favorem Monaſterii Jura, tam mobilium, quàm ſtabilium, vel ſeſe moventium, necnon apodixas, & quietantias in favorem facientes, aliaque omnia, quæ ſibi, & Capitulo pro utilitate, atque immunitate Monaſterii neceſſaria & opportuna videbuntur, in Depoſito collocata cuſtodire.

De quibus omnibus apud eos depoſitatis, & in cuſtodiam datis, communiter inter ſe librum unum conficiant, in quo per rationes diſtinctas mentionem faciant cum appoſitione temporis, anni, videlicet, menſis, diei, aliarumque clauſularum neceſſariò apponendarum. Ipſa autem depoſita, ſeu res depoſitatæ, & pecuniæ de voluntate Præſidentis per eosdem Depoſitarios conſignentur Officialibus, & de conſignatione ipſarum in eodem libro ſimiliter fiat mentio ſpecialis.

§. 14. Ad Expenſorem pertinet commiſſam ſibi pecuniam à Depoſitariis pro utilitate Monaſterii de voluntate Præſidentis tam ordinariè, quàm extraordinariè expendere; res, & bona Monachis, & Monaſterio neceſſaria emere; Creditoribus ſatisfacere, aliaque omnia exequi, quæ ſibi à Superiore injunguntur; librumque de receptis, & expenſis cum partitis diſtinctis, & ſingulis tam in exitu, quàm in introitu facere; De receptis, & expenſis onà cum Depoſitariis, & Procuratore Præſidenti de hebdomada in hebdomadam rationem reddere.

§. 15. Ad Infirmarium pertinet Monachos cùm infirmantur monere, ut quamcitiſſimè poterunt confiteantur, opportunoque tempore Euchariſtiæ Sacramentum ſumant, ipſosque confeſſos de licentia Præſidentis ad Infirmariam ducere, & eorum cum charitate curam gerere, eisque omnia neceſſaria ſecundùm Medicorum conſilia miniſtrare; & in mortis articulo poſitos hortari, & eos, quo opportuniori tempore velint, ungi Oleo ſancto, interrogare, atque illos ungi facere, & eorum animas bene diſponere; demum in Infirmaria dormire, & de Infirmis attentius curam habere.

§. 16. Ad menſarum famulos ſpectat, Monachis diſcumbentibus fercula primæ menſæ portare, & in ſecunda ad ponendum incipere; vaſa omnia diligenter mundare, & in fine hebdomadæ integra, & mundata alteri conſignare; & alia quæ oportuerit explere, ut moris eſt.

§. 17. Cæteri autem Officiales Monaſterii, aut artifices, ita in propriorum officiorum exequutione ſe gerant, ut ſinguli in ſingulis Monaſteriis, & Monachorum neceſſitatibus invigilent, & tales de ſe præbeant, ut ſine murmuratione, aut querimoniis, & cum omni humilitate, diligentia, charitate, & prudentia, Deique in primis timore munus ſibi commiſſum adimpleant, & pro voluntate Præſidentis in omnibus, & per omnia juxta Regulæ diſpoſitionem ſe gerant.

§. 18. Ubi verò major fuerit Congregatio, pro Abbatis arbitrio prædictis Officialibus addantur ſocii, ſive ſolatia, juxta diſpoſitionem Regulæ; ac alia, & ſingula Eccleſiæ, ac Monaſterii ſervitia, prout opus fuerit, alii deputentur famuli, & Officiales, qui juxta ſuorum munerum commiſſionem illa fideliter exequantur.

Caput XVIII.

De Adminiſtratione Temporalium.

§. 1. DE triennio in triennium Abbates, Priores, cæterique Officiales, quibus adminiſtratio credita eſt, faciant duo Inventaria de bonis mobilibus, & ſtabilibus ſingulorum Monaſterio-

riorum, quibus præſident, cum interventu Viſitatoris, & ſanioris partis eorundem locorum, cum expreſſa mentione, & diſtincta quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, emolumentorumque tàm præſentium, quàm futurorum, quotannis percipiendorum, cum debita ſubſcriptione prædictorum, aliorumque Monachorum.

Horum autem alterum Inventarium tegiſtretur in libro majori computurum, aliud verò adſportetur ad Capitulum Generale, ut infra. Liber autem prædictus computorum ſit ad minus quingentarum cartarum integrorum foliorum; conſignetutque hujusmodi liber per Prælatum prædeceſſorem Vicario Capitulari, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officii per annum; & à Vicario Capitulari Prælato ſucceſſori, ſub pœna ſtricti carceris per annum, & aliis ad arbitrium Abbatis Generalis.

Ipſa ergo inventaria adſportanda, bene collata cum inventariis deſcriptis, & relictis in ſingulis Monaſteriis, ut ſupra, præſententur Patribus Diffinitorialibus in Capitulo Diffinitoriali, prout infra. Abbates verò, & Priotes ſupradicti cùm primùm in Capitulo Generali electi fuerint, Inventatiurum prædictorum exemplar accipiant, quisque, ſcilicet, pro ſuo Monaſterio; Cumque ad ipſa pervenerint, in ptimis per inventarium bona ipſorum ſimiliter recipiant, in quo præcipuè univerſa ſupellex Sacriſtiæ, ſacræ Reliquiæ, & ſcripturæ, & libri, & Dormitorii, Infirmariæ, horrei Cellaril, Promptuarii, & Coquinæ deſcribantur, conferantque cum eo, cujus exemplar acceperunt, an aliquid abundet, vel deſideretur, & omnia notificent Abbati Generali.

§. 2. Prælatus quisque, & Officialis Monaſterii ad Generale, vel Annale Capitulum, ſeu ſponte juxta ſolitum, ſeu Abbatis Generalis juſſu acceſſurus, vel utrumque officium dimiſſurus, ante diſceſſum coram Patribus Monaſterii, ſi præſens non fuerit Viſitator, aut Diffinitor, de omnibus in ſuo Officio receptis poſt Viſitationem, & expenſis, ac de rebus aliis pro Monaſterio tractatis, tationem reddat; & bona ſibi per Inventarium in principio ſui officil conſignata cujuscumque ſint generis, & valoris, juxta ejusdem Inventarii notam recognoſci faciat, & ſic recognita conſignet cum aliis bonis, & rebus dicti Monaſterii juxta conſuetudinem: Et de præmiſſis ab eisdem litteras teſtimoniales babeat, quæ nihilominus neutiquam a Patribus obſignari debeant, ad pœnam falſi, niſi prædicta recognitione, & conſignatione facta, & ratione, ut præmittitur, reddita cum clauſula de rebus deficientibus, ſi forſan res deficiant; ſine quibus litteris non admittantur ad votum neque activum, neque paſſivum hujusmodi Capituli.

§. 3. Et quia bona mobilia uſu conſumuntur, ſtatim quod aliquid deperditum fuerit, vel conſumptum, Sacriſta, vel Cellerarius, ſeu Officialis quilibet, qui ea habuit in commiſſis, Præſidenti debeat indicare, & ipſe Præſidens ſtatim emere debeat aliud ſimile, vel melius illo, quod deperditum fuerit, vel conſumptum, cùm bona mobilia temporis injuria diminuta debeant reparari. Et ſi aliquid de dicto Inventario tempore prædicti Præſidentis fuerit imminutum, ſi propter negligentiam ſuam id evenerit, vel fuerit malitioſe deperditum, vel ſubtractum, ad nutum Abbatis Generalis, vel Viſitatoris, juxta rei ſubtractæ, vel deperditæ valorem, & qualitatem, Præſidens puniatur. Si autem ob negligentiam alicujus Officialis quicquam de bonis mobilibus deperditum fuerit, ſimile per Præſidentem ipſius Monaſterii, vel loci, dictus Officialis negligens de ſua negligentia, vel de malitia puniatur, ſi per ejus malitiam, vel negligentiam res deperdita fuerit.

§. 4. Ipſorum autem fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum Monaſteriis advenientium de triennio in triennium à Diffinitoriali Capitulo diſtribntio, ac diſpenſatio fiat pro Monaſteriorum, & locorum expenſis neceſſariis, & communibus, juxta numerum perſonarum in dictis Monaſteriis manutenendarum, ac juxta locorum, & temporum qualitates pro victu, veſtitu, & communibus neceſſitatibus earundem; Ac ptopterea juxta redditiuum quotannis percipiendorum quantitatem, tot perſonæ teneantur, quot commodè poſſunt cum iisdem redditibus ali. Si quando autem Prælati numerum prædictum dolo, vel negligentia minuerint, Viſitationis tempore, ſingulis annis pro rata victus, & veſtitus deficientium perſonarum ſatisfaciant; itaut tantam de aſſignata portione pecuniam deponere, & conſignare debeant, quanta pro talibus perſonis deficientibus (ſi adeſſent) pro eorum victu, & veſtitu expenderetur, ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione pet annum.

§. 5. Si

§. 5. Si autem Dei clementia fructus ſuperfuerint de portione Monaſteriorum pro uſibus ſupradictis Prælatis aſſignata, ac pro ipſarum perſonarum in dictis Monaſteriis exiſtentium uſu, & commodo expendenda; portio altera ſuperabundans ita deponatur, & in depoſito conſervetur, ut de ipſa non niſi per Abbatem Generalem, & Generales Viſitatores, & Diffinitores in Annali, vel Generali Capitulo cùm interventu Prælati Monaſterii, vel intra triennium per Ipſum Abbatem Generalem cum Patribus Diffinitorialibus Quarteriorum reſpectivè, & Prælato Monaſterii in caſibus neceſſariis, & quæ præſentanea proviſione indigebunt, ut puta Eccleſiarum neceſſariis reparationibus, & ſimilibus ædificiis, ſimiliter neceſſariis, poſſit diſponi.

§. 6. Incertorum autem redditu um per Generalem Viſitatorem quotannis deſcriptio fiat, & per Capitulum Diffinitoriale cum interventu Prælati Monaſterii ſimiliter pro neceſſariis reparationibus, & ædificiis diſponatur: neceſſariis autem ſupradictis ceſſantibus cauſis, depoſitum prædictæ portionis cuſtodiatur pro Congregationis, & univerſalis regiminis neceſſitatibus, & commodis, ad Generalis tantum Capituli diſpoſitionem, & mandatum. Cæterùm aſſignatæ portionis adminiſtratio tàm advenientium pecuniarum ex redditibus, ſeu cenſibus, vel aliorum bonorum mobilium, ut puta frumenti, vini, olei, aliarumque rerum ſimilium venditionibus ſuis loco, & tempore, modo, & forma faciendis, quàm earundem, aliarúmque rerum undecumque, & qualitercumque dictis Monaſteriis legitimè provenientium, per Depoſitarios deputatos fieri debeat, & non per Prælatos ſolum tractari, miniſtrari, vel diſpenſari, ſeu diſtribui valeat.

§. 7. Superiores cùm primùm creati fuerint, & ad propria Monaſteria transmiſſi, convocent Capitulum Monaſterii, in quo eligantur de communi ipſius Capituli conſenſu duo Patres Depoſitarii, qui depoſitum ſervent, tam pecuniarum, quæ per Procuratorem eis conſignabuntur, quàm etiam frumenti, vini, olei, leguminum, hordei, cæterarumque rerum: & circa hæc juxta eis traditam poteſtatem, & commiſſam obedientiam, prout ſupra de diverſis Officiis Monaſterii diſponitur, per omnia uniformiter ſe gerant. Eligatur ſimiliter Procurator, qui prout ſupra dictum eſt, ſuum exerceat officium.

Item eligatur Expenſor Monachus, ſive oblatus, qui pro ſui officii ratione, prout ſupra, fideliter conſignatas ſibi pecunias expendat. Eligantur demum cæteri Officiales, Sacriſta, Cellerarius, Magiſter hoſpitum, aliique prout ſupra, qui itidem, prout diſpoſitum fuit ſuprà, ſuo fungantur officio.

Item eligatur Cancellarius, ſive Actuarius Capituli Conventualis, qui deſcribat electiones Officialium Monaſterii; & omnia acta, quæ fieri contingent in Capitulis Conventualibus, & ad hunc effectum librum magnum habeat in ſolio integro, in quo prædicta omnia fideliter deſcribat, & regiſtret.

§. 8. Bona mobilia, quæ pro ſuſtentatione Monachorum, aut aliàs pro Monaſterii neceſſitatibus vendi ſolent, ſicut cuſtodiæ commiſſa ſunt Depoſitariis, ita nequeant ea Præſidentes Monaſteriorum, aut cæteri Officiales in toto, vel in parte, ſine Capituli Conventualis conſenſu, vendere, diſtribuere, aut earum pretium in extraordinarios caſus, quantumvis neceſſarios, abſque ipſa convertere; ſervata nihilominus ipſarum forma, quæ in præſenti Capitulo, & in præcedentibus, & in ſubſequentibus traditur, & aſſignatur. Aſſignatam portionem reddituum, & bonorum Monaſterii pro victu, & veſtitu Monachorum, & Monaſterii neceſſitatibus expendendam, Officiales ita miniſtrent, ut ſervata Regula, Monaſticiſque Inſtitutis, de ea communiter, & regulariter omnes vivant; & neque plus uni, quàm alteri, niſi ſecus Abbas, juxta Regulæ præſcriptum diſpoſuerit, miniſtretur; neque quod miniſtratur tanquam proprium habeant, aut recipiant, neque ſingulariter ſingulis in victu, ſed communiter diſtribuatur, & non in pecunia numerata. Contrafacientes in omnibus ſupradictis, tanquam monaſticæ diſciplinæ contemptores, acerrimè corrigantur, & puniantur graviori pœna, aliiſque pœnis contentis in decretis generalibus Clementis Papæ. VIII.

§. 9. De eadem aſſignata portione ex redditibus Monaſterii emantur utenſilia pro Coquina, Cellario, Refectorio, Infirmaria, Dormitorio, Hoſpitio, & pro cæteris in ſimilibus requiſitis; ut propterea quotidie non fatigentur Officiales in his, quæ pro quotidiano uſu, rebuſque in dies occurrentibus requiruntur, & Monachi, tam Conventuales, quàm hoſpites commodè indè ſuſtententur, & quieſcant. Utenſilia autem prædicta de anno in annum, pro-

prout opus fuerit, & expediet, reficiantur, & emantur; & per Inventarium cuſtodiæ Officialium Infirmorum, qui eorum miniſterio pro ſui officii executione opus habent, relinquantur; & ab eis de anno in annum, & toties quoties diſcedunt, vel dimittunt officia, exacta ratio Abbati, aut Priori reddatur. Paretur autem præcipuè, & ornetur quammaximè fieri poterit, Sacrarium de omnibus ad divinum cultum, officium, & ſacrificium ſpectantibus, Vaſis, Veſtibus, Libris, Mantilibus, Inſignibus, Thuribulo, Candelabris, Cruce, Pace, cæteriſque ad commoditatem, & neceſſitatem Chori, & Eccleſiæ utenſilibus eorum, quorum opera, & cura Superior Monaſterii de conſenſu Patrum diſpoſuerit; vel aliàs ipſa utenſilia ſacra perquirantur, & viſitentur ab Abbate, aut Priore Monaſterii. Sacriſta verò, qui utenſilia hujuſmodi fideliter, & cum convenienti decore non cuſtodierit, ad eorum arbitrium graviori pœna puniatur.

§. 10. Charitatis opera, quæ potiſſimùm pro ſubventione pauperum nobis ex Domini præcepto injunguntur, inter Religioſas perſonas maximè vigere debent; ideò redituum, bonorumque noſtrorum, portioniſque pro Monachorum victu aſſignatæ, participes fiant pauperes, eiſque ad januam Monaſterii bis, vel ubi exigui ſunt redditus, ſaltem ſemel in hebdomada, de pane, & vino eleemoſynæ porrigantur, prout opus habent.

Ubi verò uberiores fuerint fructus, quotidiè eleemoſynæ pauperibus erogentur, itaut portio una bonorum noſtrorum detur Chriſto; juxta illud: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*; quod Officiales maximoperè curent. Superiores autem, qui in præmiſſis defecerint, acriter ab Abbate Generali, aut Viſitatore in actu Viſitationis corrigantur.

Nobilibus egeſtate compulſis, qui publicè mendicare erubeſcunt, ſi ad nos confugerint, eleemoſynas ſecretò erogari mandamus, de conſenſu tamen Patrum, ſi eleemoſyna decem Julios exceſſerit; ſecus verò non admittantur in ratione reddenda.

§. 11. Nec liceat alicui in alicujus officium ſe ingerere, nec in commiſſo ſibi munere alia facere, quàm quæ eis conceduntur pro adminiſtratione proprii officii. Ideoque cùm primùm Procurator pecunias, aliaque bona ad Monaſterium ſpectantia exegerit, ea omnia confeſtim Patribus Depoſitariis conſignare teneatur; nulloque modo, vel cauſa pecunias, vel res alias apud ſe retinere præſumat, neque ipſi Depoſitarii res prædictas miniſtrare valeant, ſed eas communiter in depoſito cum ſeparatis, & diſtinctis clavibus cuſtodientes, ſingulis hebdomadis dictarum rerum portionem inferioribus, & minoribus Monaſteriorum Officialibus, vel res ipſas in totum per Inventarium conſignent, & cuſtodiendas committant. Pecuniam verò pro uſu Monachorum de hebdomada in hebdomadam Expenſori tradant. Omnia verò cum conſenſu, & voluntate Præſidentis faciant, rerum ſibi conſignatarum loco, & tempore rationem reddituri.

§. 12. Prædicti Depoſitarii unum, & Expenſor alium quinternum faciant, ipſi, videlicet, Depoſitarii de receptis omnibus, & datis in ſumma Expenſori eidem, & ipſe Expenſor de receptis ab eiſdem Depoſitariis, & expenſis per ſeipſum particulariter, & diſtinctè continentibus menſem, diem, quid, quantum, cui, à quo, & per quorum manus, & de quorum mandato ſpeciali, & manu, quorum ſingula ſint recepta, & expenſa; necnon familiæ numerum in capite libri expenſarum, ordinariè ſcilicet in Monaſterio degentis, & extraordinariè hoſpitum, advenientium, amicorum, & familiarium, cum eorum famulis diſtinctè, ſimiliter continentibus.

§. 13. Officiales quoque alii quocumque nomine cenſeantur, Vicarii parvorum Monaſteriorum, & Maſſarii, quicquid recipiunt, ſeu expendunt ratione ſuorum officiorum, ſcribant, vel ſcribi faciant, ut dictum eſt, particulatim, & diſtinctè in quaternis propriis, quos fieri diſtrictè mandamus. Volumus quoque, ut diſtinctè & particulariter in libris prædictorum Officialium conſcribantur frumentum, vinum, oleum, hordeum, fabæ, & legumina omnia cujuſcumque generis, linum, canapis, & alii agrorum fructus, menſuram quoque omnibus reſpondentem, ſecundum varios locorum uſus ſignando. Qui verò hæc neglexerint, pro ſuſpectis habeantur, & officio careant. Depoſitarii verò ipſi, & Expenſores de hebdomada in hebdomadam de receptis, & expenſis unà cum Procuratore Monaſterii coram Superiore rationem reddant; & ſignificetur omne id, & totum, quod per prædictos fuerit expenſum, & conſumptum pro victu ipſorum, tam de pe-

cuniis

cuniis, quàm de frumento, vino, & oleo, & cæteris ipſorum Monaſteriorum mobilibus, ac ei legantur omnes partitæ librorum ſuptadictorum, easque partitas omnes inſpiciat, & ſubſcribat.

§. 14. Expenſor autem ipſe ſine Prælati, & Capituli conſenſu nibil poſſir expendere, niſi quod pro quotidiano victu, ac rebus aliis communibus quotidie occurentibus, moderatis tamen, & ordinariis, ac etiam extraordinariis (ſi opus ſuerit) extraordinariarum expenſarum in libro computorum expreſſa mentio fiat. Si quis verò Superior per ſe, vel per alium, præterquam per Expenſorem, pecuniam expenderit, niſi rationabili cauſa, pro vice qualibet uno die in pane, & aqua jejunet. In dictis in ratione recipienda, & ponenda, ut diximus, hi, qui illam recipiunt, & ad quos pertinet, non admittant de facili, quæ fortè malè expenſa fuerint, & quæ non fuerint admittenda; ſed tam reddentes, quàm recipientes iidem divinæ, & humanæ juſtitiæ ſe conforment, ut hi, qui a prædictis deviaverint, ſecundum culparum demerita puniantur.

§. 15. Expenſores autem non ſcribant in libris partitas Expenſarum ab aliis ſine licentia Superioris factarum, neque de non receptis adhuc pecuniis expenſas faciant, ſeu non factas pro factis ſcribant, etiam ſi faciendæ forent, & pro factis haberi deberent, pecuniis quovis modo aſſignatis, vel aſſignandis pro dictis expenſis faciendis. Depoſitarii ſimiliter in libro Depoſiti res, & pecunias adhuc non habitas, vel non conſignatas non ſcribant. Itidem faciat Procurator de pecuniis non exactis; itaut nulla ex cauſa ipſi Depoſitarii, Procuratores, & Expenſores in libris ſuis partitas aliquas deſcribant in introitu, & exitu, niſi prius realiter, & cum effectu, & integrè prædictæ partitæ exactæ, conſignatæ, & expenſæ fuerint.

§. 16. Procuratores autem nequeant, ſine Capituli Conventualis conſenſu, debitores quietare in totum, vel abſolvere, neque abſque ipſius Capituli mandato ſpeciali redditus, & proventus exigere, vel recipere pecunias. Item neque ipſi, neque Superiores, aut Depoſitarii prædicti debitum aliquod cujuscumque ſit quantitatis, & ſummæ, quod debetur Eccleſiæ, vel in bonis, vel in pecunia, cuicumque remittere, & condonare præſumant, quominus Eccleſiæ perſolvatur. Cùm autem pietatis intuitu alicui ob pauperiem, vel indigentiam, aut in laboris præmium, vel aliàs ex juſta, & rationabili cauſa debitum aliquod remittendum eſſe judicaverint; cum Capituli Conventualis conſenſu, ſi fuerit in parva quantitate, non excedente ſummam decem ſcutorum: ſi verò fuerit in magna quantitate, id nequaquam fiat absque Abbatis Generalis licentia. Bona verò, aut quomodocumque ad ea ſpectantia donare nullo modo audeant. Contrafacientes in aliquo prædictorum, priventur officio, & reſpectivè in carceribus detineantur.

§. 17. Nullus Abbas, Prior, aut Officialis, neque alius quicumque noſtræ Congregationis Monachus ſibi appropriare, vel retinere, vel occultè conſervare audeat bona Monaſteriorum noſtrorum cujuscumque generis, & qualitatis mobilia, vel ſtabilia, aut ſeſe moventia, ſeu etiam ſcripturas, libros, & quascumque pecuniarum ſummas quomodocumque ipſis Monaſteriis juſto titulo, vel jure legati, vel relicti, aut donationis, aut aliàs ſpectantia. Nec ſimiliter quiſpiam audeat aſportare eadem bona ad aliud Monaſterium, etiam ſi ab eodem Officiali fuerint empta ſumptibus, & nomine Monaſterii, cujus adminiſtrationem immediatè geſſerit, ſub pœnis contra proprietarios contentis in ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſacro Concilio Tridentino, & in Regula noſtra, aliisque arbitrio Abbatis Generalis. Hujusmodi verò res, & bona Monaſterio, unde ablatæ ſunt, reſtituantur.

§. 18. In Monaſteriis, quæ reguntur per Abbates, & Priores, ſit Depoſitum, & Archivium, in quo conſerventur omnia privilegia, inſtrumenta, jura, & cautelæ eorundem Monaſteriorum, & res pretioſiores, quæ ad Eccleſiæ neceſſitatem, aut ornatum faciunt. Conſerventur etiam in eo regiſtrum principale, & libri computorum, & expenſarum, qui de trienoio in triennium fiunt ab unoquoque Superiore pro ſuæ adminiſtrationis officio, cum Inventario, ut ſupra, inſuper proceſſus litium cum ſummariis earum.

Secularium autem bona nullo modo audeant Superiores, aut Depoſitarii in eo conſervare, niſi coram Patribus, & teſtibus bona conſervanda notificata fuerint; ita tamen, ut ex depoſito dictorum bonorum nullum Monaſterio periculum, aut detrimentum ſubſequi unquam poſſit.

Et ultra alia eligatur unum inſigne depoſitum, ſive Archivium in aliquo principaliori Monaſterio, in quo non ſolum jura ejusdem Monaſterii deponantur, ſed etiam aliorum Monaſteriorum parvorum de eodem Quarterio jura, & ſcripturæ conſerventur, eorum ſcilicet, quæ aliàs in tuto loco, & apto nequeunt eadem jura conſervare.

§. 19. Caveant Abbates, Priores, Depoſitarii, & Procuratores Monaſteriorum, ne ſub quovis prætextu, vel cauſa, privilegia, inſtrumenta, & omnia, ac ſingula ſupradicta, aut etiam granum, vinum, aliaque ad victum neceſſaria, aut proventus, eleemoſynas, legata, donata quomodocumque Eccleſiæ, & Monaſterio ſpectantia, apud conſanguineos, & amicos, aut etiam extraneos dolosè in damnum Eccleſiarum, & Monaſteriorum deponere, vel transportare præſumant, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda; nec eisdem extraneis dare, aut donare de ſibi in cuſtodiam commiſſis in Eccleſiarum, & Monaſteriorum damnum, ſub eadem excommunicationis pœna, & inhabilitatis perpetuæ ad quælibet Congregationis officia.

Cùm verò pro Monaſteriorum commodo, & utilitate prædicta, aut aliquid prædictorum forſan extra Monaſteria conſervari expediet, nonniſi de conſenſu totius Capituli Conventualis apud fideles amicos, aut conſanguineos, bonæque famæ viros, cautione legitima juridicè recepta, deponantur.

§. 20. Locationes bonorum ſtabilium ultra triennium nullo modo faciant, neque permittant Superiores Monaſteriorum, ſub pœnis a jure expreſſis ipſo facto incurrendis. Locationes verò, quas ad longum tempus, aut in emphiteuſim fieri contigerit, necnon permutationes ſimiliter bonorum ſtabilium, non fiant, niſi ſecundum diſpoſitionem Juris communis, & præcipuè Extravagantis, Ambitioſæ tit. de reb. Eccleſ. non alien. ſub pœnis & cenſuris in eadem Extravaganti contentis, & nonniſi de facultate Capituli Generalis, aut Annalis.

Quòd ſi contigerit Emphiteoticam aliquam locationem de jure fieri poſſe, ad tertiam tantum lineam maſculinam de legitimo matrimonio deſcendentem, comprehenſa perſona primi acquirentis, fieri poſſe declaramus; & quòd ultra annuum reſponſionis fructum, debeant locatarii pro certa quantitate melioramenta facere, ut res locata majorem reddat fructum, ubi ad Monaſterium redierit: ſecus verò factas, aut in futurum faciendas, eas irritas, & nullius roboris eſſe, nunc prout ex tunc aſſerimus, & declaramus. Locatores autem contra hujus articuli diſpoſitionem facientes, ſui officii adminiſtratione careant.

§. 21. Cum verò locationes, ſeu permutationes in caſibus à Jure permiſſis in augmentum, & utilitatem Monaſteriorum, temporis dilationem interdum minimè patiantur, nec ad Capitulum Generale, ſive Annale queant ſine præjudicio differri; tali caſu Abbas, aut Prior Monaſterii, & Patres Diffinitoriales Quarterii, de Abbatis Generalis conſenſu, permutationem, aut locationem facere poſſint, & debeant. Inſtrumenta verò intra triennium taliter confecta, in quibus, ſcilicet, reſervatus eſt aſſenſus Abbatis Generalis, ad ipſum Diffinitoriale Capitulum producantur, & contenta in eis publicentur; & publicata non prius per Abbatem Generalem firmari poſſint, quàm per Capitulum decretum ſit, in Inſtrumentis hujusmodi aſſenſum præſtari poſſe, attenta jurium diſpoſitione, Congregationis indemnitate, Monaſteriorum utilitate, & commodo.

§. 22. Cui etiam Conſtitutioni adijcimus ſtatuentes, quòd Abbas Sancti Spiritus de Murrone, ſive Prior, & Conventus ejusdem Monaſterii, qui pro tempore fuerint, ex nunc in antea nullum feudum, nec gentilitium, ſeu nobile, neque ruſticanum, ſive cujusvis alterius naturæ nuncupetur, quod ſolitum ſit infeudari, vel in emphiteuſim dari, & in præſenti in ſuo proprio demanio ſit, vel in futurum, quovis jure, & titulo adipiſci poterunt largitione Principum, donatione, vel legatione piarum perſonarum, ſive emptione, nec uſumfructum ipſorum aliis relocare, vendere, infeudare, vel inſubfeudare, aut concedere poſſint, tam in feudis Pratularum, quàm in feudis Roccæ, Caſalis, Urſæ, Cerrani, & Turris, ſine voluntate totius Capituli Generalis, vel Annalis, ſeu Diffinitorialis, & evidenti utilitate Eccleſiæ; idque fieri poſſit illis perſonis, earumque hæredibus, & ſucceſſoribus maſculini ſexus legitimis, & naturaliter deſcendentibus de proprio corpore, quibus relocatio facienda erit, excluſisque omninò fœminis, & non aliter, nec alio modo. Qui autem contra formam præſentis Conſtitutionis facere præſumpſerit, eo ipſo pœnam privationis ab officio ad

lexen-

ſexennium incurrat, dictaque locatio, & conceſſio ſit nulla, irrita, & inanis. Pecuniæ vero, quas ex hujusmodi relocationibus, & novis inveſtituris percipi contigerit, ac etiam quæ ex laudemiis, quarteriis, tertiariis, decimæ pretiis, & aliis Juribus feudalibus, etiam ex venditionibus inter ſubſcudatarios, vel emphiteotas faciendis receptæ fuerint, nullatenus expendantur ad quotidianos uſus, vel in neceſſitatibus aliis; ſed in depoſiro Monaſterii, aut penes aliquam idoneam perſonam cumulentur, & depoſitentur, ut de illis antequam triennium elabatur (conſulro prius Abbate Generali) fiat emptio bonorum ſtabilium, vel annui cenſus; Idque ſtatuimus obſervandum eſſe etiam reſpectivè in omnibus feudis, & emphiteoticis bonis in Monaſterio, & Baronatu Sanctæ Crucis de Litio, & Sanctæ Mariæ de Caſaluccio, & aliorum Monaſteriorum, in quibus ſunt feudalia jura cum hominibus, & vaſſallis; & in Laudemiis, Inveſtituris, & Recadentiis, in quibuslibet aliis Monaſteriis occurrentibus. Secus autem præſumentes, & contrafacientes ipſo facto excommunicationis pœnam incurrant, necnon privationis officiorum, aliasque pœnas arbitrarias.

§. 23. Rerum ſtabilium, aut magni pretii mobilium alienationem nullo modo, nullaque de cauſa, nullus noſtræ Congregatiunis Officialis, aut Prælatus, etiamſi Generalatus officio, & dignitate fulgeat, fieri permittat, aut facere præſumat, ſub pœnis, & cenſuris à jure comminatis ipſo facto incurrendis. Si verò aliquid ex ſtabilibus, aut pretioſom quidpiam pro Monaſterii alicujus, ſive Congregationis urgentiſſima neceſſitate, de licentia Summi Pontificis alienari neceſſe fuerit, talis venditio Abbatis Generalis, una cum Diffinitorum omnium, & aliorum in Capitulo Generali vocem habentium conſenſu fieri debeat, prout ſequitur. In eodem igitur Capitulo Patres Diffinitoriales inſtructi per litteras, & rogati ut ſuper tali neceſſitate præbeant pro venditione aſſenſum, adhibito ſapientum conſilio, plures tractatus ineant inter ſe; trinaque ſuper id præcedente deliberatione, ſi ita expediat, facultatem impendant, conficiantque ad id commiſſionales litteras opportunas cum præſcripta in eis forma contractus, ut infra.

§. 24. Cauſas neceſſarias eſſe declaramus, quæ pro collapſo Monaſterio, ſeu Eccleſia, vel pro univerſalis Congregationis neceſſitate, aut pro oneribus, quæ interdum pro urgentibus Eccleſiæ neceſſitatibos à ſancta Sede Apoſtolica imponuntur, provenire ſolent, ſi aliàs in præmiſſis eventibus, & neceſſitatibus ex redditibus Monaſteriorum provideri non poterit. Quas judicio, & declarationi prædictorum Patrum Diffinitorialium, & Capituli Generalis relinquimus.

§. 25. Contractus ſuper venditionibus his faciendis fiant cum expreſſa cauſa, & neceſſitate venditionis, cum inſertione litterarum Commiſſionalium ad hæc facientium, & cum pacto expreſſo de redimendo eadem bona vendita, & qoòd pecuniæ non expendantur niſi pro cauſis expreſſis, ſervatisque aliis ſolemnitatibus de jure ſervandis: idemque reſpective ſervetur iu permutationibus, & alienationibus ſupradictis.

§. 26. Aliter contrahentes, vendentes, permutantes, ſive alienantes quàm ſupra, pecuniamque in alios convertentes uſus, officio, & adminiſtratione ipſo facto priventur, & ad illud, & alia perpetuò ſint inhabiles: contractusque pro nullis, & irritis habeantur, nullumque jus tribuant iis, cum quibus facta fuit venditio, permutatio, ant emphiteotica locatio.

Pecuniæ autem ex hujusmodi venditione provenientes in depoſito Monaſterii, aut apud aliquem idoneum, & fidelem trapezitam deponantur, pro illis tantum uſibus, neceſſitatibus, & cauſis expendendæ, pro quibus venditio hujusmodi facta fuit.

§. 27. Si verò infra triennium, inſtanti orgente neceſſitate, venditio fieri contingat, tunc Abbas, & Patres Diffinitoriales in Capitulo Annali, ſervata forma, ut ſupra, facultatem tribuant, Inſtrumentumque fieri mandent; reſervato tamen futuri Capituli Generalis conſenſu, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ beneplacito, prout ſupra de permutationibus, & locationibus ad longum tempus expreſſum fuit.

§. 28. Lites magni momenti, quæ pro jurium Congregationis, & Monaſteriorum noſtrorum conſervatione movendæ videbuntur, nullus in poſterum Superior, aut Officialis movere, aut quomodolibet terminare audeat, absque Abbatis Generalis expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, idque unius pluriumvè legisperitorum conſilio; & ubi conſtiterit de bono Congregationis, Mo-

naſteriorumque noſtrorum jure, & facti ratione. Cùm ergo pro bonis Monaſteriorum noſtrorum conſervandis, defendendis, aut recuperandis lites movere oportuerit, Superior loci Abbatem Generalem de juribus omnibus, quæ ad rem faciunt, reddat certiorem, ut de Juriſperitorum ſententia, deque Capituli Diffinitorialis conſilio, & conſenſu, quid facto opus ſit, deliberet, & licentiam ſi eis expedire videbitur, impendat.

§. 29. Quòd ſi infra triennium ex cauſis neceſſariis lites moveri debeant, ne mora Juribus noſtris præjudicium inferat, conſilio habito de bono jure Monaſteriorum, ut ſupra, de licentia Generalis Viſitatoris moveantur; & nihilominus Præſidentes de eisdem in Capitulo Diffinitoriali rationem faciant, deque cauſarum hujuſmodi meritis Patres Diffinitoriales inſtruant, ut in dicto Capitulo deliberare poſſint de ipſarum proſequutione, terminatione, concordia, aut transactione, prout eis expedire videbitur.

§. 30. Et quia interdum ob paupertatem locorum, lites magni momenti, etiamſi conſtiterit de bono jure eorundem, nequeunt moveri, aut motæ ad finem, & ſententiam deduci; Idcirco præſenti hac Conſtitutione mandamus, ut in unoquoque Quarterio provideatur de communi ære Provinciæ pro litis prædictæ negotio: qua tamen peracta, teneatur locus ad cujus favorem lis ceſſerit, reſarcire pecuniam pro eadem ſumma Depoſito Quarterii, unde extracta fuerit.

Has verò, ut ſupra, benè incœptas lites proſequi teneantur Superiores ſuccedentes iis, à quibus eædem incœptæ, motæque fuerant, & ad finem eas pro Monaſteriorum viribus deducere; ad quod eos compellere curet Viſitator tempore viſitationis.

§. 31. Quia liberam fabricandi facultatem quandoque maximum attuliſſe locis noſtræ Congregationis compertum eſt detrimentum; Idcirco attendant Patres ne quid ad pompam, aut luxum, vel ſuperfluitatem in fabricis faciendum permittant, neque ultra Monaſteriorum, & Congregationis vires, magnas, aut non neceſſarias fabricas confici ſinant; ſed illam in his rationem ineant, ut honeſta, & decentia ſint habitacula Monachorum, ſtatui paupertatis, ac morum converſioni convenientia, & Monaſteria propter ſumptus profuſiores in indigentiam, & egeſtatem non reducantur: In quibus fabricis reparandis, conſervandis, aut erigendis ita duximus diſponendum:

§. 32. In primis Abbates, Superioresque locorum, tam principalium, quàm parvorum, ea, quæ ad conſervationem ædificiorum ſpectant, faciant, & exequantur, ſicut eis ex officio incumbit; necnon neceſſarias reparationes quamprimum fieri curent, ne Monaſteria temporis injuria, aut vetuſtate collabantur.

Nullus autem fabricas erigere, ſeu facere audeat, aut aggredi præſumat, ultra ſumptus decem ducatorum, ſine expreſſa Abbatis Generalis licentia. Quod ſi ædificia ruinam minentur, ac reparatione præſentanea indigeant, pro qua oporteat majorem pecuniarum ſummam expendi, id non niſi de Capituli Monaſterii conſenſu Superiores aggrediantur, nec aliter reſtaurent, & reparent; qui nihilominus de hujuſmodi reparatione, quando Capituli Annalis, vel Generalis tempus, & conſenſus ejuſdem expectari non poteſt, Viſitatorem Generalem Quarterii faciant certiorem.

Magni verò momenti fabricæ ſine conſenſu Capituli Annalis, aut Generalis nullo modo fieri permittantur, antequam aſſenſus præſtetur ejuſdem Capituli; Aſſenſum verò hujuſmodi non præſtet Abbas Generalis cum Patribus Diffinitorialibus, niſi præcedente conſilio Peritorum, confecto typo, aut modello, & habita fideli informatione de modo, & ſumptibus opportunis.

§. 33. Incœptas fabricas de conſenſu Capituli, ut præmittitur, & de conſilio Peritorum, niſi perfecerint Abbas, ſive Prior, aut Vicarius ſuæ adminiſtrationis tempore, teneatur omnino Superior, qui in ejus locum ſuffectus eſt, per ſubſequens triennium proſequi pro Monaſterii, aut loci facultatibus; idque maximè Viſitator Generalis viſitationis tempore curabit, ut prædictus Superior Monaſterii ab incepto fabricæ opere non deſiſtat, juxta typum eundem, & formam, qua de conſilio Peritorum fuerat ejuſdem fabricæ opus inceptum.

§. 34. Nullus Prælatus, aut Officialis noſtræ Congregationis, cujuſcumque ſtatus exiſtat, fructus, redditus, ſeu cenſus anticipata ſolutione, accipere audeat, eoſque niſi ſuis temporibus maturatos exigere præſumat, neque dictos cenſus, redditus, & proventus pignorare, obligare, vel hypothecare quo-

quovis prætextu. Quòd ſi qoando contrarium neceſſitas poſtulaverit, id non niſi de totius Capituli Conventualis conſenſu, & Abbatis Generalis licentia fiat, nec aliter, quàm ſi dictos fructus infra ſuum adminiſtrationis tempus maturari contigerit. Transgreſſores irremiſſibiliter priventur officio ad Abbatis Generalis arbitrium.

§. 35. Motuum autem pecuniarum, & bona, ſive ad victum, ſive ad veſtitum neceſſaria, vel ad credentiam, ut dicitur, ex gravi tantum neceſſitate ſumi poſſe permittimus: cùm ſcilicet ex redditibus, & bonis Monaſteriorum Prælati, Officialesque Monaſteriorum nequeunt neceſſitati prædictæ providere, vel quia fructus ad hæc exigi non poſſunt, aut non ſine notabili jactura vendi, vel diſtrahi.

Ultra verò valorem decem ducatorum nullatenus accipiaot, etiam urgente neceſſitate, niſi de expreſſo conſenſu Capituli Conventualis, & Abbatis Generalis licentia, ſub pœna privationis officiorum, & aliis pœnis arbitrio Abbatis Geoeralis.

§. 36. De iis autem, quorum pretium taxandum eſt, ut ſunt quæ ſumuntur ab Aromatariis pro Pharmacis, mandamus, ut res hujusmodi accipiendæ de anno in annum, anno quolibet taxentur, ſeu æſtimentur, & creditoribus de tota ſumma pretii ſatisfiat, itaut in fine trienoii nihil ſuperſit ſucceſſori ſolvendum. Quòd ſi ſumma aliqua reperta fuerit à ſucceſſore ſolvenda, teneatur ſtatim is eam Abbati Generali, aut Viſitatori Quartetii denunciare, & juxta transgreſſionem delinquens debitæ ſubjaceat correctioni; & ſi ultra decem ducatorum ſummam in Monaſteriis principalibus, ultra quinque verò in parvis, debitum exceſſerit, privetur officio.

CAPUT XIX.

De Capitulo quotidiano culparum.

§. 1. UBi morum diſciplina contemnitor, ibi Religio periclitatur, & vita Monaſtica corrumpitur: Ideò præſenti Contitutione ſtatuimus, quòd in ſingulis Monaſteriis, & locis principalioribus, quæ per Abbates reguntur noſtræ Congregationis, bis in hebdomada, ſcilicet quarta, & ſexta feria, Capitulum culparum habeatur per Præſidentes dictorum Monaſteriorum, & in eorum defectu per Vicarios, niſi fortè feſtum aliquod duplex incidat in prædictos dies, vel aliud obſtet legitimum impedimentum. In mious verò principalibus, ſcilicet in iis, quæ per Priores reguntur, ſaltem ſemel in hebdomada ſcilicet quarta, aut ſexta feria, per eosdem Priores haberi mandamus.

§. 2. Eo ergo die, quo Capitulum prædictum habendum eſt, hora Primæ ad orationem ipſiusmet horæ terminetur, relicta ſcilicet Pretioſa, & quæ ſequuntur: qua finita, Monachi tam Profeſſi, quàm Novitii, tam Clerici, quàm Oblati, ordinatè, & cum ſilentio ad locum Capituli procedant, niſi fortè ad horam Completorii Superiori videatur ex cauſa eſſe differendum; ubique diſponantur per ordinem, ſtantesque ſe inclinent Præſidenti dum tranſit: poſtquam verò ſederint, immediatè pro modo ſalutationis inclinent ſe conſedentibus hinc inde, qui ſimiliter ſe inclinando ſalutatiooi reſpondeant.

§. 3. Tunc facto ſigno à Præſidente, ſurgant ſimul omnes: Hebdomadarius autem Invitatorii inclinatus dicat, Jube Domne benedicere, qoem Præſidens benedicat, dicens, Dies & actus noſtros, &c. Deinde idem Hebdomadarius legat Martyrologium ex more, & reſponſo ab omnibus Deo gratias, ſurgentibusque omnibus, Hebdomadarius Miſſæ legat verſiculos, ſcilicet Pretioſa in conſpectu Domini, cum aliis verſiculis, & reſponſoriis, & cum oratione Dirigere, & ſanctificare. Deinde legatur ab eodem Hebdomadario Invitatorii Capitulum Regulæ cum altero ex Conſtitutionibus, quod Præſidens legi juſſerit, termineturque lectio cum verſiculo, Tu autem Domine miſerere nobis, & reſpooſo ab omnibus, Deo gratias, mox omnes ſe proſternant: Præſidens autem dicat verſiculum, Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c. Benedicire, &c. Kyrie eleiſoo, Chriſte eleiſon, &c. cum aliis verſiculis ſolitis: Et ultimo dicat Orationem pro Abbate Generali, & Congregatione, Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum Abbatem Generalem noſtrum, & ſuper cunctas Congregationes illi commiſſas, ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde; & aliam, Deus cui omne cor patet, &c. & aliam, Auxilium tuum, &c.

§. 4. Per-

§. 4. Peractis iis, Hebdomadarius Iovitatorii culpam dicat, proſtratus coram Præſidente, reddatque ei librum Regulæ, & Conſtitutioonm, quibus acceptis, Præſidens quæ lecta ſunt exponat lingua vernacula, facta competenti exhortatione conformiter ad ea, quæ lecta ſunt.

Deinde commendet orationibus Monachorum tam Benefactores vivos, quàm mortuos, injungatque peculiares orationes, & preces pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, pro Romano Pontifice, & Illuſtriſſimo ooſtro Protectore.

§. 5. Poſt hæc Novitii, ſi aderunt, de eorom negligentiis, & culpis ſpontè coram Præſidente proſtrati pœniteant, dicentes, Offendi multum in ſilentio in locis,&horis prohibitis,&io ſervitio Dei fui piger, & negligens: de his, ac de omnibus aliis erroribus meis dico meam culpam, quos Præſidens moneat, prout ipſos monendos in aliquibus fore judicaverit; & ſi accuſati fuerint, corrigat, & puniat: & ſtatim Novitii exeant de Capitulo, qui ante Altare majus genuflexi de injunctis orationibus ſatisfaciant.

Tum ſi quì ex aliis, qui Capitulo interſunt, ab aliquo pro emendatione proclamati fuerint de errore commiſſo, mox ad pedes Præſidentis ſe proſternant, & de veritate requiſiti reſpondeant: & ſi ſe legitimè expurgaverint, abſolvantur; culpabiles verò, vel de plano confeſſi, vel ab aliis proclamati, coram omnibus arguantur, & juxta commiſſorum gravitatem virgis cædantur, aut aliter condemnentur.

§. 6. Poſt hæc proſternant ſe omnes ſimul dicentes culpam, & de omnibus negligentiis, & omiſſionibus culpabiles ſe cognoſcant; & cùm ad ſignum Præſidentis ſurrexerint, idem Præſidens de correctione morum, & extirpatione vitiorum, ſi opus fuerit, tam in communi communiter, quàm particulariter in particulari tractet. Poſtea ſinguli, à majoribus incipiendo, coram Præſidente proſtrati, de ſilentio, negligentia divini Officii, & de aliis offenſionibus, prout de Novitiis dictum eſt, ſe accuſent: Omnibus autem, aut communiter, aut ſingulariter injungat Præſidens Pſalmos, & Orationes dicendas.

Ut autem ex his humilitatis exercitationibus majorem, & uberiorem fructum percipiant Monachi, fel. rec. Paulus Papa V. in litteris, quæ incipiunt, Romanus Pontifex, in calce præſentium Conſtitutionum inferendis, iis Religioſis, qui contrito corde, & pœnitentes proprias culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas conceſſit de Indulgeotia: quæ movere debent Monachos ad ſe præparandos, & ad hujusmodi exercitia virtuosè, & fructuosè adimplenda.

§. 7. Dum in Capitulo Monachi ſunt, liceat eis ledere in lectione Martyrologii, Regulæ, & Conſtitutionum, & in explanatione earum, & dum Novitii, & alii culpam dicunt; in cæteris verò ſtent. Noo liceat proclamare aliquem ultra duas vices in uno, & eodem Capitulo: poterit tamen tertiò à Præſidente proclamari. Ne quis proclamet aliquem niſi ſedens. Alter quoque alterum non defendat, nec excuſet, niſi à Regente Capituli requiſitus: ſecus qui præſumſerit, pro modo culpæ debitè corrigatur.

§. 8. Nullus verò audeat Capitulum Conventuale coovocare, aut retinere, etiam ſi Conventus, aut major pars illius conſenſerit, abſque Præſidentis licentia, & voluntate; Inſtigatores autem, & ſuggeſtores, necnon convocantes illud quomodolibet, interdicti ſententiam per tres menſes incurrant ipſo facto.

Poſtqoam omnes culpam dixerint, & Præſidens injuoxerit injungenda, Hebdumadarius Iovitatorii commemorationem defunctorum fratrum, & benefactorum dicat. Præſidens verò dicat verſiculum, Requiem æternam, &c. & dicto Pſalmo de Profundis, recitet orationem ſolitam, prout in fine horæ primæ in Breviario: quibus peractis, exeant omnes de Capitulo cum ſilentio, & coram Altari ſatisfaciant de orationibus ſibi injunctis.

§. 9. Quotidie etiam conveniant omnes in locum Capituli ante Completorium; & dicto, Jube Domne, ac benedictione data per Præſidentem, recitatu Capitulo, Fratres, &c. ante Completorium, ſedeant omnes; & unus, cui id munus injuoctum fuerit, ad eam rem idoneus, legat collationes, vel vitas Patrum, & Sanctorum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes, ut præſcribit S. P. Benedictus io Regula cap. 42. Legantur autem libri, vel lingua vernacula, vel ſi latioi fuerint, vulgari ſermone explicentur pro rudibus à

Le-

Lectore, vel Superiore poſt lectionem, quæ tamdiu duret, ut unusquisque aliquem fructum ex ea capere poſſit. Ad hanc autem lectionem omnes conveniant, omiſſis cæteris occupationibus. Lectio tamen ſacræ Scripturæ, vel caſuum Conſcientiæ, aut ſaltem Cathechiſmi, diebus, quibus haberi debet, poterit hujus loco ſuccedere. Neque hæ lectiones unquam omittantur, juxta mandatum Regulæ ſupra citatum.

Caput XX.

De peccatis, & pœnis.

§. 1. Monachos Religionis noſtræ transgreſſores legum Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, infraſcriptis pœnis decernimus ſubjacere. Qui fortaſſe in Simoniam, Sacrilegium, Perjurium ſolemne inciderint, aliaque delicta, & facinora deteſtabilia, & enormia, ſeu (quod Deus avertat) capitalia, contra canonica inſtituta commiſerint, Abbas Generalis amoveatur, Officiales autem cæteri ab Officiis deponantur, cum adjectione pœnarum etiam, quæ in noſtris Conſtitutionibus transgreſſoribus infliguntur.

Si quis per longum fortaſſe tempus, id eſt integræ hebdomadæ, nullo legitimo impedimento diſtrictus, divinum Officium dicere, Miſſas celebrare, confiteri, & communicare diſtulerit, & ter monitus non reſipuerit, ad quæcumque ipſius Congregationis Officia ſit inhabilis, pœnisque aliis nihilominus ſubjaceat in canonibus expreſſis, & habeatur pro infame.

§. 2. Quicumque nomen Dei, Beatæque Virginis, & Sanctorum blaſphemaverint, per menſem prima vice; ſecunda verò per duos menſes, & deinde ultra ad Abbatis arbitrium carcerentur; interimque jejuniis affligantur. Si quis Monachus ſolemniter juraverit, niſi coactus per ſuos Præſidentes, qui ipſum cogendi habent poteſtatem, aut per Corpus Chriſti, aut per Sanguinem, & Sanctorum nomina, negando, vel affirmando: ſi quidem inde damnum non inſeratur alicui, per vicem quamliber in Capitulo recipiat diſciplinam, & uno die in pane, & aqua jejunet. Si verò ex juramento hujusmodi damnum alicui evenerit, aut ſalſum juraverit, ad Abbatis arbitrium, graviori pœnæ ſubjaceat.

Si quis peccata ſibi in Confeſſione ſacramentali detecta revelaverit, pœnis in ſacris Canonibus expreſſis irremiſſibiliter ſubjaceat, & nihilominus per triennium in atrociorem carcerem detrudatur, & vilibus, ut pœnitentiam agat, ſervitiis Monaſterii deſtinetur.

Monachus, qui Religionis noſtræ, vel alicujus Monaſterii noſtri ſecreta aperuerit ſæcularibus, vel alterius Congregationis Religioſis, propter quod infamia alicui Monachorum reſultet, per duos menſes continuos; ſi verò toti Conventui per ſex menſes; ſi autem toti Congregationi, per annum pœnam ſuſtineat gravis culpæ.

§. 3. Prælati, cæterique Officiales Congregationis noſtræ, qui delinquentes in gravis culpæ delictis non corrigent, ſeu corrigere malitiosè different, ſuſpendantur ab Officio, & adminiſtratione tanquam conſentientes delictis, ſi de ſuſpicione conſenſus legitimè ſe purgare non potuerint. Abbas Generalis, qui ſcienter ultra, vel contra Conſtitutionum noſtrarum diſpoſitionem, quæ hactenus editæ ſunt, vel edentur in poſterum, in quibus eidem Abbati Generali eſt limitata, ſeu de cætero limitabitur poteſtas, aliquid præſumpſerit attentare, & admonitus ſemel, atque iterum coram ſaltem ſex probatæ fidei, & vitæ Patribus, non ſe emendaverit; in eo in quo delinquit, nullam immunitatem, ſeu gratiam per easdem Conſtitutiones noſtras conceſſam Abbati Generali renunciari, poſt ſuam renunciationem valeat conſequi, & aliàs corrigatur pro exceſſu hujusmodi ad voluntatem ſuccedentis Abbatis Generalis, & totius Capituli Generalis, & hujusmodi attentata nulla ſint.

§. 4. Si quis cuiscumque ſit dignitatis, gradus, & præeminentiæ, aliquod privilegium ſubreptitiè, aut obreptitiè contra communem libertatem, & regularia inſtituta, votorumque profeſſionem impetraverit, vel impetrare procuraverit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, & officio, quod obtinet, illicò privatus exiſtat, & perpetuò ad illud, & alia ſit inhabilis, vocéque careat tam activa, quàm paſſiva nullo & caſſo remanente Privilegio.

Qui recorrerint ad ſavores quarumcumque perſonarum, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum ad Prælaturas, dignitates, gradus, honores, adminiſtrationes, functiones, & alia officia noſtræ Congregationis, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis illicitis directè, vel indirectè, palam, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraverint, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis uſi fuerint, illorum-

rumque complices, & fautores; noverint ſe excommunicatos eſſe, atque ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, adminiſtrationes, & munera in noſtra Congregatione obtinenda, perpetuò inhabiles, aliaſque pœnas, de quibus in Conſtitutione Pauli V. quæ incipit. Quoniam nemo, quæ inferius regiſtrabitur.

§. 5. Quicumque litteras tam Superiorum ſuorum, quàm aliorum Patrum, ſeu etiam extranearum perſonarum adulteraverint, ſiquidem officiales fuerint, ipſo facto priventur officiis, & ad illa, & alia in poſterum obtinenda perpetuò reddantur inhabiles: Si verò ſubditi, omnibus actibus legitimis priventur, & per annum pœna graviori plectantur. Item quicumque aliorum diſcindere, vel aperire, aut impedire litteras præſumpſerint, maximè verò Superiorum, & Officialium, per tres menſes carceribus mancipentur. Si autem Officiales fuerint, propriis priventur officiis, & ad illa, & alia per triennium promoveri nequeant.

Quicumque famoſos libellos contra aliquem compoſuerint, vel publicaverint, perpetuò voce careant activa, & paſſiva, omnique actu legitimo ſint privati, & ad quæcumque Congregationis officia ſint inhabiles, & nihilominus per triennium in carcerem detrudantur.

§. 6. Quicumque doloſos contractus, aut apochas, ſeu ſcripturas falſas feciſſe, ſeu fieri mandaſſe, vel permiſiſſe comperti fuerint, aut poſt officii carentiam, ſcripturas aliquas, vel declarationes fecerint, aut Monaſterium obligaverint ſub eo tempore, quo erant in officio, per annum pœnam ſuſtineant gravis culpæ.

Negotiatores, & mercibus ſe applicantes, aut quid vilius emendo, ut carius vendant; ſive jumentorum locatione abutentes, ſive aliud quid ſordidè agentes, quod lucri aviditatem ſapiat, bona ipſa Monaſteriis applicanda deperdant, & per tres menſes in carcere detineantur.

Si quis Alchimiæ operam dare compertus fuerit, tanquam infamis ad quæcumque officia reddatur inhabilis. Et ſi Officialis fuerit, ipſo facto officium amittat, & aliàs ad Abbatis Generalis arbitrium, corrigatur.

Si quis recepetit ab uſurario publico, vel dederit aliquid ad uſuram, ſi dederit, per annum, ſi receperit per unum menſem, vel amplius, juxta delicti menſuram: Prælatus, vel Officialis à ſuis ſuſpendatur officiis: Subditus verò ſimiliter per menſem, vel amplius pœnam gravioris culpæ ſuſtineat. Eandem etiam pœnam ſuſtineat, qui fidejuſſerit, vel ſe obligaverit pro aliis, quàm pro Religionis noſtræ Monachis, perſonis, & rebus. Quòd ſi pecunia ſoluta fuerit pro uſura, fidejuſſione, vel obligatione prædictis, non abſolvatur à dicta pœnitentia gravis culpæ, quouſque præfixum tempus pœnæ fuerit duplicatum, niſi fortè recuperata ſit pecunia jam ſoluta.

§. 7. Si quis Monachus furtum commiſerit, ſi quidem res ſacras de ſacro abſtulerit, per annum; ſi verò non ſacras, nec de ſacro, juxta quantitatem valoris per ſex menſes, & infra, pœnam ſuſtineat gravis culpæ. Ubi verò valor furti tres auri uncias exceſſerit, tunc per annum ad Abbatis arbitrium dicta pœnitentia prorogetur.

Adijcientes ad hæc, quòd Monachus, quem pro furto excedente unum florenum in pecunia, vel in rebus, contigerit carcerari, ab ipſo carcere liberari nequeat, abſque Abbatis Generalis licentia, & mandato peracta pœnitentia, atque ex tunc omni actu legitimo ſit privatus, & per decennium ad aliquod officium aſſumi nequeat, nunquam tamen ad Abbatiatum.

§. 8. Si qui Monachi in Clauſtro, Dormitorio, aut Refectorio horis debitis, & in Regula conſtitutis, ſilentium perturbaverint, pro vice qualibet in Capitulo recipiant diſciplinam. Si verò hoc ex inveterata conſuetudine fecerint, per quatuor dies continuos; ſi reprehenſi publicè non ſe correxerint, pœnam ſuſtineant gravis culpæ. Quicumque venationi operam dare, aut canes, vel aves ad venandum alere præſumpſerint, per menſem pœnam ſuſtineant levioris culpæ.

Si quis Monachus ſchiſmata, vel diviſiones, aut novitatem in aliquod Monaſterium noſtrum, ſeu Religionem excitaverit, propter quas poſſet veriſimiliter ipſorum Congregatio diſſolvi, & corrumpi, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, & per biennium pœnam ſuſtineat gravis culpæ, & ad quælibet Congregationis officia perpetuò ſit inhabilis. Qui verò in Abbatem, Viſitatorem, vel Prælatum ſuum conſpiraverit, pœnam per annum hanc eandem ſuſtineat, & ſimiliter ad officia perpetuò ſit inhabilis: Conſpirationem autem dicimus quandocumque aliqui contra Religionis diſciplinam, & ſacras majorum ſanctiones contra aliquam perſonam confœderant, vel junguntur.

Qui-

Quicumque fecerint ſeditionem, vel rumorem in Capitulo, ſive Monaſterii, ſive Generali, aut Annali, ſint inhabiles ad quæcumque officia, & activa, & paſſiva voce pro illa vice priventur.

§. 9. Si quis Monachus apud ſæculares Judices, absque Abbatis licentia, querelam expoſuerit contra perſonam ſecularem, aut in cauſa criminali contra aliquem depoſuerit, ultra pœnas à ſacris Canonibus inflictas per menſem carceribus mancipetur. Si verò crimen aliquod Monachus Monacho appoſuerit, vel eum accuſaverit de falſo crimine, quod legitimè non poterit comprobare, accuſatus quidem nullam, accuſans verò illam pœnam ſuſtineat, quæ de jure, vel conſtitutionibus pro ipſo crimine injungitur. Nullus autem omninò Monachus contra ſuum Prælatum, vel Superiorem ſuper crimine, vel criminibus quomodolibet audiatur, niſi ſe prius obligaverit ad pœnam Judici arbitrariam, juxta qualitatem delicti, ſi defecerit in probatione propoſitorum, vel alicujus ex eis, irremiſſibiliter ſubeundam.

Quicumque verò peccatum alterius, quod legitimè probare non poteſt, alteri quàm Prælato ſuo revelaverit, præmiſſa tamen correctione fraterna, pœna carceris per menſem puniatur, atque etiam graviori, juxta delicti, & ſcandali qualitatem. Si quis Monachus alicui Monacho in ejus abſentia, vel præſentia exprobraverit ſuper exceſſu aliquo, quod commiſit, & de quo pœnitentiam egerit, vel ſuper pœnitentia jam per eum acta, per tres dies continuos in Capitulo recipiat diſciplinam, & per totidem jejunet in pane, & aqua, & ad pedes Monachorum comedat.

§. 10. Si quis Monachus aliquem Monachum, vel Religioſum, aut ſæcularem voluntariè occiderit, usque ad vitæ ſuæ terminum pœnam ſuſtineat gravioris culpæ, & ab exercitio ſuorum ordinum, ſi in ſacris fuerit conſtitutus, perpetuò ſuſpenſus remaneat; ſin minus ad illos, atque ad omnia Congregationis officia perpetuò ſit inhabilis, voceque careat activa, & paſſiva in perpetuum, omnique actu legitimo ſit privatus. Quòd ſi mutilaverit aliquod membrum alicui Monacho, aut ſæculari, per tres annos irremiſſibiliter carceri mancipetur. Si aliquo modo percuſſerit ad ſanguinem usque, vel graviter, eandem pœnam per annum ad Abbatis arbitrium luat.

Quicumque gladium, aut fuſtem, aut aliquid aliud tulerint, ut aliquem percutiant, ſi ſequatur effectus, per menſem, ſin minus per dies quindecim in carceribus irremiſſibiliter includantur: Si verò Officiales fuerint, ultra pœnam prædictam ſuſpendantur ab officio. Si qui verò Officiales cujuſcumque ſint gradus, ira, impetu, & ſuaſu Diaboli Monachos, & ſubditos in legitima ætate conſtitutos, quocumque colore verberaverint; ſi non Sacerdotes, & verbera nont ſint levia, per annum; ſi verò Sacerdotes, per integrum triennium ſui officii careant dignitate, & ad eorum correctionem procedatur ſecundùm delicti menſuram, & circumſtantias, & nihilominus in carcerem ad Abbatis Generalis arbitrium detrudantur. Eandem ſuſtineant pœnam talia procurantes, vel fieri mandantes. Monachus verò alium verberans, per menſem in carcerem tradatur, & ultra, juxta delicti menſuram, & aggravantes circumſtantias. Si qui (Diabolo ſuggerente) venena pro inferenda morte, ſive offenſiva, aut etiam in Cella, vel alibi detinere absque Superioris licentia præſumpſerint, per tres menſes pœnam gravioris culpæ ſuſtineant, & pœnam excommunicationis eo ipſo incurrant. Si verò Officiales fuerint per idem tempus ab eorum officiis ſuſpendantur.

§. 11. Si quis Monachus, cujuscumque ſit ſtatus, conditionis, & gradus, procaciter Abbati, Viſitatori, Priori, vel Superiori ſuo in honeſtis, juſtis, & licitis reſtiterit, eique noluerit obedire, monitusque trina monitione præcedente, per diem naturalem inobediens perſeveraverit, per menſem carceribus mancipetur, & in quolibet Capitulo recipiat diſciplinam, & per menſem alterum diebus Dominicis, & feſtivis ad pedes Patrum manducet; interim etiam quousque ab Abbate diſpenſatus, & abſolutus fuerit, ab aliorum conſortio, & communione ſeparatus exiſtat.

Quicumque Prælato ſuo procaciter, & arrogantet reſponderit, aut irreverenter, & contumelioſè loquutus fuerit, per annum voce careat, tam activa, quàm paſſiva, & nihilominus per menſem unum, & ultra, ad Abbatis, ſeu Prioris arbitrium in carcere recludatur.

Quicumque convicia, & improperia, ſeu injurioſa verba dixerint aliis Patribus, in Capitulo recipiant diſciplinam, & ad pedes Patrum manducent. Quicumque alicui perſonæ minati fuerint, in Capitulo recipiant diſciplinam; Qui verò contra Prælatum ſuum prædicta commiſerint, per annum pœnam ſuſtineant gravis culpæ.

§. 12. Cùm verò aliquando ſuperbiæ, aut arroganriæ ſpiritu agitati aliqui, ſanctæque obedientiæ meritum contemnentes, præcepto Prælati ſui eum condemnantis temerè contradicunt; vimque verbo, aut factis facientes, juſtitiæ medelam proijciunt, impediuntque jurium executionem, propter quod non ſine ratione timetur de damno, ſcandalo, vel periculo Monaſterii, & Monachorum; ideò priventur voce activa, & paſſiva perpetuò, vel ad tempus, atque etiam carceri mancipentur juxta delicti, & ſcandali qualitatem.

§. 13. Prohibetur Prælatis, & cuilibet Monacho cujuſcumque qualitatis exiſtenti ſuſçipere infantes de fonte Baptiſmatis, atque pueros in Sacramento Confirmationis. Qui ſi contravenire præſumpſerint, Superiores, & Officiales per ſex menſes ab ipſorum officiis ſuſpenſos eſſe declaramus; reliqui verò per annum qualibet ſexta feria in pane, & aqua jejunent, & in Capitulo excipiant diſciplinam.

§. 14. Quicomque Monachus cujuſcumque dignitatis, ſtatus, & conditionis exiſtens, ad Tribunalia ſæcularia quovis prætextu, & quæſito colore appellare, & ad ea temerè confugere præſumpſerit, ſciat ſe incurrere excommunicationem latæ ſententiæ, aliasque pænas contentas in Brevi Apoſtolico Clementis VIII. quod incipit, Quoniam, &c. in fine præſentium regiſtrato. Si verò ad alios, quàm ad proprios Superiores recurſum habuerint, ſeu brachium ſæculare invocaverint, aut propterea externas perſonas, vel amicos, & familiares adierint, per ſex menſes irremiſſibiliter carceribus mancipentur, omnique actu legitimo ipſo facto ad triennium privati exiſtant; & ſi Officiales fuerint, illico propriis careant officiis.

§. 15. Si qois in incontinentiæ vitium repertus fuerit damnabiliter incurriſſe, per tres menſes continoos pœnam ſuſtineat gravis culpæ, vel ultra, juxta delicti aggravantes circumſtantias, & Canonum diſpoſitiooem, & pœna eadem tot vicibus infligatur duplicata, qnot delinquentes hujusmodi probabuntur delicta hæc eadem, vel ipſorum aliquod commiſiſſe. Quod ſi fortè jam dicta facinora ad notitiam ſæcularium pervenerint, vel Monaſterium, aut Religio fuerit exinde per alias aggravantes circumſtantias infamata, pœna prædicta gravioris culpæ, ad Abbatis arbitrium excedatur, & imponatur.

Si quis in peſſimæ incontineotiæ vitio volutatus fuerit, ſi infra legitimam ætatem erit, per anoum verberibus, & jejuniis caſtigetur, & in carcerem detrudatur. Si autem ſupra legitimam ætatem, perpetuò carceri mancipetur. Et ſi de carcere per Capitulum, ſeu aliàs contigerit liberari, perpetuis temporibus omni actu legitimo ſit privatus. Si qui Officiales, aut ſubditi mulieres cujuſcumque conditionis, vel ſtatus in locis noſtris, hortis, domibus, ſeu Terris intra clauſuram Monaſteriorum noſtrorum ſitis admiſerint, ipſo facto à divinis ſint ſuſpenſi, & ab officio, quod obtinent, privati ſint, ac ad illud, & alia in poſterum obtinenda perpetuò inhabiles cenſeantur, præter aliàs pœnas in Decretis, & Conſtitutionibus contentas.

Si qui Monachi absque ſpeciali Superiorum licentia, vel ſoli absque adjuncto eis ſocio loquantur cum aliqua muliere, aut cum perſonis extraneis etiam conſanguineis, vel affinibus, etiam Religioſis, vel Clericis ſæcularibus, ſeu etiam Monachis noſtris, qui non ſunt de corpore Monaſterii, ut ſunt hoſpites, in Capitulo recipiant diſciplinam.

§. 16. Si quis Proprietarius repertus fuerit, videlicet ſi Officialis in tribus carenis in pecunia, vel ſex in valore; ſi verò ſubditus fuerit, ab uno parvo denario usque ad carolenum, tot diebus pœnam ſuſtineat gravis culpæ, in quot denariis proprietarius invenitur. Si verò ultra excedens ſumma fuerit, ad Abbatis arbitrium infra tres menſes pœnam ſuſtineat gravis culpæ, omnique actu legitimo ſit privatus, & proprio careat officio, & per triennium ad officia quæcumque ſit inhabilis, præter pœnas à ſacro Concilio Tridentino injunctas.

§. 17. Si qui Officiales in adminiſtratione temporalium malè ſe geſſerint, ut puta debita contrahentes, quæ absque eo, quod Monachorum victus, & veſtitus, & aliorum onerum, ac indigentiarum ſatisfactio, & proviſio minuatur, tolli non poterunt, ac bona præſertim ſtabilia malè tractando, ſeu non cuſtodiendo deteriorantes, itaut inde minores propterea fructus percipiantur, ut vineas, hortos, domos, arboreta, ſylvas, & ſimilia; ſeu etiam bona mobilia diſſipantes, & nuda, ut dicitur, Monaſteria, nudasque tenentes Eccleſias, & Altaria, necnon redditus, & proventus anticipantes, ac Monachos ſibi ſubditos verbis, & factis malè tractantes, cul-

tum-

tumque divinum ex profeſſo minuentes, officio, quod obtinent, priventur, & aliis de cætero careant.

§. 18. Quicumque crimen aliquod commiſerint, pro quo in ſæculo foret injungenda pœna mortis, in perpetuum carcerem detrudantur.

Sunt & alia multa delictorum genera, quæ ſimiliter diverſa pœnarum genera exigunt, quorom ratio à Prælatis habenda eſt, ut illæ pro peccatis pœnæ infligantur, quæ in ſacris Canonibus ſunt expreſſæ; ideuque cùm talia occurrunt, peritum conſulant, & juxta legum ſancita decernant; Et ſi in his Conſtitutionibos in aliquo non fuerit appoſita pœna, ad arbitrium Superioris puniatur.

Caput XXI.

De pœnitentiis, & remiſſionibus.

§. 1. NE noſtræ Religionis Prælati, ad quos de jure ſpectat ſubditos corrigere, excedant modum juſtitiæ in corrigendo, nec relinquant peccata impunita, eisdem omnibus, & ſingulis ſub obteſtatione divini Judicii ſtrictiſſimè præcipiendo mandamus, ut peccantes Monachos ſubditos pœna gravis culpæ ſecundùm criminum qualitatem, & moderamen præſentium Conſtitutionum juſtè puniant, & corrigant, pro illis tamen criminibus, quæ aut ſunt manifeſta, aut notoria, Ita ut celari aliqua tergiverſatione non poſſint, aut ipſi eadem confeſſi ſint in jodicio, aot quæ legitime ſint probata. Si autem culpa fuerit levis, juſtè ſimiliter puniant, & corrigant, etiamſi delictum plenè probatum non fuerit. In criminibus autem, quæ non per accuſationem, nec ſpecialem inquiſitionem, ſeu notorietatem, ſed per generalem inquiſitionem probata ſunt, & non ſunt talia, quæ impediant executionem ordinis, aut retentionem officii, etiam poſt peractam pœnitentiam non pœna ordinaria, ſed extraordinaria, ſecundùm merita perſonarum, & qualitatem exceſſuum, procedendum erit.

Peccata, & crimina, quæ detecta non fuerint, quorum cognitor eſt ſolus Deus, non poſſunt, nec debent de jure puniri, cùm Eccleſia non judicet de occultis; nam ſecundùm Canonicas ſanctiones non habent peccata latentia vindictam, & probatione ceſſante, vindictæ ratio quieſcit.

§. 2. Ipſæ gravioris culpæ pœnitentiæ non dentur, nec dari, vel infligi poſſint, niſi in pleno Capitulo, prius tamen crimine, & teſtibus publicatis, dataque Monacho corrigendo copia reſpondendi; ut cæteri, qui viderint, metu pœnæ non peccent, & in ſeipſis comprimere diſcant, quæ vident, in aliis plecti: maximè verò in gravioris culpæ correctione, Capitulum omnino convocari decernimus.

§. 3. Viſitatores, Abbates, & cæteri Prælati pœnitentias gravioris, ſeu levioris culpæ in toto, vel in parte remittere nequeant, ſed ſecundùm has Conſtitutiones ipſos decet procedere, & nemo in actibus, ſive judiciis, ſuo libito, ſed harum Conſtitutionum, & ſacrorum Canonum auctoritate ducatur. Abbas tamen Generalis licèt non poſſit ultra limitatos terminos in corrigendo procedere, ubi ejus arbitrio pœna remiſſa non eſt, poteſt tamen infra eoſdem, non tamen in totum, easdem pœnitentias ſecundùm quod viderit contritiones, & merita pœnitentium expoſcere, de ſua poteſtate diminuere.

§. 4. Ubi autem arbitrio Superiorum pœnæ delinquentibus injunguntur, ex horum Statutorum diſpoſitione nequeant inferiores, vel pares Officiales in pœnis illis diſpenſare, reosque aliqua gratia, vel venia donare, cùm par in parem, & inferior in ſuperiorem imperium non habeat. Ideò eorundem Superiorum arbitrio ſervetur earum moderatio, qui eas inflixerunt, vel eorum qui habent in Congregatione ſuperiorem poteſtatem. Criminoſi verò, qui delicta gravia commiſerunt, item ſcandaloſi, & incorrigibiles, gratiæ cujuscumque expertes ſint, ſed pœnis afficiantur, quæ ſecundùm criminum qualitatem in his Conſtitutionibus ſpecificantur, quæ nec per Abbatem Generalem, nec per Capitulum minui poſſint.

In illis caſibus, ubi tempus pœnitentiæ limitatum, reique abſolutio Abbati Generali reſervata eſt, Prælatus Monaſterii, ſive loci in quo pœnitens fuerit, absque Abbatis Generalis licentia, vel mandato, juxta ordinationem in his Conſtitutionibus traditam, reum non valeat abſolvere, nec ab ipſa pœnitentia liberare. Debet tamen Abbas Generalis, cùm condemnat, Prælato committere, ut peracta pœnitentia, reum liberet, & ad ipſum pro abſolutione transmittat.

In infligendis, & exequendis pœnis, præcipuè arbitrariis, Superiores modum non excedant: ideòque adhibito ſapientum conſilio, pœnam gravem non infli-

gant, niſi pro gravi crimine, miſericordiamque præferant judicio.

§. 5. Nulli Officiales, præterquam Abbas Generalis, necnon Genetales Viſitatores viſitationis tempore, ac Vicarius Generalis, & alii à latere Commiſſarii, dummodò ſpecialem in hoc facultatem in ſuis commiſſionibus expreſſam in ſcriptis habuerint, & Abbates Conventuales, excommunicarionis ſententiam in ſubditos valeant quocumque imminente neceſſitatis articulo promulgare. Si quis autem contrarium fecerit, vel attentaverit, ipſo facto talis ſententia ſit irrita, & inanis: Et Officialis talem ſententiam proſerens ad Abbatis Generalis arbitrium puniatur.

In ſerenda autem ſententia excommunicationis Judex poteſtatem habens ſervet formam ſacrorum Canonum, ut in ſcripris illam proferat, & cauſam excommunicationis expreſsè deſcribat. Contra facientes verò ab ingreſſu Eccleſiæ, & officiorum adminiſtratione per menſem ſe noverint ſuſpenſos, intra quem ſi fortè ſe divinis ingeſſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant juxta Canonicas ſanctiones.

Si quis autem (ſuadente Diabolo) latam ſententiam excommunicationis parvipendens in ea perſtiterit, abſolutionisque beneficium quamcitiſſimè poterit, ab eo, qui poteſtatem habet, non impetraverit, vel petierit, atque umni, qua decet, ſollicitudine impetrare non procuravetit, carceretur, donec reſipiſcat: Si verò per annum in ea perſtiterit, deferatur ad ſanctiſſimum Inquiſitionis officium, ut de hæreſi ſuſpectus.

§. 6. Illi qui carceribus ſunt ad tempus deſtinati, ter in hebdomada jejunent, & ſemel diſciplinam in Capitulo recipiant, prout Judex diſpoſuerit.

Item ii, qui carceribus traditi ſunt, ultra pœnam corporis afflictivam, ſequeſtrationemque ipſorum, aliis ſimiliter connexis pœnis ſubjaceant. Itaque cùm primùm per ſententiam carcerantur, omnibus eo ipſo actibus legitimis ſint privati.

Privati verò prædictis actibus, ſive per Conſtiturionum diſpoſitionem, ſeu per carcerem, in electionem Abbatis Generalis, cæterorumque Officialium in Generali, & Annali Capitulo non habeant votum, nec ad Capitulum Generale, vel Annale accedere poſſint, nec ſæcularium conteſſiones audire, aut legitimæ perſonæ actus, & actiones exercere. Qui autem liberantur à carcere, non propterea ad actus prædictos reſtituantur, ſed ita privati remaneant, quouſque per Generale Capitulum fuerint diſpenſati.

Quicumque aliquem carceratum de carcere eduxerint, non habentes facultatem illum excarcerandi, ſeu ad fugam arripiendam ei conſilium, auxilium, vel favorem dederint, pœnis illis afficiantur, & ſubjaceant, quibus talis carceratus condemnatus, vel condemnandus extiterat.

§. 7. Pro gravioris culpæ noxa Monachum culpabilem ad ejuſdem culpæ pœnam juſtè per illum, qui poterit, condemnatum, his conſtituimus ſubjacere. Primo, videlicet, recipiat in Capitulo diſciplinam ad Miſerere mei Deus, & demum ducatur ad carcerem, ac ponatur, ſi demeritorum id exegerit ratio, in compedibus ferreis, vel ligneis, & ibi ſedeat usque ad tempus deputatum, aliisque quæ circa prædicta mandantur in Regula, in ſuo robore permanſuris. Cùm autem pœnas dederit, vel veniam impetraverit, & de carcere eductus fuerit, veniat ad Capitulum, & coram Præſidente humi proſtratus ſuam culpam dicat; juſſusque ſurgere, iterum coram ſingulis proſtratus Patribus, ipſos ſimiliter pro ſe oratores imploret. Deinde coram Præſidente omnem emendationem in futurum promittat, ſicque juſſus ſedeat in illo loco, quem meretur.

§. 8. Leviores autem, quas recipere diſciplinam, ſedere in terra, amittere vinum, vel unum ferculum per unum diem tantum, & ſimilia vocamus, tam Abbas Generalis, quàm Viſitatores, & cæteri Prælati, ac Præſidentes, extra Capitulum, cùm viderint ſubditorum culpas expetere, injungere poſſint. Alias autem forſan prædictis majores, etiam ſi leviores exiſtant, Præſidentes injungere non poſſint extra Capitulum. Abbas autem Generalis poterit ubi, & quando voluerit. Rei ergo levioris culpæ ſecundùm Regulam, & harum Conſtitutionum tenorem caſtigentur, & ad præfatas leviores pœnas condemnentur, à quibus levioris culpæ pœnis non detur appellatio, ſed executioni mandentur.

§. 9. Demum diſciplinam, qua Monachi pro pœnitentiis corriguntur, in majore Quadrageſima, & vigilia Nativitatis Domini, ac omni ſexta feria aliorum temporum, præterquam infra octavas feſtorum, & in feſtis quibuscumque duodecim Lectionum, ac inter Paſcha, & Paſcha, omnes, & ſinguli Monachi Religionis noſtræ recipiant ab illo, qui

præ-

præeſt, poſtquam compleverint Matutinum; & illi, qui recipiunt dicant confeſſionem brevem, & dantes ſimiliter breviter abſolvant conſueta abſolutione. Qui verò pro manifeſta cauſa non poterunt recipere, dicant quinquies Pater noſter pro qualibet diſciplina. Quod ſi fortè diſtulerint, tunc in Capitulo eam recipere teneantur.

Diſciplina verò ipſa detur cum virgulis ſubtilibus pluribus, hoc eſt duodecim, vel tredecim ſimul compactis.

In recipiendo quoque diſciplinam in quotidianis Capitulis, vel dando, non requiratur magna culparum probatio, cùm pro cauſis levibus datur. Productis autem in medium cauſis etiam non confeſſis, nec plene probatis, Præſidentes Capituli injungant diſciplinam, & per ſe, vel alios dent.

Flagella verò cum ſanguine non ſint, & à Sacerdotibus tantum ætate provectioribus impingantur, qui nihilominus in his modum teneant. Caveant autem tam mandantes, quàm dantes à manuum injectione in aliquem, nec ipſi odio, ſed amore tantummodo impulſi errantes corrigant.

§. 10. Prævaricatorem autem harum Conſtitutionum ad pœnam animæ nolumus obligari, ſed pœnis corporalibus ſubijci, & affligi, præterquam in ſententiis ad pœnam animæ obligantibus in his Conſtitutionibus expreſſis, atque in concernentibus eſſentialia Regulæ.

CONSTITUTIONUM
MONACHORUM
ORDINIS S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS
COELESTINORUM

TRACTATUS SECUNDUS.

CAPUT I.

De ſtatu, & unione Monaſteriorum, & Prælatis ipſorum.

TOta noſtra Congregatio in tria genera Monaſteriorum diſtributa eſt; videlicet in ea, quæ reguntur per Abbates; in ea, quæ per Priores; & in ea, quæ prædictis unita ſunt, uti habetur ex Conſtitutione fel. rec. Pauli Papæ Quinti, quæ incipit, Ad ſacram Beati Petri Sedem, edita die XXIX. Jannarii MDCXVI. in qua ſtatuit, & ordinavit, in hæc verba:

§. 1. *Omnia prædicta Congregationis Monaſteria, quorum redditus, & proventus ad congruam duodecim Monachorum, computatis tam Profeſſis, quàm Oblatis, & famulis, ex quibus ſaltem ſex Sacerdotes eſſe debeant, ſuſtentationem, ab uno ex prædictis Monachis, ſpectatæ tamen virtutis, & diſciplinæ, ſub titulo Abbatis: alia verò Monaſteria, ex quorum redditibus ſex duntaxat, computatis omnibus, ut ſuprà, congruè ali, & manuteneri poſſunt, per Priores canonicè eligendos, juxta dicta Congregationis Inſtituta gubernentur: Excepto tamen Monaſterio ſancti Spiritus de Majella, quod primum omnium Monaſteriorum dictæ Congregationis fuiſſe aſſeritur: & idcirco ab Abbate gubernari poſſe volumus, etiam ſi prædictum Monachorum numerum non habeat, dummodo non minus quàm decem Monachi, ut ſupra, in eo alantur. Priores autem Abbatibus decedentibus Monaſteriis majoribus per gradum, prout eorum virtutum merita, & adminiſtrationis ratio poſtulare videbuntur, canonicè ſimiliter, ut præfertur, præficiantur.*

§. 2. *Omneſque Abbates, & Priores ſupradicti gaudeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentiis, quibus gaudent alii Abbates, & Priores ejuſdem Congregationis, quocumque jure, ſine tamen præjudicio jurium*

Ab-

Abbati Generali, & aliorum qui Abbatis Generalis munere functi fuerunt, eis, juxta dicta Congregationis ſtatuta competentium, & ita quod propter præmiſſa Monaſteriorum ſtatus in aliquo non alteretur.

§. 3. *Alia verò Monaſteria, ſeu domus, & membra ejuſdem Congregationis prædictis Monaſteriis majoribus unita, & annexa ſint, & eſſe cenſeantur, juxta diſtributionem in proximè futuro Capitulo Diffinitoriali faciendam. Et in ipſis minoribus Monaſteriis, ſeu domibus, ac membris ſic unitis, nulla in poſterum conſtituatur familia; ſed in illo, ſeu illa unus dumtaxat Monachus Sacerdos quadraginta annorum major, ac probatæ vitæ, cum uno Converſo, ſeu Oblato collocetur, qui ſint, & eſſe cenſeantur ex familia Monaſterii, cui domus, ſeu membrum illud unitum, & annexum fuerit, ac in ea Eccleſia celebrent, & bonorum, & redditUum curam reſpectivè habeant.*

§. 4. *Si verò fortè contigerit, ut aliquod, ſeu aliqua ex minoribus Monaſteriis prædictis, vel domibus, ad formam Monaſterii majoris redigantur, competenterque dotentur, itaut duodecim in eo Monachi, vel ſaltem ſex ali poſſint, ut præmittitur, tunc cum Capituli Generalis conſenſu, & Protectoris licentia reſtituantur ſub Abbatis, vel Prioris obedientia gubernanda.*

Hucuſque, & his verbis, & in dictam formam de prædictis ſtatuitur, & ordinatur in prædicta fel. rec. Pauli Papæ Quinti Conſtitutione.

§. 5. Si quando autem contigerit nova Monaſteria acquiri, aut fundari, quæ ob ipſorum commoditatem, & facultates in principalia deputari poſſint, illa in principalia erigantur, & inter infraſcripta principalia connumerentur. Sed tamen ſine Capituli Generalis, vel Diffinitorialis conſenſu nemini Congregationis noſtræ Officialium, etiam ſi Abbas Generalis fuerit, nova Monaſteria erigere liceat. Ipſum autem Generale, vel Diffinitoriale Capitulum nova Monaſteria fundandi, vel recipiendi conſenſum dare, aut concedere non poſſit, niſi Monaſteria de novo recipienda, aut fundanda uniri poſſint cum eorum redditibus aliis Monaſteriis majoribus, vel ipſa præfixam, & expreſſam Monachorum Congregationem propriis redditibus alere, & retinere valeant, aut ſi in itinere fuerint, aut hoſpitia, aut curata.

Sed ſi fortè bello, aut aliquo alio eventu principalia, & majora nunc Monaſteria nominanda deſtitui, ac ſine reparationis ſpe relinqui oporteret, tunc principalia prædicta vicinioribus principalibus uniantur, & applicentur, ubi reparari non poſſint, nec expediet.

§. 6. Iſta ergo ſunt Monaſteria, quæ regi debent per Abbates, & Priores, & quibus unita fuerunt parva Monaſteria ex decreto Capituli Diffinitorialis, juxta Conſtitutionem fel. rec. Pauli Papæ V.

Monaſteria, quæ regi debent per Abbates, & Uniones ipſis factæ.

In primo Quarterio.

ABbatia ſancti Spiritus de Morrone prope Sulmonem, quæ nunc omnium noſtrorum Monaſteriorum eſt caput, cui unitæ ſunt Eccleſiæ, & Monaſteria ſancti Stephani de Vallebona, ſancti Onuphrii, & ſanctæ Crucis liberatæ, cum aliis Eccleſiis in Territorio Pratularum, ſanctæ Juſtæ de Urſa, ſancti Jacobi in Caſtulano de Sulmone, & ſanctæ Luciæ de Sulmone, ſanctorum Coſmæ, & Damiani in Monte Cerraoi, ſancti Nicolai in Padulibus.

Abbatia ſancti Joannis de Plano, iterum erecta eſt, & reſtitota in titulom pro R. Priore Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone pro tempore exiſtente cum præeminentiis, & prærogativis cæterorum Abbatum, privilegio ſpeciali fel. rec. Pauli Papæ V.

Monaſterium ſanctæ Mariæ de Collemadio prope Aquilam, cui unitæ ſunt Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Gratia, ſancti Laurentii de Rodio, ſancti Ceſidii de Caporciano, ſanctæ Mariæ de Centorillis, ſancti Pii, ſancti Benedicti in Perillis, ſancti Matthæi, ſanctæ Mariæ de Attoio de Populo, cum aliis beneficiis, locis, & membris.

Monaſterium ſancti Spiritus de Magella, cui unita ſunt Monaſteria ſancti Thomæ de Caramanico, & ſancti Georgii de Rocca Mauritii, cum aliis, &c.

Monaſterium ſancti Euſebii de Urbe, cui unitæ ſunt Eccleſiæ, & Monaſteria ſancti Petri de Supino, ſancti Antonii de Ferentino, & ſanctiſſimæ Annunciatæ de Caſcia, ſancti Leonardi de Scurcola, cum aliis, &c.

Monaſterium, & Præpoſitura ſanctæ Mariæ in Moyulamo de Coropoli, Rectoria ſanctæ Agnetis Intra Coropolum, cui unitum eſt Monaſterium, & Eccleſia ſancti Stephani de Adria, & alia.

Monaſterium ſanctæ Mariæ Civitellæ Civitatis Theatinæ, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ ſancti Spiritus

de

de Buclamo, ſanctæ Crucis de Rocca Montis Plani, ſancti Petri de Guardiagrelli, cumaliis, &c.

Monaſterium ſancti Angeli de Celano, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Marci de Fuco, & S. Petri de Sora, cum aliis.

Monaſterium ſancti Onuphrii de Camplo, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ ſancti Jacobi de Montorio, ſanctæ Mariæ Splendoris de Julia nova, Eccleſia ſancti Benedicti de Camplo, S. Honuphrii de Ceſumano, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Benedicti de Nurſia, cui unitæ ſunt Eccleſiæ ſanctæ Scholaſticæ prope Nurſiam, & S. Petri de Ancaiano.

In ſecundo Quarterio.

MOnaſterium S. Petri ad Magellam, & S. Catharinæ de Neapoli, cui unitæ ſunt Eccleſiæ S. Mariæ ad Nives Redemptionis captivorum, S. Catharinæ de Caviano, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Michaelis in Plagis de Neapoli, cui unita, & annexa eſt Eccleſia ſanctiſſimæ Aſcenſionis in Plagis.

Monaſterium S. Mariæ de Capua, cum Eccleſiæ beneficiis, &c.

Monaſterium S. Catharinæ de Terranova, cui unitæ ſunt Eccleſiæ S. Veneris, S. Mariæ Caſtellarii juxta flumen, S. Victoris Lucrenſis, S. Leonardi de Siderno, S. Petri de Mammula, cum aliis beneficiis, &c.

Monaſterium S. Georgii de Novo, cui unitæ ſunt Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Monte, S. Nicolai de Veterano, S. Petri de Maſſa, S. Blaſii Caſalis Carnutorum, S. Salvatoris, S. Angeli, & S. Blaſii in Oppido Novi, cum aliis beneficiis, &c.

Monaſterium S. Petri de Averſa, cui unitæ eſt Eccleſia S. Bartholomæi prope portam Civitatis Averſæ.

Monaſterium S. Mariæ Annunclatæ de Jeſualdo, cum quibusdam membris, &c.

Monaſterium S. Mariæ de Caſalvico, cui unita eſt Eccleſia S. Zenobii in Boſco, cum quibusdam beneficiis.

Monaſterium S. Jacobi de Salerno, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Annunciatæ de Serris, S. Petri de Ebulo, & alia beneficia, &c.

In tertio Quarterio.

MOnaſterium S. Bartholomæi de Luccria, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Aritia, S. Mariæ de Libera de Campobaſſo, cum aliis beneficiis, &c.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de ſancto Severo, cum quibusdam beneficiis, membris, &c.

Monaſterium S. Benedicti de monte Gargano, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ ſanctorum Petri & Marci Veſtis, & ſancti Petri de Manfredonia, & alia membra, &c.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Barulo, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ ſanctiſſimæ Trinitatis de Melphicto, & ſanctæ Mariæ Gratiarum Civitatis Tranenſis, & Eccleſia S. Eligii de Barulo, cum quibusdam beneficiis, membris, &c.

Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ de Uria, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Mariæ de Partu de Monopoli, & alia beneficia, &c.

Monaſterium S. Crucis de Litio, cui unitæ ſunt Eccleſiæ S. Luciæ in feudo Caſtri Cavallini, cum aliis, &c.

In quarto Quarterio.

MOnaſterium S. Joannis Baptiſtæ de Bononia, cui unitæ ſunt Eccleſiæ Spiritus ſancti, & S. Leonardi ad carceres in Prætorio, & S. Nicolai de Veduro.

Monaſterium S. Stephani de Bononia, cui unita eſt Eccleſia ſancti Bartholomæi de Muſiano, & alia beneficia, & membra, cum ſuis juribus.

Monaſterium S. Michaelis Vicedominorum, & S. Petri de Murrone de Florentia, cui unita eſt Eccleſia S. Michaelis de Formicis Volateranenſis diœc.

Monaſterium S. Mariæ, & Trinitatis de Faventia, cui, &c.

Monaſterium S. Hieronymi de Ceſena, cui unitum eſt Monaſterium, & Eccleſia S. Petri de Saltaria.

Monaſterium S. Chriſtophori de Mantua, cui unitum eſt Monaſterium, & Eccleſia S. Mariæ de Pilaſtro prope Loreum, & S. Hieronymi de Sachetta abſorpta, &c. & S. Mariæ de Sarca extra Tridentum.

Monaſterium S. Nicolai de Bergamo.

Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Mediolano.

Monaſterium S. Mariæ Aſſumptæ de Mazenta, cui unita eſt Eccleſia S. Mariæ ſeptem dolorum ad Pontem Mazentæ, &c. & Monaſterium S. Mariæ de Capſinis.

Monaſteria, quæ debent regi per Priores, & uniones aliorum cum ipſis.

In primo Quarterio.

MOnaſterium ſancti Spiritus de Ortona.

Monaſterium S. Salvatoris Civitatis Pennarum.

Monaſterium ſancti Spiritus de Anxiano.

Monaſterium S. Mariæ de Anglono, cui unitum eſt Monaſterium, & Eccleſia S. Mariæ de Trivento, & Abbatia S. Crucis de Verrino in Caſtro Caprecottæ, & Rectoria S. Salvatoris de Monte Formoſo.

Monaſterium S. Mariæ de Lama, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Archis, S. Joannis Baptiſtæ de Gipſo, ſancti Spiritus de Atiſſa, & S. Liberatæ de Palena.

In ſecundo Quarterio.

MOnaſterium S. Petri Cœleſtini de Iſernia, cui unita ſunt Monaſteria ſancti Spiritus de Iſernia, & Eccleſiæ ſanctiſſimæ Annunciatæ, S. Angeli Rupis Caninæ, S. Petri de Venafro, S. Martini de Bojano, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Mariæ de Aliſio.

Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Diano, cui unitæ ſunt Eccleſiæ S. Rochi juxta portam, & S. Antonii juxta ſanctam Angelum.

Monaſterium S. Jacobi de Marſico.

Monaſterium S. Catharinæ de Nicotera.

Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Turri, cui unita eſt Eccleſia S. Viti de Vico, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Murcone, cui, &c.

Monaſterium ſanctæ Mariæ de Vetulano, cui unitæ ſunt Eccleſiæ ſancti Spiritus, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ac alia beneficia, & membra, &c. ſancti Leonardi, & ſanctæ Mariæ de Flumine Terræ Murconis.

Monaſterium S. Catharinæ de Benevento.

Monaſterium S. Catharinæ de Theano.

In tertio Quarterio.

MOnaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Collenſio, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Limoſano, S. Petri de Petrella, S. Roberti de Murrone, S. Petri Cœleſtini in Montorio, S. Angeli de Termolis, ſancti Spiritus de Vaſto, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Mariæ in Bethleem, & S. Bartholomæi de Meſſapia extra Oppidum, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Ugento, S. Angeli de Alexano, & S. Archangeli de Brundiſio, S. Bartholomæi intra Oppidum, cum aliis, &c.

Monaſterium S. Viti de Bario, cui, &c.

Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Tarento, cui, &c.

In quarto Quarterio.

MOnaſterium S. Nicolai de Arimino, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Antonii, & S. Petri Cœleſtini extra S. Joannem de Marignano, & S. Mariæ de Petroſa de Monteflorum.

Monaſterium S. Petri Cœleſtini in Urbino, cui unita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Blaſii intus, & S. Mariæ extra Eugubium, & S. Antonii extra Forum Sempronii, cum aliis Eccleſiis, juribus, beneficiis, &c.

Monaſterium S. Deſiderii de Brixia.

Monaſterium ſanctæ Mariæ Annunciatæ de Como.

Prædictæ verò uniones Monaſteriorum ita cenſeantur, ut Monachi, & Officiales in unitis exiſtentes ſubditi ſint Abbatibus, vel Prioribus principalium Monaſteriorum quibus ſunt, quoad correctionem. Quod ſi quæ ex unitis obnoxia, & obligata ſint ſolvere onera, vel taxas, vel impoſitiones aliis Monaſteriis, non ſint exempta à conſueta ſolutione, ſed ut prius ſolvere teneantur.

Prædictæ verò uniones Monaſteriorum factæ fuerunt, ſalvis ſemper oneribus, & ſubſidiis conſuetis, & ſolitis ſolvi quibusdam Monaſteriis ab aliquibus ex paucis unitis, quæ ſicut prius ſolvere teneantur.

Monaſteria principalia in Provincia Galliarum, & partium unitarum.

MOnaſterium S. Mariæ de Amberto, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis, &c.

Monaſterium S. Petri de Caſtro, cum quibusdam membris, beneficiis, &c.

Monaſterium S. Mariæ de Pariſiis, cum quibusdam membris, beneficiis, &c.

Monaſterium S. Mariæ de Ternis, cum quibusdam membris, beneficiis, &c.

Monaſterium S. Martialis de Gentilino, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Mo-

Monaſterium S. Mariæ de Senone, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Meduoto, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Petri de Avenione, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Antonii de Ambiano, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Mariæ de Meſſis, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Sueſſione, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Crucis de Effemonte, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Marcoziaco, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Uxiaco, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S Mariæ de Lugduno, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Mariæ de Rothomago, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium S. Catharinæ de Villa Saletti, cum quibusdam membris, beneficiis, & grangiis.

Monaſterium ſanctæ Mariæ Effrem apud Lovanium, cum quibusdam membris.

Monaſterium Beatæ Mariæ prope Caſtrum Eclimontis, cum quibusdam membris.

CAPUT II.

De regimine univerſali Congregationis.

§. 1. Diuturna experientia compertum eſt, res malè gubernari ſine Principe, & multitudinem abſque Duce, qui veluti corpori caput, illi præſit. Idcirco inter omnes ipſius Congregationis Monachos unus ſit, qui tanquam caput, & Pater præſit omnibus Monaſteriis, & locis ipſius Congregationis, ejusque perſonis in ea regularem vitam ducentibus, & juxta traditam ſibi in Regula, & præſentibus Conſtitutionibus facultatem, & poteſtatem moderetur, & regat.

§. 2. Is autem ſit Abbas S. Spiritus prope Sulmonem, cum ipſa Abbatia S. Spiritus ſit caput omnium Monaſteriorum, & locorum ipſius Congregationis omniaque loca, & Monaſteria ipſius ſint membra, eique tanquam membra ſubdantur ex antiquo, & penè primævo noſtrorum Patrum ſtatuto, & S. Patris noſtri Petri Cœleſtini olim Papæ V. Conſtitutione. Quod ſi mutatione temporum facti mutationem requirente, aliquod aliud Monaſterium, juxta conceſſa eidem Congregationi privilegia, Caput aliorum Monaſteriorum, & locorum deputatum, & ordinatum fuerit, Rector illius, eo quo vocabitur nomine ſuper omnia ejusdem Congregationis Monaſteria, eorumque perſonas ordinariam jurisdictionem, & poteſtatem exerceat, cunctisque locis ut Pater, & Caput jure præſideat, ſicuti nunc Abbas prædictæ Abbatiæ S. Spiritus.

§. 3. Sicut nullus ſibi Pontificatum aſſumere debet, niſi vocatus tanquam Aaron; ita ad regendam Abbatiam prædictam, & Congregationem nullus aſſumatur, niſi vocatus, & electus ab illis, qui ejusdem Congregationis principalem aliquam tum Monaſteriorum, tum verò negotiorum curam habent, ut qui miniſterio regiminis circa ſpiritualia, & temporalia in particularibus aſſiſtunt; circa generalia etiam pro conſervatione particularium invigilent in electione Paſtoris, ut propterea paterno, & filiali teneantur invicem charitatis vinculo, vocemque Paſtoris oves cognoſcant, & ſequantur, dirigatque eos Paſtor in viam pacis, & virtutis.

§. 4. Ne autem ſolus ipſe Abbas Generalis, vel inconſultus provideat, vel ſuperbiat, addantur, & eligantur pro univerſali regimine aliqui, qui pro pacifico, & tranquillo Congregationis ſtatu, ac defenſione, & obſervantia Regulæ, atque in præcipuarum cauſarum tractatu, ac terminatione cum eo invigilent, & conſultò in omnibus, & per omnia provideant.

§. 5. Abbas Generalis cæterique Officiales omnes propriorum officiorum renunciationem, ac depoſitionem ſponte faciant in Capitulo Generali, cui Capitulo, ſive Diffinitorio eosdem, aut alios ſubrogandi, & eligendi Abbatem Generalem, Prælatos, & Officiales, etiam ſi primi non renunciaverint, facultas, & poteſtas tributa ſit, & conceſſa.

§. 6. Ideoque pro executione præmiſſorum, & renunciationibus publicè, ut præmittitur, ſaciendis, & pro ipſius Congregationis Præſidentibus, & Prælatis, Viſitatoribus, & Officialibus, juxta ſanctæ memoriæ Cœleſtioi olim Papæ V. Patris noſtri Conſtitutionem, & noſtri Ordinis Inſtituta creandis, & eligendis, ut ritè, recteque fiant omnia, & canonicè procedatur in omnibus, cùm iſta ſint præcipua Congregationis negotia, univerſam ſæpius congregari multitudinem, ut in ſubſequentibus Capitulis ordinabitur; ſimul, & capitulariter congregari, & generale Capitulum celebrari decernimus, & mandamus, in ipſa ſcilicet Abbatia ſancti Spiritus, dum ipſa fuerit Caput aliorum Monaſteriorum, vel etiam alibi in alio Monaſterio, quod forſan temporum ſucceſſione, ipſius Congregationis Caput inſtituetur.

Caput III.

De tempore Capituli Generalis.

§. 1. CUm verò Generale Capitulum ſecundùm antiquam conſuetudinem Monachis vagandi occaſionem, Monaſteriis impenſam, atque incommoda plutima, Prælatis abſentibus, prout paſſim docuit experientia, attulerit. Nos præmiſſis providere cupientes hac in perpetuum valitura Conſtitutione decernimus, & mandamus, quod dictum Generale Capitulum in noſtra Congregatione de triennio in triennium ſemel celebretur in fine ipſius triennii.

§. 2. Tempus autem idoneum, & minus damnoſum tam Monaſteriis, unde diſcedunt prædicti noſtræ Congregationis Prælati, quàm loco, ubi Capitulum celebrari contingit, ſtatuimus eſſe inter tertiam, & quartam Dominicam poſt feſtum Reſurrectionis Domini, itaut initium, & prima dies Capituli Generalis ſit feria quinta ante Dominicam quartam poſt idem feſtum Reſurrectionis, quo tempore dictum Capitulum Generale perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium celebrari diſtrictè mandamus, & pro intimato haberi declaramus, locum autem, in quo omnes, qui votum habent activum convenire, & Capitulariter congregari debent, eſſe declaramus Monaſterium principale ſancti Spiritus de Sulmone, quod caput eſt aliorum Monaſteriorum noſtræ Congregationis.

§. 3. Quod ſi infra triennii tempus Religio noſtra Abbate Generali per obitum, ſive alio caſu vacaverit, volumus nihilominus, quod eodem tempore inter tertiam, & quartam Dominicam poſt feſtum Reſurrectionis Domini Capitulum Generale convocetur, & celebretur præmiſſa intimatione ejusdem Capituli per quinque menſes ante, ut Patribus Galliæ ad Capitulum commodus detur acceſſus.

§. 4. Nec liceat alicui ex Monachis noſtri Ordinis cujuscumque gradus, & conditionis exiſtat temporis prædicti termioum transgredi, ac electiones, ſtatuto, ut diximus tempore, differre, ſeu differri facere, quovis prætextu, aut quæſito colore, neque tale aliquid absque totius Capituli Diffinitorialis conſenſu attentare, ſeu ſuper hoc litteras derogatorias impetrare; & qui ſubreptitiè, vel obreptitiè eas obtinuerit, voce careat activa, & paſſiva, & per triennium ſit inhabilis ad quæcumque officia, aut gradus.

§. 5. Ipſo interim vacationis tempore, Congregationis totius cura, & adminiſtratio in tali caſu devolvatur ad Coabbatem antiquiorem, ut infra, & Prior Abbatiæ ſancti Spiritus ipſum principale Monaſterium regat in temporalibus, & ſpiritualibus ſub ejusdem Coabbatis cura, & regimine. Officialium electiones, vel privationes, Monachorum item murationes nullo modo fiant dicto vacationis tempore: ſecus factæ electiones, & privationes ſint irritæ ipſo jure, & nullatenus in futuro Generali Capitulo admittantur.

§. 6. Ipſius ergo Generalis Capituli cura totalis, ſive in prædicto caſu, quo Congregatio noſtra Abbate Generali vacaverit intra triennium, ſive etiam in fine triennii poſt ejusdem Abbatis renunciationem, ad Coabbatem antiquiorem ſpectat, & in Coabbatum defectu, ad Priorem Abbatiæ ſancti Spiritus, & in prædictorum omnium defectu, ad antiquiorem Abbatem ex Diffinitorio. Qui antiquior Coabbas prædicto vacationis tempore ſtatim per litteras omnibus, & ſingulis in Capitulo vocem activam habentibus futurum Capitulum indicere teneatur, illudque ſtatuto tempore congregare, & congregatum regere, electoresque, ſi opus eſt, compellere opportunis juris remediis ad electionem Abbatis Generalis.

De

Caput IV.

De iis qui votum habent in Capitulo Generali.

§. 1. NE indiſcreta diverſitas, & multitudo eligentium, ſive electorum in electionibus faciendis Abbatis Generalis, aliorumque Prælatorum, aut Officialium poſſit confuſionem adducere; præſentis Conſtitutionis edicto prohibemus, ut tam de principali Monaſterio Abbatiæ, quàm de ejusdem membris, & ipſius noſtræ Congregationis Monaſteriis præſentibus, & futuris nemo ad Generale Capitulum debeat convenire, & agendis intereſſe, niſi qui in eodem Capitulo activum habent votum, ut infra.

§. 2. In quo ſanè Capitulo quoad electiones publicorum Officialium faciendas, votum activum habeant pro tempore exiſtens Abbas Generalis, Coabbates, Vicarius Generalis, Provincialis Galliæ, Prior Abbatiæ Sancti Spiritus de Murrone, Viſitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis in Urbe, Abbates Conventuales, Secretarius, & Socius Abbatis Generalis, Decanus Abbatiæ prædictæ, Priores, Diſcretus, ſive Procurator Galliæ, Procurator Generalis Neapolis, & Vicarius Caſtrorum Abbatiæ Sancti Spiritus de Murrone, dummodo dicti Abbates, & Priores non fuerint tantum Titulares.

§. 3. In electionibus autem faciendis Abbatum Conventualium, & Priorum votum activum habeant Abbas Generalis nuper electus, Coabbates, Provincialis Galliæ, Prior Abbatiæ, Viſitatores Generales, Diffinitores, & Procurator Generalis in Urbe; qui ſimiliter dumtaxat votum habeant in Capitulis Annalibus, aut Diffinitorialibus.

§. 4. De Monaſteriis autem Galliæ, ex quibus Priores, ſine maximis ſumptibus, & labore venire nequeunt de triennio in triennium, volumus, & mandamus, quod eadem Provincia de novennio tantum in novennium Prior Provincialis cum uno Monacho ſocio, quem pro Diſcreto, vel Procuratore, Priores omnes aliorum Monaſteriorum ad id elegerint, veniat ad Capitulum Generale prædictum celebrandum, ut ſupra. Quod ſi fortè juſta causa impeditus perſonaliter venire nequeat, mittat, aut deputet ſuo loco Monachum alium cum ſuis litteris teſtimonialibus. Hujusmodi autem ita miſſus, ſive deputatus votum habeat in Capitulo Generali tantum.

§. 5. Præter prædictos non poſſit Abbas Generalis aliquem ad votum dandum aſſumere ſine conſenſu totius Capituli Generalis: Si quis autem ex prædictis votum activum habentibus venire, vel mittere ad dictum Capitulum malitiosè diſtulerit, ſuæ adminiſtrationis officio careat ipſo facto, & per tres annos ſequentes ſit inhabilis ad quæcumque officia exercenda. In quo caſu Conventus Monaſterii, cui idem præſidet, convocato Capitulo per Sacerdotem ſeniorem ſecundùm profeſſionem, provideat de Rectore, ſive Vicario, qui denunciato Abbati Generali, qualiter, & quomodo res ſeſe habeat, tamdiu regat, quamdiu proprias Abbatis Generalis litteras ſuper hoc habeat reſponſivas. Qui legitimè impeditus venire non potuerit, excuſationem mittat Abbati Generali, & licentiam ab eo obtineat.

§. 6. Qui autem ex prædictis ad dictum Capitulum juſta cauſa impediti venire non potuerint, Procuratorem pro ſeipſis capitulariter electum mittant, qui electus Procurator impedimenti cauſam referat, & Monaſterii occurrentia negotia denunciet, & tractet, cum Patribus Diffinitorialibus, & Abbate Generali; votum tamen non habeat, excepto dicto Procuratore Galliæ.

§. 7. Nullus præter prædictos ad Capitulum accedere præſumat ſub quovis prætextu, vel cauſa, niſi licentia in ſcriptis obtenta ab Abbate Generali, aut à Coabbate antiquiori tempore vacationis, prout ſupra. Qui autem ſine licentia acceſſerint ad Monaſterium in quo Capitulum celebratur, carcerentur; & ſic remaneant toto tempore Capituli Generalis, ac deinde ad propria Monaſteria, ſive loca redire compellantur. Poterit tamen laudabiliter Abbas Generalis ad dictum Capitulum aliquos ex Lectoribus, & Studentibus ad prædicandum, & diſputandum idoneos vocare, aut etiam alios ex rationabili cauſa accerſire, prout expedire cognoverit.

§. 8. Paſſivum votum verò habeant omnes, & ſinguli, tam ipſius Capituli, quàm totius Congregationis Patres ad omnia, & ſingula ejusdem Congregationis officia, Prælaturas, juxta Regulæ tamen, & præſentium Conſtitutionum diſpoſitionem, & ſi aliud non obſtet legitimum impedimentum, habileſque & idonei ad Prælaturas, & ad officia exercenda fuerint judicati. Illa vero impedimenta, quæ à duobus menſibus ante Capitulum exorta ſunt, niſi publica,

ca, manifeſta, & notoria ſint, obſtari alicui nolumus.

§. 9. Statuimus ut Officiales prædicti votum activum habentes, ad Capitulum dum accedunt, Monaſterium ſancti Spiritus, ſive aliud in quo fortè contigerit celebrari, ſtatim ingredi debeant, præſcripto tempore abſque mora, prout infra, nec extra ipſum Capitulo durante, nec ante ipſius inchoationem pernoctare, vel vagari audeant. Quicumque verò parere contempſerit, votum activum amittat pro illa vice.

§. 10. Ne Monaſterium ſancti Spiritus nimis, quàm par eſt, gravetur, ſtatuimus ut Prælati, & quicumque votum activum habent in Capitulo, habita conſideratione diſtantiæ locorum, ſeu Provinciarum à propriis Monaſteriis eo tempore diſcedant, ſicque dietas itineris diſtribuant, & metiantur, quatenus recto tramite ad prædictum Monaſterium ſancti Spiritus perveniant. Patres quidem Diffinitoriales feria quarta ante Dominicam tertiam poſt feſtum Reſurrectionis: cæteri verò feria quarta ante Dominicam quartam ejuſdem poſt dictum feſtum. Qui verò vocati fuerint, & licentiam, ut præmittitur, obtinuerint, veniant eo die prout in commiſſis habuerint: ſecus, ſi ante pervenerint, puniantur ad ejuſdem Abbatis Generalis arbitrium.

§. 11. Capitulum ipſum perturbantes, aut quomodolibet impedientes, ſeu perturbari, aut impediri facientes, aut etiam Monachos ad ipſum accedentes, vel inde redeuntes moleſtari, ſeu offendi curantes, aut tale quid agentes, aut fieri mandantes, vel procurantes quominus Capitulum ipſum Generale liberè in loco ſuo ſolito, & more ſolito, juxta ipſius Congregationis regularia Inſtituta, retineri, aut celebrari poſſit, ad officia quæcumque ipſius Congregationis reddantur inhabiles, & activa, & paſſiva voce, omnibuſque actibus legitimis perpetuo privati ſint, & per ſex menſes carceribus mancipentur. Super quibus neque per Abbatem Generalem, neque per Capitulum ipſum diſpenſentur.

Item procurantes ſæcularium, aut aliarum perſonarum interventum ad dictum Capitulum, ſeu etiam cum ſæcularibus, & dictis perſonis ejuſdem Capituli negotia circa electiones in eo faciendas conferentes; & tractantes, aut diſponentes, ut eorum favore, vel opera, propria deſideria impleantur, votis contrariis, aut perſuaſis, & oppreſſis, aut quomodolibet impeditis, vel coactis, eiſdem pœnis ſubjaceant.

§. 12. Si quis etiam odii, aut inimicitiæ cauſa, regularis honeſtatis, ac modeſtiæ oblitus contra aliquem in Capitulo ipſo invectus fuerit, aut aliàs tumultum fecerit, reprimatur inimicus, & odioſus homo, ne ſeditionem faciat: Quòd ſi pertinax in contentione fuerit, & ſeditionem, aut rumorem ibidem excitaverit, activa, & paſſiva voce durante Capitulo privatus exiſtat, pro hac vice tantùm.

CAPUT V.

De ordine graduum, & locorum habentium votum in Capitulo.

§. 1. AD hoc divinæ diſpenſationis proviſio diſtinctos ordines, & gradus eſſe conſtituit, ut dum reverentiam minores exhiberent majoribus, & majores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret ex diverſitate contexta, & recta officiorum gereretur adminiſtratio. Graduum ergo dignitatum, & officiorum ordinem eorum, qui in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali votum habent activum, talem eſſe declaramus. Primò Abbati ſancti Spiritus prope Sulmonem, qui, tanquam omnium Monachorum noſtræ Congregationis Pater, alios omnes dignitate, & adminiſtrationis cura antecedit: huic ſuccedit Vicarius Generalis, ſi fuerit Coabbas, ſin minus, ſedet poſt ultimum Coabbatem; deinde Coabbates ejuſdem Abbatis Generalis Collegæ, qui benedictionis munere aliquando decorati fuerunt, qui ſedent inter ſe eo ordine, quo fuerunt ad Abbatiatum Generalem promoti: ſequitur Provincialis Galliæ, cui ſuccedit Prior Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone, poſtea quatuor Viſitatores Generales; inde quatuor Diffinitores, poſt hos Procurator Generalis in Urbe; poſtremò Abbas illius Monaſterii in quo Capitulum celebratur, ſi extra Abbatiam ſancti Spiritus contigerit celebrari. Qui omnes tam in Capitulo Generali, quàm Annali, aut Diffinitoriali votum habent activum. Exinde Abbates Conventuales hos ſequuntur; Secretarius, & Socius Abbatis Generalis, atque Decanus Abbatiæ prædictæ, Priores, & poſt ipſos Diſcretus, ſive Procurator Generalis Neapolis, & Vicarius Caſtrorum Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone. Qui Abbates, Priores, & Officiales prælati votum habent activum in Capitulo Generali tantùm.

§. 2. Vo-

§. 2. Vocalium prædictorum diſtributionem locorum, & ordinem, dum Capitulo Generali interſunt, & aſſiſtunt, aut etiam dum alicubi contigerit congregari, ſive ſtando, ſive ſedendo, ita duximus eſſe deſcribendum modo, & forma inferius deſcripta.

Ordo præcedentiæ inter Prælatos, & Officiales Congregationis Cœleſtinorum in Generali Capitulo activum votum habentes, perpetuò, & ubique obſervandus.

Abbas Generalis.
Vicarius Generalis, ſi fuerit Coabbas, ſin minus, poſt Coabbates ſit ejus locus.
Coabbates, quisque in ordine ſuæ promotionis.
Provincialis Galliæ.
Abbas S. Joannis in Plano, & Prior Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone.
Viſitator Generalis primus.
Viſitator Generalis ſecundus.
Viſitator Generalis tertius.
Viſitator Generalis quartus.
Diffinitor primus.
Diffinitor ſecundus.
Diffinitor tertius.
Diffinitor quartus.
Procurator Generalis in Romana Curia.
Abbas illius Monaſterii, in quo celebrabitur Capitulum Generale, vel Annale, ſi extra Abbatiam Murronenſem urgentiſſima cauſa, & de Sedis Apoſtolicæ expreſſo mandato celebrari aliquando contigerit.
Qui omnes, & ſinguli votum habent in Diffinitorio.
Abbas S. Mariæ Colliſmadii de Aquila.
Abbas ſancti Spiritus de Magella.
Abbas S. Petri ad Magellam de Neapoli.
Abbas S. Bartholomæi de Luceria.
Abbas S. Joannis Baptiſtæ de Bononia.
Abbas S. Euſebii de Urbe.
Abbas S. Catharinæ de Terranova.
Abbas S. Crucis de Litio.
Abbas S. Petri Cœleſtini de Mediolano.
Abbas S. Benedicti de Nurſia.
Abbas S. Georgii de Novo.
Abbas S. Michaelis de Florentia.
Abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de ſancto Severo.
Abbas S. Angeli de Celano.
Abbas S. Petri ad Magellam de Averſa.
Abbas S. Benedicti de Monte Gargano.
Abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Faventia.
Abbas S. Mariæ Civitatis Theatinæ.
Abbas S. Mariæ de Capua.
Abbas S. Joannis Baptiſtæ de Uria.
Abbas S. Nicolai de Bergamo.
Abbas S. Honuphrii de Mamplo.
Abbas S. Mariæ Annunciatæ de Geſualdo.
Abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Barulo.
Abbas S. Chriſtophori de Mantua.
Abbas S. Mariæ Mejulanæ de Corropolo.
Abbas S. Mariæ Caſalucis.
Abbas S. Hieronymi de Ceſena.
Abbas S. Jacobi de Salerno.
Abbas S. Mariæ de Magenta.
Abbas Conventualis S. Stephani de Bononia.
Abbas S. Michaelis in Plaga Neapolitana.
Secretarius Abbatis Generalis.
Socius ejusdem.
Decanus Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone.
Prior ſancti Spiritus de Anxiano.
Prior S. Mariæ de Colleniſio.
Prior S. Mariæ de Anglono.
Prior S. Jacobi de Marſico.
Prior S. Nicolai de Arimino.
Prior ſanctiſſimæ Annunciatæ de Tarento.
Prior S. Salvatoris Civitatis Pennarum.
Prior ſanctiſſimæ Annunciatæ de Diano.
Prior S. Mariæ de Meſſapia.
Prior S. Petri Cœleſtini de Iſernia.
Prior ſancti Spiritus de Orthona.
Prior S. Petri Cœleſtini de Urbino.
Prior S. Catharinæ de Nicotera.
Prior S. Catharinæ de Benevento.
Prior ſanctiſſimæ Annunciatæ de Murcono.
Prior S. Mariæ de Lama.
Prior ſanctiſſimæ Annunciatæ de Turri.
Prior S. Deſiderii de Brixia.
Prior S. Mariæ de Theano.
Prior ſanctiſſimæ Annunciatæ de Como.
Prior S. Mariæ de Aliſio.
Prior S. Mariæ de Viculano.
Diſcretus ſive Procurator Galliæ.
Procurator Generalis Neapolis.
Vicarius Caſtrorum Abbatiæ ſancti Spiritus de Murrone.

Secretarius autem, & Socius Abbatis Generalis nec non Decanus ſancti Spiritus de Murrone in ſeſſionibus Capituli Generalis habeant locum in Choro inferiori, vel alio aptiori loco prope prædicti Abbatis Generalis perſonam, ut promptiores, & expeditiores ſint ad mandata, & ſervitia ejusdem exequendum. In cæteris autem omnibus aſſignatum ſibi ſuperius locum ante omnes Priores immediatè poſt ultimum Abbatem teneant.

§. 3. Alii præter prædictos vocem in Capitulo non habentes ſive Officiales, ſive ſubditi, Lectores, vel Prædicatores, ſive alii ab Abbate Generali ad

ad negotia pertractanda, vel ad orandum, prædicandum, aut diſputandum vocati, dum eidem Capitulo interſunt, antequam januæ claudantur, prout infra, collocentur in Choro poſt prædictos Vocales, & eum ordinem ſervent inter ſe, quo de eisdem diſpoſitum eſt ſupra de ordine Monaſterii.

§. 4. Si quando autem, præſtante Deo, contigerit nova Monaſteria acquiri, vel fundari, aut aliàs ad præſens parva exiſtentia ad pinguiorem ſtatum reduci, quæ ob ſufficientiam redditnum, & facultatum in principalia deputari poſſint; juxta præſcriptum Bullæ Pauli V. hæc nunc pro tunc valitura Conſtitutione mandamus, ut in Capitulo Generali Patres comperta ſibi ſuper hoc veritate, in principalia erigant, & inter ſupradicta connumerent. In eorumque adminiſtrationis regimen Abbatem deputent, aut Priorem, qui poſt prædictos Vocales locum, & votum habeant in Generali Capitulo. Qui Abbates, & Priores eum ordinem ſervent inter ſe, quem ſervant eadem Monaſteria de novo fundata, aut in principalia erecta, & deputata.

Caput VI.

De eligendis, & eorum qualitatibus.

§. 1. Sanè rationabile eſſe duximus, antequam de his tractemus, quæ per Electores in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali agenda ſunt, præmittere, de eligendorum, ſive publicandorum, ſive aliorum Officialium qualitatibus, & de forma electionis eorundem, ut quiſque ritè ad electiones procedere poſſit, locuſque nullus ſuperſit excuſationi, vel ignorantiæ, quominus omnia canonicè peragantur. Præcipua igitur Generalis Capituli ratio, & finis eſt, ut ipſius Congregationis Officiales tam principales, & publici, quàm privati, qui finito ſuo adminiſtrationis tempore, de triennio in triennium, ſeu aliàs, prout ſuperius eſt expreſſum, ad ipſum Generale Capitulum celebrandum conveniunt, Abbas quidem Generalis publicè toti Capitulo, cæteri autem novo Abbati Generali propria reſignent officia, Vicarii autem Grangerii votum in eodem Capitulo non habentes, in propriiſque locis remanentes tempore celebrationis prædicti Capituli, uſque ad proviſionem triennalem novorum Officialium, ſive Vicariorum per Abbatem Generalem & Capitulum generale faciendam, permaneant.

§. 2. Prælati, Officialesve in ipſo Capitulo eligendi ſunt, in primis Abbas Generalis, (qui tanquam caput, & Pater omnium Monaſteriorum ipſi Abbatiæ ſancti Spiritus, omnibusque Monaſteriis totius Congregationis ubique exiſtentibus, eorumque perſonis præeſſe debet. Item Vicarius Generalis, Viſitatores Generales, quatuor Diffinitores. Item Prior Abbatiæ ſancti Spiritus, Procurator Generalis in Urbe, aut etiam alter alibi ſi opus fuerit. Item Abbates Conventuales, & Priores.

§. 3. Et ut Prælatis, & Officialibus ad tyrannidem, ſuperbiam, aut officiorum quorumcumque perpetuitatem via omnimodè occludatur, Abbatis Generalis electio ad triennium dumtaxat, juxta Inſtitutoris noſtri ſanctiſſimi Cœleſtini Bullam fiat. Qui finito triennio ſui Generalatus, libere ſuo muneri cedat, nec ex quavis urgentiſſima cauſa iterum in Abbatem Generalem aſſumi, aut eligi poſſit, niſi poſt lapſos tres integros annos, neque ſuper hoc diſpenſatio ulla obtineri poſſit, aliàs verò obtenta ſubreptitia habeatur.

§. 4. Similiter tam Viſitatores, quàm cæteri Officiales Diffinitoriales, nullatenus ad eadem officia aſſumi valeant, ſed omnes vacent per integrum triennium ab eodem officio, nec ſuper id Capitulum ipſum diſpenſare poſſit. Cæteri verò Abbates, Priores, & Vicarii ſimiliter à locis vacent, quibus præſident, niſi fortè rationabilis cauſa, aut inſignis utilitas aliud poſtulet; in quo caſu iterum ad eadem loca eligi queant per Patres Diffinitoriales capitulariter ad tres ſequentes annos, exceptis Coabbatibus, qui tam ex vigore Conſtitutionum, quàm ex antiqua conſuetudine poſſunt ſibi eligere eadem Monaſteria ſemper.

§. 5. Ne ex diſtributione publicorum Officiorum aliqua oriatur perturbatio, dum vel pauciores, aut plures ex hac, vel illa Provincia, quàm ex altera ad ejus Congregationis officia aſſumuntur: Ideo publici Officiales non quidem indifferenter ex tota Congregatione, ſed pro rata partium, ſinguli ex ſingulis Quarteriis, videlicet quatuor Viſitatores ex quatuor Quarteriis, & ſimiliter Diffinitores quatuor ex dictis quatuor Quarteriis eligantur. Abbas autem Generalis eligatur ex tota Congregatione.

§. 6. Verum ſi ex aliquo Quarterio vel Provincia contigerit quandocumque idoneas defeciſſe perſonas ad Diffinitoratus & Viſitatoratus munus ali-

qui-

quibus deficientibus fortè conditionibus, in tali caſu per Capitulum Generale ita diſpenſetur, ut ex eodem Quarterio vel Provincia aptiores aſſumantur, quemadmodum & de Abbatibus conventualibus aſſerimus, canonicè tamen.

§. 7. In electionibus exequendis quorumcumque Officialium, in primis curent Electores, ut gratis, & abſque ulla pactione, officia conferantur; ſecus autem tam promittentes, quàm recipientes, aut quomodolibet paciſcentes, tanquam ſimoniacæ pravitatis rei, perpetuò ad quæcumque officia ipſo facto reddantur inhabiles, & per tres menſes pœnam ſuſtineant gravioris culpæ.

§. 8. Caveant præterea tam Abbas Generalis, quàm cæteri Electores, ne quempiam precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, requiſitionem, vel contemplationem Principum, ſive Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum ad cujuſcumque generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia promoveant; alioquin excommunicationis ſententiam ipſo facto noverint incurriſſe, prout in Bulla Pauli V. habetur, quæ incipit: Quoniam nemo debet, &c. Et electiones hujuſmodi irritæ, & invalidæ cenſeantur.

§. 9. Ut omnis officiorum ambitus occaſio recludatur, caveant noſtræ Congregationis Monachi cujuſcumque ſint gradus, & conditionis, à directa, vel indirecta ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quàm pro aliis in Capitulis Generalibus, aut Diffinitorialibus, ſub pœnis contra ambitioſos à Summis Pontificibus, & præſertim privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quæcumque alia à Clemente VIII. inflictis.

§. 10. Electores ergo Deum præ oculis habentes, illos ad officia exercenda proponant, quorum moribus, exemplo, & regimine Ordo noſter, ejuſque perſonæ ſalubriter in Chriſto proficiant, ſcilicet Patres bonum teſtimonium habentes, adminiſtratores fideles, in divinis obſequiis, & cultu Dei inſtructos, ferventes, & aſſiduos.

§. 11. Specialiter autem ad Generalatus officium eum promoveant, qui vitæ probatioris eſſe dignoſcitur, omni carens ſuſpicione odii, vel amoris, quique præditus ſit meritis, virtutibus, ſapientia, & doctrina; ut juxta D. Benedicti Patris noſtri Regulam, doctus in lege Dei, ſciat de theſauro ſuo proferre nova, & vetera, ſed præſertim charitate, & prudentia divini cultus, & regularis obſervantiæ zelo cæteros antecellat.

§. 12. Item non eligatur in Abbatem Generalem affinis, nec conſanguineus, uſque ad quartum gradum incluſivè, ejus, qui proximè ceſſit Generalatui: neque conterranei oriundi de eadem civitate, & ejus reſtrictu, villa, caſtro, vel pago: aliàs ſi contingeret hujuſmodi nominatio, aut electio, irrita ſit ipſo jure, aliusque idoneus eligatur.

Item non eligatur ad Generalatus officium, qui per annos viginti quatuor ab emiſſa profeſſione, & regulari obſervantia, in Congregatione non vixerit, & qui per annos novem Abbas non fuerit, & publica, vel principalia officia non exercuerit. Item excludantur nominatim, qui per triennium ab Abbatiatus, & per triennium à Viſitatorum officio non vacaverunt, nulla admiſſa ſuper hoc (quod abſit) impetrata diſpenſatione, ſemper de ſubreptione & obreptione ſuſpecta juxta Bullam Jo. XXII. & Conſtitutionem veterem c. 7. particula 18. fol. 167.

§. 13. Ut autem officia Religionis noſtræ illis conferantur, qui non modò laudabilis famæ fuerint, ſed etiam prudentia præditi, quæ ut plurimum tempore acquiritur; Ideò ad Viſitatoratus officium non aſſumantur, niſi qui per ſexennium ſaltem in officio Abbatiatus conſtituti, benè ſe in officii adminiſtratione geſſerint, quive ab emiſſa ipſorū profeſſione per annos decem, & octo ſimiliter integros, & continuos intra Religionem permanſerint. Ad officium autem Diffinitoriatus promoveri nequeant, niſi qui per annos decem, & octo integros ſimiliter continuos, & integros intra Religionem commorati fuerint, principaliumque Monaſteriorum Abbates per annos duodecim extiterint.

§. 14. Procurator Generalis in Urbe is eligatur, qui jura, & principalia Congregationis, & Monaſteriorum tueri ſciat, & in tractandis cauſis, & litibus providus ſit, ac ſollicitus, & talis, cui meritò confidendum ſit prædicta jura, & privilegia committi poſſe.

§. 15. In Abbatem Conventualem, & Priorem eligantur viri probi, & fideles, Monaſticæ regulariſque vitæ moribus præditi, & ſufficienter inſtructi; & in Abbatem prædictum non præficiatur, qui per annos quatuordecim ſimiliter in regulari obſervantia non vixerit ab emiſſa profeſſione, & qui prius per

annos tres Prioratus officium non exercuerit. Nec ad Prioratus officium aſſumatur, qui per annos duodecim in Congregatione ſimili modo laudabiliter non vixerit.

§. 16. Rectores, vel Vicarii Grancieri parvorum locorum, in quibus, ut plurimum dignoſcitur majus eſſe periculum, ſint ſenes, vel provectiores ætatis, ad minus ſcilicet quadraginta annorum, & ii de quibus nullum ſcandalum, aut malum timeri poſſit, in moribus, aut in regimine.

§. 17. Neque ſuper prædictorum eligendorum Officialium qualitates omnes, & ſingulas per Abbatem Generalem, aut per Capitulum Generale diſpenſari poſſit, niſi prius per vota ſecreta Patrum cum duabus ex tribus partibus votorum fuerit diſpenſatum.

Caput VII.

Forma Electionis.

§. 1. Antequam ad electiones deveniant Electores in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali faciendas, præmiſſis præmittendis: Primò edicant, & mandent claudi januas Capituli, extra miſſis omnibus, & ſingulis, qui votum non habent in eodem Capitulo, neminemque ingredi, nec de Electorum numero quempiam exire, quouſque electionis negotium fuerit abſolutum.

§. 2. Eligendi modum, antiquarum noſtrarum Conſtitutionum quoad id Statutis inhærendo, taliter duximus ordinandum: ut electiones, tam Abbatis Generalis, quàm publicorum Officialium, Abbatum, & Priorum, fiant per ſecreta ſuffragia, tam per ſchedulas, quàm per fabas hoc modo, qui ſequitur: ſcilicet ut ſcrutinium per ſchedulas, ſive ſchedulæ ipſæ faciant nominationem, & concurſum; ſcrutinium autem per fabas, ſive fabæ ipſæ albæ, aut calculi compleant electionem.

§. 3. Itaque ſi plures in ſcrutinio per ſchedulas ad Generalatus, Viſitatoriatus, Diffinitoriatus, Abbatiatus, aut Prioratus officium fuerint per ſchedulas, ut ſupra nominati, pluraque vota, non tamen pauciora tertiæ partis, habuerint; tunc completo ſcrutinio per ſchedulas, procedatur ulterius ad eorundem electionem per fabas, etiam ſi alter eorum ad duas integras partes votorum, ſive ad numerum requiſitum ad Generalatus, vel Diffinitoriatus officium aſcendat in primo ſcrutinio per ſchedulas

Verùm ſi facto primo ſcrutinio nullus interveniat concurſus, in hoc caſu ſchedulæ faciant electionem.

§. 4. Præparentur ergò quinque menſæ, altera pro Scrutatoribus, & Actuario, ſeorſum ab Electoribus, quantum commodè fieri poteſt; aliæ verò quatuor minores paratæ cum atramento, & calamis in loco apto prope Altare majus pro conſcribendis votis, diſtantes ab Electoribus ipſis, & inter ſe, ut videri quidem poſſint ſcribentes, quid verò ſcribitur nullo modo appareat. Præparetur etiam capſula pro excipiendis votis, & ponatur ſuper Altare majus.

Præparentur inſuper tot ſchedulæ in diſco uno, aut etiam altero pro ſuffragiorum votis, quot ſunt vota activa pro electionibus faciendis, conſcriptæ una, & eadem manu Abbatis Generalis, aut Actuarii Capituli, modo ut hic deſcribitur.

Eligo in Scrutatores Primum Rev. D. N. Secundum Rev. D. N. Tertium Rev. D. N. Quartum Rev. D. N.

Eligo in Viſitatores Primum Rev. D. N. Secundum Rev. D. N. Tertium Rev. D. N. Quartum Rev. D. N.

Eligo in Diffinitores Primum Rev. D. N. Secundum Rev. D. N. Tertium Rev. D. N. Quartum Rev. D. N.

Eligo in Abbatem Generalem Congregationis noſtræ Cœleſtinorum Rev. D. de

Itaut

ſtant in eadem ſchedula ſuperſit locus, ubi debeat ſcribi ab Electore nomen electi cum expreſſione patriæ ejuſdem electi, ſive nominati; ſingulæ inſuper ſint obſignatæ parvo ſigillo ejuſdem Abbatis Generalis. Quæ omnes antequam opportuno tempore diſtribuantur, diligenter conſpiciantur, an conſcriptæ, & obſignatæ ſint, ut præmittitur, alioquin non admittantur.

§. 5. Ante Abbatis Generalis, & Officialium omnium electionem, primò Abbas Generalis abſolvat omnes Electores ab omnibus cenſuris, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum electiones legitimè dumtaxat faciendi; & deinde eligantur in Capitulo Generali quatuor Scrutatores per vota ſecreta, adhibitis ad prædictorum electionem Scrutatoribus elapſi Capituli, in quorum omnium, ſive aliquorum defectum Capituli Præſidens alios ſubrogare poſſit; adhibitaque forma inferius deſcribenda, ii ad ſcrutinii officium eligantur, & publicentur, in quos major pars totius ejuſdem Capituli conſenſerit, qui mox electi jurent ſinguli in manibus Præſidentis in hanc formam, videlicet:

Forma Juramenti Patrum Scrutatorum.

TEſtem invoco cum omni reverentia JESUM CHRISTUM, qui eſt ſapientia æterna, quòd ego D. N. illum eligam, & nominabo in Abbatem ſancti Spiritus de Murrone, & Præſidentem Generalem noſtræ Congregationis Cœleſtinorum, quem duæ ex tribus partibus Electorum ad id deputatorum elegerint, & nominaverint; & in Scrutatores, Viſitatores, & Diffinitores, illos, quos major Electorum prædictorum pars elegerit, & nominaverit.

§. 6. Quæ ab Electoribus ante electionis acta obſervare, aut fugere oportet, hæc ſunt: Jurent ſinguli Electores ante actum electionis, juxta Clementis VIII. Pontificis decreta, in manibus Præſidentis, prout ſupra, in hanc quæ ſequitur formam:

Forma Juramenti omnium Electorum.

TEſtem invoco cum omni reverentia JESUM CHRISTUM, qui eſt ſapientia æterna, quòd ego D. N. illum eligam, & nominabo in Abbatem ſancti Spiritus de Murrone, & Præſidentem Generalem noſtræ Congregationis Cœleſtinorum, quem ad ejuſmodi munus obeundum, & onus ferendum aptiſſimum ſentio; & ſimiliter in Scrutatores, Viſitatores, & Diffinitores, eos, quos ad eadem munera reſpectivè exercenda aptiores judico.

Nulli liceat pro uno, & eodem duo vota in eodem ſcrutinio dare, ſive per ſchedulas, ſive per fabas. Qui verò dolosè vota bina dederit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſuſtineat, Abbate Generali excepto.

Item nulli liceat ſeipſum nominare, aut ſibimet ſuffragium dare, aliàs ſuffragium ſit nullum.

Item ſuffragium, quod præſtant Electores, non ſit dubium, aut conditionatum, aliàs ſimiliter ſit nullum.

§. 7. Numerum requiſitum votorum ad officia Generalatus, Diffinitoriatus, Abbatiatus, vel Prioratus, talem eſſe decernimus: Nemo in Abbatem Generalem cenſeatur electus, niſi is, in quem duæ partes integræ totius Capituli Generalis legitimè conſenſerint. In Viſitatorem, Diffinitorem, is pro electo habeatur, in quem major pars totius Capituli Generalis canonicè conſenſerit. In Abbatem pro alicujus Monaſterii regimine, aut in Priorem, ille cenſeatur electus, in quem major pars Capituli Diffinitorialis per ſcrutinium conſenſerit. Habentium tamen votorum paritatem, nullus cenſeatur electus.

§. 8. Ad electionem ergo perficiendam Abbatis Generalis, ita procedatur. Duo ultimi Scrutatores in diſcis habentes ſchedulas, ut ſupra conſcriptas, & obſignatas, conſignet alter hinc, ſcilicet in Choro dextro, alter inde, ſcilicet in Choro ſiniſtro, quatuor primis Electoribus ſchedulas quatuor. Qui Electores acceptis ſchedulis procedant ad menſas ad id paratas, quos comitentur alii duo ſcrutatores, ibique in ſchedula ac-

accepta conſcribat in loco vacuo quiſque eorum nomen electi, cum expreſſione patriæ ejuſdem electi, alterato etiam charactere, ſive ſctiptura, aſſiſtentibus à remotis prædictis duobus Scrutatoribus.

Deinde claudant dicti Electores ſchedulas, & complicent, itaut ſcriptura nullo modo conſpici poſſit; eaſque ſic complicatas ſine mora deferant cooſpicùe, & elevatè duobus digiris ad Altare, deponantque eaſdem ordinatè, & ſigillatim in capſam ſcrutinii, quæ eſt ſuper Altare. Duo verò prædicti Scrutatores aſſiſtentes, ut ſupra, invigilent, ut quas conſctipſerunt, caſdem deferant, & quas detulerint, immittant in capſam ſcrutinii.

§. 9. Intetim dum prædicti Electores vota conſcribunt per Scrutatores, qui ſupra, diſpenſentur totidem aliæ quatuor ſchedulæ aliis quatuor Electoribus, qui ſimiliter redeuntibus Prioribus, ad menſa; accedant ut prius, aſſiſtentibus iisdem Scrutatoribus, ut ſupra, juxta Altare, ſicque procedatur uſque ad ultimum ſcrutinii.

Simili etiam modo ipſimet Scrutatores votum dent, & recipiant ad invicem, ita ſcilicet ut duo Scrutatores ultimi conſignent ſchedulas aliis duobus, & ii conſignent eisdem cæteris duobus. Quod quidem à principio antequam alii omnes votum dent, tutius fieri poteſt, ne ſi in fine ſcrutinii dicti Scrutatores dent votum, ſit in eorum poteſtate electio.

§. 10. Completo ſcrotinio per ſchedulas, Scrutatores aſſiſtentes accedentes ad Altare, numerent ſchedulas omnes, altero eorum extrahente illas ſigillatim ex capſula ſcrutinii, altero verò recipiente, & oumeraote eas, aſſiſtentibus aliis duobus Scrutatoribus hinc, & hinc. Quòd ſi numerus ſchedularum noo reſpondeat numero Electorum, omnes ſtatim comburanrur in conſpectu Electorum (quæ combuſtio ſchedularum ſtatim poſt completum ſcrutinium, & publicationem ejuſdem ſcrutinii, fieri ſemper debet, ſive ſecuta electione, ſive non ſecuta) & combuſtis ſchedulis, iterum ad ſuffragia deveniatur iterato ſcrutinio. Si oumerus ſchedularum numero Electorum reſpondeat, runc delata capſula per ſultimum ſcrutatorem, accedant ſimul ſcrutatores ad menſam ſcrutinii, ptimuſque Scrutator eas ſigillatim extrahat ex capſula, & extractas aperiat, eaſque inſpiciat, & inſpectas det ſecundo ſcrutatori; quas ſimiliter inſpectas, ſecundus det tertio, & tertius quarto, adootentque ordinatè, & ſigillatim poſt inſpectionem ſchedulæ in proprio folio ſinguli nomen electi cum ſigno oumeri votorum.

§. 11. Ultimus verò ſcrutator antequam adnotet ſingulas ſchedulas ſigillatim, alta, & intelligibili vocelegat, & publicet eaſdem, & ſic lectas inferat in filum cum acu ad hoc parato, ur omnes ſimul comburi poſſint, poſt completam ſctutinii publicationem.

Exactis, & adnotatis ſchedulis omnibus, & ſingulis redigant in ſummam numerum vototum eorum, qui fuerint nominati, quot ſcilicet vota cuilibet nominato in iiſdem ſchedulis ſuffragantur: & in fine ejuſdem ſcrutinii ſchedularum, nominatos publicent cum nomero votorum, quæ ſuffragantut cuilibet nominato, hoc modo ſcilicet, Rev. D. N. de N. babet vota viginti, Rev. D. N. dc N. habet vota decem, & ſic de aliis nominatis.

§. 12. Tunc immediatè fiat ſcrutinium per ſabas pro eo primo, qui plura vota in dicto ſcrutinio habuit; aut ſi contingeret vota concurrentium eſſe in pari numero, pro eo, qui eſt aotiquior, ſecundùm profeſſionem; & ſi is pro quo fit ſcrutinium hujuſmodi, ad numerum requiſitum aſcendat pro Generalarus officio, cenſeatur electus, non expectato ſcrutinio fabarum cum altero, ſive pro aliis, qui pauciora vota per ſchedulas obtinuerunt. Si verò non aſcenderit ad requiſitum numerum, tunc fiat ſcrutinium ſimiliter pro altero, ſimili modo; qui ſi ad dictum requiſitum pervenerit, habeatur pro electo.

Quod ſi nullus ex nominatis ad numerum requiſitum aſcenderit pro Generalatus officio, iterum in tali caſu ad ſcrutinium deveniatur per ſchedulas, integrumque ſit Electoribus, aut eoſdem prius nominatos, aut alios nominare ad idem Generalatus officium.

§. 13. Si verò contingat, unum tantum in primo ſcrutinio nominari, omniumque vota in unum conſentire, aut plures quidem oominari, ſed ex his unum, aut plures non aſcendere ad tertiam partem votorum: tunc non procedatur ad ulteriorem diſcuſſionem per ſabas, ſed ille habeatur pro electo, cui vota io ſcrutinio ſchedularum ſic concorditer ſoffragantur. Si autem ii, in quos dicta tertia, vel major pars votorum coovenerit, concurrere noluerint, & expreſſè concurſui renunciaverint, & ſuo juri ceſſerint; tunc is canonicè electus intelligatur, qui duas integras par-

tes

Digitized by Google

tes votorum per ſchedulas, quoad Generalatum; quo verò ad cætera officia, majorem ſimiliter votorum partem habuerit: In his enim caſibus electiones per ſchedulas fieri declaramus.

§. 14. Abſoluto ergo ſcrutinio per fabas, ſive per ſchedulas, in caſibus, ut ſupra nominatis, ſi ſecura ſit electio, tunc per primum ſcrutatorem fiat electio, & publicetur nomine totius Capituli per verba ſingularis numeri, ſcilicet per verbum (Eligo) Ita alta: & intelligibili voce dicendo:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego N. primus ſcrutator in præſenti Generali Capitulo nomine meo, & omnium Electorum, qui mecum conſenſerunt, *Eligo* in Abbatem ſancti Spiritus de Murrone, & Præſidentem Generalem totius Congregationis Cœleſtinorum Rev. D. N. de N.

Tunc duo ſcrutatores pergant ad electum, & petant ab eodem electo conſenſum, prout infra diſponitur de agendis in Capitulo Generali: quo præſtito, is habeatur pro Abbate ſancti Spiritus de Murrone, ac Generali Præſidente totius Congregationis. Si verò electus abſens fuerit, obſervetur modus præſcriptus infra tertia die Capituli Generalis.

§. 15. In electionibus publicorum Officialium faciendis in Capitulo Generali idem modus omnino ſervetur, qui ſupra, præterquam in numero votorum; Is enim habeatur pro Viſitatore electo, In quem major pars totius Capituli Generalis legitimè conſenſerit. Idem de aliis publicis Officialibus dicendum, & obſervandum.

§. 16. In electionibus Abbatum Conventualium, & Priorum ita procedatur: Conficiantur ex annotatis ab Actuario Capituli in ipſa legitimatione votorum duæ ſchedulæ, ſive duo folia, in quorum altero Monaſteriorum omnium nomina deſcripta ſint, exceptis dumtaxat Monaſteriis illis, quæ ſibi pro ipſorum reſidentia Coabbates elegerunt. In altero verò ſint deſcripta nomina Abbatum, & Priorum per ipſum Diffinitoriale Capitulum in ſeſſione de legitimatione votorum approbatorum, illis ſcilicet dumtaxat exceptis, qui ſuis exigentibus demeritis, cauſa cognita, per eoſdem Patres Diffinitoriales fuerunt reprobati.

§. 17. Addatur etiam tertia ſchedula, ſive folium, in quo ſi qui extant abſentes bonæ famæ Monachi, aut aliàs quomodocumque benemeriti, qui adhuc ad officia non fuerunt promoti, eorum nomina deſcribantur, quorum qualitates, & ſufficientiam ipſi Patres Diffinitoriales bene noverint, prout in prædicta ſeſſione de legitimatione votorum fuit diſpoſitum.

§. 18. Cum ergo ad Abbatum, & Priorum electionem pro alicujus Monaſterii regimine deveniendum eſt in Capitulo Diffinitoriali, per Actuarium Capituli ſingulis Patribus Diffinitorialibus tria folia, ſive tres ſchedulæ conformes, prout ſupra conſignentur. Quibus inſpectis, & maturè conſideratis conſiderandis, prædicti Patres, acceptis ſchedulis à Scrutatoribus, ſeorſum, & ſigillatim in menſa præparata in eodem Capitulo Diffinitoriali, ſcribant nomen illius in loco vacuo dictæ ſchedulæ, quem nominare voluerint, pro ſingulorum Monaſteriorum regimine, qui ſibi tali muneri ſecundùm conſcientiam magis aptus eſſe videtur.

§. 19. Completo Scrutinio per ſchedulas, ſi plures fuerint nominati ad ejuſdem Monaſterii regimen, pluresque fuerint concurrentes, fiat ſcrutinium ſigillatim per fabas pro omnibus concurrentibus: & ex nominatis, qui majorem partem votorum dicti Capituli Diffinitorialis per tale ſcrutinium fabarum habuerit, habeatur pro Abbate, aut Priore illius Monaſterii, pro cujus regimine dictam majorem votorum partem obtinuit, Abbate Generali tamen ſemper proponente.

Caput VIII.

De agendis in Capitulo Diffinitoriali.

§. 1. Antequam conveniant cæteri Patres votum activum habentes in Capitulo Generali, Patres Diffinitoriales præveniant, accedentes ad locum deſtinatum pro ejuſdem Capituli proxima celebratione *die Mercurii* ante Dominicam tertiam poſt feſtum Reſurrectionis Domini, pro his, quæ per eos agenda, & præmittenda ſunt ante acta ejuſdem Capituli Generalis. Agenda per ordinem hæc ſunt, quæ ſequuntur, ſcilicet viſitatio Abbatis Generalis, & Viſitatorum Generalium, viſitatio Depoſitariorum, relatio viſitationum, & legitimatio votorum.

§. 2. Feria igitur quinta ante Dominicam tertiam prædictam de mane, Patres Diffinitoriales capitulariter congregati, invocata Spiritus ſancti gratia, ſimul procedant ad viſitationis negotium ipſius Abbatis Generalis, expedi-antque illud omnino intra tres dies: in qua viſitatione ea qua decet vigilantia, & circumſpectione maturo judicio exquirant, & exequantur, quæ inquirenda, & exequenda jubentur cap. xvi. de viſitatione Abbatis Generalis, eumque in vero judicio, & juſtitia abſolvant, & condemnent, prout illius exegerint merita, aut demerita.

§. 3. Die Dominico ſuper tertia Dominica poſt feſtum Reſurrectionis Domini Patres Diffinitoriales de mane quieſcant, & ſacris incumbant; Poſt veſperas autem coram iisdem Patribus capitulariter in Diffinitorio congregatis, Depoſitarii Quarteriorum, & Procurator Generalis de Urbe computa producant receptorum, & expenſorum per eos toto triennio. Qui Patres Diffinitoriales nomina omnia omnes tam de exitu, quàm de introitu inquirant, videant, & examinent, eaſque tantum admittant, quarum ſolutiones aliàs per idemmet diffinitoriale Capitulum fuerint commiſſæ.

§. 4. Inſuper iidem Depoſitarii eoram Patribus prædictis referant pecuniarum depoſitarum exſuperantium ſummam, ſi quæ fuerint in ſingulis quatuor Quarteriorum principaliorum depoſitis, prout infra de publico ærario dicitur, ut deliberent qualiter applicari, aut impendi debeat, denuncientque eos qui minus tertias ſolverint, ut contra eoſdem Conſtitutionum harum opportuno remedio procedatur. Quibus omnibus bene viſis, Depoſitarios, & Procuratorem abſolvant, aut condemnent, prout eorum merita, aut demerita expoſcunt.

§. 5. Feria tertia conveniant iterum Patres in Diffinitorium, ubi Viſitatores Generales producant quæcumque reperta ſunt circa vitam, & mores, & adminiſtrationes ſingulorum Officialium, ac circa vitam, & mores ſubditorum, tam in actu viſitationis, quàm extra, ſi quæ fuerint extraordinariæ cauſæ; ſuper quibus prædicti Patres Diffinitoriales judicium faciant, & ſententiam ferant, abſolvant, & condemnent abſolvendos, aut condemnandos, ſecundum harum Conſtitutionum ſtatuta, & juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

§. 6. Inſuper Inventaria ſingulorum Monaſteriorum per eoſdem Viſitatores producantur, tum nova delata per eoſdem ad Capitulum, tum vetera elapſi, & præteriti jam triennii ſervata in depoſito ipſius Abbatiæ ſancti Spiritus; eaque invicem iidem Patres conferant, ut quæ de novo per Officiales aucta fuerunt, aut quæcumque forte diminuta fuerint, appareat: & ſi deperdita, aut imminuta nonnulla deprehenderint, ab eiſdem Officialibus, ſub quorum adminiſtratione culpabiliter diminuta fuerint, rationem petant, eoſque puniant juxta culpæ rationem. Quæ inventaria apud ſe conſervet Actuarius, donec expleto Capitulo conſignentur eorum exemplaria novis Officialibus, ut infra.

§. 7. Feria quarta votorum legitimationi incumbant Abbas Generalis, Coabbates, aliique Patres Diffinitoriales; Officiales ad Capitulum jam congregatos vocent coram ſe, eorumque commiſſiones, ſive litteras dimiſſoriales ab eisdem petitas inſpiciant, an legitimæ ſint, & an vigore prædictarum votum habeant activum, admittantque admittendas, & reijciant reijciendas.

Item à voto activo dando excludant privatos per Capitulum, aut canonicè alio quovis modo: Item etiam abſentes, niſi legitimè per eoſdem Procurator ad Capitulum fuerit deſtinatus.

§. 8. Quoad votum autem paſſivum ab officio Generalatus, Viſitatoratus, & Diffinitoriatus declarentur excluſi ii, qui per integrum triennium ab eisdem officiis reſpectivè non vacaverunt.

Deinde ab omnibus, ſinguliſque Capituli officiis obtinendis excludantur omnes in præſenti Capitulo, aut aliàs aliquando privati, ſive ſuſpenſi: Item ſpurii, & illegitimi, ſi qui exiſtant: Apoſtatæ publice per ſententiam damnati: Publici peccatores, rebelles, fugitivi, etiam ſi Congregationis habitum non dimiſerint: Item alterius Congregationis profeſſi, ſi (quod abſit) fuerint ad noſtram de Sanctiſſimi Domini expreſſo mandato, & non aliter admiſſi: & alii, ſive per harum Conſtitutionum decreta, ſive per Sacrorum Canonum diſpoſitiones, inhabiles.

§. 9. De omnibus autem approbationibus, & excluſionibus regiſtrum, & notam fieri mandent ab Actuario conſervandum inter acta Capituli. Et primò quoad votorum activorum legitimationem tres ſchedulas confici curent, in quibus deſcribantur nomina Officialium eo-

eorum, quos legitimè ipſi Capitulo intereſſe, votumque date poſſe, ipſi Patres Diffinitoriales judicaverunt, & legitimaverunt, alteram conſignandam ſcrutatoribus eligendis, alteram Abbati Generali, vel Præſidenti ipſius Capituli, tertiam affigendam ad valvas ejusdem Capituli, ut ſciri poſſit, quibus competat legitima eligendi poteſtas.

Quoad vota verò paſſiva, notam faciat Actuatius conſervandam ſimilitet inter eadem acta, tam approbatorum, quàm excluſorum. Treſque ſimiliter cooficiant ſchedulas eiſdem conſignandas, & reſpectivè affigendas, ut indè ex tali affixione omnes ſcire poſſint qnibus danda, & qnibus prohibenda in electionibus erunt ſuffragia.

Excluſionem autem eorum, qui excludendi ſunt, ſive per præcedentem privatiooem, ſive ſuſpenſionem, aut ob cauſam vacationis, aut aliàs aliter, adnotent cum cauſa, illamque diſtinctè conſcribant, præſertim in nota cooſervanda inter acta Capituli, & in ſchedula affigenda ut ſopra.

§. 10. Omnia verò agenda, ſive acta in Capitulo Diffinitoriali hactenus expreſſa, deſcribantur, & in acta per ordinem gerantur per Actuarium Capituli Generalis præteriti. Sunt alia etiam multa in eodem Capitulo Diffinitoriali agenda, ut electio novi Actuarii, & Scrutatorum Diffinitorialium, Vicarii Generalis, Prioris Abbatiæ S. Spiritus, Procuratoris Generalis in Urbe, Abbatum Conventualium, Priorum, & Vicariorum, de quibus infra ſuo loco.

CAPUT IX.

De prima die Capituli Generalis.

§. 1. Feria qointa, quartam Dominicam poſt feſtum Reſurrectionis Domini immediatè præcedente, manè poſt Primam, per Priorem Abbatiæ cantetur Miſſa de Spiritu ſancto ad implorandum divinum auxilium, cum oratione de S. Benedicto, & cum eommemoratione pro Congregatione, io qua qui antea non celebraverint, Sanctiſſimum Domini noſtri Corpus recipiant quotquot Capitulo Generali intereſſe debent, ut corde mundi, Deoque, ac proximo reconciliati, pacificè procedant in omoibus.

§. 2. Expletis ſacris, pulſetur ſtatim ad Capitulum, ad quod omnes conveniant, qui votum in eo habent activum, & in propriis locis diſpoſiti ſtent, aut ſedeant, inde non egreſſuri abſque licentia Præſidentis, & ex cauſa urgentiſſima. Tunc Prior Monaſterii S. Spiritus, qui Miſſam cantavit, Hymnum, Veni Creator Spititus, indutus Pluviali, & accenſis cereis, incipiat alta voce, quem omnes proſequantur. Et finito Hymno dicat verſum, Emitte Spiritum tuum, &c. Dominus vobiſcum, &c. & deinde orationes, Deus qui corda fidelium: Actiones noſtras: & aliam, Domine Deus omnipotens, qui nos ad principium hujus diei, &c. & ſimiliter Collectas de Sanctis Benedicto, & Petro Cæleſtino.

§. 3. Deinde à Lectore Capitulari reciteotur in ſcriptis nomina omnium principalium Beoefactorum vivorum, initio facto à Summo Pontifice, Illuſtriſſimo Cardinali Protectore, Regibus, aut etiam Principibus, aliisqoe ordinarè; pro quibus nominatis ſingulatim humiliter Domino ſupplicetur dicendo Kyrie eleiſon, cum oratione Dominica ſubmiſſa voce dicta, & cum orationibus pro Papa, Deus omnium Paſtor, &c. pro Regibus, Quæſumus Omnipotens Deus, &c. pro Illuſtriſſimo Protectore, Omnipotens ſempiterne Deus miſerere &c. &pro cæteris de Benefactoribus, Omnipotens ſempiterne Deus poſtulationes noſtras, &c.

§. 4. Expletis his ſtatim idem Lector recitet nomina Fundatorum, & principalium Benefactorum mortuorum Congregationis noſtræ, quorum nomina Præſidentes locorum duxerint ſpecialiter commendanda, Quibus omoibus nominatis dicantur pro illis congruentes orationes ſuper, Inclina Domine, &c. Omnipotens Deus cui nunquam, &c. Fidelium Deus, &c. Præmiſſis prius Kyrie eleiſon, & oratione Dominica.

§. 5. Recitentur deinde nomina Monachorum noſtrorom defuoctorum à proximo præterito Generali Capitulo, uſque ad præſens, prout per Viſitatores eorum nomina conſignabuntur in ſcriptis, pro quibus fiant preces ſicuti conſuetum eſt in Capitulo quotidiano. Quibus peractis dicta Tertia, cantetur Miſſa de die ex more à Coovenrualibus Monaſterii.

§. 6. Eadem die dicta Nona conveniat in Diffinitorium Abbas Generalis cum Coabbatibus ſuis, ac cæteris Patribus Diffinitorialibus; ibique præmiſſis precibus præmittendis ex more, juxta præſcriptum in his Conſtitutionibus modum, & formam, Primò eligant Actuarium Capituli pro agendis, tum in Capitulo Generali, tum in Diffinitoria-

riali, virum ſcilicet fidelem, ac probum, qui acta omnia in eis facienda fideliter, diſtricte, & appoſite deſcribat.

§. 7. Eadem die poſt Veſperas, facto ſigno, ad Capitulum Generale conveniant omnes, qui votum habent; ad quod ingreſſi diſponantur in propriis locis. Tunc Lector recitet petita benedictione à Præſidente, ex Conſtitutionibus partem, aut partes, in quibus agitur de officio Scrutatorum, ſuper quibus fiat brevis ſermo à Præſidente. Quo peracto Scrutatores præteriti triennii, vel alii in locum deficientium ſubrogati, cum aſſiſtentia Prioris Abbatiæ ad menſam ſcrutinii accedant; ibique in dicta electione facienda novis Scrutatoribus vota primo per ſchedulas, & deinde per fabas recipiant, & ſcrutentur, ſecundùm formam ſuperius traditam; eoſque in Scrutatores publicent, in quos major pars Capituli conſenſerit.

Caput X.

De ſecunda die Capituli Generalis.

§. 1. Feria ſexta de mane pulſetur ad Capitulum, ad quod omnes conveniant, & cum ſilentio ibi per ordinem ſtent: & dicta Prima, Lector petat in medio Chori à Præſidente benedictionem, quem Præſidens benedicat, prout de Capitulo quotidiano dictum eſt, legatque Martyrologium, ac unum ex Regula, alterum ex Conſtitutionibus Capitulum conformiter ad agenda; dictiſque iis, quæ de mane dicuntur in Capitulo quotidiano, Præſidens competentem ſermonem faciat, aut fieri mandet ſuper iis, quæ lecta ſunt.

§. 2. Quibus expletis, cantetur Miſſa de Trinitate per Decanum Abbatiæ cum oratione de Spiritu ſancto, & de Sancto Petro Cœleſtino, omnibus tam votum in Capitulo habentibus, quàm non habentibus, ad eam aſſiſtentibus. Qua peracta, omnes, & ſinguli, qui in eo votum non habent, exeant, claudanturque januæ Capituli, ut nullus ingrediatur, nulluſve exeat.

§. 3. Tunc Scrutatores electi accedant cum Actuario ad menſam ſcrutinii pro electione quatuor Viſitatorum Generalium, ibique vota ſecundum formam ſuperius traditam recipiant, & ſcrutentur, eoſque in Viſitatores Generales publicent, in quos majorem partem Capituli Generalis repererint conſentire. Qui tamen ante præteritorum Viſitatorum renunciationem, officii locum non teneant.

§. 4. Eodem die, facto ſigno, hora competenti conveniant Electores ad Capitulum Generale, ſedeantque per ordinem cum ſilentio: deinde facto ſigno à Præſidente, legatur à Lectore capitulum Regulæ cum capitulo Conſtitutionum, de eligendorum qualitate, & forma eligendi; ſuper quibus fiat ſermo competens, ut ſupra. Quibus peractis exeant, qui locum non habent, & claudatur Capitulum.

§. 5. Tunc Scrutatores cum Actuario accedant ad menſam ſcrutinii, votaque exquirant, ut ſupra, pro electione quatuor Diffinitorum, eoſque Diffinitores pronuncient, in quos ſimiliter majorem partem totius Capituli invenerint conſentire: qui tamen loco, & officio non ſe ingerant ante præteritorum renunciationem.

Caput XI.

De tertia die Capituli Generalis.

§. 1. Die Sabbati manè dicta Prima, & facto ſigno, conveniant Electores ad Capitulum, ibique lecto Martyrologio, legatur capitulum Regulæ cum capitulo Conſtitutionum ſuper electione Abbatis Generalis, ſuper quibus fiat ſermo ut ſupra. Deinde cantetur Miſſa de B. Maria Virgine, cum commemoratione de Spiritu ſancto, & pro Congregatione: qua completa exeant de Capitulo, qui locum non habent, & claudatur Capitulum.

§. 2. Expletis ſacris, Abbas Generalis, qui completo triennio renunciare debet, juxta D. Petri Cœleſtini Inſtitutoris noſtri Bullam, facto ſermone competenti in medio ſurgat, & renunciet expreſſè oneri, & officio Præſidentatus Congregationis noſtræ, & Abbatiatus S. Spiritus, quod per triennium egit. Sigilla autem Religionis, melotem, aliaque jura, quæ ad Abbatiatus S. Spiritus per dictam Cœleſtinam pertinere noſcuntur, deponens omnia prædicta in loco aptato ad id in medio Chori; Tunc proſtratus ante pedes Patrum exiſtentium in Capitulo errores ſuos de more, ſi quos commiſerit, ibidem accuſet, redeatque ad ſedendum in loco, ſive ſede immediatè poſita poſt antiquiorem Coabbatem.

§. 3. Cæterum ſi Abbas Generalis renunciaturus præſens eſſe nequeat, gravi detentus infirmitate; per Procuratorem idoneum ab eodem ſpecialiter ad id deputatum, & legitimè conſtitutum,

re-

renunciare omninò teneatur: & poſt renunciationem per eundem Procuratorem canonicè factam, Capitulum ad alterius Abbatis Generalis electionem procedat, ut infra.

§. 4. Poſt prædictam renunciationem, Capituli regimen, & illius cura ad Coabbatem antiquiorem omnino devolvatur, uſque ad novam creationem, & proviſionem novi Abbatis Generalis, qui quidem Coabbas ſtatim omnibus adſtantibus Capituli ſilentium indicet, & legi faciat capitulum Regulæ de ordinando Abbate, cum capitulo Conſtitutionum conformi, ſuper quibus fiat per ipſum, aut per alterum ſermo de qualitatibus Abbatis. Quo facto exeant, qui votum non habent, & claudatur Capitulum.

§. 5. Scrutatores itaque cum Actuario accedant ad menſam ſcrutinii, ut vota pro Abbate Generali novo creando recipiant, & ſcrutentur, omniaque diligentiſſimè perficiant, juxta formam ſuperius traditam. Omnibus verò peractis, eum in Abbatem S. Spiritus, & Præſidentem Ordinis, & Congregationis noſtræ pronuncient per verbum *Eligo*, in quem duæ integræ partes Capituli unanimiter, & conformiter conſenſeriot: mox verò Scrutatores prædicti ad electum accedant, rogantes eum, ut electioni de ſe factæ ſuum præbeat aſſenſum: Quo per eum præſtito, pro electo habeatur, & ad locum ſibi competentem per eoſdem ducatur, ibique omnes Electores ordinatè, ut ſupra ad electum ſigillatim accedant, eique genibus flexis reverentiam exhibeant, & obedientiam præſtent.

§. 6. His peractis, januæ Capituli aperiantur, & accenſis ceteis ad Altare majus ordinatè procedatur, ibique Prior Abbatiæ Pluviali indutus intonet, Te Deum laudamus, &c. campanis pulſatis, & organo; & in fine orationem conſuetam recitet, pro gratiarum actione.

Abbas autem Generalis electus ante idem altare, ad ſancta Dei Evangelia juramentum præſtet, jura Abbatiæ S. Spiritus, quæ ſibi regenda committuntur, & totius Congregationis tueri, & illæſa conſervare, Regulam S. Benedicti, & Conſtitutiones noſtras ſervare, & ſervari facere, & in fine triennii ſe renunciaturum oneri Præſidentatus, & Abbatiatus S. Spiritus, juxta formam in his Conſtitutionibus expreſſam.

§. 7. Qui quidem ita canonicè, & in concordia electus, eo ipſo ſuæ adminiſtrationis officium, ſeu jus adminiſtrandi in temporalibus, & ſpiritualibus conſequatur, dictumque officium tanquam Pater, & Generalis Abbas, prout ad eum pertinet, liberè exequatur. Studeat tamen cumptimùm ſuæ benedictionis munus à quocumque maluerit Catholico Epiſcopo, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, recipere, ſi aliter non extiterit benedictus.

§. 8. Quod ſi fortè contigerit, electum in Abbatem Generalem haud eſſe præſentem, fiet decretum electionis per Judicem, Notarium, & teſtes, ſigillis, & ſubſcriptionibus eligentium, prout juris eſt, roboratum; ttanſmittantque per ſpecialem Procuratorem hujuſmodi decretum, & eidem ſic electo intimetur infra tempus congruum: Qui legitimè præſtito conſenſu, pro electo reputetur, eique reverentia, & obedientia ab omnibus præſtetur.

§. 9. Omnibus, ſingulisque expletis, dato ſigno, conveniant ad prandendum, ſimulque reficiantur in Refectorio Abbas Generalis electus, Patres omnes votum habentes, cum aliis, tam hoſpitibus, quàm Conventualibus, adhibita lectione ad menſam, ſecundum conſuetudinem. A prandio autem, ſive è Refectorio exeant proceſſionaliter ad Eccleſiam eundo, cantantes gratiarum actiones ex more.

§. 10. Quibus peractis, Abbas Generalis ſedeat in ſua ſede, ſingulique Officiales præteriti triennii propria officia ordinatè renuncient, & ſigilla, & commiſſiones officiorum reſignent, omni qua decet humilitate. Renunciantes autem unus poſt alterum in medio Chori conſiſtant, ac de negligentiis in propriorum officiorum exequutione commiſſis, proſtrati ante Abbatem Generalem, culpam de more dicant.

§. 11. Si autem qui in Abbatem Generalem electus fuit, præſens non fuerit; tunc non renuncient dicti Officiales, ſed revertantur ad ſua Monaſteria (ſi longe abſit idem electus) peracturi curam, & adminiſtrationem eorundem locorum in temporalibus, & ſpiritualibus, ut antea, quouſque de renunciatione, ſeu nova Officialium proviſione fuerit per novum Abbatem Generalem electum, proviſum, & canonicè diſpoſitum.

§. 12. Eodem die Sabbati poſt Veſperas, dato ſigno, ad Capitulum conveniant Abbas Generalis electus cum Abbate, qui renunciavit, & aliis Coabbatibus, Viſitatoribus, & Diffinitoribus in Diffinitorio cum Actuario, in quo ſecretè, & remotis arbitris jurent ſinguli ſe ea, quæ per ipſos ſecretò tractantur, non revelaturos, in hanc formam videlicet:

Teſtem invoco JEſum Chriſtum, qui eſt ſapientia æterna, quod ego D. N. de his, quæ in hoc ſacro Diffinitorio tractantur, & concluduntur, nihil prorſus unquam revelabo perſonis, quæ de gremio ejuſdem Diffinitorii actualiter non ſunt, absque Abbatis Generalis, ſive ejusdem Diffinitorii expreſſa licentia.

§. 13. Deinde pro votorum diſpoſitione, atque ſcrutinio, pro his videlicet rebus, & cauſis, quæ in Diffinitoriali Capitulo per Patres tractanda ſunt, communi inter ſe voto eligant de ipſis duos Scrutatores, qui vota Patrum aliorum recipiant: & nihilominus etiam alter alterius ipſorum Scrutatorum votum recipiat, & e contra; ſervata ad unguem forma electionis in dandis, & recipiendis votis, & in publicatione electorum Scrutatorum, quæ ſupra.

§. 14. Poſtea conſtituatur Vicarius Generalis totius Congregationis ad Abbatis Generalis arbitrium, de Capituli Diffinitorialis conſilio, ac beneplacito: & juxta ipſius Congregationis Conſtitutiones, & antiquam conſuetudinem, Abbati, qui proximè renunciavit, hoc officium abſque aliqua contradictione conferendum eſt; dummodo ipſe fidelem de ſua adminiſtratione rationem reddiderit, & ab ipſo Diffinitoriali Capitulo tunc elapſi triennii ibidem probatus inventus fuerit, aliudve non obſtet canonicum impedimentum.

Sin autem mors intercederet, conſtituatur unus ex Coabbatibus antiquioribus, ſive præſentes ſint in ipſo Diffinitoriali Capitulo, ſive abſentes: in defectum autem ipſorum conſtituatur alius ad arbitrium ejuſdem Abbatis Generalis, qui officium hujuſmodi conferre poterit, aut Generali Procuratori, aut Priori Abbatiæ, vel alteri, prout melius judicabit.

§. 15. Poſtmodum eligatur Procurator Generalis in Romana Curia, cum poteſtate ad arbitrium ipſorum Patrum, juxta temporis, & agendarum rerum convenientiam, & rationem dilatanda, vel reſtringenda, præſtito per eum juramento ad ſancta Dei Evangelia, quòd fideliter, & diligenter commiſſa, & committenda ſibi Congregationis negotia juxta ſui mandati limites, & continentiam exequetur, & tractabit. Eligantur etiam, ſi opus fuerit, duo, vel tres alii Procuratores Provinciarum cum ſimili, aut limitata poteſtate, qui tamen votum activum non habeant in Capitulo Diffinitoriali.

§. 16. Succeſſivè provideatur in ipſo Diffinitoriali Capitulo de Priore Abbatiæ, quem juxta Regulæ diſpoſitionem Abbas Generalis cum conſilio Patrum Deum timentium eligat, atque deputet; qui ſicut cæteris omnibus Prioribus eſt major, ita magis debet eſſe ſollicitus in obſervantia præceptorum Regulæ, ac diſciplinæ Regularis, rectitudine inſignis, & conſpicuus. Et ex tunc ſic electus, ſub regimine, ac obedientia ejuſdem Abbatis Generalis pro eo, ac ipſius vice, juxta Regulæ tenorem, ipſius Abbatiæ curam, & ſollicitudinem ſuſcipiat; & nihilominus cum cæteris in ipſo Diffinitoriali Capitulo tunc, & quandocumque, aut ubicumque aliàs congregando, ad omnia, & ſingula peragenda interveniat, atque in omnibus, ut cæteri votum habeat.

Caput XII.

De quarta die Capituli Generalis.

§. 1. Die Dominico manè quieſcant ſimul omnes à negotiis, & prout par eſt, devotius divinis intereſſe ſtudeant, omneſque celebrent, ſi poſſibile eſt. Poſt Nonam ergo conveniant Abbas Generalis, & cum eo Patres omnes, qui in Diffinitoriali Capitulo votum habent; ibique invocato divino auxilio pro agendis in præſenti ſeſſione, exequantur, quæ ſequuntur.

Primò Abbas Generalis, qui proximè renunciavit, & cæteri Coabbates eligant ſibi Monaſteria pro Abbatiatus officio, ſive reſidentia, de conſenſu tamen, ac beneplacito Capituli Diffinitorialis, qui ſuum in hoc aſſenſum, & beneplacitum præſtare teneatur, niſi prædicti Coabbates tali ſe re indignos, ob malè actam ipſorum vitam reddiderint, declaratione, & ſententia ſuper id præcedente.

Quòd ſi Coabbas aliquis propter ſenium, aut aliquod aliud impedimentum naturale, Monaſterii per ipſum electi regimen exercere nequiverit, ſive recuſaverit, liberum illi ſit tres monachos ido-

idoneos uominare tempore Capituli Generalis Capitulo Diffinitoriali, quod eligat per vota ſecreta alterum ex nominatis in Priorem ſuffraganeum ejuſdem Monaſterii, qui Prior Monaſterium adminiſtret, ſub obedienria tameu Ipſius Coabbatis, & non aliter, nec alio modo.

§. 2. Deinde pro cæteris ipſius Capituli Patribus Diffinitorialibus, videlicet, pro Viſitatoribus Generalibus primò; deinde pro Diffinitoribus; eligantur Monaſteria ſingula pro ſingulis, competentibus proviſa redditibus, prout officio, & qualitatibus uniuſcujuſque ipſorum congruit, & expedit, & ſigillatim pro unoquoque recipiantur vota per ſchedulas, & ſecrera ſuffragia ſecundùm formam traditam ſuperius.

§. 3. Poſtea eligantur Abbates Conventuales aliorum principalium Monaſteriorum, juxta eandem formam, & modum; Deinde eligantur pro aliorum Monaſteriorum minus principalium regimine, Priores eodem modo, & forma. Ultimò pro parvorum Monaſteriorum cura deputeutur Rectores, ſive Vicarii, de communi conſilio omnium Patrum Diffinitorialium, & ſimili modo deputentur Confeſſarii pro Monialibus.

§. 4. Mouaſteria, quæ prædictis publicis Officialibus iu reſidentiam, & adminiſtrationem conferuntur, iutra propriorum officiorum ditionem conſiſtaut, nec permittantur extra Quarteria mo rari, niſi ex probata, & evidenti neceſſitate, aut magna utilitate Congregationis, & ex ſpeciali indulgentia totius Capituli Generalis in ſcriptis exprimenda; ut ſic ad ſingula, quæ in dies occurrunt negotia per ipſos tractanda, & terminanda prædicti Patres Diffinitoriales faciliùs convenire poſſiot ad Abbatis Generalis mandatum.

§. 5. Patribus Diffinitorii in Abbates electis propria Monaſteria, ſive ad favorem, ſivè liberè reſignare omninò prohibemus, cùm renunciationes hujuſmodi ad multiplicanda vota fieri, ut plurimum compertum ſit. Cæteris autem Abbatibus, & Prioribus liberè Monaſteria propria ex cauſa legitima, a Capitulo tamen Generali, ſeu Diffinitoriali probata, renunciare permittimus; declarantes tamen, eos, & ipſorum quemlibet cum Mouaſterii reſignatione votum amittere, quod habebant in Capitulo Generali.

§. 6. Si ceſſio, aut renunciatio extra tempus Capituli Generalis fieri contingat, id ſolum fiat io Capitulo Annali, cauſa tamen legitimè ab eodem Capitulo, ut ſupra, approbata; & tuuc per Patres Diffinitoriales provideatur de altero Officiali modo quo ſupra. At vero in caſu vacationis Prælaturarum per obitum, vel aliàs quomodocumque, ſive etiam iu caſu mutationis Prælati, ex cauſa tamen legirima, infra trieunium, & extra tempus Capituli Annalis, provideatur de Abbatibus, vel Prioribus reſpectivè per Abbatem Generalem cum Patribus Diffinitorialibus illius Quarterii, & Abbate Monaſterii, in quo reperietur ipſe Abbas Generalis.

§. 7. Lectionibus igitur abſolutis ſupradictorum Officialium, fiat publicatio per Actuarium, confecta nota omnium electorum Officialium prædictotum, affixa tali nota ad parietem, ut moris eſt, ut electis conſignari poſſint commiſſiones propriorum Officiorum per Abbatem Generalem, nec non inventarium prout infra, & opportuno tempore dimitti ad propria loca.

§. 8. Eodem die Commiſſioues, vel, ut vulgò dicitur, Patentes expediantur pro collatis, ac diſtributis officiis, quæ expreſſam omninò continere debeant propriorum officiorum facultatem, juxta conceſſa Congregationi noſtræ privilegia, & Couſtitutionum harum formam; pro quibus Commiſſionibus ritè conficiendis, habeatur ſeorſum formularium, ad cujus formam in eodem præſcriptam pro cujuſcumque, & ſingulorum officiorum qualitate, ſive publicorum, ſive privatorum, fiaot dictæ Patentes, aut Commiſſiones: uec ultra formam præſcriptam facultas aliqua ſpecialis tribuatnr alicui, niſi de mandato ſpeciali Capituli, & ex cauſa legitima, ut ſupra, formulaque renonciationis in calce harum Conſtitutiouum pouatur.

§. 9. Commiſſiones prædictæ Actuario Capituli conſignentur, qui juxta diſtributionem Officiorum in Capitulo Diffinitoriali factam, perſonarum, quibus collata ſunt officia, & Monaſteriorum nomina iu ipſis apponat, eaſque per Abbatem Generalem ſubſcribi faciat; quæ poſtquam ſubſcriptæ fuerint, regiſtrentur, nota in eis appoſita foliorom ipſorum regiſtri, & ſigillatori cooſignentur, ut majoris ſigilli impreſſione muniantur, & ſic munitæ ab eodem Abbate Generali gratis ſcriptæ conſignentur, ut iufra.

§. 10. Quòd ſi facta prædictorum Officialium publicatione remanſerit ali-

quod Monaſterium obligatum in ſumma aliqua ſolvenda pro oneribus, & taxis conſuetis præteriti triennii; In tali caſu Actuarius habita nota prædicti Monaſterii per Depoſitarium Quarterii, non ſignet, neque deſcribat in literis patentibus nomen Officialis electi pro tali Monaſterio obligato, ſed reijciat quouſque per eundem electum fuerit prædicta ſumma integrè ſoluta. Idem ſimiliter fiat in caſu non ſolutionis taxæ debitæ Abbati Generali: Prima tamen vice electus habeat tempus duorum menſium ad ſolvendas taxas, de quibus ſupra. Quòd ſi in ſolutione ultra dictum terminum fuerit contumax, pœnam privationis ipſo facto incurrat.

§. 11. In ipſarum literarum expeditione pro forma, regiſtro, ſigillo, & conſignatione nihil omnino perſolvere Officiales teneantur, neque Firmatores, Regiſtratores, vel Signantes tale aliquid exigere audeant. Contrafacientes, tam dantes, quàm recipientes, ad ipſius Diffinitorialis Capituli arbitrium, pœnam ſuſtineant gravioris culpæ.

§. 12. Has ergo patentes literas ſic munitas, firmatas, & regiſtratas, Actuarius Capituli Abbati Generali conſignet in eodem Diffinitoriali Capitulo, qui eas ſigillatim ſingulis diſtribuat: Primò Patribus Diffinitorialibus; Deinde aliis, tam Abbatibus, quàm Prioribus coram iiſdem Patribus; horteturque ſingulos eorum, ut juxta commiſſa ſibi officia benè, & fideliter ſe gerant, tanquam Chriſto Domino de ſibi commiſſis, & creditis, rationem reddituri. Patentes verò pro Rectoribus, ſeu Vicariis Monaſteriorum, Granceriorum, conſignet Abbatibus eorum Monaſteriorum, quibus dicta Granceria fuerint unita.

Caput XIII.

De quinta die Capituli Generalis.

§. 1. Feria ſecunda fiat diſtributio Subditorum, & Familiarum deputatio pro ſingulis Monaſteriis, & locis noſtræ Congregationis. Pro deputatione autem Monachorum in unoquoque Monaſterio ritè facienda. Primò conſiderentur facultates locorum, deinde ordinariæ reparationes, emergentes neceſſitates, & indigentiæ pro victu, & veſtitu, necnon communia ſervitia pretio comparanda; deinde communia, & particularia ipſorum locorum onera, & gravamina: fiatque de his omnibus ſupputatio, ut inde appareat quota pars facultatum pro ſupradictarum rerum impenſa veniat applicanda, & quota remaneat. Juxta ergo remanentis partis quantitatem, numerus perſonarum, & familiarum in Monaſteriis ſingulis conſtituatur, & deputetur ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini.

§. 2. Attendantur etiam in Familiarum deputatione, Subditorum qualitates, conſiderentque Patres Eccleſiarum onera, populorum qualitates, devotionem, & frequentiam; & tales in Monaſteriis perſonas collocent, quæ prodeſſe poſſint, & ædificent; ſtatuantque Patres prædicti, ut ubi cura imminet animarum, de idoneis Confeſſariis, Rectoribus, & Curatoribus provideatur, juxta ſacrorum Canonum, & ſacri Concilii diſpoſitionem.

§. 3. De hujuſmodi diſtributione familiarum, ac perſonarum, in unoquoque Monaſterio, vel loco diſpoſitarum fiat per Actuarium Capituli Regiſtrum, & nota inter acta Capituli conſervanda, numero, nominibuſque ſigillatim appoſitis Monachorum deputatorum pro unoquoque Monaſterio.

§. 4. Abſolutis iis, quæ ad noſtræ Congregationis, Monaſteriorumque regimen faciunt, tam circa electiones Prælatorum, & Officialium, quàm circa Subditorum, Familiarumque diſtributionem, reliquum eſt, ut alia Congregationis, & Monaſteriorum negotia, & cauſæ, tam in genere, quàm in ſpecie occurrentia, pertractentur.

§. 5. Idcirco feria tertia, & ulterius, ſi opus fuerit, Abbas Generalis, cæterique Diffinitoriales Patres de more conveniant in Diffinitorium pro temporis opportunitate, & quaſcumque ad ipſum Capitulum tranſmiſſas literas, vel ſcripturas, nunciosque audiant; ut de contentis in eis, & narratis ſimul per ordinem tractent, & provideant, prout opus fuerit.

Primò tractent de admittendis ad habitum, & profeſſionem, & de promovendis ad ordines; attendentes ſummopere, ut admittantur ad habitum Novitii in quolibet Quarterio, juxta numerum deficientium per mortem, aut quomodolibet, quorum numerum apud ſe habeant, ex matricula notatum, & nonniſi præhabita approbatione à Capitulo Monaſterii illius Civitatis, Diœceſis, aut Provinciæ, ubi iidem recipiendi morantur, & niſi plenè conſtiterit de eorum requiſitis, prout ſupra dictum eſt de qualitatibus recipiendorum ad habitum

bitum. Et ſimiliter idem ſervent de admittendis ad profeſſionem, & de promovendis ad ordines: Pro quibus ſic admittendis licentiam in ſcriptis tribuant, & conſignent, aut conſignari faciant Præſidentibus locorum, ubi admittendi, aut promovendi commorantur.

Admiſſorum autem ad habitum, & profeſſionem ætas, & tempus adnotetur in matricula, & inter acta Capituli; ut ex eadem matricula, quæ ſervari debet in depoſito Abbatiæ ſancti Spiritus, aut etiam eorum Monaſteriorum, ubi admittuntur, & promoventur monachi prædicti, admittendorum, & promovendorum ætas requiri poſſit, & inde inſpici, an profiteri, & promoveri valeant ad dictos Ordines.

§. 6. Circa petitiones, quæ fieri conſueverunt pro participatione ſuffragiorum, & pro literis familiaritatis amicis, & benefactoribus concedi ſolitis, attendant petentium conditionem, & meritum; & ſic per Capitulum, aut etiam infra triennium per Abbatem Generalem concedantur, prout res poſtulat; Quorum nomen ſimiliter deſcribatur in matricula ſimiliter ſervanda.

§. 7. Inquirant inſuper de fugitivis, rebellibus, & Apoſtatis, ſi qui fuerint: & quos Viſitatores, quorum intereſt, tales pronunciaverint, Abbas Generalis cum ceteris Patribus Diffinitorialibus excommunicatos declaret, & pro excommunicatis haberi mandet in ſingulis Monaſteriis, & locis, & ut tales vitentur in dictis locis ubi conſiſtunt: Quorum abſolutio reſervata ſit Capitulo Generali, vel Annali, ſive etiam Abbati Generali.

§. 8. In eandem excommunicationis pœnam incidiſſe declarentur illi, qui aliàs cum licentia obtenta commorati ſunt extra clauſtra, & obedientiam; ſed in præſcripto tempore non ſunt reverſi; Quorum abſolutio ſpectet ad Abbatem Generalem.

Eos vero fugitivos, & Apoſtatas, qui ad clauſtra pœnitentes redierunt, Apoſtatis quidem habitum reſtituant, ſed eos ad officia omnia, & ad omnes actus legitimos perpetuò inhabiles, & ad locum ultimum poſt profeſſos deputent, etiam ſi alias pœnas corporales inſtituerint condignas ab Abbate Generali eiſdem inflictas in eorundem reditu.

Fugitivos verò ad clauſtra ſimiliter reverſos, qui habitum non abjecerunt, inhabiles ad officia per tres annos declarent, & ad actus omnes legitimos per tres menſes a die reditus eorum, etiamſi aliàs ab Abbate Generali, cùm redierunt, corporali pœna fuerint condignè puniti. Cum his verò caveant diſpenſare, niſi condignè eos pœnituerit & indubiam omnibus emendationis ſpem præbuerint. Cum apoſtatis autem nullatenus quoad dictas pœnas diſpenſare præſumant. In reliquis quoad fugitivos Apoſtatas ejectos, ſive eijciendos, ſerventur decreta ſacræ Congregationis Concilii nuper edita juſſu S. D. N. Urbani Papæ VIII. ſub datum Romæ die 21. Septembris MDCXXIV.

§. 9. De fabricis majoris momenti conſilium inter ſe ineant Patres: & ſi de commodo, & utilitate, & neceſſitate conſtiterit, habita prius de modo ipſarum ratione, & informatione, & de pecuniarum ſumma, pro fabricarum hujuſmodi opere licentiam impendant, attendantque, ne quid ad luxum, aut ſuperfluitatem in fabricis permittant, nevè ultra Monaſteriorum vires magnas, aut non neceſſarias fieri ſinant. Et quæ de fabricis ſupra decreta ſunt, obſervari mandent.

§. 10. De locationibus inſuper ultra triennium, permutationibus, aut venditionibus forſan faciendis tractent, vocatis, & auditis iis Officialibus, qui inſtant, petuntque ſuper his facultatem: ſuper quibus maturè, & diligenter inquirant, an conferant, & in evidentem Monaſteriorum utilitatem cedant, & ſi de utilitate conſtiterit, aſſenſum in forma præbeant, inſtrumenta fieri mandent, & aliàs fortè confecta in caſibus, & cum reſervationibus, de quibus ſupra, ſignent, & firment cum debitis ſubſcriptionibus, prout de jure, ſervatiſque ſervandis ad unguem in his omnibus, quæ ſuperius de locationibus, & permutationibus decreta fuerunt in cap. 18. lib. 1. §. 20.

§. 11. Litium etiam jura movendarum, aut aliàs motarum, de conſilio Peritorum, prout opus fuerit, pertractent, & diutius examinent: & ubi conſtiterit de bono jure Monaſteriorum noſtrorum, habitaque maturiori deliberatione, committant, & mandent Officialibus, & Procuratoribus, ut eas aggrediantur, aut proſequantur, eo loco, ac tempore, cùm & ubi utilius movendæ videbuntur: ſuper hoc licentia in ſcriptis data. Cœptarum etiam, ſive motarum merita inter ſe, & de conſilio Peritorum tractent, & de proſequutione, vel determinatione, aut concordia, & tranſactione, prout expediens magis fuerit, deliberent, ſervatis de jure ſervandis.

§. 12. Inter alia verò præcipua conſideratio à Patribus Diffinitorialibus circa ſtudia habeatur, ut ſcilicet in locis deputatis neque Lectores, neque lectiones deſint pro ſtudentium eruditione, & capacitate. Idcircò deſignent, deputentque Lectores pro ſtudiorum proviſione in ſingulis Quarteriis; Licentiatos in Philoſophia, & Theologia, idoneoſque, prout ſupra de ſtudiis decretum fuit. Quibus tam de victu opportuno, quàm veſtitu abundè per Abbates provideri curent, & ſeriò mandent, ut nulla rei perturbatione, vel defectu à proprio munere interpellentur vel diſtrahantur.

§. 13. Inſuper in omnibus locis, quæ per Abbatem reguntur, provideatur de Lectore ſacræ Scripturæ, vel conſcientiæ caſuum, juxta ſacri Concilii Tridentini decreta, qui per hebdomadam bis ſaltem, aut Scripturam ſacram, aut conſcientiæ caſus explanet. Demum notam habeant apud ſe eorum, qui noviter ad ſtudia fuerint tranſmittendi, aut ad ſuperiores facultates provehendi; ut eos in claſſes has, aut illas deſignent, juxta ſtudentium prædictorum capacitatem, & ad illas facultates diſtribuant,& deputent eos, tranſmittantque ad ſtudia deputata in propriis quarteriis, ſi fieri omnino poſſit.

§. 14. Bibliothecas item neceſſarias in iiſdem ſtudiis, aut Monaſteriis inſtruant, & opportunis, approbatiſque libris reſtaurent, & locupletent; & talibus, aliiſque Lectorum, ac ſtudentium neceſſitatibus providè, & paternè omni ſollicitudine conſulatur, non ſolùm de peculiaribus Monaſteriorum, ubi ſtudia vigent, facultatibus, ſed etiam de communi ære.

§. 15. Cauſas omnes ad ipſum Generale Capitulum quomodolibet relatas, aut ipſius deliberationi, ac terminationi reſervatas, omneſque alias olim cœptas, & non terminatas, ac etiam novas, & tunc incœptas, ſed non cognitas, in ipſo Capitulo Patres communi terminent voto, ſervatis de jure ſervandis, juxta ſtilum Congregationis, & adhibito (ſi opus fuerit) ſapientum conſilio, caveantque ne cauſæ diutius protrahantur. Decreta verò in ipſarum terminatione cauſarum facta, inter acta Capituli deſcribantur, ac eorum executio (ſi opus fuerit) committatur. Quæ verò in ipſo Capitulo terminari non poterunt, committantur infra præfigendum, ac tunc exprimendum ab eis terminum expediendæ.

§. 16. Poſt hæc exhibeantur, ut dicitur, Memorialia, juſtitiam, vel gratiam in reliquis concernentia, & ſi quæ vertunt differentiæ, aut petitiones offeruntur, tam pro Monachis, quàm pro laicis, eas audiant, ac ex juſtitia ſummariè terminent. In primis verò porrectas de non traditis veſtimentis ſubditis reclamationes, omni qua decet, audiant charitate, ac debitores realiter, & perſonaliter ad ſatisfactionem cogant, omni mora poſtpoſita; & nihilominus pro modo culpæ juxta harum Conſtitutionum edicta, corrigant, & caſtigent. Quòd ſi fortè in ipſo Capitulo ad ipſa officia electi fuerint, eorum electio nulla ſit, & per triennium ſequens officiis omnibus privati exiſtant.

§. 17. Hujuſmodi autem Memorialia Capitulo exhibenda, conſignentur Viſitatoribus modernis, qui ſi eorum aliqua judicaverint non admittenda, rejiciant, neque Capitulo exhibeant; ſed pro lectis habeantur, & vacuis omni gratia, aut effectu. In concernentibus autem gratiam, ſi quas fortè remittendas eſſe pœnas, aut prorogandas, aut concedendas res, vel denegandas, vel habilitandas perſonas, aut item de gradu tollendas ex cauſa rationabili judicaverint, remittant, prorogent, concedant, denegent, & habilitent, ac de gradu tollant reſpectivè: hac tamen habita conſideratione, ut nullum inde ſequatur incommodum, & inconveniens, nulla fiat illis injuria, nullaque præbeatur iterum delinquendi, aut conceſſis abutendi, aut contra jurium, & Conſtitutionum diſpoſitionem patrandi occaſio; ſed ſalva remaneat, & incorrupta regularis vitæ diſciplina, & honeſtarum, ac laudabilium actionum exemplum, & jurium ſancita ſerventur.

§. 18. Peractis, expletiſque præmiſſis, aliiſque forſan occurrentibus cauſis, vel negotiis, exhibeantur litteræ ipſi Capitulo directæ, quibus lectis conſiderentur in eis contenta, & prout expediens fuerit reſpondendum committant, aut Abbati Generali, ſive Actuario pro parte ipſorum; & ſucceſſivè cauſarum commiſſiones, & ſcripturas aliàs per ipſos decretas fieri mandent, quæ antequam ſignentur, per Reviſorem revideantur, prout ſupra de litteris patentibus eſt ordinatum.

§. 19. Poſtremò tractetur in ipſo Capitulo de Reformatione morum; & Deum in primis præ oculis habentes, ac Regulæ inſtituta, juriumque in Regularibus diſpoſitionem attendentes, ea ſtatuant, mandent, & decernant, quæ Deo optimo maximo placita ſint, & proximum ædificent, quævè ad ipſius Congregationis augmentum, & conſervatio-

tionem Regulæ, Statutorum obſervantiam, & indemnitatem, ac divinum in primis cultum facere, & ſpectare dignoſcentur, & quæ in præmiſſis opportuna, & neceſſaria eſſe videbuntur: caveantque ne in reformatione hujuſmodi à Patrum ſemitis devient, aut à via veritatis aberrent, aut quod ſtatuunt non ſit contra Deum, & B. Benedicti Regulam, & Canonica Inſtituta. Si item honeſtum, juſtum, poſſibile, ſecundùm naturam, & conſuetudinem Patriæ, loco, & tempori conveniens, neceſſarium, utile, manifeſtum, & pro communi utilitate ſtatutum, quod duxerint terminandum: ſcientes quod de his, & commiſſo ſibi grege in extremo judicio ſunt Chriſto Domino rationem reddituri.

Statuta verò per ipſos Diffinitoriales Patres, pro reformatione, aut aliàs facienda, niſi per Capitulum Generale comprobata fuerint, non obligent; comprobata verò ab omnibus obſerventur ſub pœnis in eis comminatis, & contentis: nullusque ipſa immutare, aut etiam moderari, aut addere, vel detrahere poſſit, & audeat.

§. 20. Die immediatè ſequenti poſt prædictorum executionem, de mane conveniant omnes, qui in ipſo Generali Capitulo interfuerunt: & cantata Miſſa de ſancto Petro Cœleſtino, legantur, & publicentur quæcumque diſfinita ſunt in Capitulo Generali, & in ipſo Diffinitorio, ut ſic ad ſingulorum notitiam deducantur. Poſt quorum publicationem cantetur: Te Deum Laudamus, &c. cum oratione ſanctiſſimæ Trinitatis, & cum oratione gratiarum actionis, & pro iter agentibus. Poſt quæ Abbas Generalis omnibus benedicat, & licentiam concedat illis, ut ſinguli ad ſingula ſua loca, & Monaſteria (ad quæ tam Priores, quàm Superiores, & Conventuales Monachi deſtinati fuerint) revertantur, niſi fortè Abbas Generalis cum Patribus Diffinitorialibus, aliqua neceſſitate, vel utilitate urgenti motus, voluerit dictum Capitulum prorogare.

Caput XIV.

De oneribus, & taxis ſolvendis.

§. 1. Onera verò communia ipſius Congregationis in annua pecuniarum ſolutione ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, ac Reverendæ Cameræ tam pro quarta fructuum, & Papali cenſu, quàm aliàs; nec non ejuſdem Congregationis creditoribus pro cenſibus, & fructibus, aut ſimiliter aliàs; ac etiam Procuratoribus, & Advocatis pro ſalario, & ſtipendio, & pro litibus, & cauſis, atque diverſis, & paſſim occurrentibus dictæ Congregationis gravaminibus, & indigentiis, aliiſque in tempore occurrentibus debitis ſingulis annis faciendis; in eodem Capitulo, & ſingulis aliis pro tempore celebrandis, per eoſdemmet Abbatem Generalem, Coabbates, Viſitatores, & Diffinitores una cum Priore Abbatiæ, & Generali Procuratore conjunctim, & non diviſim in Diffinitoriali Congregatione imponantur, ac juxta debitorum, gravaminumque prædictorum quantitatem ipſius Congregationis Monaſteriis, & locis, habita de ipſorum redditibus, facultatibusque ratione, onera hujuſmodi perſolvenda pro rata ſingulis imponant, & diſtribuant.

§. 2. Et ut ob ſolutionis dictorum moram, prædicta Congregatio damnum aliquod, expenſas, & intereſſe minimè patiatur, & nihilominus Officiales, abſque Monaſteriorum incommodo, & bonorum jactura onera hujuſmodi perſolvere valeant; eis tempus trinæ ſolutionis ſtatuant, ſingulis annis pro oneribus præfatis ſolvendis: Primæ quidem in medietate Septembris, ſecundæ in medietate Januarii, tertiæ verò in medietate Maji proximè ſequentis: ita ut trina ſolutione hujuſmodi omnes omnia dictæ Congregationis onera integraliter perſolvant, & ſatisfaciant, in dictis menſibus, & terminis pro rata, tertiam ſingulis vicibus dictorum onerum partem in manibus Depoſitariorum (per præfatos Diffinitoriales Capituli Patres in eorum Generali Capitulo deputandorum) abſque mora, & temporis intervallo, libere, & integraliter, & cum effectu, ac in pecunia numerata juſti ponderis, & valoris, unà cum taxis, & ſubſidiis in Congregatione imponi eoſuetis.

§. 3. Exactam prædictis temporibus infra triennium pecuniarum ſummam, prædicti Depoſitarii ſtatim transmittans in manibus Procuratoris Generalis in Romana Curia, quam receptam abſque mora diſpenſet pro prædictæ Congregationis debitis, gravaminibus, neceſſitatibus, & ſtipendiis, juxta modum, & terminum à Patribus Diffinitorialibus ſibi præfixum in Capitulo Generali.

§. 4. Contra non ſolventes, aut retardantes debitam, & integram pecuniarum ſolvendarum ſummam, ita procedi mandamus. Cùm primum Abbas, Prior, aut Vicarius Grancerius primam tertiam partem, aut aliam non ſolverit ſtatu-

ſtatuto tempore, tunc Depoſitarius Quarterii teneatur ſignificare defectum prædictum ſolutionis Procuratori Generali in Romana Curia, cui liceat accipere, ut dicitur, ad intereſſe contra Monaſterium, quod ſolvere defecerit. Quod ſi idem ſecundo defecerit, nec ſolverit ſecundam tertiam partem, idem ſimiliter contra eum fiat: tunc ipſo facto irremiſſibiliter privatus exiſtat, & nihilominus ſolvere cogatur. Depoſitarii verò ſi exactam pecuniam transmittere diſtulerint, & Procurator Generalis receptam pecuniam ſi in alios uſus, quam prædictos convertere præſumpſerit, ſimiliter Officio, quod obtinent, priventur.

§. 5. Tempore autem Generalis Capituli ſolutio, quæ tunc ultimò debetur, in eodem Generali Capitulo fieri debeat in manibus eorundem Depoſitariorum, qui ante quamcumque Officialium electionem, & antequam aliquid in ipſo Capitulo peragatur, tertiam ipſam tunc currentem impoſitorum onerum partem integram, & totalem, reſiduumque totum aliarum ſolutionum, ſi quod remanſerit, à quibuſcumque ipſius Congregationis Officialibus exigere teneantur; ita ut eo tempore omnes omnem ſibi tangentem dictorum onerum partem, à die impoſitionis ipſorum in manibus præfatorum Depoſitariorum integrè, & cum effectu ſatisfeciſſe, ac perſolviſſe debeant.

§. 6. Ne autem propter defectum ſolutionis hujuſmodi damnum aliquod, vel intereſſe Congregationi eveniat, quicumque eo tempore in præfatis defecerint, & vel in toto, vel in parte debitæ per eos ſummæ ſolutionem facere neglexerint, vel recuſaverint, aut quovis modo diſtulerint, juxta ſuperiùs enarrata, in ipſo Generali Capitulo, activa, & paſſiva voce privati exiſtant: ita ut neque pro eis, neque pro aliis vota ipſorum recipi poſſint. Ideoque præfati Depoſitarii notam eorum, qui in toto, vel in alia parte à prædicta ſolutione defecerunt, in prima Congregatione, cùm Patres ad legitimanda vota conveniant, Capitulo præſentent, ſecundùm quam in præfata legitimatione Patres Diffinitoriales illos rejiciant.

§. 7. Cum verò Monaſteria, ſolutionibus præfatis deficientibus, in ſumma tunc debita, vel reſidua, obnoxia, & obligata remaneant; ſi Officiales, qui à dictis ſolutionibus defecerunt, non fuerint ſolvendo, Prælati ipſorum Monaſteriorum in ipſo Capitulo electi dictam ſummam tertiam, videlicet prædictam, ac reſiduum, ſi quod remanſerit ſolvendum, quodcumque ſolutionum præteritarum tunc, vel infra duos menſes ad ſummum, ſub pœna privationis ipſo facto incurrenda ſolvere teneantur.

§. 8. Pecunias autem in ipſo Generali Capitulo (ut præfertur) ſolvendas, tam ipſi Depoſitarii, quàm Actuarius, Patribus Diffinitorialibus conſignare teneantur; qui de eis juxta Congregationis neceſſitatem, & indigentiam diſponant, eos Procuratori Generali (ſi quæ tunc extant debita Romæ perſolvenda) aſſignantes, aut aliàs diſponentes, prout melius, & utilius eſſe judicabunt.

§. 9. In hujuſmodi pecuniarum diſtributione diligentiùs attendant Patres Diffinitoriales, ne ærarium, ſeu depoſitum (ut dicitur) vacuum, & inane reddatur; ſed ſemper ipſarum pecuniarum pars, cum aliis utcumque Congregationi, aut Monaſteriis, & perſonis provenientibus in eo conſervetur, ac de anno in annum augeatur, quoad fieri poterit, ad hoc, ut quandocumque occurrerit ſolutionem aliquam extraordinariam facere, in promptu ſit.

§. 10. Præterea triennales in ipſo Capitulo compoſitiones, hac ratione fiant, ut aliquid ſuperſit pro depoſito præfato, juxta Monaſteriorum, & Congregationis facultates; & de quota parte in ipſo ærario remanente, nulla prorſus fieri poſſit, neque per Abbatem Generalem, neque per Capitulum aſſignatio, niſi pro ſervitio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, aut communi, & evidenti, ac neceſſario Congregationis beneficio, vel commodo: quæ ſi extra Capituli Annalis, vel Generalis tempus facienda occurrit, cum expreſſo etiam ipſorum Diffinitorialium Patrum conſenſu per literas exprimendo, ac dando, fieri debeat, & non aliter, nec alio modo.

§. 11. Inſuper ipſi Patres Diffinitoriales in ipſo Capitulo congregati, non modò in pecuniæ prædictæ compoſitione, modum, & menſuram, juxta Congregationis neceſſitates, & gravamen, ſeu onera præfigant, & imponant, ſed etiam curam, & rationem habeant quarumcumve pecuniarum, undequaque, & qualitercumque Monaſteriis dictæ noſtræ Congregationis, eorum perſonis provenientium, ſive paterno, ſive alio quocumque jure hæreditario, aut jure legati, vel donationis, aut aliàs ex eleemoſynis, & piis cauſis, aut quovis alio juſto, & licito modo.

§. 12.

§. 12. Tum etiam ſuperantis portionis redditaum ipſorum Monaſteriorum, ac etiam depoſitarum pecuniarum applicationis, & diſtributionis modum ſibi ſervent, cæteris Officialibus dictarum pecuniarum, & ſuperantis portionis uſum, aut diſtributionem interdicentes. Quam dictam portionem, & pecuniarum ſummam dicti Patres Diffinitoriales diſtribuant, & diſpenſent, diſtribui, & diſpenſari mandent, & procurent pro Monaſteriorum indigentiis, reparationibus, melioramentis, fabricis neceſſariis, tollendiſque alieni æris gravaminibus, aut poſſeſſionibus, & armentorum gregibus emendis, pro cultura terrarum ipſorum Monaſteriorum in illis locis, ubi ſperari evidens utilitas poteſt, ſeu paſcuorum magna ſuppetit copia.

§. 13. Ut autem dictæ pecuniæ ſuperabundantes diſtrahi nequeant, ſeu inutiliter profundi, aut in alios uſus converti; a Monaſteriis, ubi ſuperabundant, annis ſingulis per Depoſitarium Quarterii exigantur: qui dictas pecunias ſibi aſſignatas ad depoſitum generale proprii Quarterii deferat, aut deferri faciat, in quo dictæ pecuniæ conſerventur in arca, ad hoc ſpecialiter accommodata ſub tribus clavibus; quarum una teneat idem Depoſitarius, alteram Abbas Monaſterii, alteram Diffinitor propinquior, quouſque per Capitulum Diffinitoriale fuerit earundem pecuniarum diſtributio decreta.

§. 14. De pecuniis verò prædictis perceptis, aut percipiendis ob onera, & præfatas neceſſitates, tam in Capitulo Generali, quàm Annali, exactiſſima ratio requiratur; teneanturque tam ipſi Depoſitarii, quàm Generalis Procurator, & alii, quorum intereſt, de receptis, & expenſis ipſi Capitulo rationem reddere: in quo illa tantum de introitu, & exitu annotata admittantur, quorum ſolutiones aliàs per idemmet Diffinitoriale Capitulum commiſſæ fuerint. Quòd ſi ipſi in proprios, vel aliòs, & maximè non neceſſarios, & inutiles uſus (quod abſit) converterint, & applicaverint, vel propria negligentia deperdiderint, perpetuò activa, & paſſiva voce privati exiſtant.

In Monaſteriis, quæ ſolvere tenentur quindennia, vel hujuſmodi onera, ſingulis annis reſervetur rata pecuniarum ipſius quindennii, & deponatur apud Montem Pietatis, ita ut quinto decimo anno ſit ex ſingulis annuis ratis tota ſumma collecta, eademque ſolvatur: & de hujuſmodi annuo depoſito per Viſitatorem, tempore Viſitationis inquiratur, & literæ teſtimoniales per Prælatum Monaſterii ad Capitulum Generale deferantur, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in eodem Capitulo, eo ipſo in caſu contraventionis incurrenda.

§. 15. Inter alia verò Monaſteriorum onera tempore Capituli taxæ Abbati Generali noviter electo perſolvendæ ſunt; quæ ſicuti in minima quantitate conſiſtunt, cùm tunc eis prædictus Abbas Generalis maximè opus habeat, ut poſſit ſibi pro commiſſo dignitatis munere, & officii executione de his, quibus opus habet, providere; ita abſque mora, vel renitentia omnes in Capitulo electi Officiales, quibus pro Monaſteriis ſibi commiſſis cura incumbit, taxas prædictas ſolvere teneantur, binas videlicet cum dimidia. Ipſarum verò exigendarum provinciam ſuſcipiat is, cui ſigilla tempore Capituli committuntur pro ſigillandis literis patentibus, qui quidem literas prædictas, ut dictum eſt ſupra, nullo modo ſigillet, niſi prius his taxis ſolutis. Si qui verò abſentes ad aliquorum Monaſteriorum regimen electi fuerint, ſi quidem fuerint Abbates, aut Priores, Generales Viſitatores pro eis taxas prædictas ſolvere teneantur. Si autem Vicarii Grancerii, principales Abbates, ſive Priores eorum Monaſteriorum, quibus unita fuerint loca prædictorum Vicariorum, pro eiſdem ſolvant, ab eiſdem tamen Abbatibus, Prioribus, & Vicariis infra duos menſes recuperandas

Taxa verò pro Abbate Generali a Monaſteriis exigenda, eſt iſta; pro qua ita ſingula noſtræ Congregationis Monaſteria, & loca, ſecundum modum qui ſequitur, ſolvant.

Monaſterium Sanctæ Mariæ de Collemadio ſolvat	tar. 30
Monaſterium S. Euſebii de Urbe ſolvat	tar. 5
Monaſterium S. Angeli de Celano ſolvat	tar. 10
Monaſterium S. Mariæ Meiulanæ extra Coropolum ſolvat	tar. 10
Monaſterium S. Honuphrii de Camplo ſolvat	tar. 10
Monaſterium S. Mariæ Civitellæ Civitatis Theatinæ ſolvat	tar. 6
Monaſterium S. Spiritus de Magella ſolvat	tar. 5
Monaſterium S. Spiritus de Anxiano ſolvat.	tar. 5

Monaſterium S. Mariæ de Anglone ſolvat tar. 7
Monaſterium S. Petri ad Magellam de Neapoli ſolvat tar. 20
Monaſterium S. Catharinæ de Terranova ſolvat tar. 26
Monaſterium S. Gregorii de Novo ſolvat tar. 16
Monaſterium S. Jacobi de Salerno ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Petri de Averſa ſolvat tar. 8
Monaſterium S. Mariæ de Caſaluccio ſolvat tar. 8
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Jeſualdo ſolvat tar. 10
Monaſterium S. Mariæ de Capua ſolvat tar. 8
Monaſterium S. Bartholomæi de Luceria ſolvat tar. 15
Monaſterium Sanctiſſ. Trinitatis de ſancto Severo ſolvat tar. 15
Monaſterium S. Crucis de Licio ſolvat tar. 20
Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ de Uria ſolvat tar. 7
Monaſterium Sanctiſſ. Trinitatis de Barulo ſolvat tar. 12
Monaſterium S. Benedicti de monte Gargano ſolvat tar. 12
Monaſterium S. Benedicti de Nurſia ſolvat tar. 15
Monaſterium S. Michaelis Vicedominorum de Florentia ſolvat tar. 15
Monaſterium Sanctiſſ. Trinitatis de Faventia ſolvat tar. 16
Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ de Bononia ſolvat tar. 18
Monaſterium S. Chriſtophori de Mantua ſolvat tar. 11
Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Mediolano ſolvat tar. 11
Monaſterium S. Nicolai de Bergomo ſolvat tar. 22
Monaſterium S. Stephani de Bononia ſolvat tar. 18
Monaſterium S. Michaelis, & Aſcenſionis de Napoli ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Hieronymi de Cenſena ſolvat tar. 14
Monaſterium S. Aſſumptionis de Magenta ſolvat tar. 11
Monaſterium S. Mariæ de Cripta de Vitulano ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Diano ſolvat tar. 10
Monaſterium S. Jacobi de Marſico ſolvat tar. 10
Monaſterium S. Mariæ ad Martyres de Tarento ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Collenifio ſolvat tar. 7
Monaſterium S. Nicolai de Arimino ſolvat tar. 12
Monaſterium S. Salvatoris Civitatis Pennarum ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Iſernia ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Spiritus de Ortona ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Turri ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Catharinæ de Benevento ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Murcone ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Mariæ de Aliſio ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Viti de Bario ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Mariæ de Meſapia ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Urbino ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Deſiderii de Brixia ſolvat tar. 17
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Como ſolvat tar. 11
Monaſterium S. Martini de Boiano ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Trivento ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Petri de Aritia ſolvat tar. 7
Monaſterium S. Petri de Saltaria ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Petri de Sora ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Petri de Supino ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Leonardi de Scurcula ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Antonii de Florentino ſolvat tar. 10
Monaſterium S. Spiritus de Buclano ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Liberatæ de Palena ſolvat tar. 3
Monaſterium S. Mariæ Splendoris de Julia nova ſolvat tar. 2
Monaſterium S. Petri de Adria ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Crucis de Rocca Montis Plani ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Georgii de Rocca Mauritii ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Spiritus de Atiſſa ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Petri de Guardia Greli ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Mariæ de Lama ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Joan. Baptiſtæ de Gipſo ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Petri de Venafro ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Catharinæ de Nicotera ſolvat tar. 6

Mona-

Monaſterium S. Petri de Ebulo ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Senis ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Catharinæ de Thano ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ, & ſancti Angeli Rupis Caninæ tar. 4
Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Molfetta ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Archangeli de Brunduſio ſolvat tar. 2
Monaſterium S. Angeli de Alcſſano ſolvat tar. 3
Monaſterium S. Petri de Ugento ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Eligii de Barulo ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Trano ſolvat tar. 2
Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Limoſano ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Partu de Monopoli ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Petri de Petrella ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Petri de Veſtis ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Petri de Montorio ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Roberti de Murrone ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Petri de Manfredonia ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Spiritus de Vaſto ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Angeli de Termulis ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Antonii extra ſanctum Joannem in Marignano ſolvat tar. 9
Monaſterium S. Blaſii de Eugubio ſolvat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Monte Florum ſolvat tar. 4
Monaſterium S, Antonii extra forum Semptonis ſolvat tar. 4
Monaſterium S. Mariæ Annnnciatæ de Caſſia ſolvat tar. 8
Monaſterium S. Mariæ de Pilaſtro ſolvat tar. 3
Monaſterium S. Mariæ de Sarca extra Tridentum ſolvat tar. 6
Monaſterium S. Hieronymi de Saechetta ſolvat tar. 6

Monaſteria Galliæ ſolvant ſimul, & in totum pro prædicta Abbatis Generalis taxa, ſcuta anri in auro viginti, in ſignum ſubjectionis Abbatiæ ſancti Spiritus. Parochialis Eccleſia S. Mariæ in poſterulis de Urbe cum Collegio in ea erecto.

Caput XV.

De diverſis Officiis Congregationis.

Diverſi & multi habentur in Congregatione pro conſervando ordine, & tranquillitate Officiales, videlicet Abbas Generalis, Coabbates, Vicarius Generalis, Viſitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis, Abbates, Priores, Vicarii, Depoſitarii, Viſitatores monialium, & ſingulorum præſcriptorum Officialium poteſtatem, & facultatem quomodolibet eis competentem, declarandam eſſe decrevimus.

§. 1. Abbas Generalis, qui præeſt Abbatiæ S. Spiritus, ſicut omnia Congregationis Monaſteria eidem Abbatiæ ſubduntur, ut membra, eique incorporata ſunt, & quæ de novo in poſterum ſunt erigenda, eidem juxta formam literarum ſancti Petri Cœleſtini, & antiquarum Conſtitutionum, unienda ſunt: Ita omnibus Monaſteriis, locis, & membris ipſius Congregationis, in quibus Monachi, ſeu Regulares perſonæ, ſecundùm Inſtituta ejusdem Religionis viventes, degere dignoſcuntur, tanquam Pater præeſſe debet ipſamque Abbatiam, ejusque membra tam unita, quàm in poſterum unienda, ut ſupra, in ſpiritualibus, & temporalibus regere; Præpoſitum, ſeu Priorem, quem maluerit, in dicta Abbatia deputare: Diffinitoriali Capitulo præeſſe, ac in omnibus, & ſingulis in ipſo tractandis, ordinandis, terminandis, ſtatuendis, faciendis rebus, canſis, & negotiis primum votum dare: Monachos de loco ad locum transmittere: contra eos, ſi opus fuerit, excommunicationis ſententiam proferre, eosque in caſibus ſibi permiſſis, abſolvere, atque alia facere, quæ ſibi de jure, & ex privilegiis competunt: In eligendis Officialibus Congregationis, & aliis actionibus Capitularibus, bina habere vota: Abbates, & Priores proponere: In Capitulis Generalibus, & Annalibus ubicumque convocatis, & convocandis, tanquam caput præeſſe: vitam, & mores quotumcumque, adminiſtrationesque bonorum temporalium cum Viſitatoribus Generalibus viſitare, & in omnibus Monaſteriorum regimen concernentibus invigilare, ut omnia ritè & rectè dirigantur: Officiales à propriis officiis, ſi qua eorum exigant demerita, ac juris ordine ſervato, ſuſpendere atque etiam privare, eorumque loco alios ſubrogare, canſas audire, examinare, & terminare, vel componere: pœnas, & pœnitentias ra-

tionabiliter, & ex cauſa (cùm opus fuerit) moderari, ac Monachis ad majores ordines ſuſcipiendos, cùm habiles fuerint, & in ætate legitima conſtituti, licentiam dare: Solemnes trium votorum profeſſiones recipere, ſeu recipi facere: Novitios, & Oblatos ad Congregationem recipere, modo, & forma, ut ſupra: locum revertentibus ad gremium Religionis reſtituere, ut ſupra: cum infirmis, & debilibus diſpenſare: ſubditos ſuos juxta eorum qualitates, & merita ad altiorem locum promovere: delinquentes ſecundùm canonica Inſtituta, & harum Conſtitutionum edicta, punire: literas familiaritatis, & participationis ſuffragiorum concedere, aliaque omnia, & ſingula gerere, & exequi, quæ ſibi tam à jure, quam à Conſtitutionibus, & privilegiis conceſſa ſunt, & concedentur in poſterum, liberè, & licitè poſſit, & valeat.

§. 2. Solus autem Abbates, Priores, & Prælatos in Monaſteriis principalibus (excepto principali Monaſterio Abbatiæ) inſtituere, ſeu actu legitimo, & voce activa, & paſſiva privare, ſuſpendere, aut transferre, non niſi de conſenſu Patrum, ut ſupra, aut ad officia obtinenda perpetuò, ſeu ad tempus inhabilitare nequeat: neque onera imponere, neque vendere, neque alienare, neque pignorare, neque ære alieno bona ipſius Religionis obſtringere: aut Statuta condere, vel ſuper Conſtitutionibus aliquid innovare: vel magnas lites, & cauſas, præcipuaque ipſius Congregationis negotia terminare: aut per Capitulum Generale, vel Diffinitoriale degradatos, privatos, ſuſpenſos, aut etiam inhabiles redditos, in priſtinum reſtituere: Religioſos alterius Inſtituti recipere ad habitum, aut etiam Monachis noſtris veniam commorandi extra Clauſtra Congregationis, concedere, aut ut impetrent literas, & privilegia contra harum Conſtitutionum edicta, ſeu forſan illarum diſpenſationem permittere, ſeu bona ſtabilia, vel mobilia, aut ſe ſe moventia donare, vel diſtribuere, ultra id quod ſibi à jure & privilegiis, ac Conſtitutionibus permittitur: ſed omnia, & ſingula præmiſſa, & ſimilia cum Coabbatibus, Viſitatoribus, & Diffinitoribus, vel ipſorum aliquibus reſpectivè conferat, eorumque interventu, conſilio, & ſententia (dum congregantur) faciat, & exequatur, ſecundùm modum, & formam in his Conſtitutionibus expreſſam.

§. 3. Quoniam qui aliquando Abbatiatus Generalis munere, & dignitate fuerunt per Capitulum ornati, & per Catholicum Epiſcopum, juxta noſtrorum Privilegiorum tenorem, benedicti, poſt renunciationem remanent Coabbates, decet ut cum nomine, ac benedictione aliqua in eis remaneat dignitas, & præeminentia. Ideò juxta Congregationis noſtræ antiqua ſtatuta, ac immemorabilem conſuetudinem, in regimine ipſius Congregationis, ſecundùm ipſorum denominationem, tanquam ſocii Abbatis Generalis pro tempore exiſtentis, & uti in officio Collegæ habeantur, & ut talibus debita, & prima poſt Abbatem Generalem exhibeatur ab omnibus reverentia. Poſſunt etiam quandocumque Generalibus, & Annalibus, ac Diffinitorialibus Capitulis intereſſe cum aliis Diffinitorialibus Patribus ad ſingula in dictis Capitulis, ſeu in Diffinitorio tractanda, tam pro electionibus, quàm pro aliis ipſius Congregationis cauſis, rebus & negotiis intervenire, votumque primum in omnibus poſt Abbatem Generalem habere, & dare, & tam diffinitorialiter, quàm aliàs in ſingulis cum aliis deliberare, ac determinare: Primum etiam locum poſt Abbatem Generalem ubicumque ſederint, vel convenerint, tenere ut ſupra; nullo etiam præcedente ſcrutinio, aut voto, ſeu ſuffragio ſingula ſibi loca, & Monaſteria, ipſorumque locorum, & Monaſteriorum officia (Patrum accedente beneplacito) eligere.

In Quarteriis ubi reſident, poſt Abbatem Generalem ita præeſſe, ut occurrentes in ipſis cauſæ arduæ, & principales ad ipſos referri debeant, & cum eorum conſilio, ac deliberatione (Abbate Generali abſente) tractari.

A nullo præterquàm ab Abbate Generali viſitari poſſint; viſitentur tamen ſemel in anno omnino, ut cæteri Officiales, vel ab eo, vel ab alio Patre Diffinitoriali de ejusdem Abbatis Generalis commiſſione; nec pœna gravioris culpæ puniri, niſi per Annale, vel Generale Capitulum, eorum præcedentibus demeritis. Nulli ſubdantur, præterquàm Abbati Generali, nec teneantur cæremonialia officia, ſeu ſervitia facere, & exercere: liceatque eis tenere Cellam clauſam, equo, & famulo uti, ac Patre uno pro Priore Monaſterii, ſive loci, in quo fuerit, ſi ipſe adminiſtrationem non haberet, ſingulis ſuis ſervitiis deputando.

§. 4. Si autem ipſi Coabbates, dum Abbatiatus Generalis funguntur officiu, ſcienter contra Conſtitutiones Congregationis factas jam, vel in poſterum faciendas, aut ipſorum aliquam, in quibus

bus, vel in qua per ipſas Coostitutiones eis limitata eſt poteſtas, aliquid præſumpſerint attentare, ſuper quibus ſemel, atque iterum admoniti coram ſex ſaltem Patribus boni teſtimonii, & vitæ, noluerint ſe emendare, nec id in quo deliquerunt corrigere; cauſa cognita, & juris ordine ſervato, ac declaratione præcedente, nullam de præmiſſis immunitatibus, & gratiis obtinere valeant, poſt officii renunciationem: ſed in omnibus, & per omnia ſicuti cæteri ſubdantur, & aliàs corrigantur pro exceſſu hujusmodi ad voluntatem immediatè ſuccedentis Abbatis Generalis, & totius Capituli Diffinitorialis.

§. 5. Abbas autem Generalis, qui proximè renunciavit, poſt ipſius renunciationem ex tunc per ſequens triennium, etiam ſi plures exiſtant Coabbates, ultra præinſertas eis conceſſas immunitates, hoc quoque gaodcat privilegin, quòd ſcilicet Vicariatus Generalis officium, & nomen absque alia contradictione obtineat, & primum locum teneat poſt Abbatem Generalem, etiam ſi plures fuerint Coabbates præſentes, dummodò præmiſſis, ac hujusmodi privilegiis, & immunitatibus, ex cauſis ſuperius expreſſis, indignum ſe non reddiderit.

Elapſo autem triennio, Coabbates ordinentur poſt Abbatem Generalem ſecundùm tempus benedictionis ipſorum, vel officiorum, quæ obtinent dignitatem, prout ſupra.

§. 6. Ad Vicarium Generalem, juxta nominis appellationem, Abbatis Generalis pro tempore exiſtentis (cum abſens fuerit) vices in univerſa Congregatione gerere pro regimine ipſius, & Monachorum in ea degentium, tam ſubditorum, quàm quorumvis Officialium, pertinet: Abbatis autem Generalis abſentiam dicimus, cùm ipſe ultra montes extra Italiam ex quovis caſu reperitur. Tunc itaque omnia, quæ Abbatiatus Generalis officio competunt, & quæ ipſe Abbas Generalis ſui officii vigore pro regimine Congregatioois exercere poteſt, liberè & licitè facere, & exequi poterit ejus Vicarius Generalis, præter diſpenſationes, & quæ Abbas Generalis ex ſuprema tantum poteſtate facere poteſt. Cùm autem Abbas Generalis abſens non fuerit, ut præmittitur, Vicarii Generalis facultas ad ea tantum ſe extendat, quæ vigore ſuarum commiſſionum, vel immunitatum, ac privilegiorum, ſibi, & cæteris Coabbatibus, prout ſupra, competunt.

Ejusmodi autem dignitatis, & nominis ratione, ſi Coabbas non fuerit, primum poſt Abbatem Generalem, & Coabbates locum obtineat, & à nullo viſitari, aut corrigi poſſit inferiori Officiali, niſi proot ſupra, quoad privata officia, & in Capitulis Generalibus, ac Diffinitorialibos cum aliis Patribus ad ſingula interveniat, & votum habeat.

§. 7. Viſitatores Generales quod nomine ipſorum ſignificatur, explere tenentur. Itaque ſinguli ſemel in triennio ſingula Quarteriorum (ubi ſunt Præpoſiti) Mooaſteria viſitare debent cum Abbate Generali, vel cum aliquo Diffinitoriali ab eo commiſſionem habente, ſi ipſe perſonaliter viſitare non poterit.

Extra verò Viſitationis tempus, vel actum viſitandi occurrentium neceſſitatum cauſas & negotia, tam mores, qoàm Monaſteriorum regimen concernentia, videlicet quæ in judicium pro admioiſtratione juſtitiæ deduceoda ſunt, ſtatim Abbati Generali per literas, vel Nuncium ſignificare debeant: Quòd ſi provideri ſtatim oporteat, resque occurrentes nullam patiantur dilationem, cum altero Diffinitorum de occurrentibus rebus, & cauſis fidelem informationem capere: Qoòd ſi forſan aliquem Officialiom ab eo officio per aliquem imminentem oeceſſitatem (ubi oon ſine periculo, aut ſcandalo differri poſſit judicium) amoveri oporteat, cum conſilio Diffinitoris Quarterii in his cum ipſo intervenientis, amovere, juxta ſui officii rationem poſſint, & valeant (per modum tamen proviſionis) nullum ferentes judicium; ſed Abbatis Generalis, vel Capituli Diffioitorialis deliberationem expectantes.

Soli aotem cauſas terminare, ſeu judicium ferre, vel etiam ab officio ſuſpendere, vel privare, vel transferre, Officiales alios in locum deficientium ſubrogare, ordinariam, vel extraordinariam poteſtatem extra tempus viſitationis, vel actum viſitandi ordinariè, vel extraordinariè ſuper Monaſteriorum regimine, vel eorum Officialibus exercere noo debeant: ſed ea tantum faciant, quæ ratione ſuorum officiorum juſtè, & licitè ſecundùm modum ſupradictum, aut etiam Commiſſionum vigore, quas habent ab Abbate Generali, vel Diffinitoriali Capitulo, pro Mooaſteriorum neceſſitatibus, facere poſſunt.

Soli autem Viſitantes ſuper Monaſteriorum regimine, ac vita, & moribus perſonarum, proceſſus tantum informativos fabricare poſſint, abſolutionem, vel condemnationem Abbati Generali, &

ſibi adjunctis Patribus Diffinitorialibus, juxta harum Conſtitionum tenorem, reſervantes: cauſas omnes, & controverſias civiles, & mixtas, ac etiam criminales, infra tamen privationem, cognoſcere, decidere, & terminare poſſint, cùm viſitant: Credita item, ac debita Monaſteriorum recognoſcere, eorumque Creditoribus legitimis ad ſatisfaciendum, omni mora poſtpoſita, etiam per fructuum ſequeſtrationem, Abbates Priores, & locorum Ordinarios, ut cumque poterunt, etiam coactivis juris remediis cogant, & compellant.

Ad omnia, & ſingula viſitationis acta, proceſſusque formandos cum Abbate Generali interveniant; & quæcumque ab eis reperta fuerint, in ſcriptis redigant, & ad Capitulum Generale, vel Annale deferant, bonum, & malum, quod agitur in Monaſteriis per ipſos in Viſitationibus repertum, Diffinitoriali Capitulo relaturi.

In ipſo Diffinitoriali Capitulo diffinitorialiter ad ſingula, quæ in ipſo tractantur, ac ad electiones, & alia, quæ in ipſo Diffinitoriali, & Generali Capitulo fiunt, interveniant, & vocem habeant ſicut cæteri.

§. 8. In Viſitatione diligenter notentur per Viſitatores, ſi quæ extant factæ alienationes, pignorationes, anticipationes, cum cauſis, & auctoribus, & quantitatibus.

Item locationes, cenſuationes, affictus ad longum tempus. Prætcrea deſcribantur perſonæ in Monaſteriis, & Congregatione degentes, eorum ætas, ordo, profeſſio, habitus, & profeſſionis locus, & tempus.

Item ordinandorum, & promovendorum, & ordinatorum qualitates; Novitiorum etiam, ſi qui emiſſuri ſunt profeſſionem.

Item ſtudentium qualitates, & ſi qui ad majora ſtudia erunt promovendi.

Item videantur mutationes Monachorum factæ, eorum acceſſus ad Monaſteria, tempus, & licentia; notentur etiam Monachi, & familiares, ac Benefactores mortui.

Item ſi qui extra Congregationem morantur, & cauſæ, & licentiæ; & etiam ſi qui ſunt vagantes, profugi, Apoſtatæ, contumaces, aut rebelles.

Item ſi qui habitum recipere velint, eorum conditio, qualitates, ætas, parentes deſcribantur.

Adnotentur etiam Monaſteriorum, & Monachorum indigentiæ, & ſi quæ opus habent reparatione, ut fabricæ, & ſupellex, tam domeſtica, quàm ſacra.

Item qui non perſolverunt taxas, & onera, ac conſueta veſtimenta non dederint.

Item ſi quis quietem, & pacem monachorum perturbet, vel ſit inobediens, aut aliàs contra Abbatem, Viſitatorem, & Priorem ſuum contra Religionis diſciplinam, & ſacras majorum ſanctiones, conſpiret.

Item ſi quæ rixæ, peccata, vel ſcandala, & ſi quæ corrigenda.

Inquirant denique diligenter, & notent omnia, quæ deſcripta habentur infra articulis pro viſitatione facienda, c. 17. a. §. 35. juxta locorum, & negotiorum, ac perſonarum diverſitates, & præcipuè circa divinum cultum, Monaſteriorum regimen, morum reformationem, & regulæ, ac Conſtitutionum, atque Ordinationum Abbatis Generalis, Viſitatorumque obſervantiam.

§. 9. In Viſitatione ante Capituli Generalis celebrationem facienda, in ſingulis Monaſteriis inventarium conficiant, ſeu confici faciant, verum, diſtinctum, & integrum, in quo deſcribantur rerum ſtabilium, ſeſe moventium, & mobilium quantitates, & qualitates, matura credita, reditus, & proventus, debita etiam omnia, & ſingula, eorumque cauſa, tempus, auctores, quantitas, & creditores, nomina: Item libri omnes, tam Monaſteriorum, quàm Monachorum ſingulorum; lites etiam motæ, vel movendæ, & cura earum, ſcripturæ, & privilegia; tam circa ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, quàm circa temporalia, brevi de contentis ſummario confecto. Item legata, donationes, eleemoſynæ Monaſteriis teſtatæ, nominibus legantium, teſtantium, vel donantium (ut pro eis ad Dominum preces fundantur) expreſſis. Præterea onera Eccleſiarum, & Monaſteriorum, tam perpetua, quàm ad tempus. Item bona omnia ad Monachos, & perſonas Congregationis quocumque titulo, vel jure pertinentia.

Inſuper diſtinctè deſcribatur numerus armentorum, & gregum, videlicet boum, vaccarum, equorum, ovium, caprarum, aſinorum, porcorum. Item quantitas ſeminum frumenti, hordei, aliorumque leguminum minutorum ſatorum. Præterea ſtatus cultorum agrorum cum nota curruum, ferramentorum, omniumque id genus Inſtrumentorum, quæ ad agrorum culturam fuerint ubilibet comparata; & eadem omnia, & totidem in numero, & valore reſignare tene-

teneatur Abbas, aut Prior per inventarium ſucceſſori, ſub pœna privationis propriorum officiorum. Item deſcribantur augmenta facta, tam prædictorum, quàm aliorum quorumcumque bonorum, vel mobilium, vel ſtabilium, ut ſupra.

Quorum omnium, & ſingulorum, atque aliorum ad Monaſteria, vel Monachos, vel Congregationem ſpectantium, inventarium diſtinctè, & verè conficiendum, & in libro majore Monaſterii deſcribendum, ut ſupra ſtatutum fuit, propriis ſingulorum Monachorum manibus firmetur, & exemplar ejus ſimiliter firmatum ad venerabilem Abbatiam S. Spiritus tempore Generalis Capituli per dictos Viſitatores Generales afferatur, in manibus Diffinitorum conſignandum, & in Diffinitoriali Capitulo publicandum, & cum aliis conſerendum, & diſcutiendum ante Officialium, tum publicorum, tum privatorum electionem.

§. 10. Confecto autem in ſingulis Monaſteriis Inventario, antequam inde diſcedant, bona Monaſteriorum ſingula cuſtodiæ Depoſitariorum committantur, & pro perſonarum, ac familiæ victu, & neceſſitatibus ad menſuram, prout eis videbitur diſtribuenda, pro quota parte relinquant; præcepto tamen adjecto, ne Abbas, vel Prior, ſeu cæteri Officiales ſupra id quod ultra victum, & neceſſitates prædictas de bonis præfatis ſupereſt, nullatenus diſtribuant, diminuant, vel transportent, ſed totum integraliter futuris poſt Generale Capitulum Officialibus conſignandum conſervent, neque illud alieno ære, vel re aliena gravent, neque aliquid mutuò accipiant, debitum contrahant, vendant, pignorent, anticipent, vel ad creditum accipiant, prout Statuta noſtra diſponunt.

§. 11. Diffinitores, tam Annali, & Diffinitoriali, quàm Generali Capitulo propoſita omnia, & ſingula, cauſaſque omnes Congregationis, Viſitationes, Informationes, & Proceſſus, ſi qui extant facti, bonorum temporalium Inventaria, ſcripturas pro bonorum conſervatione, permutatione, ſeu melioramento, neceſſitate, tam publicas, quàm privatas; Monachorumque indigentias, onerum etiam qualitates, quantitates, & cauſas, lites omnes, & controverſias, debita, & credita ipſius Congregationis requiſita, utilia, & neceſſaria, ac quomodolibet opportuna, cum Abbate Generali, Viſitatoribus, & cæteris Patribus Diffinitorialibus, attentè, ſincerè, & fideliter audiant, cognoſcant, examinent, terminent, & definiant, ipſaque terminata per ipſos redigantur in ſcripturis, & in ipſo Capitulo publicentur, & firmata, ſeu ſubſcripta ab omnibus obſerventur, & ſimilia in cæteris negotiis. Similiter in arduis cauſis, & negotiis, extra Capituli tempus occurrentibus, interveniant, & terminent cum aliis Patribus ſinguli in ſuo Quarterio, prout in Conſtitutionibus ſtatuitur.

§. 12. Curent etiam præfati Diffinitores, Conſtitutiones, & Ordinationes ipſius Congregationis pro ipſius publico, univerſalique ſtatu, & ſalubri ſucceſſu, ab omnibus, & ſingulis perſonis, tam privatis, quàm publicis, in ipſo Generali Capitulo ad unguem obſervari. Transgreſſores, & Conſpiratores, omneſque contra Religionis diſciplinam, & ſacras majorum ſanctiones, vel contra ipſius Congregationis Conſtitutiones confœderantes, juxta legum decreta compeſcendo, corrigendo, ac pœnis debitis puniendo. Abbatis Generalis, ac Viſitatorum Generalium adminiſtrationem, & mores in Capitulo Diffinitoriali cum cæteris Patribus Diffinitorialibus, tam in ipſo Generali Capitulo, quàm intra triennium in Annali, ac Diffinitoriali votum dare, & præmiſſa ac alia in præmiſſis neceſſaria, in Generali, vel Diffinitoriali Capitulo tractanda facere, & exequi (communiter tamen, & non diviſim) libere, & licite poſſint, & valeant, ac debeant cum cæteris in Generali, vel Diffinitoriali Capitulo votum habentibus.

§. 13. Procuratoris Generalis officium, & poteſtas in ejus mandato expreſſa, ad ea ſe extendere videtur, quæ in ſpecie ſibi ab Abbate Generali, & a Capitulo Diffinitoriali committuntur, quæ potiſſimum in litibus, & cauſis, ac negotiis reſpective motis, vel movendis, faciendis, gerendiſve conſiſtit, pro quibus Procurator, ac ſpecialis Nuncius creatur, & eligitur; ac pro quocumque ipſius Congregationis ejuſque Monaſteriorum, & locorum, ac perſonarum, privilegiorum, ac jurium defenſione, cum poteſtate ad præmiſſa, & ſimilia, quæ ſigillatim exprimenda ſunt, neceſſario requiſita. Ultra verò mandati ſui limites cùm ejus poteſtas nullatenus ſe excedat, nihil facere, aut attentare præſumat, quod commiſſo ſibi Procuratoris officio, juxta expreſſam ejus facultatem, non competat: Si ultra attentaverit, aut fecerit, ipſo jure per eum attentata, vel geſta, nulla ſint.

In tractandis autem, & terminandis cauſis, & negotiis ipſius Congregatio-

gationis in Capitulo, tam Annali, quàm Generali, cum aliis in dictis Capitulis, & in Diffinitorio votum habeat; ac de pecuniis quibuscumque Congregationis in ejus manus provenientibus, ac per Depoſitarios transmiſſis coram Patribns in ſingulis Capitulis Diffinitorialibus, rationem reddere teneatur, in qua ea tantum admittantur, quæ pro ipſins Congregationis neceſſitatibus juxta Capituli deliberationem applicata, & expenſa eſſe apparebit, & conſtabit.

§. 14. Abbates, qui regendo alicui Monaſterio principali canonicè ſunt electi, & juxta formam harum Conſtitutionum inſtituti, gaudeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentiis, qnibus gaudent alii Abbates, & Priores ejusdem Congregationis, quocumque jure, juxta privilegia Congregationis in fine harum Conſtitutionum inſerenda, eisdem Abbatibus per Summos Pontifices, & per fel. recor. Paulum V. conceſſa.

Præterea tam præfati Abbates, quàm Priores pro aliquo Monaſterio regendo, ut ſupra inſtituti, ſinguli auctoritatem habent abſolvendi Monachos ſuos ſubditos, qui in alterum Monachum manus injicerent violentas, ad formam ſacrorum Canonum, & privilegiorum. Vicarii verò, ſeu Vicesgerentes in ſuorum Prælatorum abſentia, ex injuncta eis à dictis Prælatis facultate, eandem habent abſolvendi auctoritatem, niſi percuſſio, vel iojuria adeo eſſet gravis, quòd notabile vulnus cum evidenti ſanguiois effuſione, vel oſſis fractura forſan ſequeretur: in hoc enim caſu ſic ſe invicem percutientes, per Superiores ſuos pro abſolutione, & diſpenſatione mitti debeant ad Abbatem Generalem: Monachos etiam ſibi ſubditos corrigere, pœnam per ipſos injunctam ex cauſa moderari: Capitulum retinere: bona Monaſterii ſtabilia per triennium tantum, & ad diſpoſitionem juris communis pro ſui officii tempore locare; fructus, & reditus tempore ſuo maturos exigere, & de receptis pro tempore tantum ſuo quietare, eosque utiliter, & pro Monachorum uſibus, ac Monaſterii neceſſitatibus diſpenſare, aliaque facere in ſuis Monaſteriis, tam pro regimine ſuorum ſubditorum, quàm pro bonorum temporalium conſervatione, ac divini cultus præcipue obſervantia, quæ ſibi de jure Abbatiatus, vel Prioratus officii vigore, juxta ſuæ facultatis limites, eis in Commiſſionibus a Capitulo Diffinitoriali, & Abbate Generali conceſſis competunt, & quæ in his Conſtitutionibus ad officium Abbatiatus, vel Prioratus pertinere noſcuntur expreſſa io Capit. de diverſis officiis Monaſteriorum.

Vicarii verò, vel Superiores quicumque deputati loco deficientis Abbatis, vel Prioris, ubicumque conſiſtunt, Monaſteria regant in temporalibus, & ſpiritualibus, & exeqnantur, quæ Abbates, vel Priores ipſi pro Mooaſteriorum regimine, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus facere, & exequi poſſent, præter ea, quæ in perſonam aliam inferiorem transferri noo poſſunt.

§. 15. Viſitator, qui ad viſitanda Sanctimonialium Monaſteria fuerit in Generali Capitulo deputatus, eam habere, & exercere debet poteſtatem; ut in præfatis Mooaſteriis, ad regulæ, & mandatorum Dei præcipuè obſervantiam, & convenientem, ac debitam clauſuram, omnes compellere poſſit, juxta ejusdem Regulæ, ac ſacrorum Canonum, ſacri Concilii Tridentini, Conſtitutionumque Apoſtolicarum diſpoſitionem. Quamvis autem tota, & immediata præmiſſorum cura ſit Abbatiſſæ Monaſterii, cujus munus eſt Monaſterium regere; pro ipſius tamen officii dignitate, cum opus fuerit, Viſitationis tempore, Viſitator præſatus debet, & poteſt Sanctimoniales ipſas corrigere, atque in caſibus neceſſariis in omnes juxta Regulæ ſancita, ea quæ decet honeſtate, animadvertere, usque ad privationem incluſive; aliaque facere, & exequi, quæ ſibi pro præmiſſorum exequutione opportuna, & neceſſaria videbuntur, prout in Capit. de Viſitatione monialium continetur.

§. 16. Depoſitarii, ſeu Exactores debent cum omni vigilantia taxatas, & impoſitas per Capitulum quascumque pecuniarum ſummas, ab Officialibus Monaſteriorum ſuis temporibus exigere, dictosque Officiales ad ſolvendam ratam quamlibet eis competentem compellere opportunis, & convenientibus remediis, prout ſupra; ne propter illorum negligentiam, & moroſitatem aliquod eveniat Congregationis detrimentum. De exactis autem pecuniis in ſingulis Capitulis publicè coram Patribus in Diffinitorio fidelem rationem reddere teoeantur: ita tamen quod partitæ aliquæ non admittantur in ipſorum computis, quæ cum libro Procuratoris Generalis in Romana Curia exiſtentis, in omnibus, & per omnia, non conveniant.

§. 17. Cæteri autem Congregationis Officiales a præfatis extraordinarii, eam exerceant poteſtatem, quæ tam

offici-

officiorum eis commiſſorum, quàm commiſſionum deſuper pro exequutione officiorum eis conceſſarum, ratione quomodolibet eis competere poterit; quarum commiſſionum limites nullatenus transgredi, aut præterire poſſint, præſertim verò Commiſſarii ad capiendas informationes deputati.

Caput XVI.

De Capitulo Annali.

§. 1. PRo Congregationis negotiis, & cauſis tractandis, diſcutiendis, terminandis, ac definiendis, ejuſdemque Congregationis felici regimine, perpetuis futuris temporibus ſemel omninò infra triennium, menſe Novembri in feſto Sancti Martini ſecundi anni, Capitulum Annale convocari, & retineri volumus, & mandamus in Venerabili Abbatia ſancti Spiritus de Murrone, vel in alio commodiori Monaſterio, prout Generali Abbati, & Capitulo Diffinitoriali videbitur. Ad quod quidem Capitulum convenire teneatur Abbas Generalis præfatus pro tempore exiſtens, cum omnibus ſuis Coabbatibus, ac Prior Abbatiæ prædictæ, necnon ſingulorum Quarteriorum Viſitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis in Romana Curia, & Abbas illius Monaſterii, ubi dictum Capitulum celebrabitur (ſi extra præfatam Abbatiam contigerit celebrari) qui omnes etiam in ipſo Capitulo, tam in tractandis, quàm in concludendis, & terminandis negotiis, & cauſis univerſis, votum habeant. Ultra verò prædictos nullus ad dictum Capitulum accedere præſumat, niſi forſan per Abbatem Generalem, vel Capitulum prædictum vocatus, neque in ipſo Capitulo aliquis alius votum habeat, vel habere poſſit. Quod quidem Annale Capitulum indicetur ab Abbate Generali pro tempore, alioquin habeatur pro intimato, & ad illud omnes ſupradicti accedere teneantur.

§. 2. In ipſo autem Annali Capitulo primò procedatur ad Viſitationem Abbatis Generalis, in qua ea, quæ inferius cap. 17. inquirenda ponuntur, & in ejus viſitatione fieri mandantur, qua decet vigilantia, & circumſpectione inquirant, & exequantur.

Deinde ipſa viſitatione perfecta producantur quæcumque reperta ſunt in viſitationibus, ac etiam extra actum viſitandi, ſi quæ ſunt extraordinariæ cauſæ, circa mores, & adminiſtrationes ſingulorum Officialium, aut etiam circa vitam, & mores Subditorum, ſi qui ſint qui grave, & pernicioſum aliquod delictum commiſerint: ſuper quibus in ipſo Diffinitoriali Capitulo Patres tractatum, & judicium faciant, ac ſententiam ferant, atque abſolvant, vel condemnent, prout de jure, ſecundùm harum Conſtitutionum Inſtituta, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

§. 3. Deinde ſi qui ſint creandi, aut removendi Officiales ipſius Congregationis, cauſa cognita, removeant, vel creent in locum deficientium. Deinde tractent de admittendis ad habitum, ſeu profeſſionem, & de promovendis ad ſacros Ordines, ſi qui ſint admittendi, vel promovendi, quibus etiam licentiam in ſcriptis tribuant (matura præcedente inter eos deliberatione) quòd habiles ſint, & idonei juxta harum Conſtitutionum, & ſacrorum Canonum edicta. Poſtea verò tractent de mutandis Monachis, ſi qui mutandi ſunt; ſucceſſivè proponantur cauſæ temporalium bonorum, ut lites, permutationes, fabricæ, locationes & alia ſimilia; & ſuper eis deliberent, quod in utilitatem, & indemnitatem evidentem Monaſteriorum cedere videbitur.

§. 4. Poſtea de neceſſitatibus, & oneribus Congregationis, ac de ſuperantium fructuum, & reddit
uum, ſi qui ſunt, diſtributione, portioniſque inde depoſitatæ applicatione, æriſque communis adminiſtratione, ac diſtributione, & de pecuniis pro oneribus Congregationis exactis, & per ſingula Monaſteria pro rata impoſitis, & taxatis, computa exigantur à Depoſitariis, & Generali Procuratore, ipſaque revideant: & quos à ſolutionibus impoſitis, vel ab exactorum conſignatione defeciſſe compererint, ii ſolvere, & conſignare teneantur; & de applicatione facienda pecuniarum depoſitarum in depoſito cujuslibet Quarterii, prout ſupra.

Ultimo loco tractent de reformatione morum, & refectione vitiorum, & præcipuè, ut in omnibus, & per omnia Regulæ ſe conforment: & ſi qua ſuper his promulgaverint Statuta, vel Conſtitutiones, ſub forma verò ſtatutorum ſervari non mandent, niſi per modum proviſionis, quouſque per Generale Capitulum fuerint confirmata, quæ antequam confirmentur, nullam vim Statutorum habeant; ſed ea interim, ut proviſiones obſervare omnes teneantur: tandem ſi quæ ſunt committenda committantur.

§. 5. Prædicta verò, & alia, ſi quæ occurrunt conſideranda, vel tractanda in ipſo Capitulo negotia, juxta traditam,

tam, & expreſſam in tractatu de Capitulo Generali formam, ordinem, & modum, tractare, diffinire, ac terminare teneantur, & præcipuè circa electiones.

§. 6. In præmiſſorum item executione Dei auxilium implorantes, mane quotidie, dicto durante Capitulo, cantent Miſſas, orationesque & commemorationes faciant conſuetas, & nomina Benefactorum, tam vivorum, quàm mortuorum, ac Monachorum ipſius Congregationis Defunctorum recenſeantur, pro quibus ad Deum preces de more fundantur; aliaque omnia in Capitulis fieri ſolita, prout in Capitulo Generali eſt ordinatum, faciant, & exequantur.

Caput XVII.

De modo, & forma viſitationis Abbatis Generalis, & cæterorum Officialium.

§. 1. OMnes Religionis noſtræ Monachos, & perſonas in quacumque dignitate, ſeu officio conſtitutos, decernimus, & mandamus, annis ſingulis ſemel, vel quoties fuerit opportunum, vel neceſſarium, viſitandos eſſe ab illis, qui viſitandi poteſtatem habebunt; & rationem reddant propriorum officiorum, aut adminiſtrationum, ſi quas exercuerunt, & animarum, quæ eis ſubduntur, & commiſſæ ſunt, ſingulis Viſitatoribus ad id deputatis.

Ipſe verò Abbas Generalis, & Generales Viſitatores teneantur quoad Viſitationis per eos factæ officium, & indè dependentia, & quæ ille de jure Præſidentatus, ac Generalatus, & iſti jure Viſitatoratus, aut etiam cauſarum ſibi commiſſarum, exercuerunt; & ipſe quidem Abbas Generalis in quolibet Diffinitoriali Capitulo, tam Annali, quàm Generali, omnibus Patribus in ipſo Capitulo Diffinitoriali votum habentibus Capitulariter congregatis, ſuarum adminiſtrationum, & officiorum rationem reddere.

§. 2. Ipſi Coabbates, & cæteri Diffinitoriales Patres, ut ſupra congregati, non modò computa eorum ſupradicta, & adminiſtrationes, verùm etiam vitam, & mores, ac regimen, officiique illorum executionem diligenter examinare; ac ſuper repertis in vero judicio facere, quæ pro viſitatione illorum, tam ſuper moribus, & regimine, quàm ſuper computorum ratione reddenda, & officiorum, ſeu commiſſionum ſuarum adminiſtratione de jure, vel approbata conſuetudine, ſecundùm Conſtitutionum noſtrarum diſpoſitionem, eſſent facienda, illos (ſcrutinio tamen inter eos præcedente) abſolventes, vel ſi ſua id exegerint demerita (quod Deus avertat) condemnantes: Abbatem quidem Generalem à ſui offici adminiſtratione tantum ſuſpendendo: Generales autem Viſitatores eorum officiis privando, aliàsque puniendo, ſecundùm Inſtituta dictæ noſtræ Congregationis.

§. 3. Quòd ſi de enormibus, & gravioribus delictis Abbas Generalis accuſatus, etiam convictus extiterit, propter quæ de jure deponi, ac privari deberet officio; moneatur, ut cedat: & tunc præfati Diffinitoriales Patres, & Coabbates Generale Capitulum convocent, & congregent abſque temporis intervallo. Repugnante autem ipſo celebrationi Capituli, & dimittere nolente, ſi eſt deponendus, ad Sedem Apoſtolicam recurſus habeatur pro Capituli celebratione, in quo reperta contra ipſum publicentur, & diſcutiantur; & ſic contra ipſum, ſuis, ut præfertur, exigentibus demeritis, & ſe ſe rationabiliter ab imputatis criminibus non purgantem, generali præcedente, ibidem, votum habentium ſcrutinio, ipſorumque omnium, vel ſaltem duarum partium ex ipſis accedente voto, ſententia, & conſenſu, ad ipſius condemnationem, & privationem, aliarumque pœnarum inflictionem, legitimè procedatur. Per Inquiſitionem autem contra Abbatem Generalem, niſi publica cum evidenti patrati ſceleris, fama, vel commiſſi criminis querela præceſſerit, nullatenus procedere poſſint, niſi crimina talia ſint, quæ impediant executionem ordinum, aut retentionem officii, ut ſupra dictum eſt in cap. 21. tract. 1. §. 1.

§. 4. Abbas igitur Generalis pro tempore exiſtens, de factis propriis, & ſui officii executione rationem redditurus (durante viſitatione ipſius) ſecedat juxta antiquam ipſius Congregationis conſuetudinem, & ſimiliter Viſitatores dum eorum viſitatio agitur, ſecedant: Abbas verò Generalis viſitationi Viſitatorum interveniat, & ipſi Viſitatores Abbatis Generalis. Ipſi autem Diffinitoriales Patres eorum vitam, & mores examinent in communi, niſi fortè aliquid criminoſum contra ipſos delatum fuerit. Interrogent autem in communi de omnibus, non tamen in ſpeciali de aliquo, tam ſuper tribus votis, quàm ſuper aliis, quæ in Conſtitutionibus, & Regula continentur.

§. 5. Vi-

§. 5. Viſitationem autem Abbatis Generalis in principali Monaſterio Abbatiæ faciendam eſſe decèrnimus eo tèmpore, quo Diffinitoriale Capitulum congregatur, aut alibi, cùm alio in loco dictum Capitulum congregatur: Viſitationem autem Viſitatorum Generalium tempore Capituli Generalis in eodem Diffinitoriali Capitulo, in quo dicta quidem viſitatio, quoad Generalem, officiorum ſuorum, Præſidentatus videlicet, ac Viſitatoratus exequutionem, & adminiſtrationem cùm perfici poſſit, perficiatur, & abſolvatur: quo verò ad Abbatiatum reſervetur, cùm incumbentia regimini Abbatiæ, ibidem diſquiri, & examinari nequeant. In ipſo quoque Generali Capitulo cum primùm congregatur, ipſum viſitationis negotium in Diffinitorio proponatur; in quo, juxta præſcriptum, & expreſſum ſuperius modum, procedere debeant.

Ipſam autem viſitationem ſervatis de jure ſervandis, ſecundum harum Conſtitutionum edicta, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem, in omnibus, & ſingulis partibus die tertio, & ante quamcumque officiorum renunciationem, facto competenti ſermone ſuper repertis, complere teneantur; eosque vel abſolvant, vel condemnent, prout de jure illos abſolvendos, vel condemnandos fore judicabunt; aut etiam ſi aliqua emendatione digna judicaverint, emendent, & ſi qua inſuper de cætero ab ipſis neceſſario facienda fore cenſebunt, injungant, & mandent. Abſolutus autem Abbas Generalis cum Viſitatoribus præfatis ad locum ſuum revertantur, & officium exerceant in ipſo Diffinitoriali Capitulo cum cæteris.

§. 6. Cæterùm Viſitatores Generales, quoad privata ipſorum officia, quæ obtinent, Abbati Generali ſubdantur, & ab ipſo cum interventu unius ex Diffinitorialibus Patribus Quarterii viſitentur. Qui quidem Abbas Generalis, tam de levibus, quàm gravibus culpis eos corrigere, atque ab officiis privatis, quæ obtinent, ſuſpendere & privare, aliàsque punire poſſit cum dicto Diffinitore, prout jura diſponunt.

§. 7. Diffinitores etiam ſimiliter quoad privata officia ipſis commiſſa, eorumque adminiſtrationem, ac mores, & vitam ipſorum, ab omnibus dictæ Congregationis Officialibus eximantur, præterquàm ab Abbate Generali, cui obtemperare debeant; & viſitationis tempore, aut aliàs cùm cauſa occurrit neceſſaria à dicto Abbate Generali, una cum Generali Viſitatore ſecum ad viſitationem accedente, & cum alicujus Abbatis interventu, & præſentia, viſitentur: & ſi fortè in viſitationibus nocentes reperti fuerint, ab officiis, & dignitatibus privatis prædictis, quas obtinent, ſuſpendantur, & priventur, nullo ſuper præmiſſis ab aliis Officialibus publicis expectato, ſeu requiſito judicio, ſententia, vel conſenſu. Si tamen graviùs eſſent juxta Canonum diſpoſitionem puniendi, capitulariter puniantur ad votum ſapientis, & communi pariter omnium, vel majoris partis Capituli deliberatione præcedente, ac ſervatis de jure ſervandis. Quoad publica verò ipſorum officia, tam ipſi Generales Viſitatores, quàm Diffinitores, Diffinitoriali tantum Capitulo, ejusque omnimodæ diſpoſitioni ſubdantur, & per ipſum tantum Diffinitoriale Capitulum à dictis Officiis amoveri, aut ſuſpendi, eisque privari poſſint, legitimis tamen præcedentibus cauſis, & ſervatis de jure ſervandis.

§. 8. Specialis autem inquiſitio contra Coabbates, Diffinitores, Generales Viſitatores, ultra ea, quæ in ordinariis viſitationibus fieri contigerit, & de jure facienda ſunt, nullatenus fieri debeat, niſi contra ipſos querela præcedat, vel fama publica cum evidentia patrati ſceleris.

§. 9. Cæteri verò omnes Congregationis Officiales, ultra prædictos, maximè vero Abbates, & Priores, ab Abbate Generali, & Generalibus Viſitatoribus ſecum ad viſitationem accedentibus, vel ipſis ſolis reſpectivè viſitari debeant. In hujusmodi autem viſitationes, ſuſpenſiones, & pœnarũ inflictiones, quæ forſan ob graviores præcedentes, & probatas culpas, faciendæ eſſent, ad Abbatem Generalem pertineant cum interventu Generalis Viſitatoris, tam in actu viſitandi, quàm extra, & quocumque tempore, legitimis, ut præfertur, præcedentibus cauſis, & in quibus Abbates, vel Priores ipſi de jure ab eorum officiis ſuſpendi, aut aliter puniri debeant, niſi atrociora fortè ipſi Abbates, vel Priores delicta commiſerint, & eorum ſcelerum fama publica innotuerit: in quo caſu poſſint tam per Abbatem Generalem, quàm per alium quemcumque Officialem publicum, immo per ipſum Capitulum Monaſterii ab adminiſtratione ſuſpendi, & in carceres detrudi, & à prædicto Abbate Generali, vel ab eo auctoritatem habente, aut etiam à Viſitatore Generali, condignè puniri, usque ad privationem excluſivè.

§. 10. Cùm autem privationis caſus occurrerit in viſitatione præfata, idem Ab-

bas Generalis cum Generali Viſitatore ſecum ad viſitandum accedente, convocato Capitulo Conventuali ejusdem Monaſterii, & proceſſu publicato, juxta Conſtitutionum noſtrarum, & juris formam, ſententiam privationis in ſcriptis ferant. In loco autem privatorum Officialium Vicarii tantum per eos deputari poſſint. Inſtitutiones aliorum Officialium, Abbatum videlicet, & Priorum ad ipſum Diffinitoriale Capitulum ſpectent, & pertineant tempore Capituli Diffinitorialis; infra triennium verò per Abbatem Generalem cum cæteris modo, & forma aliàs prædictis. Principalis verò Monaſterii Abbatiæ, vel alterius, ſi forte contigerit aliud Monaſterium caput aliorum fieri, Prior, qui ſui Prioratus officium ſub ejus regimine, & diſpoſitione adminiſtrat, ſicuti eſt ad ejus nutum amovibilis, ita ab eo inſtitui, & deponi poſſit, ex cauſa tamen juſta, & rationabili, absque ſtrepitu, & figura Judicii, aliàsque puniri, & deponi poſſit, ex cauſa tamen, juxta noſtrarum Conſtitutionum diſpoſitionem, & ordinationes.

§. 11. Cauſæ verò quæcumque in Quarteriis occurrentes quæ Reverendiſſimo Domino Abbate Generali longe diſtante, per ſupradictos ſine ipſius interventu, terminari non poſſunt, à Viſitatore Generali, & Diffinitore, quoad capiendam informationem, & quoad alia pro ipſorum terminatione, modo prædicto, juxta Abbatis Generalis commiſſionem, tractentur; ſalva tamen quoad hæc, ubi opus fuerit, Capituli Diffinitorialis auctoritate, in iis, quæ præſentium Conſtitutionum edictis diſponuntur, & ordinantur ſpecialiter.

§. 12. Cum autem ob querelam, ſeu denunciationem, aut aliàs capienda erit, ſive ex officio, ſeu ex commiſſione informatio, formari, aut reſpectivè dari debeant articuli pro rubrica informationis capiendæ, ſuper quibus interrogandi erunt teſtes, qui nullatenus interrogari debeant, niſi in iis, quæ immediatè concernunt perſonam, & acta rei, contra quem proceditur; niſi de neceſſitate, & ob eruendam veritatem, alio modo fieri non poſſit, ut ſuperius eſt expreſſum. In formandis autem proceſſibus, eorumque ſingulis partibus diſcutiendis, & tractandis usque ad ſententiæ prolationem, laicus nullus admittatur Procurator, vel Advocatus. In ferenda vero ſententia, votum unius, aut plurium Juriſperitorum pro arduis, & diſficilibus cauſis, adhibeatur: cætera verò juxta earundem Conſtitutionum diſpoſitionem tractentur, & ſententiæ juxta expreſſas in eisdem, & Apoſtolicis Conſtitutionibus pœnas, & ſacrorum Canonum formam ferantur.

§. 13. Porro cùm Viſitatoris in primis munus, & officium in eo potiſſimum conſiſtere dignoſcatur, quòd ſi qua vigent in Monaſterio ſcandala, & errores, vel peccata, radicitus evellantur, ut omnes in eo exiſtentes munda Omnipotenti Deo conſcientia deſerviant, nec ideo ad ſpecialem inquiſitionem alterius certæ perſonæ deveniri debeat, niſi aliquod crimen prius contra illam manifeſtetur, aut innoteſcat, cum evidentia ſceleris; nihilominus exactiſſimam, ac diligentiſſimam adhibere debet curam, ut mala detegantur, ad hoc, ut opportunis juris remediis curari poſſint, atque ita, ex officio Viſitator inquirere debet in Monaſterio, an in eo delicta vigeant, aut ſuccreſcant; interroget tamen in communi de omnibus. Viſitator autem in formando proceſſu judicialem modum ſervet, ut infra.

§. 14. Cùm autem delicta in offenſam tranſeunt alicujus, & ad Viſitatoris notitiam devenerint, ſi quidem per accuſationem, & querelam, debet eam Viſitator admittere, ſubſcriptam tamen ab accuſatore, ut in eventu non probationis, pœna à Sacris Canonibus contra calumniatores ſtatuta, puniri poſſit. Si verò per denunciationem, debet eam ſimiliter admittere, quamvis non ſubſcriptam, cùm denuncians ad id non teneatur. Si verò in offenſis ex officio procedatur inquirendo, ſolet quidem Judex intimare parti læſæ, an velit accuſare, aut alia in judicio facere, adverſariis ſimul convenientibus, aut altero eorum inſtigante, ut crimina facilius detegantur, & probentur. Si in occultis, quæ à ſola ſuſpicione emanant, ſecus eſt procedendum: inter Regulares enim accuſator de illis non eſt admittendus. In manifeſtis autem admittitur, ſed non de auditu, niſi conſtet à quo ſit auditum, ita ut ille teſtis, à quo fuit auditum, ſit præſens, vel ſaltem de facili haberi poſſit. Neque verò accuſationes externorum admittendæ ſunt contra regularem perſonam factæ, niſi accuſator de ſua, vel ſuorum injuria conqueratur.

§. 15. Cùm autem aliqui reperiantur Monachi, qui contra Prælatos, & Superiores ſuos facilè multa proponunt, non ut omnia probent, quia nec poſſent, ſed ut illis notam inferant, vel aliquibus probatis, ſic optata conſequantur: Ideo ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus omninò monachus contra ſuum Prælatum, vel Superiorem ſuper crimine, vel criminibus deinceps quomodolibet audiatur, niſi ſe prius obligaverit ad pœnam congruam, ſi defecerit in probatione propoſitorum, vel alicujus ex eis, irremiſſibiliter ſubeundam. Et nihilominus omnia ea, quæ quis-

que

que corrigenda cognovit, vel in ſuo Superiore, & Prælato, vel ſubditis, debeat Abbati Generali, vel alteri Superiori in Provincia, vel in eodemmet Monaſterio exiſtenti, omninò infra annum notificare, incipiendo ab eo die, quo tales delinquentes ab eo dignoſcuntur facinora perpetraſſe: Adjicientes, quòd ſi ſuper exceſſibus, & criminibus delinquentium quis a Viſitatore, vel Prælato cum juramento requiſitus, veritatem negaverit; anno elapſo, odio, prece, vel pretio ductus, poſtea de eisdem eos accuſet, præter hoc quod accuſationem irritam, & vanam eſſe volumus, is pro infami habeatur, & ut talis ad quæcumque officia in Congregatione obtinenda ſit inhabilis.

§. 16. Sanè cùm Deputati ad Monaſterium, ſive locum aliquem viſitandum accedunt, poterunt in eo aliquandiu ob deſeſſionem quieſcere, nullum tamen in eo exercendo temporale munus, dum quieſcunt, ſed tantum primum locum in menſa, & in Eccleſia teneant: Adjicientes, quod tam Abbas Generalis, quàm Viſitatores ad viſitationem accedentes in Monaſteriis, quæ viſitantur, in exiguis quidem unum, vel ad ſummum duos, in majoribus autem ultra decem, in mediocribus ultra quinque dies, a die adventus morari non debeant, niſi ex aliqua cauſa neceſſaria eos ibi diutius commorari oportuerit, quæ ſtatim Diffinitorialibus notificari debeat; in aliis autem Monaſteriis, quæ non viſitant, ultra biduum commorari non debeant.

§. 17. Volentes autem, ut irreprehenſibiliter in tam ſalubri Viſitationis officio procedatur, decernimus, & mandamus, ut Abbas Generalis, Abbates, Priores, & alii in adventu Viſitatorum ſuorum, ſeu in ipſis Viſitationibus, lautos ciborum non permittant apparatus, ſed qui ſimpliciter, & communiter in Monaſteriis fieri ſolent.

§. 18. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis propriorum officiorum, activæ, & paſſivæ vocis pœna, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, ut tam ipſi Viſitatores, quàm Abbas Generalis, ac etiam alii excutiant manus ſuas ab omni munere, ſub pœnis etiam à Concilio Tridentino, & ſacris Canonibus præſcriptis: nec quicquā petant, aut recipiant publicè, vel occultè pro ſe, vel aliis, niſi eſculenta, & neceſſaria tantum, ac domeſticas, & conſuetas expenſas, quibus indigere noſcuntur. Pro expenſis autem extra Monaſteria faciendis in itinere, Abbates, vel Priores Monaſteriorum illorum teneantur Viſitatoribus prædictis providere.

§. 19. Cùm autem Viſitatores incipere voluerint viſitare, ſingulis Monachis, qui ſunt de corpore Monaſterii, ſive loci, quem viſitant, vocatis ad ſonum campanæ, ac loco, & more ſolito congregatis, competentem ſermonem faciant, negotiumque Viſitationis proponant, & mandent ſingulis de Capitulo ipſo in virtute ſanctæ obedientiæ, ut veritatem dicant, omni mendacio remoto, ad ea, de quibus fuerint interrogati.

Ipſi quoque Monachi teneantur veritatem dicere, tam in his, de quibus ab ipſis Viſitatoribus interrogati fuerint, quàm in aliis, quæ contra Deum, Beati Benedicti regulam, Conſtitutiones Religionis noſtræ, & doctrinam Evangelicam ſciverint, a Monacho aliquo fuiſſe cōmiſſa. Ut autem de omnibus in Viſitatione perquirendis veritas facilius eluceſcat, percunctentur Viſitatores de Monachis illius Monaſterii, in quo viſitant, a tempore Generalis Capituli, usque tunc mutatis, quos etiam ſuo loco, & tempore, de rebus illius Monaſterii, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus examinare teneantur.

§. 20. Igitur completo Capitulo, & in ſcriptis habitis à Præſidente Monaſterii cunctorum Monachorum nominibus, remotis arbitris, ſigillatim de omnibus percunctentur in cōmuni, non de aliquo particulari, tam ſuper tribus votis principalibus Religionis, videlicet, Obedientia, Paupertate, & Caſtitate, quàm de aliis, quæ in Regula Beati Benedicti, ac Conſtitutionibus Religionis noſtræ ſpecialiter demandantur. Ipſa verò interrogatio fiat non accepto juramento, ſeu per excommunicationis ſententiam à principio, niſi forte interrogatus criminoſum aliquid dixerit de aliquo ſpeciali; quem tunc corporali juramento cogant ſuum dictum firmare: in quo caſu adhibeant unum, vel duos Patres probos, ac prudentiores illius Provinciæ, ſive loci, qui videant teſtium juramenta, & depoſitiones audiant eorundem. Quod ſi contigerit ſuper crimine aliquo particulari teſtes examinari, non inter acta Viſitationis hujusmodi examen inſeratur, ſed ſeparatus proceſſus formetur. Quæ verò in hujusmodi viſitatione à ſingulis, & de ſingulis dicuntur, cuncta fideliter deſcribant, & propalationis tempore fideliter publicentur.

§. 21. Ubi autem Viſitationem compleverint, Capitulum teneant, ad quod ſinguli, qui debent, conveniant, quibus ſermonem faciant; & omnia malè acta, ſi quæ reperta fuerint, prius increpent in communi; poſtea verò quemlibet de ipſo Capitulo (qui gravis culpæ fuerit corrigendus) nominatim vocatum ante ſe ſtare jubeant aliis ſedentibus, & de his, quæ de ipſo in

viſitatione invenerint, pro culpis corrigant, ut cæteri pertimeſcant. Monachi autem corrigendi hujusmodi ad excuſandū ſe ibi, ſi legitime poterunt, admittantur, deinde more ſolito per eos Capitulum terminetur.

§. 22. Crimina verò, ac delicta in viſitatione hujusmodi reperta, non publicè, & palam, ſed ſecretò corrigi debeant. Si verò crimina ſint famoſa, & majori informatione indigeant, illa committantur Prælato ordinario, ſive alio Viſitatori bene viſo; ſi autem manifeſta, publica, & notoria, in ipſo Capitulo puniri poſſint, ac juxta ipſorum qualitatem pœnitentiæ injungi, ne populo Christiano ſcandalum generetur. Contra verò delinquentes procedant ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, quæ in foro ſæculari requiruntur. Eadem ratione in defenſione, quæ eſt de jure naturali, ad quam (ut præmiſimus) regulares ſunt admittendi, ſimpliciter, & de plano procedi debet ſine ſtrepitu, & figura judicii, cæterisque ſolemnitatibus in judiciis ſæcularium requiſitis. Nullus autem ſtricto carcere detineatur, niſi pro manifeſto, & enormi exceſſu; ſecus autem faciens per ſex menſes ſuſpendatur ab officio. Enormem verò dicimus exceſſum, vel ratione generis peccati, ut inobedientiam formalem, peccatum cum ſcandalo, lapſum carnis; vel ratione circumſtantiæ, ut eſt furtum rei notabilis, vel notoriè factum, vel frequenter commiſſum: & de caſibus reſervatis idem judicium habeatur. Condemnatus autem ad carcerem per ſententiam, eo ipſo omnibus actibus legitimis privatus eſſe cenſeatur, ad quos per Generale Capitulum, vel Annale tantum reſtitui poſſit.

§. 23. Carceres autem conſtituantur in ſingulis Provinciis plures, & tuti, qui non ſint omninò lucis expertes, ut carcerati Divini Officii lectioni pro ſpeciali conſolatione incumbere poſſint.

In primo Quarterio, in Abbatia ſancti Spiritus, Aquilæ, & Corropolis. In ſecundo, in Monaſteriis Terræ Novæ, Novi, & Caſaluccii. In tertio, in Monaſteriis Litii, Luceriæ, & ſancti Severi. In quarto, in Monaſteriis Bononiæ, Mediolani, & Bergomi. Expenſæ verò pro hujusmodi carceratis ſubminiſtrentur à Monaſterio, à quo carceratus mittitur, vel de cujus familia exiſtit, ad rationem unius Julii cum dimidio in ſingulos dies. Officiis autem privati, etiam confeſſione, prædicatione, lectione, diffinitione, viſitatione, & electione privati cenſeantur; ita ut quicumque officio privati exiſtent, in præfatis non ſe poſſint aliquo modo immiſcere, neque poſſint, niſi per Capitulum Generale, vel Annale reſtitui, vel reintegrari, juſtis tamē, & rationabilibus id exigentibus cauſis. Ad privationē autem hujusmodi, abſque urgenti, rationabili, & ardua cauſa, ac plurium ſeniorum Monaſterii, & principalium maturo conſilio, probatoque voto, nullatenus deveniatur: Secus autem facientes in pœnam incidant ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes. In ea verò infligenda ſerventur ad unguem, quæ in his Conſtitutionibus ordinantur circa Officialium depoſitionem, & privationem.

§. 24. Incorrigibilium Monachorum proceſſus ſuper exceſſus conſcripti, & examinati, ad Annale, vel Generale Capitulum transmittantur. Quòd ſi ita incorrigibiles fuerint, ut neque culpam cognoſcere, neque pœnitentiam condignam ſubire voluerint, in carcere macerentur, ſi verò pœnitentiam acceperint, & correctionem non recuſaverint, eis cum miſericordia pœnitentia injungatur: quam ſi neglexerint, in carceribus detineantur. Si autem ejiciendi ſint à Religione, ſerventur dicta decreta ſacræ Congregationis Concilii de Regularibus Apoſtatis, & electis.

§. 25. In excommunicationis ſententia ferenda in ſubditos, tam Abbas Generalis, quàm alii poteſtatem habentes omninò ſervent decretum Concilii Tridentini, & diſpoſitionem ſacrorum Canonum. Cùm verò lata fuerit excommunicatio, non poſſint abſolvi ab inferiore aliquo officiali. Abſolutio autem ab excommunicatione impendatur in forma Eccleſiæ conſueta. Pœnæ verò, utcumque, aut tempore Viſitationis, aut aliàs à Viſitatoribus, vel aliis Superioribus impoſitæ, diſpenſari, vel permutari, vel minui nequant, præterquam ab Abbate Generali, vel habentibus auctoritatem ſuperiorem, ex cauſa tamen juſta, & rationabili.

§. 26. Nullus etiam abſolvatur, niſi prius ſatisfecerit ei, qui fuerit quoquomodo læſus. Proceſſus verò contra reos fabricati, ſi tempore Capituli Generalis, vel Annalis, reo pro exequutione ſententiæ in pœnitentia exiſtenti, & per ipſum, vel alium coram Patribus veniam humiliter petenti, ac de commiſſis pœnitenti, pœna in toto, vel in parte per Capitulum rationabiliter, & legitimis ex cauſis remiſſa fuerit, nullum amplius contra reum robur habeant, niſi reus in eodem de cætero, vel ſimilia, aut alia graviora crimina relapſus fuerit.

§. 27. In pœnas autem, quæ præſentium Conſtitutionum vigore infligendæ veniunt, in ipſis videlicet Statutis expreſſas, ut carceris, excommunicationis, ſuſpenſionis, & privationis, nolumus aliquem inci-

incidere, niſi de induſtria, vel data opera contrarium fecerit ejus, quod ſibi jubetur faciendum; nec pœoas ipſas luat, niſi declaratione facta per Superiorem, quòd in ipſas inciderit. Superiores autem ipſi non declarent, delinquentē peccatum commiſiſſe, pto quo pœna eſt impoſita, niſi per rei evidentiam, vel aliàs legitimè de crimine conſtiterit; poſt declarationem tamen hujusmodi ipſo facto reus in pœnam impoſitam incurtit ſine nova inflictione. Cauſam verò inflictionis pœnarum quarumcumque vel exceſſos, & ctimen, pro quo pœna imponitur, aut correctionem, Viſitatores ipſi nullo modo externis perſonis revelare præſumant, neque alii hoc ipſum attentare audeant, ſub pœna ptivationis proptiotum officiorum, legitimorum actuum, & carceris reſpective: ac reperta in Viſitationibus nullibi, quàm in Capitulo, aut Abbati Generali, pro complemento ſcilicet juſtitiæ, ipſaque miniſtranda; nec illos, & eorum nomina, qui eis aliqua ſecretò in viſitationibus manifeſtatuut, præſumant aliquo modo tevelare, niſi cùm ad alicujus privationem, vel pœnam fuetit procedendum. Aliter autem facientes puniantur, prout facti qualitas exigit ad arbitrium Reverendiſſ. D. Abbatis Generalis.

§. 28. Ubì verò pecuniaris pœna de jure imponenda foret pro aliquo delicto, vel cùm propter malam adminiſtrationem, ſeu rerum ſubttactionem, vel deperditionem, ſeu furtum ad reſtitutionem aliqui tenebuntur, eam pœnam Monachi luant in corpore, cùm proprium non poſſideant. Condemnatus autem ſi crimen & delictum ipſe confeſſus fuetit, ſententia contra eum lata debet ſtatim executioni demandari; non confeſſus autem, ſi convictus fuerit, poteſt ſimiliter canonicè pœna extraordinaria condemnari. Si quis verò ſponte antequam delatus fuerit, proptium crimen Prælato ſuo pœnitens notificaverit, quod absque proximorū ſcandalo, ac Dei offenſa temitti poſſit; miſericordiæ auxilium ei prima quidem vice imponendum eſſe decernimus, quoad extrinſecum forum, alia minori injuncta pœnitentia ſalutari, quòd ſi in eadem crimina recidat, ad ſtatum priſtinum teducatur, ſi de recidivo lapſu ſufficiens probatio habeatur.

Quamvis verò in criminum perquiſitione, & correctione juris rigurem Monachi ſervare non teneantur, ſed juxta Congregationis Inſtituta, Conſtitutiones, & Regulam pœnæ injungendæ ſunt, quæ aut expreſſæ habenrut, aut inde deduci poſſunt: in atrocibus tamen cauſis, & criminibus in manifeſtam Dei, vel proximi offenſam commiſſis, ad quorum petquiſitionem, & correctionem majori, & efficaciori legum, & juris, & forſan ſuperiotis poteſtatis, aut etiam brachii ſæcularis auxiſio opus eſſe dignoſcetur, Abbas Generalis cum conſilio ſapientis (prout opus fuerit) de jure procedat.

§. 29. Quemadmodum Viſitatores, & Prælati in corrigendis exceſſibus eum ſcopum habere debent, ut errantes ad viam vetitatis reducant, omni affectu remoto, vel amoris, vel odii, charitatis, & pacis ſtudio tantū impulſi; Ita ſubditi nocentes patienter ſe debent obediendo correctioni ſubjicere, omni murmuratione, aut reluctantiæ obſtaculo ſemoto. Quicumque autē ſe oppoſuerit verbo, aut facto directè, vel indirectè, ſeu etiam ab extetnis petſonis, aut laicis auxilium, conſilium, favorem, ſeu literas animo ſe oppoaendi, aot non obediendi, vel aliàs obtinuerit, impetraverit, procuraverit, ſeu etiam quovis modo impedivetit, vel fecerit, quòd mandata, & ſententiæ contra eos latæ executioni demandari non poſſint, ſive hæc ipſa laicis, & extraneis notificaverint, ſeu à propriis Conventibus, etiam ſub prætextu ad ſuos Superiores recurrendi, abierint; pœna duplici, & tanquam proprii Inſtituti deſertores puniantut. Fractores item carcerum pro ſimilibus cauſis pari modo puniantur.

A Prælatorum ſententiis, & mandatis pro correctione legitima nullus appellare poſſit. Si quando autem ex juſta, & rationabili cauſa recurrendū fuerit ad Abbatē Generalem, primùm quidem ex cauſa inferiorum ad ipſum, ad Diffinitoriale verò Capitulum ex cauſa ejus, & ad Capitulum Generale ex cauſa Diffinitorialis; attamen pro tecurſu hujusmodi, mandatorum obedientia nullatenus prætermittatur. Itaque ſi recurrendum eſt, ac recurrere voluerint, obediant, & recurrant: & ſi juſta judicata, & probata fuerit recurſus cauſa pro gravamine illato recutrenti, puniatur atrocius, qui gravamen intulit, ne obedientiæ bonum, malum alteri operandi, & iniquitatem exercendi occaſionem præbuiſſe videatur.

§. 30. Cùm igitur de aliquo Monacho criminoſum aliquid inventum fuetit, per tres, vel duos teſtes, vel quòd ipſe idem crimen legitimè, & rationabiliter ſit confeſſus, vel aliàs notorium fuerit cum evidentia patrati ſceleris, ita ut non indigeat clamore accuſationis; mox ipſo Monacho, & crimine publicato, ac teſtibus, ſeu legitima confeſſione ipſius coram ipſo, gravioris culpæ pœna caſtigetur, ſecundùm noſtræ Religionis Statuta. Quòd ſi fortè corrigendus præſens non fuetit, ipſe Viſitator per ſuas literas crimen, vel crimina, & teſtes continentes, mandet Præſidenti illius Monaſterii, in quo tunc corrigendus Monachus commoratur, ut ipſum in pleno Capitulo cor-

corrigat (ut diximus) nomine, ac teſtimoniis publicatis. Teſtes autem hujusmodi contra Monachos admittantur, tam de Monachis Religionis noſtræ, quàm de ſecularibus bonæ famæ, & converſationis honeſtæ, qui veriſimiliter perhibere poſſint teſtimonium veritatis, quique non timore, vel odio, ſed charitate ducti, ac juramento præcedente (ut dictum eſt) veritatem aperuerint. Verùm ſi per unum Monachum tantum, vel ſæcularem inventum fuerit de aliquo aliquid criminoſum, non adhibeatur ei gravis culpæ correctio; ſed id fideliter redigatur in Actis clauſis, & proprio ſigillo ſignatis, ſi fortè alibi in alio tempore poterit per alium, ſeu alios idem crimen certiùs detegi, & ſic juſta adhiberi punitio, adhibeatur; niſi fortè de his, tam Monacho, quàm crimine fama publica evolet, quæ cum teſte uno gravioris culpæ correctionem expoſcit; vel ſi teſtes non poſſint haberi, ubi malè accidit apud perſonas graves, vel fide dignas, ei purgatio indicatur; in qua ſi defecerit, puniatur, ac ſi contra eum foret per teſtes idoneos comprobatum.

§. 31. Cæterùm volumus, ac diſtrictè præcipiendo mandamus, ut ad inquiſitionem ſpecialis perſonæ ſuper ſpeciali crimine, Viſitatores Generales Religionis cùm non poſſint ex officio, non procedant, niſi fortè aliquis fuerit primo legitimè accuſatus, aut fama publica id expoſcat, vel niſi ſpecialè commiſſionem ſuper hoc habuerint ab Abbate Generali. Quæcumque verò in viſitationibus providenda cenſebuntur pro ſpiritualium cultu, & temporalium adminiſtratione, Viſitatores in ſcriptis redigant, & ſub pœnis eis bene viſis inviolabiliter mandent obſervari. Ordinationum autem per ipſos in Monaſteriis factarum, exemplar in libro Viſitationum apud ſe retineant; ut cùm aliàs Monaſteria illa viſitabuntur, Viſitatores alii cognoſcere poſſint, an obſervatæ, & executioni demandatæ fuerint, & in eventú non executionis, prævaricatores debita pœna puniri poſſint. Viſitatores autem ipſi quicumque dum viſitant, alia officia non exerceant, nec temporalia, nec ſpiritualia, niſi tenere Capitulum, ut dictum eſt, per ſupradictos dies viſitando, & delinquentes juxta formam ſuperius deſcriptam corrigendo: Omnia verò alia Præſidentes exerceant in Monaſteriis viſitatis. Abbas verò principalis Monaſterii Abbatiæ, qui habet poteſtatis plenitudinem, cum voluerit, & quandocumque ſibi placuerit, viſitare, ſeu inquirere non teneatur ad prædicta obſervanda, quæ ſuperius enarravimus; ſed poſſit ad omnia, & ſingula ſe extendere, quæ de ſubſtantia viſitationis, & inquiſitionis fuerint de jure.

§. 32. Viſitationem verò ipſam, neque rariùs, ne ſuccreſcant vitia, neque frequentiùs, ne in expenſis Monaſteria graventur, faciendam eſſe decernimus; ſed ſtatuto tempore viſitentur omnia loca, & Monaſteria Congregationis: ab ipſo quidem Abbate Generali ſemel in trienio, item & pluries, ſi neceſſitas exegerit, cum deputato Viſitatore, eo ſcilicet qui Monaſteriorum, quæ viſitantur in Capitulo Generali, Viſitator electus fuerit: ab ipſis autem Viſitatoribus ſemel in anno inter Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes, vel quoties fuerit opportunum, & neceſſarium; ex cauſa tamen urgenti, ad mandatum ejusdem Abbatis Generalis; ultimo autem anno triennii tempore opportuno. Cæteri autem publici Officiales tempore viſitationis ordinariæ viſitentur, & nihilominus in ſingulis Diffinitorialibus, ac Generalibus Capitulis eorum vita & regimen examinentur. Non poſſint verò Viſitatores electi in Generali Capitulo, neque ſoli, neque cum Abbate Generali alienas Provincias viſitare; ſed quisque ſuam Provinciam viſitabit. Tempore autem quo Abbas Generalis viſitare tenetur, ſi impeditus perſonaliter accedere ad viſitandum non potuerit, deputet loco ſui Patrem aliquem ex Diffinitorio ejusdem Quarterii, qui viſitare debeat Monaſteria deputata. In viſitationis autẽ executione circa correctionem, & alia Viſitationis officium ſubſequentia, juxta propriorum officiorum rationem, & poteſtatem ſibi conceſſam ſe gerat: ſed antequam Viſitationem tam ipſe Abbas Generalis in tota Congregatione, quàm Viſitatores in ſuis Quarteriis incipiant, indicent, & collocent Orationes Quadraginta horarum juxta morem Eccleſiæ, pro bono ipſius Viſitationis progreſſu, vel in Abbatia ſancti Spiritus, vel in principali aliquo Monaſterio Quarterii reſpectivè, unde incipienda eſt viſitatio. Monachis autem, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ, & obſervantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces fuderint, ſi confeſſi communicaverint, vel Miſſam celebraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem concedit ſel. rec. Paulus Papa V. in literis, Romanus Pontifex, die 23. Martii MDCVI. editis.

§. 33. Ultra verò ea, quæ morum reformationem, ac Dei cultum, & Eccleſiæ ſervitia concernunt, adminiſtrationem temporalium diligenter Viſitatores inquirant; & in hoc in primis intendant, an bonorum adminiſtratio per diſtinctos Officiales

ciales, ut in Conſtitutionibus ordinatum eſt, facta fuerit, & an depoſitum ſervatum ſit; itemque de receptis, & expenſis rationem videant: & circa expenſas, eas tantum, quæ honeſtæ fuerint, & communes, ac ordinariæ, & juxta Conſtitutionum prædictarum modum præſcriptum admittant, cæteras autem rejiciant: Ac de bonorum tam mobilium, quam immobilium, aliarumque rerum conſervatione, & qualitate, & quantitate ipſorum, eandem inquirendo diligentiam faciant. Fabricas etiam, & ædificia inſpiciant, an reparatione indigeant, aliaque videant, & conſiderent, quæ circa hæc neceſſaria videbuntur. Numerum etiam perſonarum in Monaſteriis attendant, & conſiderent, an tot in eis, & tales retineantur perſonæ, quot, & quales ipſorum facultates ferre poſſunt: & obligationes, ſi quæ extant in Eccleſia, pro divinis Officiis, & ſacrificiis adimplendis, aut quas fidelium devotio, & populi frequentia requirant.

§. 34. Ut autem circa præmiſſa, ea quæ ſunt inquirenda in Viſitatione, & alia ad Viſitatoratus officium requiſita, per Viſitatores ad unguem adimpleantur, nihilque omittatur, quod pro Dei in primis cultu conſervando, augendoque, componendis moribus, corrigendis exceſſibus, ſpiritualibus hoſtibus repellendis, pace tuenda neceſſarium, & expediens judicatum fuerit; ſuper infraſcriptis interrogatoriis, & articulis per ſingula, tam pro perſonis, quàm locis diligentius indagare, & examinare curent.

§. 35. Viſitatores ergò primò accedant ad locum ubi ſacroſancta Euchariſtia, & Reliquiæ Sanctorum aſſervantur, & videant:

An in loco competenti, honeſto, & tuto reponantur.

An qualibet hebdomada renoventur particulæ ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti.

An ſit in debita forma non maculatum, vel corroſum.

An ſit in debito, & decenti vaſe argenteo, intus deaurato clauſum.

An habeat Corporale ſuppoſitum, & mundum.

An in honorifico, debito, & condecenti loco ſit collocatum.

An ſit ſuper tabernaculo ſignum depictum, ad oſtendendum, quòd ibi ſit poſitum Corpus Chriſti.

An ſit benè clauſum clavi.

An ſit in loco non humido.

An diu, noctuque coram loco Euchariſtiæ lampas ardeat.

An ſacræ Reliquiæ in vaſis condecentibus in loco honeſto, & tuto conſerventur.

§. 36. Deinde accedant ad locum ubi ſunt Calices, & Cruces, & alia Sacra, & videant:

An ibi ſint Calices, & Patenæ neceſſariæ.

An Calices ſint fracti, vel maculati.

An ſint argentei, & non plumbei, vel ærei; An in parte interiori aurum ſit conſumptum.

An tutò, & mundè conſerventur.

An ibi ſit Crux pro Proceſſione, & mortuis.

An ſit imago ad dandam Pacem.

An ibi ſint ampullæ ad dandum vinum, & aquam.

An ibi ſint Corporalia, & Pallæ neceſſariæ, ab habente poteſtatem benedictæ.

An in quolibet Calice ſit panniculus ad tergendum, & alius ad volvendum.

An ibi ſit Mantile ad involvendam Patenam pro Subdiacono.

An mundè conſerventur, & cuſtodiantur.

An ſit ibi Thuribulum, & Navicula pro Thure.

An ibi ſint Candelabra pro Altaribus, & Ceroferariis.

§. 37. Deinde videant Miſſalia, & alios libros ad divina Officia ſtatutos.

An ibi ſint libri neceſſarii, videlicet Miſſalia, Antiphonarii, Lectionarii, liber Pſalmorum, liber qui Collectarius dicitur.

An benè cuſtodiantur dicti libri ne corrodantur.

An ſint corroſi, vel maculati, ita ut non poſſint legi.

An cautè cuſtodiantur in Sacriſtia, vel Choro in capſis.

Deinde viſitent paramenta, & ornatus veſtium Sacramentalium.

An ibi ſint paramenta pro Clericis.

An ibi ſint paramenta pro Sacerdotibus.

An ibi paramenta ſint pro Cantoribus, & an ſint paramenta omnium colorum, quibus utitur Eccleſia.

An ibi ſint paramenta pro Altaribus, videlicet unum Pallium, & tria Mantilia linea pro quolibet Altari.

An tutò & mundè conſerventur, ut non corrodantur.

An lacerata paramenta reſarciantur.

An non munda paramenta prima lotione laventur per Clericos in ſacris conſtitutos, & non per mulieres, vel laicos, ne efficiantur profana.

An Miſſæ ſuppleantur juxta obligationes expoſitas in Tabella.

§. 38. Deinde viſitent Eccleſiam, & videant:

An ibi ſit competens Sacriſtia, & locus ad lavandas manus.

An in Eccleſia ſint debita altaria, & ab Epiſcopis conſecrata.

An Altaria ſint collapſa.

An Eccleſia ruinam minetur.

An tecta, vel parietes ſint collapſi.

An Lapis conſecrationis ſit integer, & cum

cum ſacris Reliquiis, debita menſura, hoc eſt unius palmi cum dimidio per longum, & ſimiliter per latitudinem.

An ſit ſacratus, vel ſaltem ſit ibi Altare portabile conſecratum.

An Altaria mundè conſerventur, & ſimiliter tota Eccleſia.

An quodlibet Altare habeat Crucem, & ſuas Imagines.

An in Eccleſia ſit Crucifixus, Imago Virginis Mariæ, & Sanctorum, in quorum venerationem Eccleſiæ dedicatæ ſunt. Ao ibi ſint Campanæ neceſſariæ.

An propè portas ſint fontes lapidei pro aqua benedicta.

An aqna benedicta quolibet Dominico die renovetur.

An in Eccleſia ſerventur frumenta, vina, & cætera prophana.

An in Eccleſia fiant comeſſationes, contractus prophani, tripudia, ludi, &c.

An in Eccleſia ſint portæ neceſſariæ.

An illæ debitis temporibus aperiantur, & claudantur.

An Eccleſia ipſa ſit aliquo modo polluta.

An Cœmeterium ſit undique clauſum, ne animalia illuc ingrediantur.

An Proceſſiones fiant, ut decet, & juxta tempora, quibus obligantur.

Deinde viſiteat Bibliothecam ſtudii, & videant:

An ibi ſint libri ad ſufficientiam pro ſtudeotibus.

An ibi ſint libri prohibiti, ſeu prophani, vel laſcivi.

An debitè cuſtodiantur.

§. 39. Deindè viſitent Infirmariam ubi contigerit, & videant:

An ibi ſint cubilia apta, & ſalubria pro infirmis.

An ibi ſint lecti ad ſufficientiam cum culcitris, linteolis, & tegumentis.

An ibi ſiot vaſa ad Infirmorum curam neceſſaria.

An in Monaſterio ſit, qui curam Infirmorum habeat.

An pro curandis ægrotis conductus ſit medicus.

An infirmorum cura habeatur, & omnia neceſſaria eis cum charitate miniſtrentur, præcipuè Sacramenta Eccleſiæ.

§. 40. Deinde viſitent Dormitorium, & videant:

An in Dormitorio noctu lumen adſit.

An in janμis Cellarum ſint cancellatæ ſuperius.

An communi clavi poſſint aperiri Cellæ ab Abbate, vel à Priore.

An Monachi habeant io Cellis capſas clauſas.

An aliqnid prohibitum, ut arma, libros laſcivos, citharas, & ejus generis Inſtrumenta retineant in Cellis.

Ao ſine licentia & neceſſitate paramenta, apparatus, & alia in Cellis retineant prohibita.

An aliquid proprium in Cellis habeant.

An in Cellis aliquid deficiat neceſſarium pro Monachis.

An in Cellis Monachi retineant, ſicut decet, Imagines Crucifixi, Mariæ Virginis, & Sanctorum.

§. 41. Deinde viſitent locum Hoſpitii, & videat Viſitator:

An Cellæ Hoſpitii ſint refertæ neceſſariis utenſilibus.

An commodum ſit Hoſpitium.

An ſit ſeparatum à Dormitorio, & Clauſtro Monaſterii.

An ſit, qui curam Hoſpitum habeat, & an cum charitate recipiantur, & tractentur.

§. 42. Deinde viſitent Promptuarium, & Horreum cum Coquina, & videant:

An in Cellario ſit vinum pro potu Monachorum.

An dolia, & vaſa vinaria benè cuſtodiantur.

An vinum incuria & negligentia Officialium ſit corruptum.

An in promptuario ſint Mantilia, Oriſtergia, Mappæ, & id genus utenſilium pro menſa Monachorum.

An ibi ſint urceoli, & cyathi ad ſufficientiam.

An iſthæc mundè cuſtodiantur.

An in Coquina ſint utenſilia convenientia, & neceſſaria.

An in Horreo ſit frumentum ſufficiens, & bonum pro victu Monachorum.

§. 43. Deinde viſitent Veſtiarium, & videant:

An in eo veſtes ad ſufficientiam conſerventur.

An indumenta vetera in ipſo cuſtodiantur.

Omnia verò ſupradicta cum Inventario aſſignationis aliàs factæ Abbati, ſeu Priori Monaſterii, viſitent, ut ſciant Viſitatores, an deſit aliquid de aſſignatis; deficientia verò omnia mandent fieri, & provideri, & vetera, ſeu inutilia reſtaurari, mandato in ſcriptis facto.

§. 44. Deinde viſitent omnia loca Monaſterii, & videant:

An ſint ibi omnia pro qualitate loci requiſita, & neceſſaria.

An ſint ibi portæ falſæ (ut dicitur) per quas poſſint Monachi, vel alii intrare, & exire.

His expeditis procedant ad ſingulorum Monachorum examen, inquirendo, & inſpiciendo in communi:

An ſuperfluas, & ſplendidas habeant veſtes. An

An more ſolito, & Monachali ſint nniformiter veſtiti.

§. 45. Deinde in particolari circa mores ipſorum, juxta ſubſequentium articulorum continentiam.

Quot ſint Clerici, & qui.

Quot item ſint Converſi.

Quod item fuerunt in præterito, & qui.

An ad Monaſterium cum mandato fuerint transmiſſi.

An mandato aſſignato recto tramite ad Monaſterium ſe tranſtulerint.

An aliqui à Monaſterio diſceſſerint, ſeu mutati fuerint, & ubi in præſenti commorentur.

An divinum Officium devotè, & diſtinctè ſine deriſu, aut jocis, & colloquio, & non curſim celebretur.

An omnes diu, noctuqne attendant in Eccleſia ad Officium dicendum; & qui ſint, qui non ſurgunt, & quare.

An qui Officium omittunt in Eccleſia, dicant ſeorſum.

An Officium in Eccleſia aliquod omittatur, tam Divinum, quam Beatæ Virginis, & fidelium Defunctorum.

An Officium debitis horis dicatur.

An quotidie Miſſæ in Eccleſia celebrentur, & quot.

An ſæpius communicent, & peccata ſua confiteantur.

An mortui ordine debito, & cum officio & orationibus ab Eccleſia ſtatutis ſepeliantur.

An devotè Miſſas celebrent.

An celebraverint unquam, vel ſciant aliquem celebraſſe duas Miſſas absque paramentis requiſitis.

An aliquam negligentiam, vel malitiam commiſerint, ſeu ob negligentiam, vel malitiam aliquid omiſerint in Miſſa.

An celebraverint coram excommunicatis ſcienter.

An in Eccleſia ſolitis, & conſuetis ceremoniis utantur.

An ipſorum aliqnis excommunicatus, vel interdictus celebraverit.

An ſcienter dederit Euchariſtiam alicui excommunicato.

An celebraverit in Altari non conſecrato, vel cum tabula non conſecrata, vel totaliter fracta, vel in Calice non conſecrato, & paramentis non benedictis.

An ſciant Officium diſponere, cantare, legere, &c.

Quam ætatem habeant ordinati, tam Diaconi, quàm Subdiaconi, & Sacerdotes.

Quamdiu eſt quod ſint ordinati.

A quo Epiſcopo ſint ordinati.

A quo licentiam habuerint ordines ſuſcipiendi

An ante legitimam ætatem, vel ab Epiſcopo excommunicato, vel interdicto fuerint urdinati.

An in Monaſterio ſint Confeſſores deputati, & quot, & qui ſint illi: & de ipſis inquiratnr.

An ſciant audire confeſſiones, & quem ordinem ſervent in eis audendis, & dando pœnitentiam; an ſciant diſcernere inter peccatum veniale, & mortale, & quot ſint peccata mortalia, Præcepta legis, Articuli fidei, Sacramenta Eccleſiæ, opera miſericordiæ, &c.

An omnes Breviarium habeant.

An in Eccleſia pulſetur quotidie Campana ad horas canonicas dicendum, & ſalutationem Angelicam de ſero, & de mane.

An Monachi omnes ipſius Monaſterii ſint profeſſi Regulam, & Ordinem S. Benedicti.

An aliqui de novo profeſſi fuerint.

An aliqui de novo ad Congregationem ſint recepti, & qui, & à quo, & de eorum ætate, & ſufficientia, & qualitatibus.

An Novitii ſimiliter, & profeſſi ſuum officium ſaciant.

An in Monaſterio ſit Novitiorum Magiſter, & qui.

An Novitii regantur, & cuſtodiantur in Dei timore, & Regulæ obſervantia.

An cæteri Monachi ſecundùm Regulam vivant.

An ſervent ſilentium ſuo loco, & tempore.

An ſemper, & ſimul in Refectorio comedant, & cum lectione.

An omnes in Dormitorio dormiant.

An bene, & ſemper geſtent monachalem habitum.

An obſervent jejunia ſecundùm Canones, & regularia inſtituta.

An ibi adſit aliquis vagabundus.

An in Monaſterio fiant aliqua indebite, & contra Regulam Beati Benedicti, & quæ.

An ibi fiant Capitula frequenter, & quid in eis agatur.

An in menſa, vel Dormitorio, vel veſtitu ſit aliqua differentia, & acceptio inter eos.

An ſit ſatisfactum Monachis de panis debitis, & tempore debito.

An portæ Monaſterii, & Eccleſiæ debitis horis claudantur, & aperiantnr.

An ſemel in menſe Cellæ viſitentur ab Abbate, ſeu à Priore.

An aliqui odio inter ſe diſſideant, & qui.

An ſint aliqui Proprietarii,

An Abbas, ſeu Prior bene tractet ſuos ſubditos opere, & ſermone.

An ſubditi debitum obſequium, & obedientiam præſtent ſuo Superiori.

An aliqui faciant ſortilegia, & incantationes.

An aliqui male ſentiant de fide.

An fama, & vox volet contra aliquem de incontinentia, furto, prava converſatione, inhoneſta, ac turpi vita.

An omnes incedant cum decenti habitu, & tonſura ſociati.

An perſonæ aliquæ ſuſpectæ, vel contra honeſtatem Religionis Monaſterium ingrediantur.

An ſciant aliquem eſſe excomunicatum.

An aliqui eorum exerceant negotia ſæcularia, vel mercaturam, vel uſuras, & alios contractus illicitos, vel exigant vectigalia, ſeu alia onera ſæcularia.

An ibi ſint Aleatores, ſeu alicujus ludi prohibiti luſores.

An mechanicis artibus incumbant.

An aliquis ſoleat ſe vino, vel crapula ingurgitare.

An aliquis ſit impudicus re, verbo, vel conſuetudinem habeat cum impudicis perſonis, vel cum ſcurris, graſſatoribus, & his ſimilibus.

An ſint aliqui ipſorum blasphemi, vel conſpiratores.

An in Monaſterio excipiantur exules, & Curiæ contumaces.

An admittantur, vel ſint admiſſi aliqui Converſi, vel Monachi per Simoniam, vel aliqua fiant, vel concedantur.

An aliquis ſit concubinarius, vel habeat filios illegitimos.

An aliquis eorum frequentet Monaſteria Monialium.

An aliquis ſit rixoſus, vel contentioſus.

An aliquis ſit contemptor Regulæ, & Inſtitutorum noſtrorum.

An in locis, ubi ſtudia retinentur, ſint ſtudentes in numero ſufficienti.

An ſint in lectionibus aſſidui.

An ſint nimis elati, vel ſuperbi. An in horis, quibus tenentur, Officium, & Eccleſiam frequentent. An ſit in Monaſterio Lector catholicus, qui eis lectiones exponat, binas ſaltem ſingulis diebus, aut etiam ternas, & an ſæpius in diſputationibus, cum ſtudentibus ſe exerceat; & an Monachis, qui ſtudentes non ſunt, exponantur caſus conſcientiæ, Regulæ, & Patrum collationes.

An Prælatus vitam, & converſationem honeſtam agat.

An quæ ad obſervantiam Ordinis, & Religionis pertinent, diligenter proſequatur, & in exequenda Regula, & Statutis Ordinis fervens conſpiciatur.

An eandem Regulam ad Chriſtianam pietatem, & æquitatem pro ratione perſonarum, & aliarum circumſtantiarum moderetur, ut ſemper primas obtineat fraterna charitas, & magis ſpectetur in omni tempore pietas, quàm exercitatio corporalis.

Num ſæpe ex Monaſterio diſcedens aliò proficiſcatur, & extra illud habitationem ſuam cuſtodiat, vel diu commoretur.

An pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes ſibi ſubjectos nutriat, & conſervet.

An Monachos ad ſtudia Sacrarum literarum, & meditationes invitet.

An communiter convivat cum Patribus in menſa communi.

An ſuperfluos, & vanos faciat ſumptus.

An familiam ſuperfluam, vel equos ad faſtum, & pompam, Principum more nutriat.

An ipſius negligentia Monachi vitam laxiorem ducant.

An ſæpius quàm expediat, exeundi Monachis licentiam concedat.

An vitia intrepidè, & amicè corrigat ſine perſonarum delectu.

An Inſtrumenta, Jura, & Privilegia conſervet.

Quot, & quæ officia ſint in Monaſterio, & qui ſint officiales, & de ipſorum ſufficientia, conditionibus, vita, & moribus, & converſatione.

An ſint officiales omnes ſecundùm Conſtitutiones, & reformationes.

An Monaſterium ære alieno ſit obſtrictũ, & cui, vel quibus, in qua ſumma, & de cauſis eorundem debitorum.

An aliqua bona Monaſterii, & Eccleſiæ, ſeu etiam ſacriſtiæ, mobilia, vel immobilia, vel ſeſe moventia, ſint pignorata, vel alienata, & cui, & pro quanto, & à quibus, & qua de cauſa.

An locationes domorum, terrarum, &c. fiant fideliter, ſine fraude, & damno Eccleſiæ.

An Abbas, ſeu Prior manuteneat, & conſervet bona Monaſterii.

An ſtudeat profeſſiones fieri, ut decet.

An Abbas, ſeu Prior bene defendat jura Monaſterii.

An proventus convertantur in uſus, & neceſſitates Monaſterii, atque utilitatem Monachorum.

Ad quam ſummam aſcendant proventus Monaſterii.

Quot perſonæ poſſint ex illis ali, ſi rectè adminiſtrentur.

An eleemoſynæ juxta Monaſterii facultatem pauperibus erogentur.

An major numerus Monachorum poſſet eſſe, & commodè vivere in Monaſterio ſecundùm facultates.

An aliquo anno ſuperſint aliqui redditus, & quid fiat de illis.

An aliqua cognoſcant reformanda, & corrigenda eſſe in temporalibus pro conſervatione bonorũ, & utilitate Monaſterii.

§. 46. Poſthæc inſpiciant libros computorum, tam in introitu, quàm in exitu, earumque poſitiones diligenter examinent, & attendant, an deficiant in introitu, & an ſuperfluæ ſint in exitu.

Inquirenda à Curatis.

§. 47. An Synodis Epiſcopalibus interſint, illicque referant, & exponant ſuæ Deca-

Decaniæ ſtatum, & Decreta ſynodalia publicent, & exequantur.

An attente invigilent, ut ſi quid adverſus fidem, pietatemque emergat, Revendiſſ. Domino Epiſcopo ſignificent.

An ſciant omnes, & velint populum non coacte, ſed ſponte docere: & an verbum Dei ſinguli pro captu Populi prædicent, & an Orthodoxam doctrinam tradant, & an ædificent, vel corrumpant gregem.

An ſint in Parochia Clerici ſæculares ſine canonica inſtitutione, ſeu ordinatione intruſi.

An aliqui, quibus eſt pleno jure proviſum, ſe intromittant in Eccleſis, ſine prævio examine Epiſcopali.

An vagantes, & incognitos Sacerdotes fugitivos, aut extra obedientiam conſtitutos Monachos, absque Prælatorum ſuorum teſtimoniis admittant, ſeu (quod pejus eſt) an ſuſpectos de fide, aut flagitioſos Sacerdotes, vel Monachos, per quos populus eis creditus ſeduci, aut corrumpi faciliùs, quam doceri poteſt, miniſteriis adhibeant.

An ipſi Curati inſtruant, & doceant populum de his, quæ ad Fidem, & Religionem noſtram pertinent, ut norit quid credere, & quomodo converſari, ac vivere in ſua quisque vocatione debeat.

An ſint inter eos ſegnes, aut cæci Speculatores, & velut canes muti non valentes latrare, qui non ſciant populum à peccatis removere, & incorrigibiles ad eorum Superiores deferre.

An rudes, & parvulos ſuæ Parochiæ diebus feſtis inſtruant, & doceant Symbolum, precationem Dominicam, ſalutationē Angelicam, ſeu Decalogi præcepta, aut ſaltem habeant aliquem idoneum, & Catholicum virum, per quem hoc præſtent.

An Evangelium, & ſacras Literas cum veritate tractent, & doceant juxta homilias, ſententiam, & interpretationem Sanctorum, & Orthodoxorum Patrum.

An quæſtiones difficiles, & perplexas moveant, vel diſputent in Suggeſtis: & num eas adducant, quæ ad populi ædificationem nil faciunt, aut aliquid aliud indecens, & ſcandaloſum proferant.

An ſimul doceant miſericordiam, & juſtitiam Dei, ut pœnitentes ad bene ſperandum inflamment, & malos à peccatis deterreant, non blandientes, & decipientes populum perverſum, dicentes pax, & non eſt pax; & proinde Decalogi præcepta populo frequenter inculcent, atque explicent.

An confirment populum in Catholicæ fidei doctrina, & an ſic plebem edoceant, ut ſuppullulantes zizanias ſciant evitare.

Item an populum admoneant, ut diebus Dominicis, & feſtivis ad divina, quæ in Eccleſiis celebrantur conveniant, concionem ſub ſilentio, & attentè audiant, & memoriæ commendent; & liberos, ac familiam inſtruant ad pietatem, nempe Deum timere, & ſalutem ſuam ei commendare, memoria retinere, & frequenter recitare Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quicquid ad virtutem, bonosque mores pertinet, ſuis Superioribus obedire, ſolvere decimas, & alia debita, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia.

An Sacramamenta ſecundùm ritum Eccleſiæ Catholicæ, & ſecundùm formam Eccleſiaſticam miniſtrent, adhibitis omnibus Eccleſiaſticis ceremoniis, & piis ritibus in Eccleſia Catholica hactenus obſervari conſuetis.

An inſtruant populum de Sacramentis, & eorum gratia, & miniſteriis, ut eis ſecundùm Eccleſiæ traditionem ad ſalutem ſuam religiosè utatur, præſertim, ut Miſſæ, & Officio libenter interſit, & votis Eccleſiæ, vota ſua conjungat; utque unà cum Sacerdote mortem Chriſti Deo Patri pro peccatis ſuis offerat, & frequenti confeſſione ſe expurget, ut ſæpius corde mundo, & avido ad excipiendum Corpus ſanctiſſimum Chriſti ſe præparet, ut diebus feſtis piis tantum incumbat operibus.

An doceant populum Sacramenta, quæ ſint, quid agatur in cujusque collatione, quis eorum fructus, quid velint ſigna externa, & quomodo Dei virtus præſens inviſibiliter eis adſit; quomodo etiam dignè, vel indignè percipiantur.

An circa adminiſtrationem Baptiſmi in concionibus, vel ſermonibus doceat populum, cur aqua Baptismalis benedicatur, & conſecretur; cur baptizandus renunciet Diabolo per Suſceptores; cur exorcizetur, & exuffletur contraria poteſtas; cur ſignum Crucis baptizando toties imprimatur, cur ſal benedictum detur, & aures aperiantur: cur in pectore, ſcapulis, & vertice capitis inungatur: cur induatur veſte candida, cur proferatur eis cereus ardens ad altare, & cur illic accipiat de ablutione, ſeu vino benedicto.

An animadvertant, ut Suſceptores, ſive Patrini ſint provectæ ætatis, in fide Catholica benè inſtructi, ſapienter, & feriò reſpondentes, & tales, qui parvulos, ubi adoleverint, in fide Orthodoxa, ſi neceſſe fuerit, inſtruere poſſint.

An ſit aliquis inter Curatores Eccleſiarum, qui auſus fuerit Canonem Miſſæ omittere, vel mutare: & an ab omnibus religioſus habeatur.

An etiam ſingulis diebus Dominicis, & feſtis Evangelium illius diei ſub, vel intra Miſſam lingua vernacula populo exponat.

An etiam caveant, ne concionis tempore ulla Miſſa celebretur, qoa populus ab auſcultatione verbi diſtrahatur.

An curent ſymbolum totum cani, Præfationem itidem, & orationem Dominicam; ſimiliter an curent, ut imaguncula Crucis Domini pacificatoris omnium, ab ore ſacerdotis pacem populo imprecaotis, ad aſtantes deferatur oſculanda ab omnibus, in concordiæ, & pacis ſymbolum.

An doceant populum de Miſſæ myſteriis, atque etiam moneant, ut ad finem usque donec benedictionem ſacerdotalem acceperit, perſeveret, ſpiritualiter ſaltem cum Sacerdote communicando, cum deſiderio ſumendi illud ſanctiſſimum Sacramentum.

An crimino ſos publieos, & qui peccandi occaſionem omittere nolunt, à Communione arceant.

An lectiones ſacras, & orationes (excepto Canone) in Miſſa clara voce prouuncient, ut ab aſtantibus poſſint intelligi, & audiri.

An quando ad infirmos Eucehariſtiam deſerunt, ſaciant deferri lumen cum debito cereorum numero, & eampanulam, ur detur fidelibus ſignum.

An doceant plebem orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur.

An eurent etiam quando in ſolemnibus ſeſtivitatibus circum geſtanda eſt Hoſtia illa ſalutaris, ut tum omnes ludi prophaui, & quicquid non valet ad veram devotionem excitandam, removeantur; inpirimis urnon pulſentur tympana, abſint riſus, joci, conſabulationes, populus autem oret.

An ſint aliqui ex Curatis, qui permittant in ſuis Parochiis aliquem eſſe, qui non ſemel in anno ſaltem peccata ſua confiteatur, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumat: Et ſi quis talis repertus fuerit ab ingreſſu Eccleſiæ probibeatur, & Eccleſiaſtica ſepultura privetur.

An etiam ſint circumſpecti in audiendis conſeſſionibus, & qui norint diſtinguere lepram à lepra, & ita de peccatis inquirere, ne ſcandalum afferant puſillis; & an ſatisfactorias pœnas injungant, an arguant, & increpent publica peccata, publice, & occulte delinquentes in privata confeſſione.

An excommunicatos ſecundùm ſacros Canones evitent, & ab omnibus evitari faciant, ita ut à nemine excipiantur.

An ſciant qoomodo inſtantibus quatuor temporibus, triua proclamarione denunciare populo debeant Clericos ejusdem Paroehiæ, qui vulunt ad ſacros Ordines promoveri, ut uoſcant impedimenta, ſi quæ ſint.

An Sacracramentum extremæ Unctionis cum orationibus, & Litaniis juxta ritum Eccleſiæ ægrotis miniſtrent: & an ſint ex eorum plebe, qui illud Sacramentum eontemnant: & an ſciant infirmos ſacris orationibus, vel ſermonibus conſolari, & à curis ſæcularibus ad ſpem ſalutis æternæ erigere.

An ab ægroto redenntes hortentur illos, qui comitati ſunt ad intentius orandũ pro infirmo in extremis laborante.

An doceant marrimonium deſiderantes, qua religione, & fide in Chriſto conjungi debeant: & an eopulandos hortentur, ut non jungantur, niſi de conſaoguineorum, & amicorum conſilio.

An proclamationes præmittant, ſaltem tres tribus diebus feſtivis continuis inter Miſſarum ſolemnia.

An illis deounciationibus factis norint aliquod impedimentum opponi ad celebrationem matrimonii.

An ſciant qui ſint quatuor gradus conſanguinitatis, ac itidem affinitatis, prohibentes, ne matrimonium contrahatur.

An ſciant quo ſe extendat impedimentum eognationis ſpiritualis.

An clandeſtina marrimonia contrahentibus Sacramenta negentur, qnousque ab excommunicatione abſolvantur, atque ita in facie Eccleſiæ Sacramenti ſolemnia celebrent, & in cæteris Sacri Concilii Tridentini formam ſervaverint.

An ſint in eorum Parochiis, qui exequias, & funeralia parentibus, cognatis, & amicis perſolvere recuſent, non aliter quam ſi anima ſimul cum corpore periret.

An doceant populum, cur aqua, ſal, palmæ, herbæ, & fructus novi benedicantur, & cur aſpergantur aqua benedicta.

An accendantur in Eccleſia Cerei, Proceſſiones agantur, Eccleſia, Altaria, Calices, veſtes Sacerdotales, Campanæ, aliaque Eccleſiæ vaſa conſecrentur, & benedicantur reſpectivè.

An doceant populum, ne ceremonias in ſuperſtitionem vertat, ſed illis religioſè utatur.

An verbo, & exemplo prius prædicent caſtigando corpns ſuum, & in ſervitutem redigendo ſecundùm Apoſtoli doctrinam, ne vita ſermoni repugnet.

An Horas ſuas canonicas recitent, ut tenentur: & an lectioni, ac ſtudio Scripturæ ſacræ incumbant, & quos libros, & auctores præter Bibliam habeant.

An in habitu, & tonſura clericali incedant, ut decet, & vitæ, quam profitentur, convenienti.

An ſint aliqui Rectores, qui in propriis Eccleſiis perſonaliter non reſideant, & quos habeant illæ Vicecuratos, qui ſint per Ordinarium loci examinati, & admiſſi, & habeant unde poſſint ali, ita ut non cogantur ſervilibus, & ſordidis uegotiis ſe dedere.

An

An ſint in Parochiis Oratoria conſtituta, & Juſpatronatus Eccleſiarum, & qui ſint.

An eo jure, & ſecundùm fundationes legitimè utantur: & num ſint, qui hujusmodi Beneficia ſupprimant, vel extinguant, an eorum redditus, ac res, & bona occupentur, vel diſſipentur.

An in eorum Parochiis aliqua ſint Hoſpitalia pauperum conſtituta, & an eorum Præfecti benè miniſtrent, & ſingulis annis rationem reddant.

An in eorum Parochiis jejunia, abſtinentia à carnibus, dies feſti, Proceſſiones Dominicales, & ritus Eccleſiæ obſerventur.

An in eorum Parochiis vigeant ſuperſtitiones, maleficia, blaſphemiæ, ſacrilegia, perjuria, adulteria, ſtupra, inceſtus, odia, uſuræ, & contemptus præceptorum Dei, ac Eccleſiæ jurisdictionis.

An prædia, cenſus, & jura Eccleſiarum conſerventur: & an Campanarii, ſeu Cuſtodes Eccleſiarum ipſorum fidei commiſſa ritè adminiſtrent, & cuſtodiant.

An populus oblationes Altari Domini ſaltem in quatuor feſtis principalibus deferat, aliaque jura parochialia ſecundùm morem ab Eccleſia Catholica olim receptum.

An proviſores Parochialium Eccleſiarũ præſumant pro ſuo arbitratu de rebus Eccleſiarũ diſponere abſque conſenſu ſui plebani, & num illi rationem bis in anno reddere recuſent.

An ſint penes illos Monachi, ſeu Moniales Apoſtatæ, qui falſis conjugibus copulentur, vel qui habitum Religionis abjecerint.

An ſint apud illos Monachi Apoſtatæ, qui ſub prætextu diſpenſationum Apoſtolicarum vota, & Inſtituta ſuæ Religionis deſeruerint, affectantes ſe intrudere in miniſteria Eccleſiaſtica, antequam diſpenſationes eorum ſint ritè examinatæ, & admiſſæ juxta Decreta Provincialia.

An populus ſuæ Parochiæ præſtet ſe ipſi obſequentem: & an ſint aliqui, qui habeant libros prohibitos, vel Deum, Sanctos, aut res ſacras irrideant.

An admoneant ſuas Cõmunitates ruſticas, ut à circumambulatione Cœmeteriorum ſub concione, & divinis officiis, abſtineant, &c.

An ſæculares Magiſtratus jurisdictionem, & libertatem, immunitatemque Eccleſiaſticam impediant, ſeu perturbent.

An judices ſæculares in cognitione beneficialium, cauſarum matrimonialium, decimarum, & aliarum cauſarum ſpiritualium ſe intromittant.

An in eorum Parochiis admittantur ludimagiſtri ad inſtituendam juventutem, quorum fides, mores, & inſtituendi modus examinatus non ſit.

An doceantur in Scholis Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ artes, ſeu quicumque alii libri prohibiti, & continentes morum corruptionem.

An pauperum in ſua Parochia exiſtentium curam habeant, quibus etiam de eo, quod ſupereſt, victum ſuppeditent neceſſarium.

An ſint qui teſtamenta quæcumque dolo ſupprimant, vel occultent, & quæ Eccleſiis ſeu pauperibus, & aliis piis cauſis legata ſunt ſibi retineant, vel aliò, quàm teſtator deſtinaverit, convertant.

Inquirenda in Monaſteriis Sanctimonialium.

§. 48. De eisdem ferè, pro Viſitatorum tamen circumſpectione, & prudentia, inquirendum eſt in Monaſteriis Sanctimonialium, exceptis articulis, qui ſolos Monachos propriè reſpiciunt, quorum loco Viſitatores alia interrogatoria congrua perſonis ſubſtituent, qualia ſunt, quibus affectibus, & qua forma ad electionem Abbatiſſarum, & aliarum quibus Monaſteriorum regimen commiſſum eſt, procedatur.

§. 49. An in eligendo ſervetur Regula, & abſit affectus, & corruptela. Quomodo ab his, quæ aliis præſunt, ea gerantur. Et in primis poſt inquiſitionem factam de Abbatiſſa, Prioriſſa, Subprioriſſa, Celleraria, Procuratrice, & reliquis Officialibus, quærendum eſt.

An ſit in Monaſterio puellarum Præfecta, quæ eos educet ad pietatem, & Religionem. Quibus libellis, vel ad proficiendum in ſpiritu, vel ad precandum Deum, virgines utantur, qui ſunt inſpiciendi ſimul cum libris, quibus utuntur in divinis officiis.

An habeant Concionatorem aliquem virum gravem, Catholicum, à quo audiant verbum Dei diebus ſaltẽ feſtis: & an idem, vel alius non minori gravitate, integritate, & prudentia audiat eorum confeſſiones.

An ſuis temporibus juxta Regulæ præſcriptum communicent. Item de obſervatione divini cultus, ut ſupra de Monachis.

An habeant fidelem, & bonum Oeconomum, qui quater in anno, & toties quoties requiritur, paratus ſit reddere negotiorum ſuorum rationem: Et an hactenus res Monaſterii meliores fecerit, vel ſaltem non deteriores, & tales viri Viſitatoribus ſiſtendi ſunt, & examinandi de vita, & doctrina.

Quærendum de Eccleſiis incorporatis, ſi quas habent.

An pateant virorum conſpectui, ſeu permittant illos Monaſterium ingredi, dempta inevitabili neceſſitatis cauſa.

An

An habeant picturas non honeſtas in ſuis cubiculis, & ſæcularibus potius convenientes.

An converſationem aliquam ſuſpectam habeant cum externis.

An permittatur eis literas accipere, vel dare extra Monaſterium, quas non prius legat Abbatiſſa, vel illa, cui regimen Monaſterii incumbit.

An illis permittatur cum extraneis privata colloquia habere, & ſuis uti diverticulis.

Quibus artificiolis tempus, quod ſupereſt à ſacris lectionibus, precibus, & contemplationibus divinis, impendatur. Breviter, num exercitationes amplectantur, quæ mentem potius Deo dicatam diſtrahant, atque ad mundum revocent, quàm uniant, & afficiant.

An ſint inter eas conſpirationes ſeu (ut vocant) conventicula.

An ſint aliquæ, quæ diſſidia, rixas, & contentiones excitent; & an ſint iracundæ invidæ, odii tenaces, contumelioſæ, ſeu dicaces, & mendaces, &c.

Interrogandum eſt ut ſupra de Monachis dictum eſt, de obedientia, paupertate, ad quid proprium poſſideant, & de continentiæ cuſtodia.

De menſa communi, quis, & qualis victus ſingulis quibusque temporibus præbeatur, & an propter hoc verſentur querimoniæ inter ipſas. Indagandum an alicubi Religionis ſuæ ſanctè inſtitutæ, quam profeſſæ ſunt, habitum depoſuerint, & veſtes ſeculares Religionis tædio induerint cum fidelium ſcandalo, & vitæ quam profitentur, ignominia, cùm videantur Religionem cum veſte depoſuiſſe, ſicut impudica mulier cum veſte pudorem deponit. Et tales ſub excommunicationis pœna monendæ ſunt, ut depoſitum habitum recipiant, ne aliæ videri velint, quàm quales ſe profitentur, hoc eſt ſponte Deo dicatæ.

An ſint, quæ ſtultam aliquam ſuperſtitionem teneant, quibus eripiendus eſt hic error, inflammandæque ſunt ad verum Dei cultum, ac ipſius charitatem.

Inquirenda in viſitatione Abbatis Generalis, & Viſitatorum Generalium.

§. 50. An ſit circa Dei cultum diligens, & aſſiduus, & domus Dei zelum habeat, & quotidie Miſſam audiat, divinumque officium recitet, & ſæpius celebret: & an ab aliis hoc idem fieri curaverit in omnibus locis, & Monaſteriis. An ſufficientem numerum Monachorum pro divinis exercendis in Monaſteriis ſtatuerit.

An de idoneis Officialibus pro Regimine Abbatiæ, & aliorum Monaſteriorum providerit.

An permiſerit per Officiales Monaſteria dilapidari, & eorum bona non fideliter cuſtodiri.

An Monaſteria nimis gravaverit, & quomodo.

An luxum oſtentaverit in equitando, convivando, & veſtiendo.

An ſervaverit votum Paupertatis, & Caſtitatis, Regulæque & Patrum Statutis obediens fuerit, illaque obſervaverit, & reſpectivè ab omnibus obſervari fecerit: & an propietarius ſit.

An Religionis jura tueatur, & ferventi zelo defendat.

An bonum exemplum ſuis ſubditis, & Monachis præbuerit.

An vitia ſine perſonarum delectu debitè corrigat.

An ſua negligentia Monachi deliquerint. Alia verò interrogatoria poſſunt deduci ex ſupradictis articulis.

§. 51. De Viſitatoribus eadem pro majori parte poſſunt inquiri, & interrogari. Si verò Commiſſarii fuerint, inquiratur ſuper eorum commiſſionibus, an eas fideliter, & diligenter executi, ſeu transgreſſi fuerint.

§. 52. De Procuratore autem Generali, ac Depoſitariis diligentius inquiratur, & examinetur de exactionibus, & ſolutionibus per eos factis.

An Depoſitarii diligentes fuerint in exigendo impoſitiones taxatas in Capitulo, & an omnem ſummam exactam conſignaverint, & an aliquid ultra id quod in Capitulo taxatum, & impoſitum eſt, exegerint.

An Procurator Generalis pecuniam publicam ad ejus manum transmiſſam, juxta diſtributionem, & ordinationem factam in Capitulo diſtribuerit, ſeu aliàs ipſam in alios uſus converterit: & an jura Congregationis in litibus defenderit, & an Inſtituta Congregationis, & ipſius Conſtitutiones, & privilegia apud Curiam, ſine conſenſu Capituli immutaverit, ſeu immutari procuraverit.

De Proceſſu judicii.

§. 53. Ut autem Viſitatores, & Commiſſarii, ac Prælati noſtræ Congregationis legitimam in ſubditos poteſtatem habentes, ritè, rectèque ac ſecundùm Canonica Inſtituta procedant in judicando: Quia Dei vices gerunt, meminiſſe in primis debent ad rectum judicium præcipuè requiri, ut Judex poteſtatem habeat judicandi, ſeu ex juris diſpoſitione conceſſam, aut ex officii, vel dignitatis ratione provenientem, aut collatam, ſeu commiſſam, vel delegatam, aut arbitrariam: ut

causa

canſa cognita, & ſecundùm facti veritatem, & cum veritatis judicio, & ſine perſonarum delectu judicet. Poſtremò requiri debet probitas, & ſecundùm animi, & vitæ rectitudinem procedatur usque ad ſententiã: ideoque attendere debent judices, ne eorum poteſtas uſurpata ſit, nevè ex facti ignorantia, ſeu paſſione aliqua veritas cæletur, nec poteſtate, quam habent ſe ſe indignos, aut ſuſpectos efficiant, ut eorum judicium pravum, & temerarium neutiquam judicetur.

§. 54. Debent præterea Viſitatores, & alii animadvertere, poteſtatem corrigendi, quæ Prælatis conceditur, circa factum verſari, non autem circa ea, quæ accidere poſſunt, ſeu quæ occulta ſunt: De occultis enim non judicat Eccleſia. De quibus tamen Viſitator, & Prælatusmet delinquentem ſolum corrigere debeat. Judex ideò judicare debet non ſecundùm facti conſcientiam, ſed ſecundùm allegata, & probata, neque officio teſtis, aut accuſatoris fungi debet; ſed eſſe indifferens, ac in neutram partem propenſus.

In omni autem judicio quatuor eſſe perſonas ad invicem diſtinctas, neceſſe eſt: Judicem ſcilicet electum, Accuſatorem idoneum, Defenſores congruos, & Teſtes legitimos. Debent ergo Judices factum ſecundùm juris ſcientiam judicare, quæ conſiſtit in allegatis, & probatis in proceſſu, & judicii veritate, reſpectu confeſſionis rei, aut convictæ, & legitimæ probationis. Debene tamen (cùm veritas facti aliter ſe habeat, quàm veritas judicii) quantum poſſunt, ſalva juſtitia, laborare ad repellendum accuſatorem, & teſtes contra eos, quos ſciunt Innocentes adductos, ut eos liberare poſſint. Quód ſi nulla juris exceptione, neque teſtes neque accuſatores repellere poſſunt, remittane judicium ad Superiorem, cui ſignificent veritatem.

Debent præterea conſiderare Judices ultra jurisdictionem, & poteſtatem in judicio, concurrere correctionem, & pacem: ſicut enim eos, qui noſtræ jurisdictioni ſubjecti non ſunt, judicare minimè poſſumus, ita ſubditos noſtros, quos judicamus, ad correctionem, & pacem, judicare debemus; corrigendi enim ſunt delinquentes, ut emendentur, & ut pax Congregationis, & Eccleſiæ conſervetur: Ideoque in præjudicium multitudinis, & pacis Eccleſiæ, & Congregationis non eſt reia miſerendum; membrum enim putridum reſecandum, & abſcindendum eſt, ne reliquum corporis corrumpatur.

Poſtremò debent Judices in cauſa propria maximè circumſpicere, ne ſeveriùs agant, nevè odio leges confundant. Judex enim in ſe delinquentes non intuitu perſonæ ſuæ, aut propriæ excellentiæ, & honoris; ſed intuitu Dei, & Eccleſiæ, cujus Paſtor eſt, plectere debet.

§. 55. Triplex verò eſt via procedendi in judiciis, formandisque proceſſibus, ad corrigendos exceſſus, qui non ſunt notorii, videlicet per accuſatiooem, denunciationem, & inquiſitionem ſpecialem. Notandum eſt, quód defenſiones ipſæ non ſune anguſtandæ, quinimò dandæ ſunt competentes dilationes, etiam usque ad quartam vicem, ad omnia, & ſingula facienda pro rei innocentia manifeſtanda, & probanda.

§. 56. In ferenda verò ſententia ſcire debent Judices, quód io confeſſos, vel convictos tantum poſſunt animadvertere: Confeſſum autem dicimus, cùm quia ore proptio, proprium crimen coram Judice fatetur; hæc autem confeſſio contra confitentem tantum militat ad ſerendam ſententiam, non autem contra criminis ſocios. Socii ergò criminis, niſi & ipſi crimen confeſſi fuerint, non poſſunt condemnari; convictum autem eum dicimus, qui de crimine ſibi imputato, convincitur.

§. 57. A ſententia verò à Judice lata pro legitima correctione non datur appellatio inter Monachos, niſi correctio modum excedat. Quia verò remediũ appellationis non idcò inventum eſt, ut alicui ſit patrocinium in ſua nequitia perſiſtendi: ideò ſiquando quispiam ſubditorum ad remedium appellationia confugerit, non propterea minus juxta Regulæ mandata, & Conſtitutionum diſpoſitionem, corrigendus eſt.

§. 58. Proceſſus autem contra reos formati, lata ſententia, ſerventur usque ad proximi Annalis Capituli, aut Generalis convocationem; in quo cauſa, ut in proceſſu deducta recenſeatur, ſi reus reclamaverit, aut reclamare voluerit de exceſſu pœnæ, aut aliàs de injuſtitia ſibi facta: relatoque atque conſiderato proceſſu per Diffinitoriales Patres, cum moderatione, vel ſine, aut retractatione ſententiæ (prout eis de jure viſum fuerit) cauſæ perpetuum ſilentium imponatur, & Proceſſus conſerventur; ſed & Judices, qui ſeverius in reos animadverterint, & injuſtitiam fecerint, pro modo culpæ, & exceſſus in Capitulo redarguantur ſecundùm juris diſpoſitionem. Reo autem reclamante, nihilominus deferatur Capitulo proceſſus, & relata cauſa proceſſum comburi mandetur, & perpetuum cauſæ ſilentium imponatur; de quibus omnibus decretum, facta mentione de crimine, & reo, & ſententia contra ipſum lata, inter acta Capituli conſcribatur. Quicumque autem querelas exponere voluerit de injuſtitia ſibi facta, teneatur perſonaliter, ſi poterit, aut per literas ſignificare Diffinitoribus querelam, tempore Annalis Capituli, aut Generalis:

quod ſi eo tempore non reclamaverit, non amplius audiatur. Intra triennium verò recurſus, & appellatio ab injuſtitia à minoribus, & privatis Officialibus intra menſem, & quamprimum poterit, ſi legitimè non fuerit impeditus, ad Abbatem Generalem pro tempore exiſtentem, perſonaliter, aut per literas habeatur, juxta modum ſuperius expreſſum.

Qui ſicut pro legum obſervantia, transgreſſorum errores conniventibus oculis diſſimulare, eorumque correctionem differre non debet, ita eos ſeverè, aut injuſtè puniri pro virili parte, permittere non debet.

De modo, & forma procedendi in viſitatione Abbatis Generalis.

§. 59. In agro Domini nulla arbor infructuoſa eſſe debet, ut Scriptura ſancta teſtatur: ita & vinea, quam ſanctiſſimus Pater Monachorum Benedictus plantavit, ad inſtar Vineæ Domini, cùm ſepibus diſciplinarum circumdata ſit, & muro virtutum inexpugnabili, ac Apoſtolicis favoribus munita; ſic à Cuſtodibus, & Procuratoribus in dies cuſtodiri decet; ut dum Agricola ſuo ſempore locatam vineam deſidioſus excolit, & inutiliter agit, rationem inutilitatis hujusmodi, ac deteriorationis ab ipſo exigant, & compellant ad emendationem. Cuſtodes autem, & Procuratores noſtræ vineæ ſunt Patres Diffinitorii: Agricola verò eſt Abbas Generalis, qui non abs re apro, vel alteri fero comparatur, cùm ad culturam Religionis aſſumptus, ſpretis bonorum operũ ſtudiis, abjectiſque regularibus diſciplinis, ſepes, & murum evertit, ſacrilegis pedibus vineam ipſam conculcando, & fœdatis manibus bonæ arboris fructus ſua voluntaria falce impiè ſecando, propriæ ſuæ voluntati, & voluptati indulget; Religionemque ipſam, Paſtoris nomine deperdito, Mercenarii autem ſimpliciter aſſumpto; Patrum decreta, & ſanctiones, ac denique bonos mores omnes pervertens, damnabiliter ingreditur ad eam corrumpendam, cui merito & aper, & ſingularis ferus, ac inſuper mercenarius comparantur.

§. 60. Hinc opportunè Patres providere volentes, in Tutores, & Conſervatores ipſius Congregationis eoſdem Diffinitorii Patres in ſingulis Generalibus Capitulis pro ſingulis trienniis eligi, ac deputari mandaverunt, ut reſiſtant, & ſe opponant, frænando, ac tanquam Congregationis propugnatores, & zelatores boni nominis ejuſdem arguentes, obſecrantes, Patrem Abbatem à ſuis temerariis geſtis omnino repellant, Prophetæ dicto obedientes, *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram:* nam ſuper Monachorum transgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones, Abbas eligitur, mandatorumque cultor, & vitiorum ultor. Non enim eſt Abbas ſuper Regulam, cui ſemel, & ipſe ſe ſponte ſubmiſit, cùm profeſſus illam fuit: Si verò ſecus agere præſetulerit, & verè Religionem diſponere, ac in Dei ſervitium incumbere ſtatuerit, & voluerit, in ea ſicut in vinea Domini bonas arbores plantando, bonorum operum fructus verè parituras, malasque incidendo, & inſerendo meliores; præfati Diffinitoriales Patres ſumma cum reverentia, timore, & amore aſſiſtere, ipſique ob prædictorum executionem faciles, & promptos, realiter, & cum effectu ſe exhibere debent in omnibus, & per omnia ſimiliter obtemperaturos.

§. 61. Quapropter de Abbatis Generalis viſitatione, tam conveniens, quàm neceſſarium fore judicavimus modum, & formam in his Conſtitutionibus inſerere, ut ſecundùm eam ritè, rectèque poſſint Patres, quandocumque diffinitorialiter congregantur, dictum Abbatem Generalem viſitare. Venturi ergo prædicti Patres ad Monaſterium, ubi Capitulum retinendum eſt, ſi in eo Abbas Generalis præexiſtat, cum primum ad portam venerint, ab ejuſdem Abbate, ſeu Priore opportune occurratur, quos ad Eccleſiam devotè ducat: ubi facta oratione, datoque pacis oſculo (ut moris eſt) ad hoſpitium hilariter deducantur: ibique mox, ut ſe adaptaverint, aliquantiſper quieſcant, quouſque Abbati Generali fuerit adventus eorum per Abbatem, Priorem, vel Vicarium denunciatus; & tunc ad exhibendum eidem Abbati Generali reverentiam humiliter, & ſubmiſſè veniant, qui ut eos ad ſe advenientes præſenſerit, ſe ipſum accommodet ad eos recipiendos, quos ad oſculum manus, & complexum benignè accipiat, illos apud ſe aſſidere jubeat; ac demum paucis verbis ultrò, citròque habitis de perſonarum incolumitate, mutuo congratulentur, gratias Domino Deo JEſu Chriſto devotè agentes. Tunc ſi quid occurrit, præter tamen viſitationis materiam, breviter recitetur, & ad cellas Hoſpitii revertantur.

§. 62. Si verò (quod abſit) in ipſo Capitulo Abbas Generalis viſitari, ſeu propterea ad dictum Capitulum venire, malitioſe diſtulerit, vel recuſaverit, antiquior, ac dignior ipſorum Patrum, qui ad dictum Capitulum convenerint, de conſenſu Collegarum, & Confratrum ſuorũ reverenter intimet, & moneat dictum Abbatem Generalem, quod ad inſtar prædeceſſorum ſuorum, & ſecundùm Ordinis ſtatuta in tempore viſitationis ſolitæ faciendæ ſe debeat, & viſitari permittat: qui ſi nedum voluerit ſe emendare, & in ſua perſtiterit ſuperbia, reſcribatur ei uſque in tertium. Qui ſi adhuc pertinax fuerit, adhibito conſilio

alio-

aliorum Diffinitorialium Patrum Deum timentium, prædicto Abbati Generali locum, & tempus aſſignent, quo venire ipſum omninò compellant; & contra Ordinis regularia inſtituta præſumentem primùm acriter corrigant, & emendent, deinde ad viſitationis ſuæ executionem ordinariè procedere feſtinent. Ipſos Patres à die, qua viſitationem auſpicati fuerint, prandere, & cœnare ſimul convenit, quibus hoſpitalitas à Priore Abbatiæ, & eo abſente à Superiore benignè, & honorificè præſtetur, ſollicitusque ſit Prior, ne aliquid deſit ob negligentiam ſamulorum, vel Cellerarii incuriam.

§. 63. Verùm decentius arbitramur illis tribus diebus, ſi aliquod non ſucceſſerit impedimentum, in Conventu comedere, & in nocte cum Abbate, ſeu Priore ad matutinas horas ſurgere. In aliis verò diebus, videlicet ante, & poſt viſitationem cum Abbate Generali diſcumbere debent, ab eoque bonorificè tractari, & recipi, ut convenit. Qui tamen omni cum reverentia, & ſubmiſſione quicquid bonoris tribuitur, accipiant, non tanquam ſibi, ſed officio debitum

§. 64. Cùm autem opportunum tempus inſpexerint prædictæ viſitationis negotio peragendo, qui primns, ac dignior eſt in Capitulo Diffinitoriali, reverenter ipſi Domino Abbati Generali intimet, ſi placer illa die Capitulum retinere pro hujusmodi viſitationis negotio proponendos ſi illo dle retinere placebit, libenter annuat eidem, ſin minus, in ſequentem ad ſummum differat, & tunc ab ipſis Patribus, & ſociis modeſtè comitatus, ad locum, ubi ipſum Capitulum retineri ſolet, humilitet veniat, & devotè, ad cujus ingreſſum omnes ſurgant (ut moris eſt) & dicto Jube Domne, &c. lectisque Matyrologio, & uno Capitulo de Regula, videlicet. Qualis debet eſſe Abbas, legatur Capitulum de viſitatione ex integro, per ipſumque Abbatem Generalem declaretur latinè, ſeu lingua materna; & anteqnam in alia incumbat, proponat viſitationis ſnæ negotium; ſeſe viſitationi, & correctioni Capiruli ſubmittens. Deinde patum caput inclinans, cum ſociis tantum exeat de Capitnlo, & revertatur ad cellam ſuam, remanentibus aliis omnibus in eo. Tunc primus, ac dignior Capituli Diffinitorialis, Viſitationis hujusmodi negotium de conſenſu Collegarũ brevi ſermone complectens, ac repetens, cæteris inibi exiſtentibus, & congregatis quæ ſunr agenda proponat, eisdemqne præcipiendo mandet in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in ſingulis, in quibus fuerint interrogati, verè reſpondeant. Poſtea dicant cæteri Patres, ſi quod velint, vel ab altero prius dlcta brevitatis cauſa confirment, & approbent; & ſic petantur à Priore Abbatiæ omnium Monachorum nomina in ſcriptis, & Oblatorum. Qui Priot ſtatim ut Capitulum exietit, in uno parvo Codice Monachorum nomina, & Oblatorum conſcribat, & Patribus ipſis aſſignet, quibus detur unus de Conventu, qui nil aliud agat, niſi Monachos vocet, quos Patres ipſi vocandos juſſerint.

§. 65. Viſitationis autem negotlum in ipſo Diffinitorio per ſingula tractent, & proſequanrur usque ad ipſius abſolutionem. Ad examen autem admittantur non modò qui ſunt de corpore Monaſterii, in quo Diffinitoriale Capltulum retinetur, ſed etiam ſocii Abbatis Generalis, & quicumque Abbates, Priores, & Officiales, qui fortaſſe intervenerint, tempore viſitationis hujusmodi; Ideoque omnes in Capitulo, in quo negotium viſitationis proponitur, intereſſe debeant. Ipſa verò viſitatio expediatur omninò tribus diebus immediatè poſt indictam viſitationem ſequenribus, niſi aliquod grave impedimentum accederet, propter quod eam legitimè deferri oporteret.

§. 66. Viſitatione perfecta (ut præmittirur) habitaque diligenti conſideratione ab ipſis Patribus ſuper omnium depoſitionibus, & Judiciis, ac maturè conſideratis conſiderandis, Patres Diffinitoriales videant primùm, ſi quid in Abbate Generali corrigendum duxerint, tam circa mores in perſona, quàm circa ea, quæ geſſit in Abbatiatu. Deinde ſi quid reſarciendum pro firmamento regularis obſervantiæ, & Ordinis decentia ſimul, & utilitate, incipiendo à capite, id eſt ab Abbatia prædicta ſancti Spiritus de Murrone, quæ eſt ipſius Abbatis Generalis ſedes principalis, & ſucceſſivè per omnes Provincias, Monaſteria, & loca, in ſcriptis notent, quæ notanda ſunt, quæcumque prædicto Abbati Generali dicere, & proponere velint, & ipſorum hujusmodi ſchedulam Abbati Generali aſſignandam pro contentorum in eadem executione propriæ manus ſubſcriptione munianr, & proprio nomine ſignent: cujus exemplar penes ſe primus Pater ſervabit, ut in ſequentibus viſitationibus, eorum, quæ ab Abbate Generali perſecta non fuerint, juxta decreta, ratio reddi poſſit, quare non expleverit; & niſi aliqua legitima cauſa impediverit, quo minus ab ipſo perficiantur, moneant reverentet, & quodammodo cogant, & ad exitum perducanr.

§. 67. His omnibns completis, vocetur Abbas Generalis coram Patribus ad Capitulum, quamquam honeſtius fuerit, & hncusque factum eſt, illum in cellam ducere, ſive cubiculum prædictorum Patrum, exiſtentibus ibidem Priore Abbatiæ, Subprio-

priore, & aliis, vel quinque de Conventu ſanioris partis. Qui Abbas Generalis cum primùm fuerit vocatus, cum ſociis ſuis accedat, & advenienti omnes aſſurgant reverenter, etiam Patres Diffinitoriales, deinde omnes aſſideant, ac paulò pòſt primus de Capitulo, nudato capite paululum, dicat paucis, & modeſtis verbis, qualiter pro obedientia Religionis Viſitationem perfecerint; & ut exiſtimant, à Patrum noſtrorum veſtigiis ne latum quidem unguem diſceſſerint in examinandis quæ Congregationis intereſſent, nec non perſonarum, & ut puta ſequentia.

Incipiat ergo legere eorum annotata, & lecta confeſtim tradantur ipſi Abbati Generali, qui illa devotè ſuſcipiat, ac hilariter ſe paratum ad obſequendum præbeat; poſtea gratias agat Patribus, prout melius videbitur expedire loco, tempori, & perſonis, quòd tam benignè ſecum egerint magis quàm mereretur. Quibus verbis prolatis, ſurgant omnes, & ipſum Abbatem Generalem honorificè comitentur usque ad hoſpitium, unde petita benedictione ſecedant: & die ſequenti prædicti Patres omnes, niſi illi, qui cum Abbate Generali fuerint fortaſſe aliquibus negotiis detenti, ex Abbatia diſcedant.

§. 68. Si autem (quod abſit) Abbas Generalis alicujus criminis reus compertus fuerit, quod apertè ejus dignitatem, vel auctoritatem, & officium imminueret; appelletur coram Patribus ipſis ſolus, & ſedente ipſo Abbate Generali, primus de Capitulo, vel alius eorundem proclamet ipſum Abbatem, & crimen patefaciat. Tunc Abbas Generalis ſurgat, qui ad objecta reſpondeat, & audiatur: qui ſi legitimè & veriſimiliter purgare non poterit, arguatur ab omnibus Patribus Diffinitorii ordinatè, & moneatur una pro trina monitione, quatenus debeat ſe realiter, & cum effectu emendare; ita ut error, qui erat conſpicuus, per publicam emendationem deleatur: Aliàs ad depoſitionis, & alia juris remedia deveniatur.

§. 69. Qui ſit ter admonitus, incorrigibilis fuerit, tunc ipſi Patres Capituli Diffinitorialis convocent ad Generale Capitulum cæteros Congregationis Prælatos, & alios vocem in Capitulo Generali habentes, in quo hujusmodi cauſam contra ipſum Abbatem Generalem diligenter examinent, & quod utilius, & magis expediens videbitur, & judicabitur, maturo conſilio exequantur. Poterunt tamen ſilentium ipſi Abbati Generali imponere per aliquot dies, ut ſe corrigat, ac de perpetratis doleat, ſciatque Religionis viribus ſe poſſe reprimi, & frangi, & ſi tanta fuerit ejus de malis commiſſis humilis confeſſio, dolor, & attritio, ut tutè poſſit ſperari de reali, & efficaci emendatione, & de humilitate, poterunt Patres æqua lance omnia ponderare, & ipſi Patri Abbati Generali honorem, ac reverentiam, & ſolitam obedientiam reſtituere, ut decet. Et hæc tantum de conſideratione notorii criminis haberi debent, & obſervari, & præſertim ſi aliqua læſio, vel præjudicium ſua induſtria Religioni creari videretur. Nam de his, quæ non adeò gravia ſunt, vel quorum odor malus adhuc minus noſtrum, vel extraneorum infecit olfactum, usque tertio monendum diſcretè, & modeſtè Abbatem Generalem conveniens fore duximus, & conſentaneum.

ADDITIO

De reſignationibus Monachorum defunctorum, & piarum Perſonarum.

BOna item relicta ſeu reſignationes, tam Monachorum quàm aliarum Perſonarum, monaſteriis noſtris aut Congregationis, quocunque jure vel titulo, pervenientia & obvenientia, ſi libri, bibliothecis Quarterii illius, in quo deceſſit; ſi utenſilia, neceſſitatibus Monachorum & Monaſterii ejusdem Quarterii; ſi pecunia, vel quid pretioſum, ad augendos redditus illius Monaſterii, de Abbatis Generalis Patrumque Deffinitorialium illius Quarterii mandato, conſultatione & conſenſu applicentur. Quod ſi defunctus fuerit Abbas, vel Vicarius Grancerius, omnia illi Monaſterio, cui præerat, ipſo jure indubitanter accreſcant.

INDEX ALPHABETICUS
HISTORICO-MORALIS
VOCUM ET MATERIARUM
hoc *quarto* Tomo contentarum.

A.

ABbas Generalis totius Ordinis *Cæleſtinorum* [illegible] ſt P. Petrum Cœleſtinum fuit Robertus Prior Monaſterii de Magella. pag. 478. Singulis trienniis eligendus. 415. Omnes Cœleſtinorum uſum Pontificalium & facultatem minores Ordines ſuis Religioſis, aliisque conferendi acceperunt à ſuo S. Inſtitutore ut Papa. *ibid* Abbatum Generalium Congregationis Cœleſtinorum Catalogus. 489.

Ordinis *Sylveſtrinorum* Pontificalibus utitur & minores Ordines ſuis confert Religioſis. 421. Poſt mutatum ſtatum quadriennales ſunt. 416.

Totius Ordinis *Vallumbroſani* erat S. Joannes Gualbertus. 360. Tres primi inter Sanctos relati. 365. Quamdiu perpetui erant, magna pollebant Authoritate. *ibid.* Eorum Regimen primo fuit perpetuum, ſecundo triennale, poſtea quadriennale. *ibid.* Quando uſum Pontificalium obtinuerunt. *ibid.* Cur ſæpe reſidebant in Monaſterio Paſſiniano. *ibid.* Aliquando ex aliis Ordinibus erant. *ibid.*

Abdicationis Papalis dignitatis à S. Petro Cœleſtino factæ forma. 486.

Abſtinentia perpetua à carnibus in Ord. Vallumbroſano obſervatur. 360. Item Sylveſtrinis Monachis. 420. S. Petri Cœleſtini, ejusque Monachorum, quàm ſtricta fuerit. 477.

Accuſationis via de crimine aliquo, quomodo inſtituenda in Ordine Prædicatorum. 200.

Accuſatio falſa, & teſtimonium falſum, quomodo in Ord. Eremit. S. Auguſtini punienda. 344.

Acta primæva Ord. Sylveſtrin. quis ſcripſit? 415.

Ædificia Monialium Ord. Prædicatorum qualiter conſtruenda. 138.

Ætas recipiendorum in Ordinem Erem. S. Auguſtini quæ requiritur. 239.

Æthiopia, in ea fixam ſedem jam dodum poſuit Ordo Dominicanorum. 5.

Albigenſium hæreſim jam ante Ord. ſui inſtitutionem debellare cœpit S. Dominicus 2. Eaodem Fratres Prædicatores quando debellare cœperunt. 7.

B. *Aldobrandius* Petrus Monachus Vallombroſanus per immenſum ignem illæſus tranſivit. 361.

Alleluja & Plurimanos duo in Æthiopia Dominicanorum vaſtiſſima Monaſteria, & fortè ficta. 5.

Alumni Ord. Prædic. non obligabantur mendicare, & quare. 2. S. Dominici quibus nominibus appellari ſolent. *ibid.*

Alexandri IV. P. laus Ord. Prædicatorum. 10. P. Eremitas per Italiam diſperſos univit in Ordinem Regularem ſub Regola communi S. Auguſtini. 219. Verus Auctor magnæ Unionis omnium FF. Eremitarum hinc inde diſperſorum ſub Reg. communi S. Auguſtini. 222. Novum Ord. Eremit. S. Aug. confirmavit, & exemit à Juriſdictione Epiſcoporum. *ibid.*

Alexandri VI. P. Conſtitutio de electione Magiſtri Ord. Prædicatorom. 127.

Alexander VII. P. Sylveſtrinorum Congregationem univit Vallumbroſanæ. 416.

Alexander VIII. P. Bullam Conſtitutionum Congreg. Sylveſtrinæ confirmans. 421.

Alliaco (Petrus de) ſcripſit vitam S. Cœleſtini Papæ. 487.

Alvarez (Franciſcus) relationibus refert Æthiopicum Monaſterium eſſe plenum Monachis ſine ulla Dominicanorum mentione. 5.

America aliqua Cœnobia Virginum Ord. Præd. numerat. 7.

Anna Auſtriaca Ludovici XIV. Regis Galliæ Mater Milites ſacri Roſarii inſtituiſſe creditur. 8.

Annaliſtarum Ord. Prædicat. & Ord. S. Franciſci diſceptatio de abdicatione bonorum immobilium S. Dominici. 3.

Apoſtatæ Sorores Ord. Præd. an, & quomodo recipiendæ, & quomodo puniendæ. 136. In Ordine Prædicatorum redeuntes, quomodo puniendi. 63 Ord. Eremit. S. Auguſtini, quomodo recipiendi, & puniendi. 349.

Appellatio quid circa eam apud PP. Prædicatores obſervandum. 204.

Appennini montes, in iis ſitum Monaſterium primum Camaldulenſis Ordinis. 359.

Aqua bella ſic vocabatur priùs locus, in quo Monaſterium Camaldulenſe ædificatum fuit. *ibid.*

Aquilæ coronatus fuit S. P. Cœleſtinus Papa. 479.

Archiepiſcopos quot dedit Eccleſiæ Ordo Prædicatorum. 6. & Epiſcopos numerat Ordo Vallumbroſanus ultra triginta. 365.

Aſſiſtentium Generalium Ord. Erem. S. Auguſtini officium, & Authoritas, in quibus conſiſtant. 280.

Auctor Congregationis Cœleſtinorum S. Petrus de Murrone. 476. Ord. FF. Prædicatorum S. Dominicus. 1.

Auctores aliqui S. Dominico, ejusque Sodalibus attribuunt Ordines Militares. 8.

Auguſtinus (S. P.) nunquam habuit Canonicos, aut Monachos immediatè ſibi ſuccedentes, & quare. 220. Etſi Monachatum profeſſus, nunquam tamen Regulam ſcripſit pro Viris. *ibid.* Non introduxit novam diſciplinam Monaſticam, ſed uſitatam Mediolani, & Vercellis ſecutus eſt ipſe. *ibid.* Diu ante ejus tempora in Occidente vita monaſtica vigebat. *ibid.* Ejus Regula nunc viris æquè, & fœminis adaptata unde deſumpta? 221. Ejus Sermones ad Fratres in Eremo probantur ab Eruditis eſſe ſuppoſititii, & ſcripti ſæculo tantum XIV: *ibid.*

B.

Baccalaurei, & aliorum ad Studia deputatorum in Ord. Eremit. S. Auguſtini officium, in quo conſiſtat. 328.

Bartholomæus (S. de Cingol) ſecundus Magiſter Generalis Ordinis Sylveſtrinorum. 415.

Benefactores primi S. Dominici, & ſui Ordinis quinam. 2.

Bibliotheca & Libri quanta cura cuſtodienda in Ord. Erem. S. Aug. 338.

Bibliotheca Vaticanæ Præfectura olim ad Priorem Generalem Erem. S. Aug. ſpectans, nunc doctiſſimis aliis Viris concedi ſolet. 226.

Bohemia quot numerat Cœnobia Monialium Ord. Prædicatorum. 7.

Bollandiſtæ de itinere Hiſpanico S. Dominici, & introducta ab eo in Ordinem ſuum mendicitate. 4.

Bona & Reſignationes Monachorum Cœleſtinorum defunctorum ad quos ſpectare debeant. 494.

Boni (Joannis B) Sodales, & Diſcipuli Eremitæ quando Regulam S. Aug. ſuſceperunt? 221.

Bonifacius VIII. Pont. quare S. Petrum Cœleſtinum reſignato Pontificatu arcta cuſtodia aſſervaverit? 486

Bonifacius IX. Papa Conſtitutiones quasdam pro Ord. Prædicatorum nunquam immutandas edidit. 125.

Bonitæ ex Eremitis per Italiam diſperſis erant prima Congregatio ſub Regula S Auguſtini. 220.

Brinenſis Prior Ord. Erem S. Aug. Epiſcopali Juriſdictione in ſuos gaudet, nec ab officio amplius deponi poteſt. 226.

Brittini Eremitæ cum reliquis Eremitis Auguſtinianis uniti fuerunt. 222.

Bulla *Alexandri* VIII. P. Conſtitutiones Congregationis Sylveſtrinæ confirmans. 421.

Cœleſtini Papæ V. Privilegia Monachorum ſuorum Cœleſtinorum confirmans. 480.

Clementis XI. Conſtitutiones Congregationis Vallis-Umbroſæ confirmans. 367.

Honorii III. P. confirmatoria Ordinis Prædicatorum Monaſterio S. Romani conceſſa pro toto Ordine intelligenda. 2.

Innocentii IV. P. congregationem Sylveſtrinorum Monachorum ſub Regula S. Bened. viventium confirmans. 413.

Innocentii VII. confirmatoria Regulæ Fratrum, & Sororum de Militia JEſu Chriſti B. Dominici. 143.

Innocentii XI. P. qua ſtatum præſentem in Ord. Sylveſtrinorum Monachorum confirmat. 416. Ad eoſdem Monachos Sylveſtrinos de Regimine ſuæ Congregationis mortuo Abbate Generali. 419

Urbani II. P. confirmatoria Ord. Vallis-Umbroſani integrè exhibetur. 362.

Bul-

Bulla Urbani VIII. P. confirmans Conſtitutiones Monachorum Cœleſtinorum. 495.

C.

Cajetanus (Benedictus) Cardinalis poſteà Bonifacius VIII. Papa calumnioſè accuſatus, quod S. P. Cœleſtinum ficto miraculo induxerit ad Papatum deſerendum. 486.
Calervogæ (non *Charalogæ*, vel *Carologæ*) natus eſt ſanctus Dominicus. 1.
Calumnia ficta de voce per fiſtulam quaſi cœlitus emiſſam ad inducendum S. Pet. Cœleſtinum ad renuntiandum Papatui, rejicitur. 486.
Canonici Prædicatores primi Dominicani erant. 3. Aut Monachi nunquam fuerunt immediati filii, aut ſucceſſores S. Auguſtini. 220.
Cantoris in Ord. Prædicatorum officium, in quo conſiſtat. 167.
Capitulum Generale *Cæleſtinorum* quoties celebrandum. 485. & 548. Quo tempore. 548. In eo quinam habeant votum. 549. Diffinitoris de agendis in eo. 557. Generale de agendis I. II. III. IV. & V. die ejuſdem. 559.
Primum totius Ord. *Eremit. S. Aug.* quando celebratum fuerit. 222. Generale ejuſdem Ordinis qua forma celebrandum. 266. Illius dimittendi modus quis. 274. Provinciale quomodo celebrandum. 282. & Privatum quomodo 301. Culparum vero, quem modum ſervare debeat. 339.
Generaliſſimum in Ordine *Prædicatorum* quoties & quomodo celebranda. 101. Generalis & Provincialis celebrandi forma deſcripta. 92. 99. & 94. Fuſius vero 217. Ubi Generale celebrandum. 94. Capitulorum Generalium *Ordinationes* quoad vim præcepti quamdiu durent. 15. Generalis & Provincialis Definitores quomodo eligantur. 89. Biennale & triennale, quid circa illud obſervandum. 124. Quotidianum quomodo celebretur. 91. & 216. Quomodo & quoties *Moniales* Ordinis Prædicatorum celebrent. 139.
Primum Generale Ordinis *Sylveſtrinorum* poſt obitum S. Sylveſtri quo anno celebratum fuerit. 415.
Generale Ord *Vallumbroſani* in Paſſiniano Cœnobio cur ſæpe celebratum. 365. Generalia hujus Ordinis condiderunt Statuta particularia pro ſui Ordinis regimine. 367. Capitula celebrandi modus in Ordine Vallumbroſano. 369.
Cappa juxta varietatem temporum quando deferri debet à FF. Erem. S. Aug. 248.
Capucium, & *Scapulare* commune à pluribus jam ſæculis Religioſorum omnium (præter Canonicos Regulares) indumentum. 3.
Carcer in ſingulis Monaſteriis Ord. Erem. S. Aug. habendus. 353.
Cardinales pluſquam duodecim numerat Ordo Vallumbroſanus. 365. Quot dedit Eccleſiæ Ordo Prædicatorum. 6.
Carnalis lapſus in Ord. Erem. S. Aug. quomodo puniendus. 343.
Carnem nunquam, niſi in gravi morbo comedunt Sylveſtrini Monachi. 420.
Caro infirmis Præd. quando permittenda. 30.
Caſus reſervati in Ord. Erem. S. Aug. recenſentur. 237.
Caſuum Conſcientiæ lectio, & explicatio frequenter habenda in Ord. Erem. S. Aug. 334.
Catalogus Abbatum Generalium Congregationis Cœleſtinæ. 489. Summorum Pontificum, & Imperatorum, qui Ordini Vallumbroſano ſingulariter favebant. 363.
Cauſa vera ſeceſsûs S. Joannis Gualberti ex Monaſterio ſuo S. Miniatis ad Eremum Vallis-Umbroſæ, quænam fuerit. 359.
Cæleſtinus III. P. retulit S. Joannem Gualbertum inter Sanctos Confeſſores. 361.
Cæleſtini IV. P. Regimen breve 17. tantum dierum. 413.
S. *Cæleſtinus* (Petrus) non curru vectus aut equo incedens ſed pedeſtri itinere ex Apulia in Gallias ad Concilium Lugdunenſe venit, ubi à Gregorio X. P. Suæ Congreg. ſolennem confirmationem obtinuit. 478. Ejus iter Aquilam verſus deſcribitur. 479. In Cardinalium promotione duos tantum ex ſuis Monachis ad hanc dignitatem aſſumpſit, & quare? 479. Regulam S. Benedicti ſolam, ſed ſtrictiſſimè obſervandam ſine aliis Conſtitutionibus ſuæ Congregationi præſcripſit. 477. Ejus, & ſuorum quàm rigida fuerint jejunia. *ibid.* Quadrageſimas ſex per annum diſcipulis ſuis injunxit. *ibid.* Nunquam carnem, piſces, aut lacticinia comedit. *ibid.* Humi ſemper cum lapide, aut ligno ſub capite cubabat. *ibid.* Ordinem ſuum ab aliis Pontificibus ante approbatum ipſe jam Papa de novo confirmavit. 480. Ejus Bulla ſui Ordinis confirmatoria integra exhibetur.

tur. 480. Cur dictus, undè dictus Petrus de Murrone. 476. Romæ ſacris Ordinibus, & Preſnyteratu ornatus fuit. *ibid.* Ubi habitum Religioſum Benedictinum accepit. *ibid.* Vitam Ereminticam rigidiſſimè duxit. *ibid.* In monte Magellano cum multis diſcipulis Eremiticam ſimul, & Cœnobiticam vitam conjungens Congregationis Cœleſtinæ ſundamenta jecit. 477. Celebrato Capitulo Generali Ord. ſui regimen depoſuit, & alium ſui locò inſtituit Abbatem Generalem. 478. Amore ſolitudinis, & vitæ contemplativæ, reſignato Ord. ſui regimine, electus tandem eſt in Papam Univerſalis Eccleſiæ. *ibid.* Varia piiſſima Opuſcula ſcripſit, quæ edidit Cœleſtinus Talero ejusdem Ord. Scriptor. *ibid.* Monachis Caſſinenſibus ſuam reformationem intruſit. 485 Papatum depoſuit coram omnibus Cardinalibus ſub certa forma hic expreſſa. 486. Cæleſtibus revelationibus tam ante, quàm poſt Papatum clarus exſtitit. *ibid.* Abdicato Papatu per decem menſes in cuſtodia detentus piiſſimè obiit. 487. Ejus vitam & Acta quis ſcripſerit. *ibid.* Illius Opuſcula pia a Taleto edita quænam fuerint. *ibid.* Quis eum Sanctorum faſtis adſcripſerit. 488. Ejus Congregatio quantum per Italiam, Galliam & Germaniam propagata fuerit. *ibid.* In Gallia habet inſignem Provinciam propriis Statutis gubernatam ſub Patre Provinciali. *ibid.*

Cæleſtini Galli diverſi à Cæleſtinis Italis, & quare? 489 Eorum tam in Italia, quam Gallia habitus qualis ſit. *ibid.* Cur hoc nomine appellentur. 479. Eorum Capitula Generalia ſingulis annis celebranda, & Abbates Generales ſingulis trienniis eligendi. 485. De illorum Monaſteriorum ſtatu & unione, eorumque Prælatis ſuſius diſſeritur. 543. Eorum tria genera ſunt diſtributa in varias Quaterias. 544. Cæleſtinorum Monachorum diſciplina in Italia & Gallia quam ſtricta ſit. 488. Eadem Congregatio non obſtante rigidiſſima ejus diſciplina plurium Monaſteriorum erectione propagata per Italiam. 477. Ante annum 1274. conſtabat ſedecim Monaſteriis. *ibid.* Ab Urbano IV. P. confirmata fuit, ſed non ſolenniter. *ibid.* Solenniter autem à Gregorio X. P. in Concilio Lugdunenſi. *ibid.*

Cæſarius (Arelatenſis S.) & S. Benedictus ineunte Sæculo ſexto ſuas Regulas ſcripsère. 220.

Cellaria Sororum Ord. Prædicatorum officium quale. 137.

Cellatum ſuppellex, ingreſſus, & viſitatio apud FF. Erem. S. Auguſtini qualis. 251.

Cenſor Librorum Romæ eſt P. Magiſter Palatii Pontificii, adjutus ab aliis ſui Ordinis. 6.

Ciborum uſus qualis apud Erem. S. Aug. præſcribitur. 253.

Cibus in Refectoriis Prædicat. quomodo Fratribus ſubminiſtrandus. 28. A Sororibus Prædicat. quibus cæremoniis ſumendus. 130.

Circatoris Ord. Prædic. officium, in quo conſiſtat. 174.

Cænobia Monialium quot numerat Ordo Prædicatorum. 7. Antiqua Prædicatorum amplis prædiis, & fundis fuiſſe dotata variè probatur. 4.

Cænobium Vallis-Umbroſæ in olivo altiſſii montis ſitum eſt. 365.

Clauſura Monialium Ord. Erem. S. Aug. ſtrictiſſimè ſervanda. 324. Conventuum Ord. Erem. S. Aug. quomodo obſervanda, & à Mulieribus nunquam intranda. 256. Monialium Ord. Prædicatorum ſit alta, & fortis. 138. In ea unum tantùm ſit oſtium duabus, vel pluribus clavibus diſtinctis muniendum. *ibid.* Quibus de cauſis extra eam egredi Sororibus Prædicatorum permittitur. *ibid.* Eam ingredi prohibentur Commitiſſæ, Marchioniſſæ, & Principiſſæ, omnesque viri, & fœminæ ſub pœna Excommunicationis, *ibid.* Eam quando, & quoties ingredi licet Provinciali, Viſitatori, & Confeſſario. 139.

S. *Clemens* Scotus, ex primariis S. Dominici Sociis unus, *Canonicus* de Ordine Prædicatorum in Scotiam cum aliis vocatus electus eſt in Epiſcopum *Dunblanenſem.* 3.

Clemens V. Papa S. Pet. Cœleſtinum Pontif. Sanctorum faſtis adſcripſerat. 487.

Clemens VI. P. uſum Pontificalium conceſſit Abbatibus Vallumbroſanis. 365.

Clemens VII. P. S. Sylveſtrum Abbatem Martyrologio Romano inſeri curavit. 415.

Clementis XI. P. Bulla confirmans Conſtitutiones Ord. Vallumbroſani. 367.

Colmarienſis Eccleſiæ Decanus, aliique conſtituti ſunt Protectores Congregationi Saxonicæ Erem. S. Auguſtini. 224.

Color habitûs Sylveſtrinorum cæruleus. 421. Ordinis Vallumbroſani qualis? 360.

Columnenſes Cardinales Auctores fabulæ qua inductum fuiſſe calumniabantur S. Pet. Cœleſtinum ad Papatum dimittendum. 486.

Collatio diebus jejuniorum à Fratribus Ord. Erem. S. Aug. ſumenda. 255. A Sororibus Ord. Prædicatorum quomodò ſumenda. 131. Apud PP. Dominicanos quomodo ſumenda. 29.
Collocutio cum mulieribus quanta cautela fiat à Fratribus Eremitarum S. Auguſt. 257.
Colloquium Peruſii inter S. Dominicum, & Franciſcum Aſſiſiatem habitum de Bonorum immobilium renuntiatione. 3.
Communia quædam officia ad multos Officiales Ord. Prædicatorum ſpectantia. 189.
Communio Sacramentalis quoties in anno à Fratribus Ord. Erem. S. Auguſt. ſumenda. 238. Quoties per annum à Sororibus Ord. Prædicatorum fiat. 132.
Communitas rerum à Sororibus Ord. Prædicatorum quomodo obſervanda. *ibid.*
Confeſſiones Fratrum Ord. Erem. S. Aug. à quibus audiendæ 237. Monialium Ord. Erem. S. Aug. Quinam audire poſſit, 326. Sæcularium, & mulierum quinam audire poſſit, & cautelæ circa eas quales obſervandæ. 238. Ejus Secreta revelans in Ord. Erem. S. Aug. quomodò puniendus. 344.
Confeſſoris in Ord. Prædicatorum quale ſit officium. 195.
Confirmatio Prioris Conventualis Dominicanorum quomodò fit. 207. Ord. Sylveſtrinorum per Bullam Innocentii IV. 413. Ord. Vallis Umbroſani per Bullam Urbani II. P. 361.
Confraternitas ſacri Roſarii pro Nobilibus utriusque ſexus ab Anna Auſtriaca Regina Galliæ inſtituta eſſe creditur. 8.
Confraternitates plures in urbibus, & Villis in gratiam ſæcularium utriusque ſexus pro obtinenda participatione bonorum operum ſacræ Congregationis Cœleſtinorum. 478.
Congregatio Cæleſtinorum Monachorum, quando hanc denominationem aſſumpſit. 476. Originem in Monte Magellano accepit. 477. Ejus primum Monaſterium ubi, & quando conſtructum. *ibid.* Coloritarum Ord. Erem. S. Aug. In Calabria quando exorta. 224. Eremitarum Bonitatum erat prima; quæ Regulam S. Aug. obſervandam accepit. 220. S. Auguſt. cujus Religioſi barbam geſtant in omnibus Capuccinis ſimiles, præter colorem veſtium. 225.
Congregatio in medio biennii in Provinciis Ord. Erem. S. Aug. celebranda. 299.
Guillielmitarum Eremitarum ſub Regula S. Benedicti anteà conſtituta, invitata ad unionem cum Auguſtinianis Eremitis permiſſa eſt manere ſub Regula S. Benedicti uſque nunc. 220. Gallica Erem. S. Aug. ab aliis in multis diſtincta, quando incepit. 225. Italica Erem. S. Aug. reformata quàm latè pateat. *ibid.* Lombardica omnium celeberrima, & quare 223. Reformata Ord. Erem. S. Aug. de *Illiceto* dicta, à quo inſtituta. *ibid.* Saxonica in Germania Lombardicam imitari conata quoad reformationem laxitatum. *ibid.* Petente Electore Saxoniæ à juriſdictione Magiſtri Generalis exempta fuit. 224. Hæc in nova Academia Wittembergenſi Cathedras Theologicas, & Philoſophicas accepit. *ibid.* Erem. S. Aug. nunc per proprium Vicarium Generalem gubernatur. *ibid.* De Centorbi, ſive Reformatio Siciliæ poſt Lutheri lapſum exorta eſt, & per Vicarium proprium Vicarium Generalem gubernatur. *ibid.* Sylveſtrinorum Monachorum Ord. S. Benedicti, à quo, & ubi inſtituta. 412. Quibus dignitatibus, & Officialibus gubernatur. 421. Vallis Umbroſæ Benedictinæ Diſciplinæ propago. 358. Ejus origo, & Auctor quis. *ibid.* Congregationes XII. ſtrictioris obſervantiæ in Ordine FF. Prædicatorum. 5. Reformatæ Erem. S. Aug. variæ. 223.
Congregationis Cœleſtinorum Regimen univerſale, in quo conſiſtat, fuſius deſcribitur. 547. Ejus Capitulum Generale, quo tempore celebrandum. 548. Ejus Alumni, quibus nominibus primum appellati. 476. Ejus Auctor, quis fuerit, *ibid.* Sylveſtrinæ Conſtitutiones integrè exhibentur. 423. Vallumbroſanæ propagatio poſt obitum S. ſui Inſtitutoris. 361. Sæculo XII. quinquaginta eximia Cœnobia poſſedit. *ibid.*
Conſiliariorum officium apud Prædicatores quale eſt. 178.
Conſpirantes, & factioſi in Ordine Erem. S. Aug. quomodò puniendi. 347.
Conſtitutio Alexandri Papæ VI. de electione Magiſtri Ord. Prædicat. 127.
Conſtitutiones Sororum Ord. Præd. non obligant ad culpam, ſed tantùm ad pœnam. 128.
Conſtitutiones quædam Bonifacii IX. Papæ circa Ord. Prædicatorum nunquam immutandæ 125. Hodiernæ Monachorum Cœleſtinorum non à S. Petro Cœleſtino ipſo, ſed à Capitulis Generalibus ſecundùm Regulam S. Benedicti factæ, & approbatæ ſunt. 494.

Cœleſtinorum doobos tractatibus conſtant, quibus totius Congregationis Regimen tam circa arctam diſciplinam, aliaque munia regularia ordinarur. 494. Monachorum Cœleſtinorum integrè per ſua Capita, & §os exhibentur. 499. Ord. Erem. S. Aug. frequenter legendæ, & obſervandæ. 357. FF.Prædicat. omnium trium Sraruum, non ab ipſo S. Dominico, ſed à Capitulis Generalibus promanârunt. 9. Eæ omnes unacum Regula S. Auguſtini juxta Exemplar Romanum juſſu P. Antonini Cloche editom integrè exhibentur. 10. Cloche (P. Antonini) Generalis Præd. eas cum declarationibus Romæ imprimi juſſit. *ibid.* FF Prædicatorum quomodò obligent, & qualia præcepta contineant. 13. Earum interpretationes novæ à Capitulo Generali factæ quando obtineant vim obligandi. 15. Congregationis Sylveſtrinæ idiomate Italico in quatuor diſtinctiones diviſæ integrè exhibentur. 423. & Declarationes Capituli Generalis Sylveſtrinorum 1683. per Innocentium XI. Papam confirmatæ. 416. Ord. Vallumbroſani poſt mortem S. Joannis Gualberti à Capitulis Generalibus conditæ, in duas partes diviſæ ſunt. 367. Conſtitutionum Ord. Vallumbroſani tenor idiomate Italico. 369. Earum Pars I. 42. Capp. ſpectat Regimen Politicum totius Ordinis. *ibid.* Earum Pars II. ſpectat Regimen morale Ordinis, tradens Declarationes ſingulorum Capitulorum Regulæ S. P. Benedicti. 390.

Conventuales dicuntur Eccleſiæ PP. Prædic. per Decreta Summorum Pontificum. 205.

Converſi in Ord. Prædicatorum quid locò Breviarii orent, aliaque circa eos notanda. 121. & Laici in Ordine Erem. S. Aug. qoid orare teneantur. 234. Eorum Magiſtri Ord. Prædic. in quibus conſiſtat officium. 165.

Converſos Fratres ad negotia exteriora tractanda primus inſtituit S. Joannes Goalbertus. 361. Eorum habitus non nihil diverſus ab habitu Clericorum apud Vallumbroſanos, Carthuſianos, & Ciſtercienſes. *ibid.*

Copia Confirmationis Regulæ Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia beati Dominici per B. Innocentium Papam VII. & B. Eogenium Papam IV. confirmatæ. 143.

Coquinarii officium in Ordine Prædicatorum quale eſt. 185.

Corona à Converſis, & Laicis Ord. Erem. S. Aug. non deferenda. 251.

Carrectoris in menſa officiom apud Dominicanos quale eſt. 181. Familiæ Ord. Præd. officium, in quo conſiſtat. 166.

Criminis petitio, ſeu delatio in Ordine Præd. quomodo inſtituenda. 198.

Crucifixi imago in Templo S. Miniatis Sancto Joanni Gualberto caput flectere viſa. 358.

Culpa gravis quænam reputatur in Ordine Prædicatorum, quomodo punienda. 53. Levis quænam dicenda in Ord. Præd. quomodò punienda. 51. *Gravior* in Ord. Præd. quænam habenda, & quomodò punienda. 54. *Graviſſima* quænam eſt, & quomodò punienda in Ord. Prædicatorum. 62. Levis, gravis, gravior, & graviſſima, & earum pœnæ in Ord. Eremitarum S. Aug. quales ſint. 354. Levis, media, gravis, gravior, & graviſſima apud Sorores Prædicatorum quæ habenda, & quomodò quævis earum punienda 134.

Culpæ in Ord. Erem. S. Aug. quomodò puniendæ. 332.

Cuſtodis Dormitorii Ord. Præd. officium, in quo conſiſtat. 175.

D.

Damiani (S. Petri) Eremitæ quare primùm appellantur Eremitæ de Murrone? 476.

Declarationes in Regulam S. Benedicti pro Ordine Vallumbroſano. 390.

Defectus in Miſſa, & Choro quomodò puniendi in Ordine Erem. S. Aug. 234.

Definitoris Capituli Generalis in Ordine Præd. quale officium. 190. Provincialis officium in Ord. Præd. quale eſt. 193.

Defunctorum ſuffragia in Ord. Erem. S. Aug. qualia præſcribantur. 232.

Denuntiatio criminis quomodò in ea procedendum in Ordine Prædicatorum. 199.

Depoſitarii apud Prædicatores, in quo conſiſtat officium. 176.

Depoſitariorum in Ord. Erem. S. Aug. officium in quo conſiſtat. 319.

Deputatorum in Ord. Erem. S. Aug. in quo conſiſtar officium. 320.

Detractiones, diffamationes &c. Sommi Pontificis, aliæque ſingularitates in Ord. Præd. quomodò puniendæ 122.

Didacus Oximanæ Eccleſiæ Epiſcopus S. Dominicum inter Canonicos ſoæ Eccleſiæ ſuſceptum Subpriorem, & Concionatorem conſtituit. 2.

Diffi-

Difficultas circa habitum primorum FF. Prædic. qualis nempe fuerit. 4.
Diffinitorium Generale Ord. Erem. S. Aug. quænam in eo ſervanda 271. Provinciale Ord Erem. S. Aug. quænam in ea ſervanda. 288.
Dignitate Eccleſiaſtica plurimi ex Ord. Erem. S. Aug. fulſerunt. 226.
Dignitates, quibus regitur Ordo Sylveſtrinorum, recenſentur. 421.
Diſceptatio Auctorum de exordio Ord. Vallis-Umbroſæ. 359.
Diſciplina arctiſſima primorum Monachorum Sylveſtrinorum deſcribitur. 413. Eremitica, & Monaſtica S. Pet. Cœleſt. ejusque diſcipulorum in Monte Magellano quam rigoroſa fuerit. 477. Stricta Ordinis Vallis-Umbroſani in quo conſiſtebat. 360.
Diſcreti electio in Ord. Erem. S. Aug. quomodò facienda. 321.
Doctrina præſtantes plurimos numerat Ordo Erem. S. Aug. 226.
Dominici Abbatis Silenſis Ord. S. Benedicti interceſſione, & meritis ſterili matri impetratus fuit S. Dominicus Prædicatorum Auctor. 1. Ejus Ordo longè, latèque S. Dominico adhuc vivente propagatus fuit. 4.
S. Dominicus per ſe, ſuosque uſque ad tempus ſuæ Canonizationis centum millia Hæreticorum convertit. 140. Ordinis FF. Prædicatorum Auctor. 1. Ejus Alumni variis appellari ſolent nominibus, & quibus? *ibid.* Ejus Diſcipuli Albigenſium hæreſim quando debellare cœperunt. 2. Ubi, & quibus parentibus natus. 1. A Deo interceſſione S. Dominici Abbatis Silenſis, & votò ſterilis Matris impetratus. *ibid.* Ejus futura Sanctitas, antequam natus, in ſomno Matri mirabiliter oſtenſa. *ibid.* Ejus ortus, & educatio. *ibid.* Palentiæ literis operam dedit. *ibid.* Ab incunabulis Deo, & Eccleſiæ à Parentibus conſecratus. *ibid.* Inter Canonicos Eccleſiæ Oximanæ ab Epiſcopo Didaco reformatos cooptatus Subprior, & Concionator zeloſus extitit. 2. *Albigenſium* hæreſim prædicationibus, & diſputationibus, nec non miraculo libri Symbolum Fidei Catholicæ continentis in ignem ter injecti, ſed ſemper illæſi debellavit. *ibid.* Quando Ordinem Præd. inſtituere cœpit. *ibid.* Ejus primi Monaſterii promotores, & benefactores quinam. *ibid.* Concilium Lateranenſe acceſſit pro obtinenda Ordinis ſui confirmatione. *ibid.* In Parthenone *Pruillenſi* cum Sociis ſuis primis Regulam Vulgarem S. Aug. ſuperadditis Conſtitutionibus Præmonſtratenſium ſibi, ſuisque obſervandam præſcripſit, & quando. *ibid.* Ab *Honorio* III. ſui Ordinis confirmationem obtinuit. *ibid.* Ejus Ordo in Bulla confirmatoria ejusdem vocatur Ordo Canonicus. *ibid.* Quomodò mendicitatem introduxerit in Ordinem ſuum. 3. In exordio ſui Ordinis Bonorum poſſeſſiones admiſit, poſteà tamen mendicitatem ſuis ſummoperè commendavit, & quare. *ibid.* An Colloquium Peruſii habuerit cum S. Franciſco Seraphico, item an præſens adfuerit Conventui Aſſiſiano S. Franciſci? *ibid.* Non ſolùm Viros, ſed & Fœminas in ſuum Ordinem admiſit. 7. Hæreticorum Waldenſium, & Albigenſium conſtituitur ab Innocentio III. *Inquiſitor*, & Malleus. 6. Quando obiit. 7. Tres ſolummodò Status unum pro Viris, alterum pro Sanctimonialibus fœminis, tertium pro Tertiariis inſtituit. 9.
Domos novæ concedendæ, & conſtruendæ in Ordine Prædicatorum, plura circa eas notantur. 65.
Durandus de Hueſca Eremitarum ſub nomine *Pauperum Catholicorum* Inſtitutor. 221.

E.

Echard, & Quietif diſſertationes de itinere Hiſpanico S. Dominici, & de ejus vero habitu ſcripſerunt. 5.
Eccleſiæ PP. Prædicatorum dicuntur Conventuales ex Privilegio Summorum Pontificum. 205. Quot Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, Summosque Pontifices dederit Ordo Prædicatorum. 6.
Electio Prioris Conventualis modus quis ſit in Ordine Prædicatorum 205. Reverendiſſimi Magiſtri Ord. Prædicatorum forma. 207. Electio Prioris Generalis Ord. Erem. S. Aug. qua forma fit. 270. Conventualis apud Dominicanos quomodò procedit, fuſè explicatur. 72. Provincialis apud Dominicanos fuſè explicatur. 82. *Magiſtri Ordinis* Prædicatorum quomodò inſtituenda, exactè deſcribitur. 86. Definitorum Capituli Generalis, & Provincialis Ord. Præd. quomodò inſtituenda. 89. Prioriſſæ & Subprioriſſæ Sororum Ord. Præd. quomodò inſtituenda. 136.
Electionis S. Pet. Cœleſtini in Papam brevis Hiſtoria. 479. Officialium in Congregatione Cœleſtinorum forma. 554.
Electiones variæ in Ord. Vallumbroſano quomodò inſtituendæ. 382. Canonicæ, & non Canonicæ in Ord. Erem. S.

Auguſtini. 264. In iis ſoli præſentes habent vocem activam. 265.
Electoris Magiſtri Ordinis officium in Ordine Præd. quale ſit. 92. Prioris Provincialis officium in Ord. Præd. quale. *ibid.*
Eleemoſynarii PP. Prædicatorum, in quo conſiſtat officium. 178.
Eligendorum Officialium in Congregatione Cœleſtinorum qualitates ritè explicantur. 552.
Epiſcopalem jurisdictionem in ſuos Conventus habent varii Priores Erem. S. Auguſtini. 226.
Epiſcopos Ordo Prædicatorum quot dedit Eccleſiæ. 6.
Epiſtola conſolatoria S. Gregorii VII. P. ad Vallumbroſanos Monachos poſt mortem ſui Inſtitutoris. 361.
Equeſtrem Ordinem novum S. Mariæ de Victoria Matris Dei PP. Dominicani introducere fruſtra conati. 8.
Eremitarum S. Aug. origo hiſtoricè deſcribitur. 219. Ordinem Alexander IV. exemit jurisdictione Epiſcoporum. 222. Eorum habitus qualis? *ibid.* Statuta approbata, iterum quæ mutata fuerunt. 223. Ordinis incrementum in Europa ante Lutherum. *ibid.* Illorum Ordo hodie poſſidet Provincias 42. In Europa. *ibid.*
Eremitæ Auguſtiniani habitum in ſua unione prima acceptum adhuc bodie retinent immutatum. 221.
Eremitæ antiqui, ſive *Bonitæ*, ſive alterius Inſtitutoris ante unionem ab Innocentio IV. factam, nunquam juxta S. Aug. Regulam vixerunt. *ibid.* Britrini uniti fuerunt cum reliquis ſub Regula S. Aug. 222. Per Hetruriam, & alias Italiæ partes diſperſi in unum corpus congregati effecerunt ſacrum Ordinem. 219. Hi pro vitæ Regularis, ſeu Monaſticæ norma ſequuntur Regulam vulgarem S. Auguſtini. *ibid.* Hos anteà diſperſos ſine approbata Regula congregavit, univitque ſub Regula S. Alexander IV. *ibid.* *Bonitæ* erant primi, qui Regulam S. Aug. acceperunt, ab Innocentio IV. Papa. 220. Auguſtiniani non fuerunt auditi in Eccleſia Dei ante tempora Innocentii IV. Papæ. *ibid.* De Murrone, item S. Damiani primùm nuncupati erant Cœleſtini, & quare? 476.
Eremus Montis Fani, in ea conditum primum Sylveſtrinorum Monaſterium. 415.
Euſebius Vercellenſis Epiſcopus vitam clericalem cum monaſtica conjunxit. 220.
Examinatoris Ord. Præd. in quo conſiſtat officium. 174.
Excommunicationi quando ſubjacent Fratres Prædicatorum. 14.
Excommunicationis ſententia, quando, & pro quibus ferenda in Ordine Erem. S. Aug. 341.
Exordium Monaſterii Vallis-Umbroſæ in quem annum incidit. 359. Congregationis Cœleſtinæ ab initio ſatis exiguum brevi in immenſum crevit. 476.

F.

Fabriano (And. Jacob. de) Tertius Generalis Ord. Sylveſtrinorum vitam S. Sylveſtri Abbatis, & Acta prima Ord. iſtius conſcripſit. 415.
Fabula de voce per fiſtulam tanquam cœlitùs emiſſa monente S. Pet. Cœleſtinum, ut Papatui renunciaret, ùt ncta rejicitur. 486. Hujus fabulæ Auctores quinam crediti? *ibid.*
Factioſi in Ord. Erem. S. Aug. quomodò puniendi. 347.
Fanum Jovis ſic dictam Eccleſiam S. Mariæ ſacram cum omnibus ſuis pertinentiis, & decimis ſatis amplis à Fulcone Epiſcopo Toloſano accepit S. Dominicus. 4.
Fanus Mons horridus deſertus, ubi S. Sylveſter Monaſterio conſtructo Ord. Sylveſtrinorum fundamenta jecit. 412.
Fay-Fulis Monaſterium S. Mariæ in eo S. Pet. Cœleſtinus priusquam in montem de Murrone ſeceſſit, vota ſolennia ſecundùm Regulam S. Benedicti emiſit. 494. Habitum Benedictinum ſuſcepit S. Pet. de Murrone. 476.
Feneſtra, & feneſtrellæ ferratæ in clauſura Monialium variæ. 138.
Ferrandi (Joan.) Epiſtola de Militibus Crucis Jeſu Chriſti 8.
Feſtum S. Sylveſtri Abbatis Monachorum Sylveſtrinorum Patris incidit in diem 29. Novembris. 415.
Forma abdicationis Papalis dignitatis à S. Pet. Cœleſtino factæ. 486. Generalis Abſolutionis, quæ fit in Capitulis, vel ſolennitatibus magnis in Ord. Præd. 219. Capituli Generalis celebrandi in Ord. Erem. S. Aug. 266. Celebrandi Capitula Generalia, vel Provincialia ſecundùm conſuetudinem FF. Prædicatorum. 217. Confirmationis Prioris Conventualis Dominicanorum electi. 207. Creandi Magiſtrum in ſacra Theologia Ord. Erem. S. Auguſtini qualis. 331. Dandi facultatem alienandi bona immobilia Ord. Domini-

canorum. 210. Diſpenſandi illegitimè natos Fratres profeſſos Ord. S. Dominici. 213. Electionis in Congregatione Cœleſtinorum Monachorum. 554. Reverendiſſimi Magiſtri Ord. Præd. 207. Eligendi Priorem in Ord. Præd. per P. Provincialem propter defectum in priore electione. 209. & modus faciendi profeſſionem in Ord. Præd. 215. Excuſatoria Prioris Provincialis nolentis in Ord. Prædic. 209. Ad inducendum Novitios Ord. Prædicatorum. 214. Inſtituendi Subpriorem. Ord. Præd. 209. Vicarium in Ord. Præd. ſupra totam Provinciam. *ibid.* Viſitatorem Dominicanorum. 210. Lectorem Principalem. Ord. Prædicatorum. 211. Licentiæ ad arctiorem vitam Ord. Prædicatorum. 213. Ad Epiſcopatum in Ord. Præd. 211. Peregrinandi in Terram ſanctam In Ord. Prædicatorum. 213. Recipiendi, & inſcribendi in confraternitatem Roſarii in Ord. Prædic. 214. Litterarum promotionis ad Magiſterium Ord. Prædic. 212. Quibus corripiuntur Priores Dominicanorum. 209. Concedentium facultatem ad novam electionem in Ord. Præd. Prioris Convent. procedendi. 208. Socii Prioris Conventualis Dominicanorum ad Capitulum Provinciale. *ibid.* Scrutinii Prioris Convent. ad Capit. Provinciale. *ibid.* ſeu Decreti electionis ad confirmatorem in Ordine Prædicatorum. 205. Mittendi Prædicatorem Ord. Dominicanorum. 213. Promovendi ad ſacros Ordines, & Confeſſiones ſuſcipiendas in Ord. Erem. S. Aug. qualis tenenda. 236. Ad Magiſterium ſacræ Theologiæ Ord. Dominicanorum. 211. Recipiendi ad Beneficia Ord. Prædic. 214. Tenendi Capitulum pro ſcrutinio Prioris, & Electione Socii Prioris euntis ad Capitulum Provinciale in Ord. Prædic. 216. Quotidianum in Ord. Prædicatorum. *ibid.* Formularium principaliorum actuum ad officium Prioris Provincialis & Conventualis Ord. Prædicat. ſpectantium reformatum. 205.

Fratres germani in Cœleſtinorum Congregatione prohibentur eſſe. 516.

Nigri in Anglia, & Scotia Dominicani vocabantur. 1.

Saccati Unioni Eremit. S. Aug. juncti fuerunt. 222.

Fridericus II. Imp. Italiam, & ipſam Eccleſiam Romanam variè exagitavit. 413.

Fulco Epiſcopus Toloſanus S. Dominici primo Monaſterio quid conceſſit. 2.

Furtum in Ord. Erem. S. Aug. quomodò puniendum. 344.

G.

GAllia quot numerat Cœnobia Monialium Ord. Prædicatorum. 7.

Generales primi Ord. Sylveſtrini quinam fuêre. 417.

Generalis Magiſter I. Eremitarum FF. S. Aug. erat Lanfrancus Septala. 222. Ord. Erem. S. Aug. officium, & Authoritas quanta? 275. Ord. Prædic. officia varia recenſentur à pag. 151. uſque 155.

Germania Imperium quot Cœnobia Monialium numeret Ord. Prædic. 7.

Graduati, & ſtudentes in Ordine Erem. S. Aug. quando officio intereſſe debeant. 331.

Gregorius VII. P. Monachus Cluniacenſis, nunquam Vallumbroſanus fuit. 366. Ejusdem Epiſtola conſolatoria ad Vallumbroſanos Monachos poſt mortem ſui Inſtitutoris. 361.

Gregorius IX. P. à baculis geſtandis cur Eremitas Auguſtinianos liberaverit. 222.

Gregorii IX. tempore Ordo Sylveſtrinorum exortus eſt. 412.

Gregorius X. P. in Concilio Lugdunenſi ſolenniter confirmavit novam Congregationem Cœleſtinorum. 478.

